Ave María

Costo Veinte, y dos R. en Alcala de Henares: en 15. de Diciembre del año de 1706=

D. Joseph Delgado

Fol. 96
Arch. Lit.
Fol. 9

R.P. VINCENTII RAMIREZ SOCIETATIS IESV, MATRITENSIS,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET IN Academia Complutensi Primarij, necnon Archiepiscopatus Toletani Synodalis Examinatoris.

TRACTATVS DE DIVINA PRÆDESTINATIONE Sanctorum; & Impiorum reprobatione.

TOMVS PRIMVS.

Cdeel Colegio de S. Cath.ª Vniv.d de Osma

Anno 1702.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

CVM PRIVILEGIO.

Complutis: Apud Iulianum Franciscum Garcia Briones, Typographum Vniversitatis.

R. P. VINCENTII

RAMIREZ SOCIETATIS IESV

MATRITENSIS,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET IN

Academia Complutensi Primarii, necnon

Archiepiscopalis Toletani Synodalis

Examinatoris.

TRACTATVS

DE

DIVINA PRÆDESTINATIONE

Sanctorum; & Impiorum

reprobatione.

TOMVS PRIMVS.

Anno 1702.

CVM PRIVILEGIO.

AVGVSTISSIMÆ MARIÆ VIRGINI DEIPARENTI. DIVINITATIS PENETRALI, ARcano, ſpeculo. Trinitatis elogio, Imagini, complemento. Parentis Filiæ, Triclinio, Trono. Vnigenitæ Sapientiæ ſpeciei, Impireo, Matri. Spiritus Sancti incendio, columbæ, Talamo, Sponſæ. Sydere omnium chariſmatum venuſtiſsimo firmamento. Gratiæ, & Beatitudinis immenſo prope modum Mari. Æternæ fœlicitatis pulcherrimo poſt Deum delicio. Soli fulgentiſsimo viventium. Impirei Aſtrorum obumbratrici. Creaturarum defæcato compendio. Myſterio Cœli, & terræ. Electorum Matrifamilias. Redemptionis cooperatrici, primiceriæ. Humani generis Evæ, ſaluti, vitæ. Vmbrarum veterum illuſtriſsimo Corpori. Hæreſum debellatrici. Scripturarum epilogo. Prophetarum ſupplemento. Scientiarum arcano. Eruditarum cogitationum Præſidi, venæ, profluenti.

QVOD laborum huiuſce mei Patronam te; atque Auſpicem auſim nuncupaviſſe, quoniam mei prope arbitrij non fuit, ad alias aras qualecumque id avertere votum meum, facile te crediderim exorandam: etenim, ſi *inventa Maria Virgine* (1) (ait Divus Bonaventura) *invenitur omne bonum*: ego ſane, cuius prope modum vniverſa tuo ſemper Numine confoveri, audaci, nec incongrua coniectura præſumpſerim, improvidus vtique ſim operi meo, nedùm tuæ immemor beneficentiæ, qui illuſtre id, egregiumque primœvo ſtudiorum meorum proventui, venerationis ergo, inviderem, atque ſubterfugerem Patrocinium. Et quidem, ſivè in vitæ meæ inſtitutione, ſivè in ſtudiorum meorum progreſſu palam abundè expertus ſum, quod de te ſapientia teſtatur (2) *præoccupat*, ſcilicet, *qui te concupiſcunt, vt illis te prior oſtendas*. Nam ſœculi ardua declinaturus, artioremque ſalutis ſemitam ſub Filij tui vexillo, ſub aſpectum ſecundum ſyderis tui, te Duce, aggreſſus, ſacram tibi auroram, ac diem reſpiravi fœliciter priorem: tùm vbi obſtrinxere deinde me evangelici compedes inſtituti, non alia, quam tua lux votorum me compotem, & divitem fecit. Tandem, vbi extremis Societatis Iesv nexibus vincior, oriens pariter honori tuo me dies alma ſuſcepit, libenſque ipſa, & favens providiſti, vt cuius omnia in honorem tuum, ſubque tuis auſpicijs gerebantur, vniverſa identidem caſu fœlici tuam obvenirent in diem, atque ſub tui nominis vmbra omine mihi ſatis, ſuperque fortunato, protegerentur. Nec ſeciùs litterarum mearum tenor à te vna lumen, & originem trahens, vnam te pariter deſtinabit terminum ſuum. Sub tuis equidem auxilijs, & die vtique honori tuo inſigni, extrema olim tyro ſapientiæ limina ſalutavi: tua itidem illuxerat facilior aurora, qua me

(1) *Bonav. in prœem. de contemp. Virg.*

(2) *Sapient. 6. 13.*

docendi primum onus oppreſsit: tua demùm agebatur pariter dies, vbi veſpertinam, vbi ſequentem theologiæ Cathedram in Complutenſi hac Academia moderari compulſus ſum; nec quidquam tot annorum excurſu in ſtudiorum meorum munere, ſeu aggreſſus, ſeu meditatus, ſivè profeſſus ſum, quod non te vnam penitùs ſydus, patronam, ductricem, ſenſerim: nec vnquam ad alias aras cogere potui, vt proficiſceretur conſilium meum.

3) *Virgil. Eclog. 1.*

(3) *Nec tam præſentes alibi cognoſcere Divos.*

Ergo cuius cuncta tuo de Numine provenere, quid vnus iſte labor exorbitaret? iſte, inquam ſub auxilio tuo conceptus, ſub influxu tuo adoleſcens, ſub tuo lumine perductus ad vmbilicum. Eat vtique, quà ſe indoles vocat, atque fortuna, ſibique tutamentum, & curſum inoffenſum devinciat, vnde ortum, vnde progreſſum, vnde fructum, vnde æternum ſibi vindicet firmamentum. Eat quidem per me alacer ad aras tuas; quæque *feciſti in Cœlis, vt oriretur* ſapientiæ *lumen indeficiens*, hunc in lucem prodire, & feſtinantem, & metuentem exiguum ſcientiæ laticem, ſuſcipe in lucem tuam: vt, quæ *eruditis cogitationibus interes*, ipſe præfulgeas; quæ, ſi quid ſcientiæ, ſi quid acuminis, ſi quid eruditionis habeant, à te profectò hauſerint genium ſuum: nec exiliras pignoris me deterret: libens profecto patiar arceſsiri de audacia: modo per hoc qualecumque votum devincti tibi indicem animi, teſtatum faciam, quod hùc æquius decerpſerim à Poeta.

(4) *Virg. Eclog. 1.*

(4) *Namque erit illa mihi ſemper Deus, illius aram*
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Eſt & præterea, quod te Numen, & vindicem vocet ipſummet operis argumentum. Quò enim liber confugeret, in quo abſtruſſa prædeſtinationis arcana differuntur, niſi ad te prædeſtinationis, ſalutiſque noſtræ primitias, ſygillum, ducem, & viam? (5) *Poſſedit te Dominus initium viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Poſſedit te (inquit Andræas Hyeroſolimitanus) tamquam *Primitias communionis, & coniunctionis omnium genitoris cum ſuo figmento.* Poſſedit te (ait Bernardus) velut ſcopum, in quem omnis Scripturæ promiſsio, mundi totius extructio, orbis vniverſi redemptio, tamquam in creaturarum apicem collimarent (6) *Per hanc*, ait, *& ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta eſt: propter hanc totus mundus factus eſt: per hanc homo redemptus eſt, verbum Dei, & caro factum eſt, Deus humilis, & homo ſublimis.* Poſſedit te, addit Ambroſius, velut adipem, ſignifera-mque ſalutis: (7) *Redempturus enim mundum, operationem ſuam inchoavit à Matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem primum ſalutis fructum hauriret.* Seu tandem, vt Ildephonſus audentior, poſſedit te velut vnica ſolicitudo hominis Dei, cuius prædeſtinationi, & ſaluti electorum reliqua turba tamquam appendix ſubſcriberetur. (8) *Virgo* (inquit) *Mater Dei ſolum opus Incarnationis Dei mei.* Nam quod Mariam Moyſis ſororem ducentem in tympano reliquum vulgus ſequutum Maris vndas emerſerit, ecquid innuat, Chriſologo Interprete, niſi quod *humanæ tu prævia ſalutis populum, quem vnda regeneratrix emittit in lucem, ipſa iure, velut primiceria, præcedas in canſico*: etenim.

(5) *Andræas Hyeroſol. ſerm. 2. de Anunt.*

(6) *Bern. ſerm. 3. in Salve Reg.*

(7) *Ambr. in illud Lucæ eccè Ancilla Domini, &c.*

(8) *Ildeph. de laudibus Virginis. cap. 10.*

Chriſol. ſerm. 164

(9) *Virg. Eclog. 4.*

(9) *Te Duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri*
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

Cæterum, quæ in prædeſtinationis, ſalutiſque aſſumpta es fructum opimum, aucta deinceps es omnium hæreditate iuſſorum, te ipſa teſtante. *Dixit mihi, qui creavit me, in Iacób inhabita, & in Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radices* (10) *Tu per anigma* (inquit Epiphanius) in Eva, *Ma-*

(10) *Epiphan. lib. 3. hæres. 8.*

ter

ter viuentium appellata es(11)Nec te *vivam*(addit Dionysius Cartusianus) *Sed vitam Deus appellavit, vt constaret, te omnibus viventibus viuendi causam esse, cum vita sit formæ vocabulum, & quidquid vivit, per vitam vivat.* Tu tu in honorificato electorum populo radices agens(12)*Omnium*(ait Ricardus)*salutem desideraſti, quæſiviſti, obtinuiſti; imò ſalus omnium per te facta eſt.* Tu vniverſæ collũ Eccleſiæ corporis, vt Hieronymus meditatur(13)tradux, & via gratiarũ es, qua quidquid è capite Chriſto in omnia electorum membra ſe ſe diffuderit, dulci, vnicaque hac ſemita derivetur, vt dona omnia, quæ in ſalutem humanam exundant, aquarum inſtar, quæ venarum ſaporem induunt, per quas transfundũtur, hauriant ex te dulcedinem, benignitatem, amorem, & claritatem.(14)*Nullus*(inquit Germanus)*eſt, qui ſalvus fiat, niſi per te ò ſanctiſsima, nullus eſt, qui liberetur à malis, niſi per te ò puriſsima, nullus eſt, cui donum conferatur, niſi per te, ò caſtiſsima; nullus eſt, cuius miſereatur gratia, niſi per te, ò honeſtiſsima.* Effunditur enim per te ſalus, virtus, libertas, chariſmata, gratiæ, in vniverſam filiorum familiam: vnde(15)*Si quid gratiæ; ſi quid ſpei; ſi quid ſalutis in nobis eſt*(ait Bernardus)*ab ea noverimus redundare*; ſicque à te hauriunt facilitatem, & profluentem, vt pronior ex te ſcaturigo perennet: vnde Anſelmus (16)*Dicam, quod ſentio; ſi illius eius Dominus eſt, & Iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum: dum autem invocatus aliquando ſuo nomine non exaudit, iuſtè quidem facit; invocato autem nomine Matris, etſi merita invocantis non merentur; merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiantur*(17)*Nam ſicut Pater omne iudicium dedit filio*, ita filius aiunt(Hieronymus, & Anſelmus) omnem miſericordiam dedit Matri.(18)Igitur, quæ *cooperata es*(ex Auguſtino)*vt fideles in Eccleſia naſcerentur.* Quæ pretium(ex Bernardo)vniverſæ noſtræ redemptionis ſolviſti.(19) Deus quippe *redempturus humanum genus, omne pretium contulit in Mariam.* Quæ cooperatrici virtute mediatrix interveniſti ſalutis (ex Damiano)(20) *Per ipſam*, aiente, *& cum ipſa, & in ipſa totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Quę electorum ſtemma es, vt vbicumque expreſſa ſis, ſignum pariter fœlicitatis inhæreat, ex illo(21) *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos vltra anima mea* (22)*Quæ ſanctum Dei es fermentum*(ex Andræa Hieroſolimitano)*quo tota humani generis maſſa conſperſa eſt.* Quæ Materfamilias es; omniumque genitrix, quotquot æternæ poſſeſsioni deſtinantur, *ideoque*(23)*venter tuus, ſicut acervus tritici vallatus lilijs*: quoniam etſi vnum tritici granum *Chriſtum Dominum concepiſti; tamen acervus aiteris*(ait Ambroſius) *quia virtute continet omnes electos*, velut ſegetes è fœcunda hac ſatura provenientes *benedicente Domino terram ſuam.* Quæ tandem ſemita, & aſsylum es vniverſæ ſalutis, ſic vnicum, ſic ſtabile, vt audeat Anſelmus prorrumpere(24)*Sicut enim ò Beatiſsima Parens, à te averſus, & à te deſpectus neceſſe eſt, vt intereat; ſic ad te converſus, & à te reſpectus impoſsibile eſt, vt pereat.* Ideo, qui tractatus humanæ prædeſtinationis, deſtinationis, ſalutiſque verſat argumentum, ad vnam te ſalutis auctricem, atque venam debuit vtique ſuplex appellare, vt(25)*quæ non tui ipſius cauſa progenita es; ſed in vitam prodiſti, vt orbis vniverſi ſaluti miniſtram te præberes*, etiam has qualeſcumque cogitationes, velut eiuſdem prædeſtinationis exubias, foveas, ſuſcipias, & illuſtres, & (26)*per quam non ſolum amiſſa olim hominibus vita redditur; ſed etiam Beatitudo Angelicæ ſublimitatis augetur*: is etiam labor lucem hauriat, & ſpiritum, & vitam à (27)*largo illo Spiritus Sancti imbre*, quo *per te*, ait Hieronymus, *omnis creatura ſupereffuſa eſt.*

(11) *Dionyſius Cartuſian. lib. 2. de laudibus Virgin.*
(12) *Ricard. Victor. Cant. cap. 6.*
(13) *Hieron. ſer. de Aſſumpt.*
(14) *Germ. Arch. conſtant ſerm. de Zona, & faſcijs Deiparæ.*
(15) *Bern. ſerm. de Nativit.*
(16) *Anſelm. de excell. Virg. cap. 6.*
(17) *Hieron. in cap. Eſter.*
(18) *Aug. lib. de Sanct. Virg. cap. 6.*
(19) *Bern. in illud Apocalyp. ſignũ magnum, &c.*
(20) *Damian. ſerm. de Annunt.*
(21) *Levitici 16.*
(22) *Andræas Hyeroſolim. ſerm. de Aſſumpt.*
(23) *Ambroſ. de inſtit. Virg.*
(24) *D. Anſelm. de excell. Virg.*
(25) *Damaſc. ſerm. de Aſſump.*
(26) *Damaſcen. orat. 3.*
(27) *Hieronym. ſerm. de Aſſumpt.*

(1) *Antonius Zara Epiſ. Pitien. in ſua Anthonom. ingen. ſeſſ. 1. cap. 1.*
(2) *Ioann. Lempage in Bibliotheca præmoſtratenſi.*
(3) *Laurentius Surius.*
(4) *Didacus de Pavia.*
(5) *Eritius Puteanus in orat. de purific. Virginis.*
(6) *Paulus III. diplom. anno 1549.*
(7) *Antonius Fabrus tom. 2. deciſ. l. 9. tit. 12. def. 2.*
(8) *Clemens IX. in Bull. qua confirmavit Cathedras publicas Societatis.*
(9) *Clemens VIII. apud Adam concē. l. 8. Politic. cap. 2. num. 50.*
(10) *Iſaias. 33.*
(11) *Granina de voce turturis cap. 30.*
(12) *Eraſmus Roterodam. epiſt. dedicat ad Plinij hiſtoriam.*
(13) *Iacobus Pirrus in Pet. Apian.*
(14) *Halicarnaſſæus in princ. de orat. examin.*
(15) *Plinius lib. 1. epiſt. 16.*
(16) *Senec. de Benefic. l. 2. cap. 35.*
(17) *Ioann. Gerſ. de laud. Script. tom. 1.*
(18) *D. Auguſt. lib. contra Academ. cap. 7. de Platon.*
(19) *Artemidorus de iuriconſulto.*
(20) *D. Hieron. lib. 2. apolog. contra Rufin.*
(21) *Plin. 2. in procem. ad hiſtoriam prim.*

APPROBATIO RELIGIOSISSIMI, DOCTISSIMI, ET RR. COLLEGIJ Complutenſis, Diſcalceati ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

IVSSu, & præſcripto Domini Doctoris D. Laurentij del Campo, Vicarij Generalis Toletanæ Diœceſis, & Canonici Eccleſiæ Magiſtralis SS. Iuſti, & Paſtoris Civitatis Complutenſis, Nobis, & cenſoriæ frameæ remiſus fuit *Tractatus Theologicus de Prædeſtinatione, & Reprobatione duobus tomis complexus*, quem in lucem publicam parat R. Doct. P. Mag. Vincentius Ramirez in hac Complutenſi Vniverſitate Publicus Theologiæ Primarius, & Archiepiſcopatus Toletani Examinator Synodalis &c. Ex inclyta Societate Ieſu, fæcunda Matre *Scientiarum* (1) *ac virtutum omnium Emporio*, ex illa (2) *Religionis arce firmiſsima, nobiliſsima, & Celeberrima*. quæ *quot Collegijs conſtituta in orbem diffuſſa fuit, tot velut lucidiſsimis doctrinæ, ac ſapientiæ luminibus, mundum vniverſum illuminavit*; (3) *non ſolum vitæ integritate; ſed etiam multiplici, & rara eruditione* (4) *catholicæ, veræ, piæ, & excellentiſsimæ doctrinæ*: quæque (5) *victrix hæreſium, pharus virtutum, perfectio ſæculi, gloria diſciplinarum*, (6) *ager eſt fertilis, qui non ſingulis annis: ſed ſingulis diebus multiplices, vbereſque fructus producit*, (7) *quibus nil ætas præſens tulit eruditius, aut religioſius, nil toti reipublicæ vtilius* (8) *vt teſtantur publicè perennia religioſæ ſapientiæ monumenta, quibus litterariæ laureantur theatra, & catholica coronatur Eccleſia*: ex hac ergo (9) *ingeniorum ſocietate*, extra quam dicitur (10) *vbi eſt litteratus? Vbi legis verba ponderans? Vbi Doctor Parvulorum?* Quippe intra (11) *paſim occurrent Doctiſsimi Theologi Scholaſtici, & Scripturarum interpretes*: ò *vtinam* (12) *in hoc negotium conſpirarent omnes rei litterariæ proceres hi; vt quiſque, quod deprehendit, in medium proferat*, prodit hic Author.

(13) *Præſtiterat non plura loqui, deincepſque ſilere:*
nam ſatis Authoris dicere nomen erat.

Verum etſi (14) *ingens ſit ... In iudicandis aliorum ſcriptis periculum*; (15) *nec laudare* hunc Magiſtrum *tantum, vel vt etiam amare contigit*: hinc nos, qui diù (16) *voluntati, voluntate ſatisfecimus, rei rem demus*, iureque promamus. (17) *Scriptor Eccleſiam ditat, Eccleſiam armat, Eccleſiam cuſtodit, poſteriſque ſal ſapientiæ miniſtrat*: (18) *vir Sapientiſsimus, & Eruditiſsimus temporum horum, qui, & ita locutus eſt, vt quæcumque diceret, magna fierent, & ea loquutus eſt, vt quomodocumque diceret, parva non fierent*: (19) quippe *acutè penetrat, noviter interpretatur, & ingenioſa elucidatione exornat, quæ* (20) *petentibus ſcripſit, non faſtidioſis; gratis, non invidis; ſtudioſis, non oſcitantibus*; (21) *quis iam ex iſtis, qui tota vita litteris aſsident, collatus illi*, nullo minori maior? Nullus certe evadit: *nam eſtò* (22) *res ſit ardua vetuſtis novitatem dare, novis authoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubijs fidem; omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia*; *ad hæc ceù natum Doctorem noſtrum* (23) *magna fama præceſſerat: maior inventus eſt: ſumma eſt facultas, copia, vbertas, multa lectio, multa ſcriptio elucet, proœmiatur aptè, narrat apperte, pugnat acriter, colligit fortiter, poſtremò docet, delectat, & afficit*: *igitur* (24) *aduletur ſibi... quantum volet; & novos ingenij ſui fœtus... demiretur ipſe, qui* (25) *multa etiam laudis inita tulit; etſi rerum natura pateretur, adſcribi ſibi voluiſſet antiquitas*. Nos quidem commiſſum (26) *accepimus tractatum, cuius maxima ſubijt voluptas; propterea quod denſus eſt ſimul, & refertus ſententijs, ac contrariorum obiectiones, & reſponſiones illi ſubiectas, non confuſè; ſed recto ordine digeſtas habet*. Eſt demum (27) *opus pulchrum, validum, purum, cuius* (28) *fides in teſtimonijs*, virtus *in argumentis, pondus in verbis nitet*: quodque catholico prælo credendum iudicamus. Sic ſentimus, ſalvo meliori, in hoc Complutenſi Collegio Excalceatorum Sanctiſsimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Nono Kalendas Iunnij: anno 1702.

Fr. Emmanuel à S. Sylveſtro, Sacræ Theolog. Lect.
Fr. Paulus à Ieſu, Miniſt. & Sac. Theol. Lect.
Fr. Alexander à Conceptione, Sacræ Theolog. Lector.
Fr. Ioann. ab Aſſumptione, Sacræ Theolog. Lector.

APPRO-

(22) *Plinius Iunior ad Veſpaſ.* (23) *Plin. lib. 2. epiſt. 3.* (24) *Cauſin in eloq. ſacr. lib. 12.* (25) *Caſſiod. lib. 2. epiſt. 13.* (26) *Baſil. Magn. epiſt. 39.* (27) *Plinius Iunior de lib. Senioris lib. 4. epiſt. 20.* (28) *Sydon Appolin.*

APPROBATIO R. P. M. Fr. MATHIÆ MARQVEZ ORdinis Sanctiſsimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Calceatorum Sacræ Theologiæ Lectoris Iubilati, & Collegij Complutenſis Miniſtri.

SVPREMI Caſtellæ Senatus iuſſu Tractatum hunc de Prædeſtinatione Divina duas partes continentem (cuius Author eſt Sapientiſsimus, & Reverendiſsimus Pater Doctor Vincentius Ramirez in hac Complutenſi Academia, & Theologiæ primariæ Regiæ Cathedræ pro Societate Ieſu Meritiſsimus Moderator) legi, & diligenter evolui. Et quidem præcipienti immortales refero gratias, quòd tantam ſuo mihi præcepto induxerit fælicitatem, vt tàm ſublimis ingenij opus diù ab omnibus exoptatum fauſte anticipaverit. Si enim magnam, qua iſtud opus perlegi, voluptatem velim exponere, meritò illud poſſum dicere, quod olim Mantuanus(1) *Legi tanta animi voluptate, quanta luculentia ſplendet, quanto amore eius Authorem proſequutus ſum; ſed eum legendo, dum cupio ſedare ſitim, ſitis altera creſcit, deſiderium ſcilicet videndi reliqua.* Legi, vt cum Sydonio loquar (2) *opus operoſiſsimum, multiplex, acre, ſublime, in quo gravia matùre, profunda ſolicite, dubia conſtanter, argumentoſa diſputatorie, quædam ſevere, quædam blande, cuncta moraliter, lecte, potenter, eloquentiſsime.* Accepi bipartitum, & avide diviſum percurri, in ipſa diviſione iucunditatem capiens: placuit pars prima, velut vnica: placuit altera tamquam nulli ſecunda: oportune igitur det verba Hieronymus alius præclari ſcripti cenſuram ferens (3) *Librum* (inquit) *quem prudenter, ornateque compoſitum tranſmiſiſti, libenter legi, & præcipue mihi ſubdiviſio placuit, cunque in primis partibus vincens alios in penultimis te ipſum ſuperas.* Ea etenim toto cernitur opere diſcurrendi, inveniendi facilitas, arguendi vivacitas, ſtyli Maieſtas, quantam conſumatum Magiſtrum in celebri Academia, & ex inexhauribili vena Doctorum, ſcilicet Societate Ieſu proditum, oportuit exornari. Aggreſi ſunt eandem provinciam plures ex Ieſuitica Schola celeberrimi Doctores, ità fæliciter explanantes Divinæ Prædeſtinationis arcanum, ſcopumque tàm arduum ità ſublimiter attingentes, vt metam tranſilire appareret difficile. Cæterum viſo hoc aureo opere ſtatim occurrit illud Sexti Propertij ad famam Virgilianæ Æneidos decantantis.

(1) *In elogio Mirandulæ.*

(2) *Sydonius Apolinaris lib. 9. epiſt. epiſt.*

(3) *Ad Paulinum in aprobatione panegyris prò Theodoſio.*

(4) *Cedite Romani Scriptores, cedite Graij*
Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

(4) *Author vitæ vigilij ante eius opera.*

Plus vltrà dedit Noſter Complutenſis Primarius; vt vere Herculeis viribus non *plus vltrà* conſtitueret in methodo, in acumine, & copia dicendi; talia ſunt, quæ calamo ipſius exarantur (5) *vt eo genere, neque excogitari prudentius, aut diſputari acutius, aut certiùs definiri, ſtatuique poſſit.* Elucent namque in illo antiquitas non contempta; verum ex novo ornatu pulchrior; & renovata: ſingularitas, & novitas, ità ſolidis antiquorum diſcurſibus fulcita, talitèr Authoritate Patrum; & Scholaſticorum firmata, vt antiquitas nova, & novitas antiqua facile ſe prodant: hìc, quin recedant vetera, nova ſunt omnia, cùm *proferat de theſauro ſuo nova, & vetera*: impugnat efficaciter ſine offenſione, propugnat nervoſè abſque tumiditate, & cum reliquos tractet vrbaniſsimè, omnibus ſe præbet gratiſsimum, atque ſine exceptione Magiſtrum. Aſt quid opus eſt ambagibus? Iam quid de opere ſentiam, vno verbo aperio: explet equidem præconceptam ſpem florentiſsimi ingenij, & dum votis omnium correſpondet, ità ad apicem evehitur, vt nil deſiderandum relinquat.

(5) *Damianus lib. 5 Epiſt. cap. 6.*

Hæc ſunt tanti Doctoris exordia luci publicæ donata, vt luceat omnibus, qui in hac arce ſapientiæ, & in regia hac complutenſi, quam ſibi ædificavit Sapientia ſuper ſtabiles columnas, ſunt: hæc æqualia, ſi non maiora, nobis deincep-

deinceps promittunt in Academiæ honorem, in Societatis gloriam, in Discipulorum vtilitatem, in Magistrorum plausum: gratulemur ergo filio, quod tam generosè Matrizet: gratulemur Matri fœcundissimæ, id est, (6) *ingeniorum societati*, quod tam nobilem ediderit filium, cuius vtilissimum opus, cuius vberrimi in docendo fructus tantum mutuatis verbis à Nazianzeno digne laudari possunt, dum de opere quodam Magni Basilij dixit (7) *Vnum ver inter anni partes, vnus sol inter sydera, vnum Cœlum omnia complexu suo coercens. Ita vnus hic liber de omnibus triumphat; si modò satis ego sim, qui de huiusmodi operis iudicium feram, nec mihi amor impostoram faciat.*

(6) *Clemens octavus apud Patrem Mendo in statera differt 5.*
(7) *Nazianzenus in Epist. 10.*
(8) *Simmachus lib. 3. Epist. 48.*

Iam cum (8) *Supervacanei laboris sit commendare conspicuos, vt si in sole positis facem præferas*, avulsus à Panegyri, quam modestia Authoris cohibet, ad munus Censoris me convertens, & iussui rigide obediens, censeo, nil contineri in hoc opere puritati nostræ Catholicæ fidei non consonum, aut à rectis moribus devians; imò omnibus valde proficuum ad futurum. Sic iudico, salvo &c, in hoc Sanctissimæ Trinitatis Complutensi Collegio Die 30. Nobembris anno Domini 1701.

Frater Mathias Marquez.
Minister, & Lector Iubilatus.

Licencia del Ordinario.

NOS el Lizenciado Don Lorenzo del Campo Canonigo en la Santa Iglesia Magistral de San Justo, y Pastor de esta Ciudad de Alcalà de Henares, Vicario General en la Audiencia, y Corte Arzobispal de ella, y todo el Arzobispado de Toledo &c. por la presente, y lo que à nos toca damos licencia para imprimir vn Tratado en dos Tomos q̃ se intitula *Tractatus Theologicus de Prædestinatione, & Reprobatione*, compuesto por el Reverendissimo P. Doct. Vicente Ramirez de la Compañia de Jesus Cathedratico de Prima de Theologia de la Vniversidad de esta Ciudad, y Examinador Synodal de este Arzobispado, atento, que de nuestra orden ha sido visto, y examinado, y no contiene cosa, que desdiga à nuestra Santa Fee Catholica, y loables costumbres: fecha en Alcalà en ocho dias del mes de Junio de 1702. años.

Lic. D. Lorenço del Campo.

Por su mandado.

Mro. Francisco Lopez Mogro.

Fa.

Facultas Ordinis.

EMmanuel Piñeyro, Societatis Iesu in Provincia Toletána Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à Reverendo admodum Patre nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali, facultatem facio, vt liber inscriptus, Tractatus de Prædestinatione duobus tomis distinctus, Authore P. Vincentio Ramirez Nostræ Societatis Theologo, & eiusdem Societatis Gravium, Doctorumque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus; Matriti in nostro Imperiali Collegio die quinta Iulij anno millesimo septingentesimo secundo.

Emmanuel Piñeyro.

Suma del Privilegio.

TIene Privilegio Real el P. Doct. Vicente Ramirez, de la Compañia de Iesus, por tiempo de diez años para imprimir el libro intitulado *Tractatus de Divina Prædestinatione Sanctorum, & Impiorum reprobatione*, y para que ningun otro sin su consentimiento le pueda imprimir, como consta de su original dado en Madrid à 21. de Iulio de mil setecientos y dos.

Suma de la Tassa.

TAssaron los Señores del Consejo este Libro intitulado *Tractatus de Divina Prædestinatione Sanctorum, & Impiorum reprobatione*, compuesto por el P. Doct. Vicente Ramirez de la Compañia de Iesus, à seis mrs cada pliego en papel, como consta de su fecha en Madrid à 27. de Iulio de 1702. Ante D. Bernardo Solis, Secretario del Rey N. S. y Escrivano de Camara de los que residen en su Consejo.

ERRA-

Errata vtriuſque Tomi ſic corrige.

TOMI PRIMI.

PAg.6.num.16.lin.25.præciſſe,lege *præſcijſſe*.Pag.7.num.20.lin. 21. abſoluta,leg.*de abſoluta*.pag.13.num.39.lin.55.eſt non eſt,leg.*non eſt*.Pag.26. num.84.lin.8.particularis,lege *materialis reſpectu illius finis*.Pag.57.num 99.lin.20.extremi,leg.*externi*.Pag.57.num.101.lin.14.placeret, leg.*placuit*.Pag.79.num.43.lin.12.erit conſtitutiva,leg.*erunt conſtitutivæ*.Pag.105.num. 130.lin.25.voluntarietatem,leg.*involuntarietatem*.Pag.113.num.15.lin.vlt.everteret,leg.*everteretur*.Pag.127.num.67.lin.18.prævisum,leg.*per visum*.Pag. 139. num.115.lin.20.diſſenturam,leg.*diſſenſura*.Pag.159.num.11.lin. 10. intrinſeca, leg.*extrinſeca*.Pag 162.num.23.lin.18.poteſt,leg.*non poteſt*.Pag.200.n. 155. lin. 10.fuit,leg.*ſit*Pag.206.num.174.lin.21.curavit,leg.*curavi*.Pag. 227. num. 244. lin.39.inſulſane,leg.*inſulſam*.P.241.num.36.lin.23.efficaciter,leg.*efficienter*.Pag. 421.n.19.lin.6.ſufficit,leg.*deficit*.Pag.418.n.101.lin.19.diſſentire,leg. *conſentire*.

TOMI SECVNDI.

Pag.39.num.138.lin.6.perfectionem,leg.*prædefinitionem*.Pag.81.num.4. lin. 11.libertatis,leg.libertati.Pag.196.num.67.lin.25.propoſitionem,leg.*præſuppoſitionem*.Pag.255.num.106.lin.44.vocatus ſit,leg.*vocatus veniat*.Pag.325.num.74. lin.10.veluti,leg.*vel etiam*.Pag.327.n.82.lin.4.arguitive,leg.*negativè*.Pag.341.n. 110.lin.18.oſtendant,leg.*oſtendam*.

Demptis his mendis ſuo reſpondent exemplari. Matriti die 25.Iulij Anno 1702.

Lic.D.Ioſephus Bernardus del Rio.& Condido.
Corrector Generalis.

PRO

LECTORI BENEVOLO.

HIS quorsum (quæras) in tanta librorum copia, in tam feraci sæculo scriptorum, in materia adeò trita, diffusus iste tractatus lucem exoptet? Præterquam obiectio nimis probans ipsa sibi solutio est, statim accurrit vulgare illud effatum Augustini lib. 1. de Trinitate cap. 8. *Vtile est, plures libros à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.* Itaque sicut placere omnibus difficile; sic omnibus displicere per rarum: neque scriptum vllum est adeò infælix, vt aliquem non mereatur Patronum. Hinc non miraberis, si ea, quæ de Prædestinatione, & reprobatione meo muneri incumbens, Discipulis è suggestu tradidi, aliqui benigno aspectu exceperint, & vltra meritum operis desideraverint; quorum votis, vt gratus respondeam, molestoque labori transcribendi occurram, visum fuit expediens, prælo dare. Si concisus copiam fastidias, aùt compendiosè selige, aùt præcide, proùt volueris: facilius enim est, quæ superfint, detrahere; quàm quæ deficiant, addere. Si diffusus genio morem gerens, saltem ex hac parte non erit assumptus iste labor inutilis. Vtcùmque autem fueris, persuasum tene, quandoque esse brevitatem diffusam, sicut, & diffusionem brevem. Vnde scitè Gobeanus apud Pontanum de quodam Poeta dixit.

Quæ tu pauca putas epigrammata, Iane, putarim,
Si bona, multa satis; si mala, multa nimis.

Quare prolixus non est, qui in multis multa tradit; sed qui, vel in paucis, eadem sæpè inculcans, legentis animum in circulum molestum agit. Assumpti propositi dignitas multa exposcit, quæ intra breves terminos cingi nequeunt: continet enim gravissimas controversias, diversissima Doctorum iudicia, fundamentorum, & difficultatum occurrentium magnam segetem, quibus omnibus, dum brevi fit satis; nescio, an satis fiat. Invenies plura ab antiquioribus accepta, non nulla propria; illa quidem æstimatione; hæc verò non nisi ex benignitate toleranda, si quando rationis pondus mentem ad ea amplectenda

non

non allexerit. In omnibus bonum animum expecta, cui si præintentus fructus deficiat, insciticæ; non culpæ tribuas, memorans illud Poeticum.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis hic, aliter non fit, amice, liber.

Demùm te monitum velim præluxisse celebrem, & diù expectatissimum tractatum de Libero Arbitrio compositum à Sapientissimo Doctore D. Ioanne de Prado huius Sanctæ Magistralis Ecclesiæ SS. Iusti, & Pastoris Archipresbytero Sanctæ Mariæ, & Canonico meritissimo, olim in Academia Philosophiæ Professore dignissimo, de cuius singulari ingenio, & doctrina semper sibi plaudet Societatis Schola. Nunc igitur, si memoratum, vt par erat, non invenias, in causa fuit: vel quia in scopo communi discordare non possumus; vel quia cum primum scripta celebris huius Magistri ad manus pervenerunt, nostra erant Typis disposita; vel demùm, quia satiùs reputo tantum Virum, pro nunc silentio prætermittere, quam levi calamo, vt temporis angustiæ duntaxàt permittebant, attingere. Hæc sint tibi animadversa. VALE.

P.

P. VINCENTII RAMIREZ, MATRITENSIS SOCIETATIS IESV.

TRACTATVS DE DIVINA PRÆDESTINATIONE SANCTORVM, ET IMPIORVM REPROBATIONE.

TOMVS PRIMVS.

TRACTATVM inter Theologicos nobiliſsimum, arcanum, & abditiſsimum Prædeſtinationis myſterium continentem, explanandum ſuſcipimus: In quo nil non difficile. Nam vt inquit Auguſtinus lib. 1. de Civitate Dei cap. 28. *Alta quidem eſt providentia Creatoris Mundi, atquè Rectoris, & inſcrutabilia ſunt iudicia eius: attingit enim à fine vſquè ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*: quæ ſi in omni Dei providentia generaliter accepta ſunt certiſsima, in particulari, qua Angelos, & homines prædeſtinavit, & reprobavit, multò ſunt illuſtriora. Verùm licèt rei magnitudo nobis, qui Dei ſenſum non agnovimus, nequè ipſius conſiliarij fuimus, ab intento revocare poſſet; tamèn ſequentes Sanctorum Patrum, & præcedentium Theologorum veſtigia, eandem provinciam ſuſcipere non recuſſamus: & quidem non animo, vt ait Eximius Suarez, perſcrutandi divina conſilia, quaſi ab humano ingenio poſsint comprehendi; ſed venerandi potiùs altitudinem divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: ſic fecere ex Patribus Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius: ex Scholaſticis omnes antiqui cum Magiſtro in 1. diſtinctione 40. & 41. novioreſque cum Divo Thoma 1. parte quæſtione 23. & 24. inter quos eminent in noſtra Schola quatuor Societatis lumina, Molina, Suarez, Vazquez, & Valentia, quibus annumerari poteſt eruditiſsimus Pater Ruiz de Montoya, hos ſequuti ſunt innumeri alij, ex quibus ſilentio præterire nequeo eos, qui, etſi noviſsimi ſint, iurè primos vocare poſſum, videlicèt Sapientiſsimos Magiſtros Antonium Perez, Ribadeneiram, Izquierdum, Iunium, Herreram, & R. Tyrſum.

DISPVTATIO I.

De essentia, & existentia prædestinationis.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit prædestinatio?

1 VT melius prædestinationis essentia innotescat, à nominis etymologia exordium ducere oportet, vt fecerunt magni Theologi Ruiz, Granado, & alij communiter: igitur nomen *prædestinatio* à verbo prædestino, derivatur, quod ex præpositione *præ*, & verbo *destino* componitur: hoc autem varias subit acceptiones, alias nobis minus aptas, vt quando accipitur pro *emere*, & *alligare*, qualiter ex Plauto, & Apuleyo probat Ruiz; alteram nostro instituto accommodatam, scilicèt, vt idem valeat *destinare*, quod *statuere decernere*, *disponere*, *ordinare*, & *deliberare*, quæ vsurpatio proprijssima est, & vt inquit Granado benè latina, vtpotè ex Cicerone commendata: inde Scriptores Sacri, & Theologi tàm verbum originans; quàm nomen originatum ad divina transtulerunt, vt significet divinam *ordinationem, constitutionem, seù dispositionem.*

2 Sed qualem? Non quidem generaliter acceptam, & proùt comprehendit omne divinum decretum, omnemque efficacem voluntatem producēdi aliquid ad extra, qua ratione, etiam *destinatio* comprehendit mala pœnæ, vt interdùm accipiunt Divus Augustinus, Fulgentius, & Isidorus docentes: aliquos esse à Deo destinatos ad interitum, & suplitium æternum; sed presiùs, & tantùm in bonam partem, in quantum supra generalitatem statuendi, & decernendi, addit specialitatem dispositionis, & ordinationis creaturæ rationalis in bonum ipsi conveniens, quamvis indebitum, & gratiosum, id est supernaturale, quam exceptionem boni destinati addimus propter id, quod ex Divo Thoma, notarunt Recentiores, dicente quæst. 23. art. 1. *Destinare* idem esse, *ac mittere*, *aùt transmittere*, quod propriè tantùm dicitur de fine, subiecto indebito: nàm quando finis alicui est debitus, & proportionatus, taliter, vt in illius adeptionem ex propria natura, & inclinatione tendat, non potest dici ab alio in illum mitti, aùt transmitti; sed à se, & per se illum acquirere: est ergo destinatio, de qua loquimur, divina ordinatio, & dispositio rationalis creaturæ, qua ipsam dirigit, & ordinat in bonum ipsi indebitum, & liberalitèr collatum, quam vt distingueret Divus Augustinus de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. ab ea, quæ generaliùs, & minus propriè accipitur, vocavit destinationem, quæ est in bono.

3 Particula *præ* antecessionem, & prioritatem significat, quarè adiuncta, aùt verbo *destino*, aùt nomini *destinatio* sumptis in significatione explicata, idem valebit, quod *prior divina constitutio*, *ordinatio*, *directio*, & *transmissio creaturæ rationalis in bonum ipsi indebitum.* Verùm cùm hæc prioritas, & antelatio ex suo conceptu generico, iam excellentiæ, iam ordinis, iam causalitatis, & durationis esse valeat, videndum, in qua ex his acceptionibus nostri sit intenti: prioritatem excellentiæ per eam significari respectivè ad diversa subiecta, vel facta comparatione, inter prædestinationem vnius, & non prædestinationem alterius, vèl inter vtriusque prædestinationem, quoad excellentiorem modum dirigendi in finem, tenuerunt apud Ruiz Catherinus opusculo de Prædestinatione cap. 1. & Pennotus lib. 6. Propugnaculi capite 1. numero 6. sed hæc vocis vsurpatio reijcitur: nàm vel restringit significationem præter communem vsum Scripturæ, & Theologorum, ita vt prædestinatio non conveniat omnibus, qui defactò gloriam assequuntur, qualiter ex sententia Catherini suo loco referenda, dùm de necessitate prædestinationis sit sermo cōstabit, vel cōfundit prædestinationem cum electione, si excellentia, & prælatio consistat in voluntate efficaci divina, qua vnum subiectum eligitur in finem, altero non electo.

4 Prioritatem ordinis intellexerunt alij apud Suarez lib. 1. cap. 1. volentes significare antecedentiam quamdam rationis actuum componentium divinam directionem, & ordinationem creaturæ rationalis in finem indebitum secundùm diversitatem signorum. Hæc acceptio licèt non aliena à præsenti instituto; tamèn nequè certa, nequè vniversalis esse potest; pendet enim à diversitate sententiarum, saltimquè quòad actus divinæ voluntatis negatur à gravibus Theologis Recentioribus volentibus, Deum omnia contingentia decernere vno, & eodem realiter, & virtualiter, vel formaliter, vt aliqui loquuntur, decreto; propterea quæ ex-

excludentibus in divinis decretis omnem antecessionem, & præcedentiam. Restant ergo duæ vltimæ acceptiones *causalitatis*, & *durationis*, quæ vt propriſsimæ ſunt acceptandæ, iuxta quas denotatur in divina ordinatione, & diſpoſitione, tùm præcedentia cauſæ reſpectu finis, & mediorum, tùm præcedentia æternitatis ad tempus, in quantum divina diſpoſitio, & ordinatio exiſtat ab æterno, cùm res, quæ per ipſam præparantur, & diſponuntur in tempore fiant, quod expoſcit ex parte Dei divina perfectio, & immutabilitas, & ex parte creaturarum, aùt incapacitas exiſtendi ab æterno, aut ſubijcibilitas ad divinam voluntatem, quæ pęnès ſuum arbitrium poteſt illas in tali, aut tali tempore ab æterno diſponere, & conſtituere.

5 Habemus ex vocis etymologia: nomen *prædeſtinatio* compoſitum eſſe ad ſignificandum divinam ordinationem, & diſpoſitionem antecedentem cauſalitate, & duratione, qua dirigitur creatura rationalis in finem ſibi conuenientem, & indebitum; aſt cum finis iſte, tùm gratiam, tùm gloriam comprehendere valeat, examinandum eſt: àn ex his vnum tantum: àn vtrumque diuiſim; an complexim prædeſtinatio reſpiciat, & per tale nomen ſignificetur. Senſit Catherinus citato opuſculo lib. 1. capite vltimo cum Gabriele, & Ocham prædeſtinationem eſſe ad ſolam gloriam, ſignificarique per prædeſtinationem divinum propoſitum dandi gloriam. Probat, quia ex vi ſolius huius actus, homo, vel Angelus conſtituitur ſufficienter ordinatus ad gloriam infallibiliter conſequendam, àc per conſequens prædeſtinatus. Per oppoſitum Durandus in primo diſt. 41. quæſtione 1. ad primum, Vazquez 1. parte quæſtione 23. articulo 4. Cartagena de Prædeſtinatione diſcurſu 2. concluſione 4. tenent: per prædeſtinationis vocem ſignificari ordinationem ad ſolam gratiam, exluſa gloria. Fundāt in eo, quod id, quod per prædeſtinationem ſignificatur, eſt pars providentiæ; providentia autem non eſt de fine, vt eſt gloria; ſed de mediis, vt eſt gratia.

6 Mediam viam tenuere alij apùd Turrianum, quem citat Suarez lib. 1. cap. 5. numero 14. diſtinguendas eſſe duas prædeſtinationes; vnam ad gratiam; ad gloriam alteram, & vtramque per nomen *prædeſtinatio* ſignificari; ducti quidem loquutionibus Scripturæ, & Patrum, in quibus vtraque apparet contineri: etenim ad Epheſios cap. 1. expreſsè dicitur ab Apoſtolo *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum Dei*, quæ in gratia conſiſtit: & ad Romanos cap. 9. *Prædeſtinationem vſque ad glorificationem perducit*: ibi, *vt oſtenderet divitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ prædeſtinavit in gloriam*; ſicut fecerat cap. 8. dicendo; *Nàm quos præſcivit, & prædeſtinavit; quos autem prædeſtinavit, hos, & vocavit, iuſtificavit, & glorificavit*. Conſonat Divus Auguſtinus iam referens prædeſtinationem ad gratiam, iam ad gloriam, ad gratiam capite 1. de Prædeſtinatione Sanctorum, *inter gratiam, & prædeſtinationem hoc tantùm intereſt, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia verò iam ipſa donatio*, & paucis interiectis; *quòcirca prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, vt dixi, præparatio.*

7 Ad gloriam; tractatu in Pſalmo 87. *Sed quia ſolis prædeſtinatis ad gloriam, &c. eius bona opera profuerunt*, & epiſtola 175. *Quos in ſui Regni gloriam filios prædeſtinationis prædeſtinare dignatus eſt*, & de dono perſeverantiæ capite 21. *Perſeverantiam non niſi ab eo donari, qui nos prædeſtinavit in ſuum Regnum*; idem tenet apud Rivadeneira epiſtola 105. & de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 8. eodem tenore loquitur Fulgentius lib. 3. de Veritate prædeſtinationis, inquiens: *Prædeſtinavit ergo Deus Sanctos ſuos, & ad gratiam vitæ bonæ, & ad gratiam vitæ æternæ*; & in eodem lib. *Prædeſtinavit, quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia ſempiterna.*

8 Pater Suarez capite citato, numero 15. duo dicit: primum: prædeſtinationem, neque eſſe ad gloriam, excludendo gratiam, neque eſſe ad gratiam excludendo gloriam. Secundum: non opus eſſe diſtinguere duplicem prædeſtinationem ſimpliciter talem, vnam ad gratiam, alteram ad gloriam. Probat primum ex authoritatibus relatis Scripturæ, & Sanctorum Patrum, in quibus prædeſtinatio refertur, tùm ad gratiam, tùm ad gloriam. Probat ſecundum, quia licèt in divina voluntate ſit actus dandi gloriam, & dandi gratiam, ſicut in divino intellectu cognitio omnium mediorum, quibus prædeſtinatus perducitur efficaciter in finem; ex his omnibus completur vna adæquata, & perfecta prædeſtinatio, quæ cum ſit tranſmiſsio perfecta creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, debet reſpicere, non tantùm terminum vltimum, qui eſt gloria; ſed etiam viam, quæ eſt gratia, nèc ſolùm viam; ſed inſuper terminum, ex quibus integra reſultat prædeſtinatio, quæ eſt ad gratiam propter gloriam, & ad hanc non aliter; quàm per gratiam. Addit inſuper: diſtinctionem prædeſtinationis gra-

tiæ, & gloriæ posse sustineri relatè ad diversos homines, vel Angelos; scilicèt prædestinatos, & reprobos: quia cum reprobi, etsi gloriam non obtineant, non ideò gratia semper carent, possunt dici prædestinati secundum quid, quatenùs præordinati sunt ad gratiam pro aliquo tempore.

9 In hac quæstione purè vocali, etsi non contemnenda, vt inquit Izquierdo, aliqua videntur ab omnibus, vt certa amplectenda: primum: prædestinationem referri in Scriptura, & Patribus, tùm ad gratiam, tùm ad gloriam, cùm id probent clarissimè testimonia adducta. Secundum: actus divinos conferentes defacto prædestinato gratiam, sivè actualem, sivè habitualem non ibi sistere; sed illam referre tamquàm medium ad finem gloriæ, cùm defacto nullus prædestinatus sistat in assequutione gratiæ; verùm vlteriùs progrediatur ad assequutionem gloriæ iuxta illud Mathæi capite 25. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum*; ideòque Tridentinum Sessione 6. Canone 17. eos, qui salvantur vocat prædestinatos ad vitam, idest æternam, seu patriæ: vndè in ipsa dispositione, & præparatione gratiæ necessarius est aliquis respectus, sivè intrinsecus, sivè extrinsecus ad gloriam. Tertium: actus divinos de facto versantes circa gloriam, eam respicere, non vtcumque; sed dependenter à meritis, ortis à gratia excitante, & præveniente, dignificatisque à gratia iustificante, àc proindè tales actus circa gloriam dicere aliquem respectum ad gratiam. Hinc disidium tantùm esse potest: àn divina dispositio, prout respicit media in recto, & finem in obliquo, dicenda sit vnicè, & strictè prædestinatio, quod est intentum dicentium prædestinationem tantùm referri ad gratiam. Vel potius divina dispositio, prout respicit finem in recto, & media in obliquo, in quod videntur conspirare illi, qui dicunt: prædestinationem esse solùm referendam ad gloriam: vel àn vtraque ex equo dicenda sit prædestinatio divisim ex modo significandi, quod intendit tertia sententia distinguens duplicem prædestinationem: vel denique: àn complexum vtriusque pro indiviso, quod est assumptum Patris Suarez. Insuperque: àn Scriptura, & Patres quando referunt prædestinationem ad gratiam, & gloriam, quoàd vtrumque loquantur in sensu rigoroso; àn verò propriè quoàd vnum, & impropriè quoàd alterum? Quod quidem ad solos nostros conceptus reducetur. in sententia eorum, qui ordinem intentionis, & exequutionis in Deo, non modò realiter; verum nèc virtualiter distinguunt.

10 Dicendum: prædestinationem posse considerari, vel *formaliter*, & *essentialiter*, *seù substantialiter*, vel *radicaliter*, & *integraliter*: si consideretur *substantialiter*, *formaliter*, & *essentialiter*, prædestinatio refertur ad solam gratiam in recto, sumiturque pro actu præparativo efficaciter mediorum efficacium ad consequutionem gloriæ. Probatur: quia Divus Augustinus, dùm definit prædestinationem, ac perconsequens illam considerat essentialiter, & substantialiter, non aliter ipsam proponit; quàm vt præparationem mediorum in ordine ad salutem; sed præparatio mediorum ad salutem efficaciter conducentium refertur ad gratiam in recto: ergo prædestinatio substantialiter sumpta, refertur ad gratiam in recto. Idem tenet Divus Thomas in hac quæstione 23. articulo 4. vbi distinguit prædestinationem ab electione ad gloriam, & inquit: *esse ordine rationis posteriorem electione.* Accedit ratio, quam attingit Durandus desumpta ex conceptu providentiæ essentialiter sumptæ, quæ tota versatur in dispositione mediorum ad finem, & vt dicit Divus Thomas quæstione 22. artic. 1. ad 3. supponit voluntatem finis, & præcipit de agendis propter finem: sed prædestinatio substantialiter, & essentialiter sumpta, est providentia: ergo prout talis respicit immediatè, & in recto media in ordine, & cum ordine ad finem.

11 Quod si accipiatur prædestinatio minus propriè, id est *radicaliter*, *vel integraliter*, respicit in recto gloriam. Ratio est facilis. Prædestinatio sumpta radicaliter, est intentio finis ex qua derivatur electio mediorum efficacium ad finem, sumptaque *completivè*, & *quasi integraliter*, est exequutio, finis, ad quem ordinantur media: sed tàm intentio finis ex qua derivatur præparatio mediorum in prædestinatis; quàm exequutio finis respicit in recto gloriam, cùm sit, vel intentio, vel exequutio illius: ergo prædestinatio *sumpta radicaliter*, & *integraliter*, refertur in recto ad gloriam. Hinc colliges primò: ordinationem creaturæ rationalis ad gloriam, hanc in recto respicientem solum constituere hominem, vel Angelum prædestinatum *radicativè*, aùt *integraliter*; secùs *formaliter*, quo fit satis fundamento Catherini. Colliges secundò: non esse concedendas duas prædestinationes, quàmvis admittamus prædestinationem *formaliter*, *radicaliter*, & *integraliter* sumptam; sed vnam respicientem tamquàm radicem, & complementum, intentionem, & exequutio-

quutionem gloriæ ; ſicut Petrus non eſt, multiplex ; ſed vnus homo, quamvis poſſit conſiderari *radicaliter*, *ſubſtantialiter*, & *integraliter*. Colliges tertio : loquutiones Scripturæ, & Patrum eſſe accipiendas in toto rigore ſermonis, quando referunt prædeſtinationem ad gratiam ; non ita quando referunt ad gloriam, quia licèt prædeſtinatio, provt reſpicit gloriam cum aliqua proprietate vſurpetur propter ordinem, quem dicit ad prædeſtinationem *formaliter*, & *ſubſtantialiter* ſumptam ; non tamen cum omnimoda.

12 Ex his non erit difficile prædeſtinationem definire, & metahyſicè per primaria prædicata explicare, celebris eſt definitio prædeſtinationis, quam tradit Divus Auguſtinus lib. de Bono perſeverantiæ cap. 14. dicens: *Eſſe præſcientiam, & præparationem beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur, quicumque liberantur* ; in hac definitione additur *ſcientiæ*, & *parationi* particula *præ* ad denotandam antecedentiam durationis, & cauſalitatis actuum divinorum, vt iam diximus : dicitur *ſcientia*, quia eſt præparatio provida, & prudens mediorum in ordine ad finem, quæ prout talis involvit cognitionem tùm finis, tùm efficaciæ, & conducentiæ mediorum in ordine ad illum : *præparatio*, id eſt diſpoſitio ordinativa mediorum in finem, quia prædeſtinatio non ſiſtit in pura cognitione ſpeculativa mediorum, & finis : verùm vlterius progreditur ad illius aſſequutionem per exiſtentiam mediorum in tempore : *beneficiorum*, per quæ denotantur auxilia gratiæ internæ motionis, & externæ protectionis actus ſalutares, & gratia iuſtificans, quibus creatura rationalis perducitur in vitam æternam : *quibus certiſsimè*, hæc particula continet efficaciam mediorum, & per eam excludetur à ratione prædeſtinationis, quævis diſpoſitio mediorum, quæ etſi ſint ex ſe conducentia ad finem gloriæ ; tamen cum illa non coniungentur, vt accidit in auxilijs ſupernaturalibus gratiæ collatis reprobis : propterèa dixit Divus Thomas in capite 1. epiſt. ad Romanos lectione tertia : *Non eſſe prædeſtinationem præordinationem ſubiecti ad aliquas gratias, gratis datas, non conducentes ad vitæ æternæ finem in actu ſecundo.*

13 Nec denotatur efficacia tantum ex parte mediorum, quæ *efficacia, materialis* poteſt dici ex parte prædeſtinationis; ſed formaliter ex parte ipſius divinæ diſpoſitionis, vel quia media conferuntur à Deo ex ſpeciali affectu ad illorum efficaciam, vt tenet communis ſententia, vel quia ſaltem procedunt à Deo cum ſcientia infallibili de eorum efficacia ; vltima particula definitionis *liberantur, quicumque liberantur* explicat naturam finis in quem ordinantur media, & ſimul conditionem ſubiecti, cui finis per media procuratur : *naturam finis* : quia cum perfecta liberatio à malo conſiſtat in aſſequutione ſummi boni, & perpetuæ fœlicitatis, quæ in vita æterna, ſeù gloria conſiſtit, ſi finis ad quem media ordinantur, eſt talis liberatio; per conſequens finis, quem prædeſtinatio reſpicit, eſt gloria æterna. *Conditionem ſubiecti*, id eſt creaturam rationalem: Nam tantùm procuratur finis efficaciter reſpectu illius ſubiecti, quod illum adipiſci poteſt, eſtque capax aſſequutionis illius : ſed ſola creatura rationalis eſt capax gloriæ: ergo ſubiectum, cui per prædeſtinationem procuratur cum efficacia gloria, eſt creatura rationalis. Ex data explicatione, deducitur: prædeſtinationem ſtrictè acceptam per ly *præſcientia*, & *præparatio*, convenire cum omni divina diſpoſitione in ordine ad finem, ſivè ſit naturalis, ſivè ſupernaturalis : per ly *beneficiorum* convenire cum diſpoſitione ſupernaturali, & diſtingui à merè naturali : per ly *quibus certiſsimè liberantur*, differre ab omni diſpoſitione, & præordinatione, etiam ſupernaturali non aſſequutiva finis, ſicuti ab omni, quæ non ſit in finem gloriæ, ac per conſequens diſcernitur ab omni non ipſa.

14 Circà hanc definitionem Auguſtini duo occurrunt dubia : primum: àn ſit vniverſalis, comprehendatque omnem prædeſtinationem. Ratio dubitandi eſt : quia particula illa *liberantur quicumque liberantur*, videtur reſtringere prædeſtinationis definitionem ad eam, quæ ſit circà ſubiectum, quod peccatum contraxit, à quo per beneficia præparata eripitur: vndè non ſe extendet ad Angelos, neque ad Chriſtum Dominum, & eius puriſsimam Matrem in quibus propter peccati defectum nulla fuit à malo liberatio. Propter hæc dixit Platel abſque formidine: definitionem Divi Auguſtini intelligendam eſſe de ſola prædeſtinatione eorum, qui peccatum originale contraxerunt ; ſed levi fundamento, quia non ſolùm à malo culpę liberari propriè dicitur, qui ab illa ſanatur; verùm etiam, qui ab illa præſervatur. Ideo in oratione Dominica dùm petimus à malo liberari, non tantùm expoſcimus à malo contracto eripi ; ſed neque illud incurrere; ſic accipiunt verba Auguſtini, Suarez, Granado, & Izquierdo, apùd quos definitio Auguſtini non eſt reſtringenda.

15 Secundum gravius, oritur ex particula illa : *præſcientia*, & inquirit:

quam scientiam voluerit Augustinus per illam significare? An scilicèt scientiam absolutam, & Deo liberam: an scientiam conditionatam contingentem, & Deo non liberam? Pater Molina de scientia conditionata intelligit; at Pater Tyrsus disputatione prima sectione 2. multis conatur persuadere ex mente Augustini scientiam absolutam, & visionis esse intelligendam. Sto pro intelligentia Patris Molina; quæ mihi satis clara est ad mentem Divi Augustini, & satis vtilis pro his, quæ post dicenda sunt de scientia dirigente propositum voluntatis divinæ, sive decretum præparativum mediorum in finem gloriæ dandæ prædestinatis. Suadetur: tum quia prædestinatio iuxta omnes est providentia; providentiam autem non constituit scientia absoluta de eventu sub medio, quę providentiam ipsam supponit; quod in concussum debet esse nobis, negantibus contrà Thomistas, scientiam visionis esse causam rerum; sed scientia de conducentia, & efficacia medij, si detur, ad consequendum finem, quæ dirigit ad ipsum parandum. Tùm ex ipso ordine proferendi; non enim dicitur ab Augustino: prædestinationem esse: *Præparationem, & præscientiam; sed præscientiam, & præparationem*, quod non dixisset; si loqueretur de scientia absoluta, quæ præparationem non dirigit; sed præsupponit. Tùm denique, quia ipse contextus Augustini, in quo pro opposita intelligentia magnam vim facit Tyrsus, id suadet.

16 Pro quo advertendum est: intentum Augustini illo capite 14. vbi definit prædestinatationem, esse convincere prædestinationem non tollere vtilitatem prædicationis, & suasionis in ordine ad benè operandum, quod probat: quia sicut quamvis Deus sit, qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate sua, vt constat ex Apostolo ad Philipenses cap. 2. non impedit ipsum hortari, vt velimus, & operemur, quæ Deo placent, & insuper sicuti licèt Christus dixerit Ioannis capite 6. *Nemo venit ad me, id est nemo credit in me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*, non redditur inutile præceptum ipsius Christi, vt in Deum, & in se crederent iuxta illud eiusdem Ioannis cap. 14. *Credite in Deum, & in me credite*: sic, quod prædestinatio sit à Deo, non tollit vtilitatem suasionis, & prędicationis, quod, vt clarius reddat procedit ad explorandam essentiam prædestinationis, qua cognita, videatur non esse incomponibilem cum vtilitate prædicationis, & inquit: *An quisquam dicere audebit: Deum non præscisse, quibus esset daturus, vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam? Quæ vtique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit: hæc prædestinatio Sanctorum nil aliud est; quàm præscientia, & præparatio, &c.* Eccè verba Sancti Doctoris, in quibus, ni fallor, minimè confundenda est præscientia, quæ ponitur ab Augustino ex parte antecedentis, & quæ ponitur ab ipso ex parte consequentis, vt illata ex antecedenti, quāque attribuit prędestinationi, vt constitutiva illius.

17 Scientia, quæ ponitur ex parte antecedentis, est scientia absoluta; & visionis eventus sub existentia absoluta beneficij, quæ continetur in illis verbis: *An quisquam dicere audebit Deum nō præscijsse quibus esset daturus, vt crederēt, aut quos daturus esset filio suo*, quæ clarè est scientia consequens præparationem, & decretum, ac proindè absoluta, & visionis; non conditionata, quæ libero Dei decreto non innititur. Ast scientia, quæ ponitur ex parte consequentis, vt illata ex scientia visionis non est scientia absoluta; sed quam vocat beneficiorum non, vt existentium; sed vt efficacium, vt per ea dignetur nos liberare per assequutionem gloriæ, quæ quidem conditionata est, & exprimitur ibi: *Quæ vtiquè si præscivit, profectò beneficia sua, quibus dignetur nos liberare, præscivit*. Vndè Augustini argumentum sic se habet. Innegabile est Deum scire ab æterno per scientiam absolutam eos, qui dependenter à donis gratiæ ab ipso conferendis crediturí sunt fructuosè; & separandi à massa perditionis ex meritis Christi: ergo necessarium est, & habere decretum ab æterno de talibus donis conferendis; quod est illorum præparatio; & præscientiam ad talem præparationem necessariam, quæ præscientia est de beneficijs, prout aptis ad præparationem, in qua præscientia, & præparatione, prædestinatio consistit, quæ nil aliud est; quàm *præscientia, & præparatio beneficiorum, quibus certissimè, &c.* quasi diceret: si Deus ab æterno scit absolutè eventum salutarem sub existentia donorum: ergo scit similiter quid; si conferantur talia dona, eveniet, quæ præscientia simul cum decreto de conferendis donis, prædestinatio est.

18 Confirmatur ex verbis, quæ immediatè subdit post traditam definitionem inquiens: *Cæteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur?* Vbi Tyrij relicti sunt, & Sydonij. (Attēde,) *qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent, sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent, est negatum.* In quibus ad prę scientiam conditionatam recurrit,

fit, scilicèt, qua Deus eos noscebat : *Quod si Tyrij, & Sidonij vidissent miracula Christi in eum crederent*, ad quam non recurreret, si de sola præscientia absoluta sermo esset: sensus ergo est: ad prædestinationem ita præscientiam, & præparationem requiri, vt vna sine alia non sufficiat, & ideò licèt in Tyriis, & Sidonijs data fuerit præscientia, non fuerunt prædestinati, quia defecit præparatio ; sed *quæ præscientia* ? Illa quidem, qua Deus præsciebat, quod si vidissent miracula Christi; crederent, quæ scientia est non absoluta; sed conditionata. Hinc fateor in contextu Divi Augustini sermonem esse de scientia absoluta ; cæterum non ; vt ibi sistat ; sed vt aliam præscientiam inferat conditionatam, quam per ly *præscientiam*, & *præparationem*. prædestinationi tribuat.

19 Præter fundamentum ex contextu iam dissolutum, duo alia adducit idem Author pro sua sententia. Vnum ex eodem Augustino ex capite 18. & 19. de Prædestinatione Sanctorum, vbi agens de initio fidei, negat aliter præscitum initium fidei; quam quia *prædestinatum*. Vnde concludit : necessarium esse sermonem institui de præscientia absoluta, quæ essentialiter supponit prædestinationem, & decretum, non de conditionata, quæ ab illa est independens, vtpotè, quæ decreto Dei non innititur. Alterum ex Prospero, qui in responsione ad capita Gallorum responsione 15. ita loquitur, adiungens prædestinationi præscientiam absolutam: *In malis operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est, quia sicut præscivit, & prædestinavit, quæ ipse facit, & vt faceremus dedit ; ita præscivit tantùm, non etiam prædestinavit, quæ, nec ipse facit, nec vt faceremus exegit.* In quo textu (inquit) quis non videat loqui de præscientia absoluta, non de conditionata, nam per conditionatam non præscit Deus, quod ipse facit ; sed quid faceret, vel quid faceremus.

20 Quæ non difficile refelluntur. Ad primum ipse objiciens tenetur respondere, modificando illam propositionem, quę nervus est argumenti, scilicèt: *Initium fidei non aliter præscitum esse; quàm quia prædestinatum* : aliter tenebitur concedere : Augustinum non agnovisse scientiam conditionatam pro initio fidei; sed duntaxàt absolutam, quod si non pro initio, nequè pro consummatione, & sic de reliquis operibus salutaribus: vnde planè excluditur scientia conditionata à mente Augustini: dicendum ergo est : propositionem illam esse restringendam ad scientiam absolutam, & liberam, qua nil bonum præscitur, nisi quia prædestinatur, cùm requirat decretum liberum Dei; sed quid indè : est nè bona cõsequentia: *Aliquando D. Aug. dum loquitur de præscientia, loquitur de præscięntia absoluta: ergo semper àc loquitur de præscięntia absoluta loquitur: insuper D. Aug. dũ loquitur de præscientia consequente prædestinationem, loquitur de præscientia absoluta: ergo semper àc loquitur de præscientia cum prædestinatione, loquitur de præscientia consequente* ? Minimè profectò: quia vltrà præscientiam absolutam datur apùd ipsum clarissimè præscientia conditionata, vt contendunt Authores Societatis, quæ non consequitur ; sed vel constituit, vel præcedit prædestinationem.

21 Ad secundum rogo: àn ea ipsa, quæ Deus facit, & nos facimus, quæque cognoscit per præscientiam absolutam, non cognoscat etiam per præscientiam conditionatam? Quod cùm ita sit, ex quo antecedenti potest inferri, quod etsi Divus Prosper loquatur de præscientia eorum, quæ Deus facit, & nos facimus. non compræhendat sub tali præscientia, vltra absolutam ; insuper conditionatam. Intentum igitur illius est: Deum præscire, & non prædestinare mala; bona verò præscire; & prædestinare, quod minimè excludit præscire, tùm absolutè, tùm conditionatè mala; sicut, & bona; quamvis vltrà præscientiam, prædestinet bona, & non mala: loquitur ergo de præscientia adiuncta prędestinationi; vt compræhendente absolutam ; & conditionatam, primam, vt subsequentem prædestinationem ; & secundam, vt antecedentem. Et hæc de definitione Divi Augustini, in cuius enodatione, veluti in norma totius tractatus, meritò immorati sumus.

22 Præcedenti definitioni, verbis; non re, & substantia differentem, suam adiunxit Divus Thomas in præsenti articulo primo, quæ sic se habet : *Ratio in mente Dei præexistens transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*: velut in articulo secundo: *Prædestinatio est ratio quædam ordinis aliquorum in salutem, in mente divina existens*; dicitur *Ratio*, id est divinus actus, vi cuius existit transmissio: nàm ratio alicuius ex communi vsu dicitur, quod dat esse alteri, vel *formaliter*, & *constitutivè*, vel *causaliter* : sic ratio hominis dicitur conceptus hominis, nem-

nempè *Animal rationale*, & ratio effectus, *causa* à qua efficienter procedit. *Transmissionis*: hoc est discretionis in finem indebitum gloriæ naturalibus viribus minimè acquisibilem: *in mente divina existens*, id est in actibus ad divinam mentem pertinentibus, per quod non restringit Angelicus Doctor prædestinationem ad actus intellectus duntaxàt; sed vlteriùs actus voluntatis involvit: mens enim ad vtrumque significandum se extendit: sicùt intentio tam actibus voluntatis; quàm intellectus accommodatur. Hanc esse mentem Divi Thomæ, mihi suadet definitio Augustini constituentis prædestinationem in actibus intellectus, & voluntatis, à quo cùm verus, & fidus assecla sit Angelicus Præceptor, discedere non credam. Vtramque definitionem alijs terminis solent proponere Theologi dicentes: prædestinationem *esse providentiam supernaturalem efficàcem, qua creatura rationalis dirigitur in vitam æternam*, quam elucidare alijs præmissis non est opus, cum ex illarum explanatione clara fiat.

23 Hinc quasi in vnum colligens prædicata prædestinationis, invenies *immanentiam, æternitatem, efficaciam, libertatem, & supernaturalitatem*. Est *immanens*, quia vel in actu intellectus inferente actum voluntatis, vel in actu voluntatis præsupponẽte actum intellectus, vel in vtròque consistit; àt actus voluntatis, & intellectus Dei immanentes sunt: ergo est *immanens*: *æterna* tùm ratione generali, quia actus divini non in tempore incipiunt; sed ab æterno existunt, tùm specialiter iuxta illud Pauli ad Ephesios cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, & subdit inferius: *Qui prædestinavit nos, id est, quando nos elegit*, vt advertit Suarez: sic etiam prima ad Corinthios cap. 2. Sapientia incarnata, dicitur *Prædestinata ante sæcula in gloriam nostram*: *efficax*: quia non vtcùmque apponit media in ordine ad finem; sed talia, quæ in re assequantur finem gloriæ, constatque ex epistola ad Romanos cap. 8. *Nàm quos præscivit, & prædestinavit, &c. hos, & vocavit, iustificavit, & glorificavit*: *libera*, quod significavit Paulus ad Ephesios cap. 1. *Prædestinati, secundũ propositum eius, qui operatur omnia secundũ consiliũ* (id est secundũ arbitriũ) *voluntatis suæ*; tùm etiam, quia prædestinatio respectum dicit ad temporalia, & finita, vt existentia; ast nullus respectus ad finitum, quoàd existere absolutè illius, Deo necessariò convenit, vtpotè, qui omnia, quæ facit, libere facit: ergo prædestinatio libera est, & non necessaria Deo. Demùm *supernaturalis* propter supernaturalitatem finis, quem respicit, & propter supernaturalitatem mediorum, quæ ad assequutionem finis præparat.

24 Deinde si obiectum inquiras illius *substantialiter* sumptæ? Gratia est, si verò illius *completivè*, aut *radicaliter*? Gloria. Si *subiectum*? Creatura rationalis est. Si autem dubites: àn creatura rationalis, proùt persona, vel tantùm secundùm naturam? resolvendum: de facto esse prædestinatam personam; àt de possibili pendet ab alia quæstione: àn subsistentia sit essentialis naturæ, quam si dirimas negativè, poterit perconsequens de potentia absoluta prædestinari natura rationalis, cùm, proùt separata à subsistentia sit capax gloriæ. Si per oppositum: affirmativè in omni providentia subiectum prædestinationis erit persona; secùs natura rationalis nudè sumpta.

CAPVT SECVNDVM.

De existentia, & necessitate prædestinationis?

25 ESse in Deo prædestinationem; de fide est: nàm vt inquit Divus Prosper ad capita Gallorum cap. 1. post medium: *Prædestinationis fides multa Sanctarum authoritate Scripturarum munita est*; & si enim, vt notavit Pater Ruiz, *Prædestinandi* verbum paucis legatur in locis, scilicèt ad Romanos cap. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit*: prima ad Corinthios cap. 2. *Quam prædestinavit Deus ante sæcula*; & ad Ephesios cap. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum*. Cæterùm ex alijs quam plurimis evidentissimè colligitur, in quibus dicitur: nomina quorundam esse scripta in Regno Cœlorum, vel in libro vitæ, vel aliquos esse electos à Deo, vel à Patre trahi, & dari filio, vel eis paratum esse Regnum ab origine mundi, aliæque similes expressiones inveniuntur. Ideò constat vltra citata loca ex Mathæi 25. *Possidete paratum vobis Regnum ab origine mundi*; & ex eiusdem capite 21. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, sicuti ad Romanos cap. 8. *Qui secundum propositum vocati sunt Sancti*: Actorum cap. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam*: in eandem veritatem Patres, & Concilia conspirant, eamque supponit Concilium Tridentinum Sessione 6. cap. 12. dùm inquit: *Nemo quoque quandiù in hac mortalitate vivitur*

de

de arcano divinæ prædestinationis mysterio, usque adeò præsumere debet, vt certo statuat, se esse in numero prædestinatorum.

26 Ratione Theologica sic probatur. Defacto, vt ex fide constat, plures assequuntur vitam æternam per dona gratiæ, non aliter collata à Deo; quàm cum præscientia talis eventu, quē Deus propter infinitam suam sapientiam non potest ignorare, & ex fine gloriæ saltem per intentionem generalem talis finis, qua vult omnes homines salvos fieri; sed hoc est formaliter prædestinare: ergo si hoc datur, per consequens datur prædestinatio. Probo minorem. Prædestinatio, vt vidimus, nil aliud est; quàm præscientia, & præparatio donorum, quibus re ipsa creatura rationalis assequitur finem gloriæ: sed decretum talium donorum cum præscientia assequutionis, & ex intentione finis gloriæ formaliter est *Præscientia, & præparatio beneficiorum, quibus, &c.* ergo illud est formaliter prædestinare. Consultò proposui rationem sub hac forma, quam alij proponunt omnino immemores intentionis finis gloriæ, tantùm curantes de assequutione illius: vndè malè concludunt *prædestinationem*, cum solum deberent inferre *providentiam* in collatione donorum pro qua sufficit conferri talia dona ex alio fine distincto, quamvis in re consequantur gloriam. Prædestinatio autem superaddit, vltra assequutionem gloriæ per dona gratiæ, præparationem illorum ad talem finem, quod est descendere ex intentione illius. Hoc clarius constabit ex decisione alterius partis præsentis dubij, quæ ad necessitatem prædestinationis spectat.

27 Pro qua supponendum est: necessitatem prædestinationis dupliciter posse considerari: vel *absolutè*, vel ex *suppositione*: *necessitas absoluta* est omnimoda indefectibilitas prædestinationis independenter ab omni suppositione: *necessitas* ex *suppositione* est indefectibilitas ex aliqua hypothesi contingente, quæ cum defectu absoluto potest componi, propter suppositionis defectum: rursùs *necessitas* ex *suppositione* potest distingui per distinctionem hypothesis, nempè *existentiæ mundi ornati creaturis rationalibus, aut assequutionis gloriæ talium creaturarum*. Adhuc sub quacumque ex suppositionibus his, distingui potest, aùt iuxtà leges tantùm præsentis providentiæ, aut absolutè in omni providentia. Non procedit quæstio de necessitate absoluta, & independente ab omni suppositione contingenti, quia vt vidimus, prędestinatio est eorum, quæ Deus facit in tempore, ac proindè Deo libera, qualiter non esset, si independenter ab omni suppositione, quæ adesse, & deesse possit, Deo conveniret; sed restringitur ad necessitatem ex suppositione; & sub hac limitatione etiam non compræhendit suppositionem existentiæ mundi, sub talibus creaturis, quia hæc necessitas tantùm potest esse congruentiæ, & quæstio procedit de necessitate metaphysica, vel quia etsi intendatur metaphysica; simulata tamen nomine necessitatis moralis, vt facit Pater Ruiz, id pendet ab illa quęstione de Necessitate Dei ad optimum, alibi discutienda à qua modò præscindimus: procedit ergo de necessitate ex *suppositione*, quæ sit assequutio gloriæ, & Beatitudinis in creatura rationali, & hoc quidem sivè in pręsenti, sivè in omni providentia, quod est idem, àc inquirere: àn quis valeat assequi æternam vitam sinè prædestinatione, vel in hac, vel in alia providentia?

28 Triplex est sententia. Prima asserit: prædestinationem, adhùc ex suppositione assequutionis gloriæ, non esse necessariam, nequè in altera, nequè in præsenti providentia, taliter, vt defactò adhùc, qui gloriam assequuntur, non sint omnes prædestinati, cùm sit favor singularis, his tantùm concessus, qui eximia, & singulari fulgent sanctitate, & dignitate, vt Beata Virgo, Apostoli, & hi, qui confirmati sunt in gratia. Hanc defendit Catherinus libro 2. de Prædestinatione cap. vltimo, de cuius mentis examine videndus est Pater Vazquez in primam partem disputatione 90. Secunda per oppositum tenet: prædestinationem ex suppositione salvationis ita esse necessariam, vt implicet absolutè aliquem, sivè in hac, sivè in quacumque altera providentia gloriam obtinere, & prædestinatum non esse: pro hac stant communiter Thomistæ, & ex nostris Eximius Doctor libro 1. de Prędestinatione cap. 3. numero 6. citans pro se Divum Thomam, & Alensem; addit tamèn capite 7. numero 27. hanc prædestinationis necessitatem non se tenere ex parte effectus, vt effectus est; sed ex parte Dei providentis, aliique Recentiores citati à Rivadeneira disputatione 19. capite 2. numero 11. nècnon Pater Tyrsus sectione 4. numero 36. Tertia media est inter vtramque,

que, tenetque : neminem posse salvari de facto, & iuxta præsentem providentiam ; quin sit prædestinatus ; secùs in altera providentia, in qua assequutio gloriæ sinè prædestinatione posset stare: ita Pater Quiros de Prædestinatione disputatione 1. sectione 2. Ribadeneira loco citato ; Pater Herrera quæstione 15. sectione 1. à numero 4. cum quibus alij Recentiores.

29 Dico primò. Stando præsenti providentiæ, nullus potest salvari sinè prædestinatione. Probatur : si hac in providentia omnes, qui salvantur sunt prædestinati, in hac providentia nullus absquè prædestinatione potest salvari; sed in præsenti providentia omnes, qui salvantur sunt prædestinati: ergo in hac providentia nullus non prædestinatus potest salvari. Maior est certa, nàm præsens providentia sumitur ab eo, quod evenit ; non ab eo, quod potest evenire : ergo si cum eo, quod evenit, scilicèt prædestinatos tantum salvari, non potest coniungi carentia prædestinationis, perconsequens nemo potest cum hac providentia erga salvandos coniungere carentiam prædestinationis. Probatur minor tùm ratione, tùm authoritate. Ratione sic : in hac providentia omnis, qui salvatur, gloriam assequitur per media gratiæ, collata à Deo cum infallibili præscientia boni eventus, & ex intentione saltem generali finis gloriæ ; sed hoc est formalissimè salvari per prædestinationem : ergo in præsenti providentia omnis, qui salvatur, est prædestinatus. Deinde authoritate Mathæi 25. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum* ; ex quo sic : nullus defacto possidet Cœlorum Regnum, nisi à Deo sit paratum; sed possidere Regnum paratum, est salvari per præparationem, seù prædestinationem : ergo omnis, qui defacto salvatur est prædestinatus. Confirmatur ex Augustino, & Fulgentio quorum ille tract. 68. in Ioannem inquit; ad illa verba Christi. (In domo Patris mei mansiones multæ sunt:) *Deus fecit illas prædestinando, facturus est, operando*, quasi dicat, nulli esse concessam mansionem in Regno Cœlorum, quam Deus non prædestinaverit. Hic lib. de Fide ad Petrum capite 35. ibi: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei, prædestinatos à Deo, nec perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad Regnum Cœlorum ; nec quempiam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, nulla posse ratione salvari.* Propter hæc contra Catherinum acriter procedunt, apud Vazquez, Dominicus Sotus in capite 9. Epistola ad Romanos, Corduba lib. 1. quæstione 56. & Bartholomæus Camerarius in Dialogo Catholico capite 10. censentes : opinionem illius esse temerariam, contra Scripturam, & nota erroris dignam.

30 Dices immediatè contra nostram rationem ; hæc non est bona consequentia : *Omnes, qui defacto salvantur, sunt prædestinati : ergo nullus potest defacto salvari non prædestinatus* ; sed si est mala consequentia, nullum datur fundamentum pro necessitate prædestinationis in hac providentia, neque à ratione, neque ex authoritate Scripturæ in qua solum dicitur : omnes, qui defacto salvantur, esse prædestinatos : ergo non probatur necessitas prædestinationis in hac providentia. Probatur maior in qua est difficultas. Hæc non est bona consequentia. *Petrus defacto peccat: ergo Petrus defacto non potest non peccare* : ergo, & hæc *Petrus defacto salvatur prædestinatus : ergo est impotens defacto salvari non prædestinatus*, & ratio est: quia ab existentia vnius contradictorij defacto, non tollitur potentia ad alterum defacto, vt patet in millibus exemplis ; alias omne contingens defactò existens non posset defactò non existere, quo fieret, vt omne contingens esset necessarium : ergo, quod defactò omnis, qui salvatur, existat cum prædestinatione, quæ est contradictorium non prædestinationis, non impedit posse, qui defacto salvatur, existere cum carentia prædestinationis defactò, quo ruit fundamentum necessitatis prædestinationis, adhùc pro præsenti providentia.

31 Sed contra: nam si ly *defacto* accipiatur, vt debet, recta est consequentia à salvatione omnium defacto per prædestinationem, ad impotentiam salvationis defacto sine prædestinatione. Itaque si ly *defacto* se teneat ex parte potentiæ, non est recta consequentia à negatione exercitij defacto existente ad negationem potentiæ ad tale exercitium, quia sic significaret : *Non datur defacto terminus, aut exercitium alicuius potentiæ, per quod potest se exercere : ergo deficit potentia ad tale exercitium* ; quod fallit, vt rectè probat instantia peccati, & cuiusvis alterius exercitij liberi, à

cuius

cuius defectu defacto existente, non potest argui ad potestatis defectum: verùm hac ratione non vsurpamus terminum illum *defacto*; sed prout se tenet ex parte exercitij potentiæ: qua ratione valet: *Defacto non datur aliquis terminus potentiæ: ergo defacto non datur potentia ad oppositum coniungendum cum termino, qui defacto existit, seu manente facto talis termini*: modo, quo etsi sit mala consequentia, *Petrus peccat de facto: ergo non datur potentia, vt non peccet, impediendo factum peccati*: est tamen bona: *Petrus peccat defacto: ergo non potest defacto non peccare coniunctim cum peccato.* Hinc cum providentia præsens includat ea, quæ defacto existunt, & defacto nullus salvetur sinè prædestinatione, quo manente impossibile est aliquem salvari absquè prædestinatione; aliter possent coniungi duo contradictoria, benè arguitur ad impotentiam defacto salvationis sinè prædestinatione coniungendæ cum existentia præsentis providentiæ, cùm impossibile sit rem simul esse, & non esse.

32 Dico secundò: de potentia absoluta, & in altera rerum serie potest quis assequi Beatitudinem absquè prædestinatione. Probatur: in altera providentia potest quis assequi gloriam, quin Deus præparaverit illi dona gratiæ, quibus salus obtinetur ex fine gloriæ: sed hoc est posse salvari absquè prædestinatione: ergo in altera providentia possibile est: aliquem salvari absquè prædestinatione. Minor est certa: siquidem vbi datur assequutio Beatitudinis absque præscientia, & præparatione donorum, quibus certissimè liberantur, qui per gloriam defacto liberãtur, datur gloriæ, & beatitudinis obtentio absquè prædestinatione: ergo si quis in altera providentia valet gloriam assequi; quin Deus præparaverit dona gratiæ, quibus salus obtinetur, ex fine gloriæ, hoc erit posse salvari absquè prædestinatione. Probatur igitur maior, à qua pendet efficacia discursus. Potest Deus in altera providentia conferre homini, vel Angelo dona gratiæ ex fine tantùm constituendi ipsum liberum ad benè, & salutariter operandum, ibi sistendo pro illo signo, & deindè pòst prævisionem absolutam operationis liberæ salutaris illi decernere gloriam: sed in hoc casu assequeretur homo, vel Angelus Beatitudinem absquè præparatione mediorum in finem gloriæ, cùm media non essent à Deo collata ex intentione gloriæ; sed ex alio fine purè sistente in constitutione libertatis, & aptitudine in actu primo creaturæ rationalis ab benè operandum: ergo in altera providentia potest quis assequi gloriam, quin Deus illi præparaverit dona gratiæ, quibus salus obtineatur ex fine gloriæ.

33 Probatur maior: Deum conferre homini, vel Angelo dona gratiæ ex solo fine constituendi ipsum liberum libertate supernaturali, & in actu primo aptum ad operationes salutares, non repugnat propter negativum, quod includit talis motio, nec propter positivum. ergo minimè repugnat. Probatur antecedens. *Negativum*, quod includit talis motio, est non moveri ex fine gloriæ, quod quidem Deo non repugnat, cùm Deo non repugnet omittere, quod ipsi liberum est; sed Deo liberum est conferre creaturæ dona gratiæ ex fine gloriæ: ergo illi non repugnat talem motionem omittere, ac proinde negativum illius motionis. Vlteriùs: *positivum*, quod in ea motione invenitur, est tendere in finem constitutionis libertatis, quiquidem finis honestissimus est respectu Dei, nèc minus; quàm consensus salutaris, aùt gloria, quæ entia finita sunt, sicut libertas: ergo, quod Deus moveatur ex fine constituendi libertatem per dona gratiæ, nec repugnat secundùm *negativum* non motionis ex fine gloriæ, nequè secundùm *positivum* motionis ex tali fine. Adde, quod si nollis: collationem gratiæ, & donorum sistere in fine constituendi libertatem; sed vltra progredi in finem consensus salutaris: benè sit, quin inde minuatur efficacia rationis. Nam collatio gratiæ ex fine consensus nondùm intenta gloria, vt Deus potest, donèc prævideatur absolutè consensus, est præparatio donorum ex alio fine; quàm gloriæ; aut præparatio donorum ex alio fine; quam gloriæ non est prædestinatio: ergo si id in altera providentia non repugnat, nequè repugnabit, gloriam consequi absquè prædestinatione.

34 Confirmatur. Non repugnat in altera providentia Deum non habere vllam intentionem, sivè seriam, sivè efficacem gloriæ antecedentem prævisionem absolutam meritorum, cùm liberum Deo sit, habere talem intentionem, deindè Deo non repugnat conferre dona gratiæ ex alio fine distincto à fine gloriæ, & pòst signum prævisionis absolutæ meritorum, gloriam decernere, vt coronam, & præmium illorum; sed

sed hoc est non repugnare assequutionem gloriæ absquè prędestinatione : ergo potest creatura rationalis in altera providentia gloriam assequi absquè prędestinatione. Probatur minor : tunc non repugnat assequutio gloriæ absquè prædestinatione, quando non repugnat assequutio gloriæ absquè certitudine requisita ad prædestinationem : sed quando non præcessit intentio efficax, aut seria gloriæ præparationem donorum gratiæ, & Deus post prævisionem absolutam meritorum confert gloriam, datur assequutio gloriæ absquè certitudine requisita ad prædestinationem, quia conferuntur dona gratiæ absquè certitudine de existentia gloriæ sub ipsis, & cum sola præscientia de existentia boni operis, quæ per potentiam Dei absolutam à consequutione gloriæ potest separari : ergo si non repugnat in altera providentia, Deum non habere vllam intentionem antecedentem, sivè seriam, sivè efficacem gloriæ, & Deum conferre gloriam post absolutam prævisionem meritorum, non repugnat assequutio gloriæ absquè prædestinatione.

35 Iam contra primam conclusionem, & pro sententia Catherini, nil se offert obijciendum. Nàm etsi verum sit, ex his, qui salvantur, aliquos esse eximiè prædestinatos, quia evecti fuerunt à Deo ad supremum gradum gloriæ propter eximia dona gratiæ ipsis præparata, quibus eximiè merita responderunt, hoc non tollit, reliquos, qui salvantur esse prædestinatos, sed tantùm illis defuisse eximiam illam prædestinationem, quod quid diversum est, & nullum præbens fundamentum ad illam propositionem : *Aliqui salvantur absquè prædestinatione*. Contra secundam conclusionem.

36 Obijcies primò Divum Thomam, qui in præsenti, articulo primo probat existentiam prædestinationis ex eo, quod finis gloriæ est supernaturalis, & indebitus creaturis rationalibus: vndè necessarium est, vt in ipsum dirigantur, sicut sagitta opus habet directione sagittātis in scopum, cùm per se in illum tendere non possit : quarè cùm de facto creatura rationalis finem gloriæ assequatur necessarium est, quod in illum à Deo transmittatur, & dirigatur; sed hæc directio existit ab æterno in mente Dei : ergo & prædestinatio, quæ in tali directione consistit, ex qua ratione sic conficitur argumentum. Supernaturalitas gloriæ iuxta Divum Thomam est connexa cum prædestinatione, aliàs malè ex existentia gloriæ supernaturalis inferret prædestinationis existentiam ; sed in omni providentia, in qua gloria existeret, esset supernaturalis, & vltra naturales vires creaturę rationalis: ergo in omni providentia, in qua existat, est connexa cum prædestinatione: ergo ex mente Divi Thomæ non minus necessaria est ad assequutionem gloriæ prædestinatio defacto, & in hac providentia ; quam de possibili, & in quacumque alia rerum dispositione.

37 Instò argumentum. Per te eam prędestinationem probat defacto Divus Thomas, quam arguit supernaturalitas finis gloriæ ; sed supernaturalitas finis non magis arguit prædestinationem auferentem libertatem, & cooperationem arbitrij creati ; quàm dependentem ab arbitrio, & cooperatione illius, cùm etiam si Deus conferret gloriam, auferendo libertatem, & independenter à meritis existeret in re gloria supernaturalis respectu glorificati, & ab æterno in divina mente directio ad talem finem : ergo ex mente Divi Thomæ, & per eius rationem probativam non magis probatur, existere defacto prædestinationem requirentem cooperationem arbitrij, & meritorum; quàm prædestinationem evertentem libertatem, & merita non requirentem. Vnde sicut respondebis : Divum Thomam supponere assequutionem gloriæ, quæ defacto datur, esse in adultis per merita, & sic per rationem probativam concludere : prædestinationem, quæ defacto datur, esse illam, quæ libertatem servat, & requirit : sic dicam : rationem Divi Thomæ supponere: assequutionem gloriæ de facto dari ex intentione antecedenti Dei, vel generali, vel speciali, & efficaci, qua suppositā, rectè ex supernaturalitate finis concludit, *prædestinationem existere*, sub hac forma : finis supernaturalis gloriæ requirit directionem creaturæ in illum cum per proprias vires illum acquirere non possit : ergo si datur gloria, datur, & providentia supernaturalis ad illam ; aliundè Deus dirigens, intendit finem gloriæ : ergo & datur in Deo providentia supernaturalis gloriæ, & insuper descendens ex fine gloriæ, quæ formalissimè est prædestinatio, quæ ratio concludit pro prę-

senti providentia, in qua Deus confert dona supernaturalia gratię ex fine gloriç

riæ non pro altera, in qua posset creaturam dirigere ad assequutionem gloriæ post prævisionē absolutam meritorum.

38 Objicies secundò Divum Augustinum, qui libro de Bono Perseverantiæ capite 14. vt concludat, dari in Deo prædestinationem, assumit pro medio Deum præscire beneficia, quibus nos dignatur liberare. En verba: *Quæ vtique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit*: ergo censuit: assequutionem gloriæ in nulla providentia posse dari absque prædestinatione. Probatur consequentia: in omni providentia assequutio gloriæ esset beneficium collatum à Deo cum præscientia; sed iuxta Divum Augustinum collatio beneficiorum, quibus Deus dignatur liberare, simul cum præscientia illorum est prædestinatio: ergo censuit: assequutionem gloriæ in omni providentia non posse dari absque prædestinatione.

39 Antè solutionem advertendum est: Patrem Suarez ex prælegatis verbis intulisse, esse de mente Sancti Augustini, tam necessariam esse in Deo prædestinationem; quàm præscientiā. Vndè subinfert: implicat dari alicui gloriā, sine præscientia: ergo implicat dari alicui gloriam sine prædestinatione, sicque intendit persuadere necessitatem prædestinationis in omni providentia. Ast immeritò, venia tanti Doctoris, quia Divus Augustinus non dixit tàm necessàriam esse prædestinationem; quàm præscientiam; sed duntaxàt necessarium esse, quod si Deus præsciat, quibus daturus est, vt credant, & quos daturus est filio, præsciat beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, ideò dixit: *Quæ vtique si præscivit profectò, &c.* in quibus nulla mentio fit de necessitate prædestinationis comparata cum necessitate præscientiæ. Ad argumentum respondetur ex medio, quod assumit Augustinus ad suadendam prædestinationem defacto non colligi eius necessitatem in omni providentia: imò potius oppositum. Ratio est: nàm loquitur de præparatione mediorum gratiæ, & beneficiorum, quæ non includunt ipsam gloriam, quamvis illam inferant, in qua præparatione, proùt distincta à decreto gloriæ, constituit prædestinationem *formaliter* sumptam, vt supra vidimus, & de hac præparatione simul cum præscientia nostræ liberationis sub ipsis dicit: *esse prædestinationem*: sed quis non videat in hoc præsupponere intentionem conferendi gloriam, & præparationem descendentem ex illa; aliàs in quo posset fundari præscientia illa liberationis per gloriam? Nàm non in sola præscientia de efficacia mediorum, siquidem efficacia mediorum, quàmvis connectatur cum consensu; non tamen cum gloria: ergo necessarium est fundari in cognitione intentionis gloriæ, vel seriæ, vel efficacis, cui adiuncta præscientia infallibilis de efficacia mediorum resultat præscientia infallibilis liberationis: de hac ergo præscientia defacto existens simul cum præparatione donorum gratiæ efficacium, infert prædestinationem defacto existentem; verùm cùm hæc præparatio cum tali præscientia non sit necessaria in omni providentia, sicuti necessaria est non est intentio gloriæ præcedens absolutam prævisionem meritorum, non potest argui ex medio assumpto ab Augustino ad probandam prædestinationem defacto, necessitatem illius pro omni providentia possibili.

40 Objicies tertio: implicat aliquem salvari, quin Deus ab æterno præparaverit salvationē: ergo quin Deus prædestinaverit, cùm prædestinatio nil aliud sit, quam præparatio salutis. Insto: implicat aliquem salvari, quin Deus ab æterno præparaverit salvationem: ergo si per possibile, vel impossibile aliqua creatura salvaretur ex debito connaturalitatis ad gloriam, salvaretur per prædestinationem, quæ nil aliud est; quam gloriæ præparatio. Negabis consequentiam; quia prædestinatio non est quævis gloriæ præparatio; sed ea, quæ sit vera transmissio creaturæ rationalis in finem gloriæ, pro quo est necessarium, gloriam esse indebitam creaturæ transmissæ; benè; àt similiter ego negabo: quamvis gloriæ præparationem esse prædestinationem; sed illam solam, quæ sit antecedens prævisionem absolutam meritorum. Ideò distinguo ant. quin Deus ab æterno præparaverit gloriam præparatione, sivè *antecedente*, sivè *consequente* prævisionem absolutam meritorum. conc. antec. præparatione determinatè *antecedente*: nego antecedens, & consequentiam. Ad cuius implicitam probationem distinguo propositionem: prædestinatio nil aliud est; quàm præparatio *antecedens* absolutam prævisionem meritorum: concedo: quàm præparatio, sivè *antecedens*, sivè *consequens*, nego.

41 Objicies quarto: Nulla res potest consequi suum finem nisi per

divinam providentiam; sed providentia, vi cuius obtineatur finis gloriæ, est prædestinatio, quia est providentia supernaturalis circa gloriam: ergo nulla creatura potest salutem obtinere absque prædestinatione. Reddit instantia. Creaturæ, cui per possibile, vel impossibile esset connaturalis gloria, quæ quidem salutem assequeretur per divinam providentiam; secùs per divinam prædestinationem: signum ergo est: hanc non esse quamcumque providentiam circa gloriam; sed talem determinatam providentiam, quam ego propter conclusionis fundamenta dico, esse præparantem media ex intentione salutis, & ordinantem illa ad finem gloriæ; quæ, cùm necessaria non sit in altera providentia, perconsequens nequè necessaria est prædestinatio, quamvis in omni sit necessaria aliqua providentia circa gloriam.

42 Instat Gonet: sic se habet prædestinatio ad gloriæ consequutionem; sicut providentia in alijs rebus ad finem, quem intendit; sed nil potest consequi finem intentum per providentiam, nisi per divinam providentiam: ergo nequè potest consequi salutem, nisi per divinam prædestinationem: si terminis argumenti staremus, poterant concedi præmissæ, negata consequentia, in qua male concluditur propter omnissionem termini in minori positi, scilicèt (*intentum per providentiam*) qui in conclusione debebat poni, & sic bene concluderet: ergo nulla creatura potest consequi finem salutis intentum per prædestinationem, nisi per divinam prædestinationem. In quo nil contra conclusionem asserentem, posse in alia providentia assequi finem salutis absque prædestinatione; verùm hoc misso: distinguo propositionem maiorem: sic se habet prædestinatio ad consequutionem vitæ æternæ, sicut providentia in alijs rebus ad finem, quem intendit, *determinatè* accepta: concedo maiorem: *confusè*, sivè *abstractè* accepta: nego maiorem; & concessa minori: nego consequentiam: est dicere: nil potest consequi suum finem nisi per aliquam providentiam sumptam in sua latitudine; at benè potest consequi suum finem sine providentia determinata, quæ consistat in præparatione descendente ex fine præintento, quia, vt assequatur quis suum finem, sufficit à Deo conferri illi media, quibus in rè assequetur suum finem, quamvis sint præparata ex alio fine, prædestinatio igitur se habet, sicut providentia ista determinata, qua res assequitur suum finem per præparationem mediorum ex intentione antecedenti eiusdem finis, quæ quidem deficere potest, & non est necessaria simpliciter ad finis assequutionem; verum non se habet, vt providentia in tota sua latitudine, quæ deficere non potest in aliquo individuo, sivè hoc, sivè illo, si res assequatur suum finem. Nèc omittas instantiam factam de creatura, cui esset debita gloria, quæ quidem eam acquirere non potest absquè providentia; posset tamen absque prædestinatione.

43 Obijcies quintò ex Patre Tyrso: impossibilis est casus, in quo quis salvetur absquè prædestinatione, stante definitione Augustini: ergo prædestinatio necessaria est in omni providentia. Probatur. Impossibilis est casus, in quo quis saluetur dependenter à donis gratiæ, in quo Deus non habuerit ab æterno, & decretum conferendi talia dona, & præscientiam de futura liberatione sub ipsis: sed iuxta Augustinum prædestinatio aliud non est; quàm *Præscientia, & præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*: ergo stante definitione Augustini, impossibilis est casus, in quo quis salvetur absquè prædestinatione. Respondeo: præscientiam de qua loquitur Augustinus, esse præscientiam conditionatam de liberatione, id est de assequutione gloriæ, sub existentia mediorum, regulantem præparationem, quæ quidem, vt diximus, debet fundari in intentione gloriæ antecedente, vel seria, vel efficaci; nàm sola media tantùm possunt fundare præscientiam infallibilem consensus, si voluntas sit consensura sub ipsis; consensus autèm non est liberatio intenta ab Augustino; sed assequutio gloriæ, de qua Deus non potest habere præscientiam infallibilem pro signo præcedenti, aût committanti preparationem gratiæ, & donorum, nisi sit intentio gloriæ dandæ ex meritis, saltèm seriò, & quatenus est ex parte Dei ex quo infertur: non quamvis præscientiam, & præparationem esse prædestinationem apud Augustinum. Vndè ad argumentum nego antecedens: ad cuius probationem distinguo maiorem.

rem. Impossibilis est casus, in quo quis salvetur dependenter à donis gratiæ, in quo Deus non habuerit præscientiam de futura liberatione sub ipsis *consequentem*, vel *antecedentem* decretum exequutivum gloriæ: concedo maiorem; determinate *antecedentem*: nego maiorem; & distinguo minorem. Iuxta Augustinum nil aliud est; quam præscientia *quævis futuræ liberationis*: nego minorem; quàm præscientia *se tenens ex parte præparationis* donorum gratiæ: concedo minorem, & nego consequentiam.

44 Hæc est solutio ex capite *præscientiæ*: accipe aliam ex parte *præparationis*. Etenim *præparatio*, quæ apud Augustinum constituit prædestinationem, non est quæcumque *præparatio* gratiæ, & donorum, qua data, dabitur assequutio gloriæ; sed illa, quæ vocari potest *preparatio* mediorum in ordine ad talem finem; hæc autem non potest esse necessaria in omni providentia, quia potest Deus, si voluerit, præparare media illa in ordine ad alium finem, quamvis postea præviso consensu absolutè conferat gloriam non prę-intentam, iuxta quam doctrinam distinguenda est illa minor, iuxta Augustinum prædestinatio est *præscientia*, & *præparatio* beneficiorum *in ordine ad gloriam*: concedo minorem, & *præparatio purè materialis*, & *ex alio fine*: nego minorem, & consequentiam.

45 Instat adhùc: in omni casu, in quo creatura assequeretur gloriam per dona gratiæ, illam obtineret per talia media, vt præparata ad finem gloriæ: hoc est formaliter acquirere gloriam per prædestinationem: ergo omnis, casus possibilis assequendi gloriam per dona gratiæ est casus prædestinationis. Probatur maior. Vbi res vna ex se est propter aliam, sicùt gratia est propter gloriam, ad quam ius est per modum hæreditatis, implicat Deum velle rem illam existere; quin velit vt existat propter aliam; sed in omni casu, in quo creatura assequeretur gloriam per dona gratiæ, dona hæc ordinantur ex se in finem gloriæ: ergo in omni casu in quo creatura assequeretur gloriam per dona gratiæ, illam assequeretur per talia media, vt ordinata, & præparata ad finem gloriæ. Probatur maior. Vbi res vna ex se est ordinata ad aliam, implicat Deum velle illam existere aliter; quàm illa potest existere; at illa tantùm potest existere, prout ordinata ad aliam: ergo vbi res vna est ex se ordinata ad aliam, implicat Deum velle illam existere, nisi prout ordinatam ad aliam.

46 Hæc instantia desumpta videtur ex doctrina Patris Vazquez disputatione 82. capite 7. Vbi contendit: Deum non posse pro sua libertate vnum ad aliud ordinare, si re ipsa non referatur ad illud, nec posse facere, vt eisdem rebus stantibus, vnam rem ordinari, iam ad hunc, iam ad alium finem; & non ordinari ad finem, ad quem defacto ordinatur, pro quo suadendo, recurrit ad constitutionem actuum liberorum Dei, in quibus cùm nulla queat esse variatio ex parte Dei, tantùm potest esse ex parte obiectorum; sed eisdem persistentibus obiectis nulla datur variatio ex parte illorum: ergo idem decretum, & eodem modo tendens, debet existere: ergo si decretum, rebus illis existentibus, potest aliquando rem vnam ad aliam ordinare; semper ac existant tales res, dabitur eadem ordinatio ex parte Dei.

47 Respondeo: non esse idem rem aliquam ex se ordinari ad aliam, & debere semper exerceri, & disponi ab intendente finem, referendo, & ordinando illam ad id, in quod ex se tendit. Etenim ad primum sufficit, rem esse talis naturæ, vt metaphysicè, physicè, aut moraliter rem aliam secum trahat; ad secundum verò, quod illam exequens, & disponens, intendat illum finem, & non alium, ad quem simul conducit, vel apprehenditur conducere; quod ex primo non sequitur, vt patet: nàm longa, & prolixa studia cum magno scientiarum profectu ex se ordinantur ad magnum præmium, & ad obeunda præclara munera in Republica: neque ideò, qui ita studet, tenetur apponere studium, & laborem propter magnum præmium assequendum, aut propter Reipublicæ gubernationem; sed potest studere adeò impensè, ordinando studium, vel ad evitanda vitia, vel ad instruendos alios, vel ad ornatum rationalis naturæ, quæ per scientiarum acquisitionem nobilitatur, addita positiva nolitione præmiorum, & dignitatum. Itaque, quod probat argumentum, est:

dona gratiæ retentura semper illam ordinationem intrinsecam ad gloriam; non verò, quod Deus illa conferens, teneatur intendere finem gloriæ ad quem ex se ordinantur, cùm etiam sint conducentia ad alios, quos pro suo arbitrio Deus potest respicere. Prædestinatio autem non consistit in ordinatione illa intrinseca, quam gratia habet ad gloriam; sed in ordinatione extrinseca Dei referente gratiam in finem gloriæ.

48 Pro forma argumenti, quæ specialiter reducitur ad vltimum syllogismum, in quo est tota difficultas: concessa maiori: distinguo minorem. Illa tantum potest existere, prout ordinata *intrinsecè* ad aliam: concedo minorem. Prout ordinata *intrinsecè*, & *extrinsecè*: nego minorem. Et distinguo consequens. Vbi res vna ex se est ordinata ad aliam, implicat Deum velle illam existere nisi prout ordinatam ad aliam ly *prout* appellante supra terminum: concedo consequentiam: appellante supra volitionem, aut præparationem illius: nego consequentiam: est dicere: nil est in termino volito, quod non sit ad aliud, ad quod ex se ordinatur; at volitio non movetur ex existentia illius, ad quod ex se ordinatur; sed ex existentia alterius, ad quod etiam conducit.

49 Ratio Patris Vazquez attingit difficultatem insuperabilem constitutivi actuum divinorum contingentium alibi examinandam: interim dico: falsum nobis esse contingentiam actuum divinorum esse explicandam per obiecta; sed per ipsam tendentiam, se tenentem ex parte Dei, quæ absque vlla stricta mutatione, nec diminutione perfectionis divinæ, eisdem existentibus obiectis, potest iam sic, iam aliter illa disponere, & ordinare: imò multi, qui cum Patre Vazquez in modo constituendi contingentiam divinorum actuum conveniunt, vt fugiant consequentiam intentam ab illo, recurrunt ad diversas actiones: vndè non reputant necessariam; sed absurdam, & cavendam talem illationem, à quo nunc supersedemus, negantes suppositionem talis sententiæ, quod sufficit, pro nunc, ad nostram tuendam conclusionem.

50 Obseruabis, quod si sit possibilis substantia rationalis, cui connaturalis sit visio Beatifica, & Beatitudo, ex eius possibilitate consurgit, alterum fundamentum pro nostra secunda conclusione; nam illa posset assequi salutem sine prædestinatione, quia cùm prædestinatio solum sit ad finem indebitum substantiæ prædestinatæ, substantia illa, cui connaturalis esset gloria, non posset ad illam prædestinari, etsi posset illam obtinere. Cæterùm ab hac probatione abstinui, quia nititur speciali sententiæ, quam maior pars Theologorum non admittit. Ideò in instantijs pro solutione argumentorum factis cum allusione ad hanc sententiam, addidi, sivè *per possibile*, sivè *per impossibile*, nolendo vim facere in possibilitate talis substantiæ; nam pro redargutione sufficit repugnantiam illi non provenire, quia non prædestinatæ; sed ex alijs capitibus.

CAPVT III.

Quomodo prædestinatio comparetur cum providentia?

51 POstulat collatio hæc, & comparatio prædestinationis cum providentia divina aliquam notitiam huius, de qua alij integrum, & dignissimum edunt tractatum; sed nos breviter, vt præsens fert occasio ea solùm, quæ ad meliorem prædestinationis cognitionem conducunt, prælibabimus. Providentia ex nomine idem est, quod *Prouidentia*, aut *ante videntia*, id est cognitio duratione præcedens eventum: vndè aliquando late accipitur pro cognitione futurorum, vt apud Ciceronem libro 2. de Divinatione; *Medicus morbum ingrauescentem ratione prouidet, insidias Imperator, tempestates Gubernator*: Strictius verò, & propriùs pro cognitione practica, qua cum temporis antecedentia, vel disponuntur remedia malis imminentibus, vel præparantur media proportionata bonis assequibilibus. Ideò dixit Sanctus Thomas 2.2. quæstione 49. articulo 6. *Importat prouidentia respectum quemdam alicuius distantis ad ea, quæ in præsenti occurrunt, & ordinanda sunt*; at quàmvis no-

nomen providentiæ à cognitione originem trahat, non tantùm ad eam significandam extenditur; sed translatum est ad significandum curam animitam de rebus, vt aptè, convenienterque disponantur; ideò providentia iuxta Divum Thomam quæstione 22. articulo 1. aliud non est; quam *ratio ordinandorum in finem*, quæ active consistit in actibus providentis, & passive in obiectis talium actuum, seu in mediis, quæ ad finis assequutionem ordinantur: sic sumpta providentia, increatam, & creatam comprehendit.

52 Contracta ad divinam: variè quoad voces eam definiunt Patres: Sanctus Damascenus libro 2. de Fide Orthodoxa cap. 29. duas definitiones tradidit prior: *Providentia est rerum procuratio, qua Deus fungitur*; posterior; *providentia est voluntas Dei, per quam res omnes aptè, congrueque gubernantur*; easdem definitiones tradidit Nemesius, de natura hominis capite 43. apùd Granado disputatione 2. qui etiam refert Sanctum Thomam libro 3. contra Gentes capite 73. ratione tertia adducentem ex Sancto Gregorio Nyseno alteram providentiæ definitionem, nempè: *Providentia divina est voluntas Dei per quam omnia, quæ fiunt, convenientem deductionem accipiunt.* Demùm Boetius 4. de Consolatione prosa 5. approbatus à Divo Thoma in præsenti art. providentiam divinam exposuit, inquiens: *Providentia est ipsa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit.* Nèc quamvis alij per voluntatem; per intellectum alij providentiam explicent, difficilis est omnium quoàd rem consensus: nàm cùm conspirent in id, quod divina providentia *est dispositio mediorum in finem*, qui eam explicant per intellectum, intelligendi sunt de illo *formaliter*, & *arguitivè*, qua ratione dicit voluntatem, & qui per hanc, de illa *formaliter*, & *præsuppositivè*, quomodo dicit intellectum. Ideò Pater Izquierdo ex his definitionibus rectè concludit, providentiam pertinere, tùm ad intellectum, tùm ad voluntatem: ad intellectum, nè voluntas sinè luce illius aberret à finè per incongruentem dispositionem mediorum; ad voluntatem, nè rationis actus sint mera, & otiosa speculatio, qualis esset, si voluntatis actus non accederet.

53 Circa existentiam divinæ providentiæ varij fuerunt errores, negantes alij dari in Deo providentiam, vel negata, vel adhuc admissa Dei existentia: concedentes alij; sed cum limitatione, aut intra Cœlum, aut si extra Cœlum ad species tantùm, & non ad individua, vel si ad species, & individua; non in rebus vilibus, & abiectis; sed in principalibus, & nobilioribus. His vero erroribus omissis, quos latè disputat Pater Ruiz disputatione prima de Providentia sectione 2. & cum non exiguo eruditionis fructu possunt legi. Veritas Catholica, & dogma fidei est, dari in Deo providentiam; non quidem restrictam; sed perfectissimam, & ita amplam, vt ad omnia existentia, & producta se extendat, etiam in individuo. Constat ex Scriptura clarissimè in pluribus locis, vt Sapientiæ capite 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus: in omni providentia occurrit illis*: & capite 12. *Non est alius Deus; quàm tu, cui est cura de omnibus*: & capite 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere constituisti*: idem tenet capite 14. insuper Proverb. capite 13. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suàviter*: Ecclesiastes capite 5. *Nè dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam, ne dicas coràm Angelo non est providentia, nè fortè iratus Dominus, &c.* Denique clarissimum huius veritatis præbuit testimonium Lucæ capite 12. *Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester Cœlestis pascit illa; nonnè vos magis plurij estis illis?*

54 Ex Patribus duos tantùm seligam brevitatis causa Augustinum scilicèt, & Hieronymum, quorum ille in Psalmum 145. *Fecit* (inquit) *Deus Cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & te, parum dico, te, & passerem, locustam, vermiculum, nihil horum, non ille fecit, & cura est illi de omnibus.* Hic apùd Sanctum Thomam in Cathena in illud Mathæi 10. *Nonnè duo passeres asse veneunt?* Si parva (dicit) *animalia absquè Deo non decedunt Authore, & in omnibus est providentia, & quæ in his peritura sunt, sinè voluntate Dei non pereunt, vos, qui æterni estis non debetis timere, quòd absquè Dei vi-vatis providentia.* Plures alij legi possunt apùd præcitatum Ruiz, & apùd Theophilum Rainaudum tom. naturalis Theologiæ distinctione 8. vbi immensa eruditione divinam providentiam conatur firmare.

55 A ratione non eſt difficile idem ſuadere, cum totum rationis pondus in id conſpiret, ſolumquè poſsit divinam providentiam ignorare, qui cuncta ignoret: *Dubitare: àn detur omnium, & ſingulorum providentia* (dixit Plotinus Ennead. 2. libro 9. capite 16. apùd Rainaudum) *non eſſe prudentis*; imò *cæci cuiuſdam, & omnino, neque ſenſum habentis, neque mentem*; & Clemens Alexandrinus 5. Stromatum capite 10. iudicavit pœna dignum quærere probationes, àn ſit providentia? Eam conclamat concentus, & harmonia vniverſi, qui cum ex tot diſsimilibus, & contrarijs componatur, indiget ſupremo aliquo regimine, vt conſervetur; nècnon recurſus rationalium creaturarum ad ſupremum numen, quod damna imminentia avertat, & quæ nobis convenientia ſunt, conferat: ſi enim Deus cuncta creata ita deſpiceret, vt de illis nullam curam gereret, fruſtrà illius auxilium implorare-mus. Fundamentum probativum ad formam redactum, accipe ex Divo Thoma: Deus eſt prima cauſa, à qua omnia in eſſe, & conſervari dependent: ergo in omnia creata quoad eſſe, & conſervari influit, ſivè poſitivè, & per ſe, ſivè pu-rè permiſsivè; ſed non aliter; quàm vt agens rationale operans per intellectum, & voluntatem propter aliquem finem: ergo cum providentia. Probatur hæc vltima illatio. Providentia nil aliud eſt; quàm ordinatio rerum in finem; ſed influxus in omnes res propter finem eſt ordinatio omnium ad finem: ergo cum providentia cuncta, quæ ab eius influxu pendent, operatur. Iurè igitur dixit Tertulianus 2. in Marc. capite 24. *Deum enim non negans confitetur, & providum.*

56 Nèc moveat ſcrupulum in contrarium, tum authoritas Divi Pauli, & Damaſceni, qui videntur vniverſalitatem divinæ providentiæ excludere. Primus dùm dixit 1. ad Corinthios capite 9. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* quaſi de Brutis, nulla ſit providentia: ſecundus libro 3. Fidei capite 29. inquiens: *Quæ in poteſtate noſtra ſita ſunt, non providentiæ; ſed libero noſtro arbitrio aſsignari debent*: ergo iuxta ipſum opera noſtra libera à divina providentia ſunt exempta. Nam primus loquitur tantum reſpectivè; non abſolutè, & per excluſionem omnis divinæ providentiæ erga bruta, volendo ſignificare, quod etſi Deo ſit cura, & providentia de bobus, & cæteris brutis animantibus; non tamen illa ſpecialis, quam habet erga homines, illos dirigendo in finem nobiliſsimum æternæ fœlicitatis. Nec novum debet reputari in Scriptura explicare magnum exceſſum alicuius in aliqua linea, terminis, qui videantur excludere alios ab illa: ſic Deus dicitur *ſolus bonus*, & *ſolus verax*, quin propterea alia diſtincta à Deo negentur bona, & veracia. Similiter intelligendus eſt Sanctus Damaſcenus nolens excludere ab operibus liberis quamcumque Dei providentiam; ſed illam dumtaxat, ex qua ſivè mediatè, ſivè immediatè (vt inquit Granado) neceſſario proveniunt effectus, & quæ cum libertate non componitur.

57 Obijci etiam ſolet Divus Hieronymus, qui ſuper caput 1. Abacuc ad illa verba; *mundi ſunt oculi tui*: per negationem divinæ ſcientiæ de rebus vilibus in vniverſo, etiam perconſequens providentiam circa omnia negare videtur. Sed interpretandus etiam de providentia reſpectivè accepta ad rationalia, & de ſcientia practicè accepta, proùt talem providentiam conſtituit, ſicuti ad Divi Pauli verba diximus. Tùm rationes, quas illi, quibus exoſſa eſt divina providentia propter culparum ſuplitium, in medium producunt, vel, vt omninò abijciant, vel, vt ex parte larvata reverentiæ ſpecie labefactent, quod ſi aſſequerentur, facilis ad omnem divinam providentiam repellendam, pateret additus. Dicunt primò: adeſſe plura inordinata, quę ſine providentia ſupremi Numinis contingere per ſe oſtendunt: videmus enim ſæpè iuſtos, & legum obſervatores punitos, & afflictos tyranicæquè poteſtati ſubiectos; contra verò iniuſtos, & malefactores præmijs affectos, divitijs affluentes honoribus cumulatos, & ad apicem fœlicitatis evectos, qui eventus alieni ſunt à divino regimine, & æquitate, quæ ſi adeſſent, bona bonis, & mala malis deſtinarent. Secundò; quia ſi Deus omnia provideret, nil caſu, & fortuitò accideret; àt multa inſperatò, & præter intentionem contingunt: ergo abſque divina providentia. Tertiò: indignum videtur tanto Principe, & Gubernatore ad minutiſsima deſcendere; & curam habere ſpecialem de his, quæ propter ſuam vilitatē hominibus adeò in deſpectu ſunt, vt, nèc videre, nèc nominare velint: aut quomodò cum divina excellentia cohærebit cura illa, & ſolicitu-

do

do, quæ in Gubernatore humano ridicula est, & reprehensibilis?

58 Primum ex his retorquetur in objicientes, qui vel debent Deum constituere ignorantem, & impotentem, qua ratione non erit Deus, vel divinam providentiam fateri, & factum argumentum solvere. Nàm si Deus summè Sapiens, & Potens est: ergo mala, quæ libertate hominum contingunt, cognoscit, Potens ea impedire: ergo ea permittit, cùm permissio sit non impeditio effectus à Potente illum impedire: si ea permittit: ex aliquo fine movetur ad permittendum, quod formalissimè est habere providentiam in tali sortis inæqualitate. Respondetur cum Patre Ruiz: eos eventus non ad impugnandam; sed ad agnoscendam divinam providentiam manuducere, scilicèt alterius vitæ, & immortalitatis animæ, ad quem statum omnia, quæ in mortali hac vita eveniunt, ordinantur, ibi enim iustis pro meritis retribuetur, sicut, & improbis pro delictis infligetur pœna: sorte quidem mutata, taliter vt qui infœlices reputabantur, sint verè fœlices, & qui apparenter erant fœlices in summam, & æternam decidant miseriam: ideò rectè dixit Nemesius de facultatibus animæ capite 44. columna 2. postquam retulit præsens argumentum: *Mihi verò videntur, qui hæc loquuntur, cum alia multa ignorare præcepta divinæ providentiæ, tùm maximè animæ immortalitatem: nam huius vitæ terminis res humanas definiunt*; quasi is solum ea ratione moveri possit, qui ignarus futuri, & æterni status spem suam collocet in præsenti. Solutio data Scripturæ Sacræ authoritate firmatur multis in locis. Iob capite 21. Ieremiæ capite 1. vers. 5. Abacuc capite 1. & Psalmis 36. & 72. in quibus cum proponitur per modum querellæ iustorum in divinam iustitiam, & providentiam exaltatio impij, & iusti deiectio, ipsi fit satis per recursum ad finem vtriusque, in quo viceversà impius non temporaliter; sed æternè miser erit, & deiectus; iustus autem exaltatus, & sine termino de impietate triumphans. Brevibus terminis doctrinam datam, & inefficaciam objectionis expresit Divus Hieronymus super Ecclesiastem capite 9. dicens: *Hæc autem fiunt, quia in certo statu feruntur omnia, & non est in præsenti retributio meritorum; sed in futuro.*

59 Ad secundum facile respondetur: eventus illos esse fortuitos, & casuales respectu causarum secundarum; secùs respectu Dei, cuius scientiam nihil latet, & cuius dispositionem nihil fugit, quod explicat aptissimè exemplum allatum à Divo Thoma articulo 2. ad primum. *Si enim Dominus* (inquit) *servos duos diversis viis in eundem locum mittat, occursus, qui respectu illorum fortuitus diceretur, cum neuter illum intenderet, respectu Domini non esset casualis, qui vtrumque ex intentione, prudentiquè deliberatione in eundem direxit terminum*: Sic, quæ præter intentionem causarum secundarum sæpè eveniunt, ipsisque fortuita, & casualia iure dicuntur; comparatione Dei supremi Gubernatoris, qui applicationem illarum causarum disposuit, & direxit, non casu; sed providenter accidere, debent reputari, aliterque censere vocavit stultitiam Divus Augustinus in illud Psalmi 9. *Confitebor tibi Domine, &c.* dum dixit: *Omnia ad divinæ providentiæ regimen referuntur, quæ stulti quasi casu, & temerè nulla divina administratione fieri putant.*

60 Ad tertium: *Deus ità* (iuxta Augustinum libro 11. de Civitate capite 22.) *Artifex est magnus in magnis, vt minor non sit in parvis; quæ parva non sua granditate, quæ nulla est; sed Artificis sapientia metienda sunt.* Itaque non est indignum Supremo Principe, & Gubernatore infimis, & vilibus providere, quando per talem providentiam à maiorum, & perfectiorum cura non impeditur, & quando ob perfectionem suæ naturæ ex immediata rerum vilissimarum gubernatione nullum dedecus, sordem nullam potest contrahere; quod pulchrè explicavit Nemesius libro de Facultatibus Animæ capite 44. similitudine accepta à Sole, *Quod sicut* (inquit) *radij solares vim habeant attrahendi humorem omnem, negant inquinari solem, eiusque radios, cum cæno lucem conferunt; sed integros, & ab omni sorde puros manere dicunt: quomodo Deum rebus humanis profanari dicunt?* quarè cum Dei providentia ob suam illimitationem omnia attingere valeat, quin maiora propter viliora relinquat, & aliundè nullum laborem in providendo patiatur, neque ex rerum minimarum tractatione fœdari possit; non imperfectio; sed excellentia maxima ei est, rebus omnibus immediatè providere. Nec insistas ex dicto illo Augustini in Enchiridio capite 17. *Melius est quædam nescire; quàm scire, vt vilia*: cui consonare videtur Aristoles 12. Metaphysicorum: quia vt dicit Divus Tho-

Thomas in præsenti, intelligendus de conditione rerum vilium impeditiva cognitionis perfectiorum, & inductiva pravæ operationis, quæ longè sunt à Divina perfectione. Adde quod si rebus minimis, ob inferioritatem neganda esset Deo Providentia, in nulla esset concedenda, siquidèm omnia creata vilissima sunt comparatione ad ipsum, apud quem iuxta Isaiam capite 40. *Omnes gentes tamquam non sint, sic sunt coram eo, & tamquàm nihilum, & inanè reputatæ sunt ei.*

61 Quod si inferas: omnia subiacent divinæ providentiæ: ergo peccata sunt provisa a Deo: consequentiam concedit Pater Ruiz; sed melius statim distinguitur cum demùm distinguenda sit. Peccata sunt provisa à Deo, *permissivè*: concedo: *causativè*, seù *positivè*: nego. Replicabis: iuxtà Divum Thomam in hac quæstione 22. articulo 2. corpore: *Æquè patet providentia Dei, ac causalitas*: ergo vel peccata non sunt provisa, vel sunt a Deo causata. Respondebis: Divum Thomam tantùm asseruisse: providentiam æquè patere, a: causalitatem; non verò causalitatem æquè patere, ac providentiam: est enim omnis causalitas providentia; secùs omnis providentia causalitas: accipe verba: *Cum enim omne agens agat propter finem, tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantùm se extendit causalitas primi agentis*; vel si mavis, dic: providentiam æquè patere, ac causalitatem *strictè*, & *latè* acceptam, prout permissionem etiam complectitur, qua ratione, omnis causalitas est providentia, & omnis providentia causalitas.

62 Cæterùm cum providentia vsurpari valeat dupliciter, scilicèt *materialiter*, & *formaliter*: *materialiter* quando in vi mediorum existit finis, ad quem conducunt; quin media descendant ab intentione illius. *Formaliter*, quando non tantùm existit finis in vi mediorum, sed media apponuntur ad talem finem consequendum, ideòque positio illorum descendit ab intentione finis, dubium suboritur. An sit de fide tantùm, Deum habere providentiam sub conceptu præscindente à materiali, & formali; an verò sub conceptu contracto, ad providentiam formalem. In quo dicendum primò: quod si loquamur de fine aliquo generali, & comprehendente omnia, certissimum est certitudine fidei, Deum habere providentiam formalem; constat hæc veritas ex Scriptura Proverbiorum capite 16. *Vniversa propter semetipsum operatus est Deus*: necnòn Apocalips. capite 1. *Ego sum primus, & novissimus, principium, & finis*, vbi dicitur: omnia ad se ordinare, & propter se decernere; sed omnia ad se, & propter se ordinare, est providentia formalis, cùm sit destinatio mediorum in finem, & propter finem: ergo certum est certitudine fidei, Deum habere providentiam formaliter acceptam quoad finem generalem, sub quo omnia creata comprehenduntur.

63 Si autem loquamur de fine particulari, & intrinseco cuiquè rei creatæ competenti: certum videtur 1. in aliquibus casibus Deum non exercere providentiam formalem; imò nèc materialem circa res creatas, prout respiciunt talem finem: patet id ex effectibus miraculosis, quos Deus sæpè numero producit non tantùm supra; verùm contra exigentiam rerum in tales fines tendentium: sic ignem Babilonicum impedivit à combustione, in quam ignis ordinabatur natura sua: vndè propositio hæc eadem certitudine debet esse certa, qua certum est, & Deum posse operari, & aliquando operatum fuisse contra rerum naturalium exigentias.

64 Si verò sermo sit de modo operandi regulari, quo Deus, vt Author naturalis annuit exigentijs rerum, videtur dicendum tertiò: etiam esse de fide Deum dirigere res naturales in suos fines particulares, non tantùm providentia materiali; sed formali, hoc mihi persuadet textus citatus sapientiæ. *In omni providentia occurrit illis*; sed si tantùm haberet providentiam materialem de rebus creatis in ordine ad fines particulares, non in omni providentia illis occurreret, cùm deesset providentia formalis circa tales fines: ergo certum ex Scriptura apparet, Deum habere providentiam de rebus creatis in ordine ad fines particulares, ad quos ex se ordinantur; non tantùm materialem; sed formalem. Confirmatur: nam in providentia supernaturali, & indebita creaturis rationalibus, Deus non tantum deducit illas in finem supernaturalem gloriæ materiali quodammodo, & præter intentionem antecedentem finis; sed formaliter eligendo media ex intentione antecedente, & voluntati generali, qua vult omnes homines salvos fieri: ergo similiter Deus defacto dirigit res naturales in suos fines particulares, & naturales; non tantum directione, & pro-

vi-

videntia quadam *materiali*; verùm *formali*: nàm modus ille operandi pro fine indebito videtur nobis ostendere modum operandi, quem de facto habet circà finem debitum.

65 Providentia hæc, quę *subiectivè*, & *activè* sumpta æterna est, vtpotè in actibus immanentibus Dei consistens, quibus intra se ordinat, media ad finem; nècnon libera càm de antecedenter necessarijs, aùt antecedenter impossibilibus nulla sit providentia, tripliciter vti in simili de prædestinatione diximus, venit considerandа: scilicèt *formaliter*, *præsuppositivè*, & *completivè*. *Formaliter* accepta respicit media in ordine ad finem, quia, prout talis, est ratio ordinandorum in finem; ea autem, quæ infinem ordinantur, media sunt ad illius assequutionem conducentia. *Præsuppositivè*: est finis intentio, quæ ad mediorum ordinationem præsupponitur, sub qua consideratione finem respicit, vt exequendum: *completivè* est actus tendens in finem executivè, id est prævendo illi existentiam immediatè per se, nullo alio interiecto actu; si verò hæc omnia per vnum indivisibilem actum, tàm realiter, quàm virtualiter fiant, in illo omnes hi respectus per rationem sunt considerandi. Id quod respicitur à providentia sub hac triplici consideratione obiectum illius dicitur, quod multipliciter venit distinguendum ex genere suo, & vniversaliter acceptum.

66 Dividitur primò in *materiale*, & *formale*: *materiale* est, quod respicitur; sed non est ratio respiciendi, *formale* verò, quod est ratio respiciendi: quamque redderet agens rationale si rogaretur de attingentia illius obiecti per suos actus. *Materiale* subdividitur primò, in *proximum*, & *remotum*: *proximum* est, cui immediata est ratio vltima attingendi, & quæ est ratio finalis operandi; *remotum*, cui non est immediata finalis ratio; sed ad illam, medio alio concurrit, quod immediatiùs sit tali rationi, vt accidit in medijs remotioribus, & quæ interventu proximiorum ad finem conducunt. Secundo ex Patre Iunio; in materiale, *quod*, *cui*, & *quamvis*: materiale *quod* est medium sivè proximè, sivè remotè vtile ad finem, qui intenditur. Materiale *cui* est illud subiectum, aut natura in qua oportet esse medium, *quod*: v.g. natura rationalis, in qua debet esse assequutio salutis, quam Deus ordinans ad se, & propter se, vult esse in rationali natura: materiale *quamvis* est quodlibet impedimentum inefficax, seù ratio retrahens, per providentiam vincenda, vt quando Deus confert auxilia ex intentione salutis non retractus ab inefficacia illorum, vel auxilium efficax peccatori, quo resipiscat, quamvis per peccata anteacta illud demeruerit.

67 *Formale* triplex est: videlicèt, *quod*, id est finis ratione cuius ordinantur, & disponuntur media: *cui*, id est Persona illa, cui finis intenditur, & cui de fine providetur: & *quia*, quod est *illud movens* per modum iuris, & tituli ad finem *qui*, vt est gratia, & meritum fundans ius ad gloriam, vt hæreditatem, vel coronam. Motivum formale *quod*, & *cui*: adhùc subdividitur in *vltimum*, & *non vltimum*. Vltimum *quod* est illud, quod ita intenditur propter se, vt non ordinetur ad assequutionem alterius; non *vltimum* est illud, ad cuius assequutionem ordinantur alia; sed non ita propter se intenditur, vt ad aliud consequendum per ipsum non ordinetur, qua ratione gloria dicitur finis vltimus, seù motivum formale *quod* vltimum creaturæ rationalis; meritum verò, & gratia finis non vltimus, seù motivum formale non vltimum, quia etsi ad assequutionem illorum ordinentur alia, id est auxilia; ipsa autem ad gloriæ assequutionem, in qua vltimo sistitur, ordinantur. Vltimum *cui* est illa Persona, ex cuius complacentia cum excessu in apretiatione, finis, vt illi bonus intenditur. *Non vltimum* est persona, ex cuius complacentia cum minori ad alteram apretiatione finis, vt bonus ipsi procuratur: sic Deus est motivum formale *cui* omnium rerum, quæ propter se vltimo operatus est: creatura verò rationalis est finis, seù motivum *cui* non vltimum, in quantum Deus ex complacentia illius vult ipsi gratiam, & gloriam infinitè infra se, eam apretiando, & simul ipsam, sicut, & bonum illi conveniens, in se dirigendo.

68 Ex quo contractius loquendo, *obiectum materiale* providentiæ sunt media, quæ in ordine ad finem præparantur, & inter illa, medium proximius fini, erit obiectum *materiale proximum*; medium verò remotius erit obiectum; *materiale remotum*. Ratio est; quia obiectum *materiale*, sivè *proximum*, sivè *remotum* est illud, quod attingitur; sed non est ratio attingendi, vel realiter, vel formaliter: àt media

ita attinguuntur à Providentia, vt non attingantur ratione sui; verùm ratione finis, ad quem diriguntur: ergo media attacta per providentiam sunt obiectum materiale illius: vlteriùs subiectum, cui debet applicari medium, vt per illud finis existat, est obiectum materiale *cui*, sicut, & medium applicatum obiectum materiale *quod*: ratio autem, quæ à tali applicatione retrahat, & qua non obstante, medium per providentiam applicatur, est obiectum materiale *quamvis* providentiæ.

69 Obiectum *formale quod* providentiæ sunt fines, ad quos media diriguntur, & ordinantur, & de quibus providet substantijs, vt ipsis conuenientibus, sivè sint iuxta inclinationem, & naturam illarum, sivè supra. Ratio est: nam obiectum formale *quod* est ratio attingendi; sed fines per providentiam attacti, sunt ratio attingendi, cum propter se expetantur, & reliqua ad ipsos ordinentur: ergo fines per providentiam attacti, ad cuius consequutionem substantias dirigit, sunt obiectum formale providentiæ; inter hos obiectum *formale quod vltimum* providentiæ est ostensio diuinorum attributorum, & conuenientia illa decentiæ, quamvis non vtilitatis, quæ Deo ex productione, conservatione, & directione creaturarum in suos fines particulares resultat, motivum formale *quod* huic proximum; quamvis non vltimum, est excellentia Christi post, fines alij succedunt secundùm excellentiæ gradum de quibus agendum in proprio loco tractatu de Incarnatione: sat sit dicere pro nunc, motivum formale *quod* principalissimum, quamvis non vltimum providentiæ, esse naturæ rationalis finem supernaturalem, ad quem reliqui naturales fines ordinantur.

70 Obiectum formale *cui* providentiæ sunt substantiæ, quibus finis intenditur, & quibus per mediorum ordinationem, quoad bonum sibi congruens, & conveniens, providetur. *Vltimum*: est ipse Deus, qui ex complacentia sui vult sibi omnia bona creata tamquàm sibi conuenientia, modo iam dicto. *Non vltimum*: sunt reliquæ substantiæ, inter quos principalius sunt rationales: *minus principale*; irrationales, quę in commodum rationalium diriguntur. Obiectum formale *quia*: est omne ius, sivè physicum, sivè morale ad finis assequutionem, residens, sivè in subiecto secundum se, sivè proùt medijs instructo, ex quo Deus movetur ad finem exequendum; obiectum formale *cui* providentiæ etiam dicitur subiectum illius, proùt contradistinctum ab obiecto materiali, & formali illius.

71 Colliges 1. obiectum formale *cui* providentiæ secundum totum, quod includit, non esse contingens, & creatum, quia claudit ipsum Deum indefectibilem, & necessarium propter eandem rationem, obiectum formale *qui* providentiæ secundum totum, quod includit, non est contingens, & creatū claudit enim in tota sua latitudine finem vltimum creaturæ rationalis, qui in Beatitudine consistit: hæc verò *formalis*, & *obiectiva* est, & proùt *obiectiva* à summo bono, quod per formalem assequimur non distinguitur. Colliges 2. Obiectum materiale *quod* esse adæquatè sumptum, id est secundum totum, quod includit, creatum, & contingens. Ratio est: obiectum materiale *quod* providentiæ est, quod per ipsam decernitur, & disponitur; sed nil non contingens potest terminare Diuinum decretum, quod fatuum, vel inutile esset, si ad necessarium, vel impossibile terminaretur: ergo obiectum materiale *quod* diuinæ providentiæ adæquatè debet esse contingens.

72 Dices immediatè: si Deus possit se amare propter creaturas tamquam propter finem, *qui*, vt aliqui defendunt, Deus erit obiectum materiale providentiæ in ordine ad talem finem; sed Deus quid contingens non est: ergo obiectum materiale providentiæ, secundum totum quod includit, contingens non est Respondeo: admissa tali sententia, Deum, proùt ordinatum ad creaturam, non esse obiectum materiale providentiæ. Ratio est: quia non omne, quod amatur in ordine ad aliquem finem, est obiectum materiale providentiæ talis finis; sed illud, quod ita amatur, vt non præsupponatur aliunde existens independenter ab intentione finis: nàm, quod sic præsupponitur non est disponibile in ordine ad finem; quis enim dicitur providere de medijs, quæ iam videt aliundè existentia in ordine ad finem, quem intendit: cum igitur Deus ex se necessariò existat independenter ab intētione cuiusvis finis extra se, quamvis sibi complaceat propter creaturam, tamquam propter finem *qui* consequendum, non est obiectum materiale providentiæ

ad

ad talem finem. Insistes: id, quod est intendibile, & exequibile per divinam voluntatem, est potens terminare decretum; sed Deus, vt finis vltimus creaturæ, est intendibilis, & exequibilis per divinam voluntatem: ergo id, quod contingens, & creatum non est, potest terminare decretum. Respondeo: Deum non esse intendibilem, & exequibilem ratione sui; sed ratione Beatitudinis formalis, media qua, possidetur à creatura rationali, quæ possessio, & Beatitudo quid creatum est, & contingens; nequè alio sensu dicitur Deus assequibilis, vt vltimus finis, nisi quatenus assequibilis est possessio illius; non aliter, ac divitiæ aliundè existentes, & præsuppositæ, sunt assequibiles respectu Petri, in quantum potest acquirere possessionem illarum, quamvis non possit dare illis existentiam.

73 Pro obiecti diversitate. Providentia dividitur primò *in naturalem, & supernaturalem. Naturalis* est, qua Deus providet bona naturalia. *Supernaturalis*, qua bona supernaturalia ordinat. Secundò: quælibet ex his subdividitur in *physicam, & moralem. Physica* est, qua Deus dirigit res in fines, sine libertate assequēdos. *Moralis*, quę actiones liberas creaturarum in finē, media libertate assequendū dirigit. Tertiò: supernaturalis; alia est *generalis*; alia *particularis*: *generalis* ea est, quæ extenditur ad eos, qui salvantur, & pereunt, per quam Deus tribuit eis dona supernaturalia conducentia in Beatitudinem; sed quæ cum effectu in eam non influunt. *Particularis*, seu *specialis*, alia est circa salvandos; alia circa eos, qui perituri sunt. illa providet media, quibus infallibiliter finis salutis erit: hæc, quæ media inefficacia ad talem finem confert; subdividiturque in *negativam, & positivam. Negativa* consistit in exclusione mediorum efficacium. *Positiva* in destinatione ad pœnam.

74 Rogabis primò. An de ratione providentiæ sit assequi finem, quem intendit, & ad quem subiectum proximè dirigit. Respondeo negative cum Divo Thoma de Veritate quæstione 6. articulo 1. vbi proponens differentiam inter providentiam, & prædestinationem, inquit: *In qualibet enim ordinatione est duo considerare, scilicèt ipsum ordinem, & exitum, vel eventum ordinis: Providentia ergo ordinem in finem respicit tantùm; sed prædestinatio respicit etiam exitum: vndè non est, nisi eorum, qui gloriam consequuntur.* Probatur. Providentia est ordinatio mediorum in finem; sed potest dari etiam in Deo ordinatio mediorum in finem, quæ sit componibilis cum carentia finis: ergo potest dari in Deo providentia absque assequutione finis. Probatur minor: Deus potest ordinare media in finem ex intentione inefficaci illius, quamvis ita seria, vt determinet ad præparationem mediorum ex se vtilium, & sufficientium ad finis assequutionem, nisi ab alia causa impediantur; sed hæc ordinatio mediorum in finem compatibilis est cum defectu finis, vt per se patet; cum sit compatibilis cum impeditione proveniente ab alia causa à qua reddantur inefficacia media ex se sufficientia: ergo potest dari etiam in Deo ordinatio mediorum in finem, quæ sit compatibilis cum carentia finis. Probatur secundò validissimè, etsi à posteriori ex providentia, quam Deus habet erga reprobos, illis conferendo media sufficientia ad salutem, vt constat ex pluribus Scripturæ locis, in quibus proponitur, non esse voluntatis Dei impij mortem, & perditionem: sed potius salutem, conversionem, & vitam, præcipuèque ex Paulo 1. ad Timotheum capite 2. *Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; sed hæc providentia, quam Deus habet erga reprobos ex intentione salutis non est assequutiva finis, cum reprobi salutem non consequantur: ergo datur providentia in Deo non assequutiva finis, ex cuius intentione ordinat subiecto media, ac proinde non est de conceptu divinæ providentiæ assequi finem particularem ad quem dirigit subiectum.

75 Respondebis ex Basilio Legionensi prima parte Variarum quæstione 6. & ex alijs Recentioribus: in providentia, quam Deus exercet erga reprobos, non deficere finem particularem, quia hic non est salus reproborum absolute sumpta; sed quatenus est ex parte Dei, offerentis media sufficientia ad assequutionem illius, qua ratione salus non deficit, cum non deficiat ex parte Dei; sed ex abusu arbitrij reproborum nolentium assequi salutem per media sufficientia, vt illam consequerentur; sed contra. Nàm ex hac solutione infertur desiderium salutis ab Apostolo expressum non esse in re desiderium illius; sed sufficientiæ ad illam, quodquidem diversissimum est, tantùmque vocari potest impropriissimè desi-

de

derium salutis contra rigorem, quo verba Scripturæ sunt intelligenda. Præterquamquod modus iste exponendi desiderii, quo Deus vult omnes homines salvos fieri, nec congruit cū intētoApostoli, quod est hortari, vt oremus pro omnibus, petentes absolutè *Quietam vitam agere in omni pietate, & castitate*; pro quo suadendo, adducit motivum in illa causali; *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, &c.* Quod non esset aptum, si pro petitione absoluta salutis omnium significaretur ex parte Dei desiderium non absolutum; verùm restrictum, & duntaxàt quatenus est ex parte Dei. Clarius Paulus admonet petitionem illius, quod Deus vult, & desiderat; sed non admonet petitionem rectę vitæ sub restrictione illa, *quatenus est ex parte Dei*: ergo neque Deus desiderat salutem sub tali restrictione. Neque etiam congruit cum voluntate Dei totiès repetita in Scriptura, cui repugnare peccatores conquæritur per non conversionem, & assequutionem salutis; sed hæc voluntas, cui repugnant peccatores per non conversionem, & assequutionem salutis, quamque impediunt ab effectu intento, non est voluntas, qua Deus vult, quatenus est ex se salutem, cuius obiectum sunt media sufficientia, à quibus per peccatùm, & non conversionem minimè impeditur: ergo alia voluntas datur in Deo respectu reproborum, quam quia tendit in salutem absolutè sumptam, impediunt ab effectu per non conversionem, & peccatum.

76 Dices: Providentia separabilis à fine ad quem dirigit, est providentia frustrabilis, & fallibilis; sed providentia frustrabilis, & fallibilis non potest dari in Deo, vt de mente omnium Theologorum testatur Ruiz disputatione 4. sectione tertia, constatque ex Ecclesia orante; *Deus cuius providentia in sui dispositione non fallitur*: ergo divina providentia non est separabilis à fine, ad quem dirigit media. Probatur maior. Providentia frustrabilis, & fallibilis non alia est: quam ea, quæ cassa, & vacua manere potest in appositione mediorum per non assequutionem finis: sed providentia separabilis à fine, sic positis medijs, se habere potest: ergo providentia à fine separabilis, est frustrabilis, & fallibilis.

77 Respondeo: ad frustrabilitatem, & failibilitatem providentiæ multa requiri, quæ à Dei providentia distant: nam requiritur primò affectus ex se efficax, cui aliunde non respondeat eventus, etiam intercedente efficacia intendentis. Requiritur secundò ignorantia defectus finis sub existentia mediorum, ex qua procedat ardor conatus erga finem. Requiritur tertiò: finem non deficere ex voluntate intendentis, taliter vt non se habeat permissivè circa ipsum potens impedire, & non impediens. Requiritur deniquè, vt intendens non assequatur per mediorum positionem finem generalem, & quem principaliter intendit, cum rationabiliter nequeat dici frustrari providentia, quæ assequitur id, quod principalius est, & vt tale conatum intendentis ad se affert: quæ omnia in providendia Dei non assequutiva finis particularis, nec collectivè, nec divisivè inveniuntur: ibi enim non adest efficacia affectus, cùm tantùm inefficaciter, & ad summum seriò, in finem particularem feratur. Deest ignorantia, procedentibus medijs, cum scientia non coniunctionis eorum cum fine. Adest permissio non existentiæ finis, quam si vellet, posset pro nutu impedire, & tandem, quamvis deficiat finis particularis, non deficit assequutio generalis finis, qui in ostensione divinorum attributorum consistit: quarè iure ab omnibus providentia Dei vocatur infrustrabilis, & infallibilis etiam quando per media posita ex intentione finis particularis, eum non assequitur.

78 Replicabis: saltem arguit imprudentiam apponere media in ordine ad finem cum scientia infallibili de non consequutione illius: sed Deus per providentiam non coniungendam cum fine disponeret media cum scientia infallibili de non consequutione finis: ergo imprudenter se gereret providendo circa talem finem. Dicendum, quod etsi in Provisore particulari actio imprudens esset, præparare media in ordine ad finem non consequendum: non sic in Provisore generali, cui vltra finem particularem, est alius finis generalis, à cuius assequutione est inseparabilis talis providentia, vt est commodum vniversi, & ostensio attributorum: modo, quo non est imprudentia in superiore adhuc humano apponere media regularia ad correctionem subditi, etsi certè sciat non emendandum, & corrigendum per illa: nec in Agricola mittere

tere semina in terram, intendendo in omnibus fructum, quamvis cognoscat grana multa à viatoribus conculcanda, & quam plura ab abibus comedenda; sed de his longius alibi.

79 Rogabis secundò. An prima productio subiecti, quod per providentiam ad finem particularem dirigitur, possit esse obiectum *materiale* providentiæ? Negat Pater Suarez, Izquierdo numero tertio cum multis alijs putantibus providentiam supponere rerum creationem, cùm nullus dirigatur in finem nisi præsupponatur existens. Affirmant alij, vt Iunius, & Recentiores cum quibus respondeo affirmativè. Probatur primò. Providentia est ratio ordinandorum in finem; sed non minus ordinabilis est in finem subiecto congruen tem existentia subiecti; quam alia media: ergo non minùs est obiectum *materiale* providentiæ prima subiecti productio; quàm alia media. Secundò. Per te conservatio subiecti est effectus, & obiectum *materiale* providentiæ: ergo & prima productio, cum non minus sit necessaria conservatio subiecti ad finem, quem in primo instanti non assequitur; quàm prima productio. Tertiò. Nemo dirigitur in finem cum latitudine assequendum, nisi præsupponatur conservatus: ergo aut conservatio, & productio debent excludi ab obiecto *materiali* providentiæ, aut vtraque est effectus illius. Quartò; quia multi ex adversarijs concedunt, primam existentiam prædestinati posse esse effectum prædestinationis: ergo vel prædestinatio non est providentia, quod non concedunt, vel providentia supernaturalis dirigens ad finem gloriæ respicit pro obiecto *materiali* primam productionem, & existentiam subiecti proviſi. Inde ad fundamentum partis oppositæ negatur, providentiam debere præsupponere subiecti productionem: sicut, quod nulla entitas dirigatur, nisi præsupponatur existens, quamvis verum sit nullam dirigi nisi sit existens. Vel dic, si velis, providentiam esse rationem ordinandorum in finem, in qua ratione includitur tàm directio, quàm id, quod ad directionem præsupponitur.

80 Rogabis tertiò. An sicut diximus, prædestinationem non esse necessariam simpliciter, & de potentia Dei absoluta ad finem gloriæ, sic providentia non sit simpliciter necessaria ad alios fines distinctos, & particulares creaturarum? Respondeo affirmativè; si de providentia *formaliter*, & non *materialiter* accepta, & pro quavis deductione in finem, quamvis non ex intentione illius sit sermo: quia non implicat, Deum ordinare media conducentia, & necessaria ad aliquem finem ex alio fine sibi pro libito intento; & posit mediorum ordinationem ex alio fine conferre creaturæ finem, illi proportionatum: vel offende contradictoria; sed tunc creatura assequeretur finem particularem absque providentia *formaliter* sumpta, cum nulla esset ratio, respectu illius ordinationis mediorum in finem: ergo providentia non est necessaria simpliciter ad assequutionem finis particularis. Dices. Nulla causa secunda potest consequi suum finem particularem sine concursu causæ primæ; sed concursus causæ primæ est concursus providentiæ *formaliter*; alias ex eo, quod Deus sit prima causa, non rectè probaretur providentia *formaliter*: ergo causa secunda non potest consequi suum finem absque providentia *formaliter*. Concessa maiori. Distinguo minorem: concursus causæ primæ est concursus providentiæ *formaliter* sumpta providentia *generaliter*, & prout respicit finem primi operantis: concedo minorem: sumpta providentia *particulariter*, & prout respicit finem secundi operantis. Nego minorem; & distinguo consequens. Causa secunda non potest consequi suum finem absque providentia *generali formaliter*, concedo consequentiam: absque providentia *particulari formaliter*: nego consequentiam. Est dicere. Causa secunda non potest aliter consequi finem suum particularem; quàm per providentiam Dei ordinantem illa media in aliquem finem; at non est necessarium, quod fiat per providentiam ordinantem ea media in finem, quem consequitur creatura.

81 Rogabis vltimò: in quonam differant *providentia, dispositio, gubernatio*, & *fatum*? Respondeo: *providentiam* esse rationem ordinandorum in finem manentem intra Deum; *dispositionem* esse externam ordinationem mediorum, seu exequutionem providentiæ, & immanentis ordinationis: à qua in nihilo differt *gubernatio*; quod verum tenet, si *dispositio*, & *gubernatio* accipiantur *strictè*; secùs si *latè*, & *impropriè*,

qualiter aliquando divina providentia vocatur *dispositio*. Denique *fatum* sumptum catholicè, vt debet, est illa concatenatio, & cohærentia, quam res a providentia participant. *Dispositio* iuxta Magistrum distinguitur primo à providentia, quoniam *dispositio* est de faciendis; *providentia* verò etiam de non faciendis; sed permittendis, vt sunt peccata: Alij accipiunt *dispositionem* pro ratione respiciente creationem; *providentiam* vero intelligunt rationem respicientem exequutionem rerum iam creatarum, sed proprius, & vniversalius accipitur pro externa exequutione providentiæ. vnde *fatum* acceptum, vt diximus, eodem modo differt, ac *dispositio*. *Scientia* distinguitur à providentia, quia scientia est de omnibus etiam, quæ fieri non possunt; at providentia est de factibilibus. *Ars* distinguitur à providentia, quia *ars* est de factibilibus, & faciendis; providentia autem de solis faciendis: sic apud Ruiz disputat. 5. de Providentia sect. 5.

82 His circa providentiam statutis, facilis est comparatio prædestinationis cum providentia: in qua aliqua certa sunt, aliqua dubia, & examini subiecta. Certum est primò: prædestinationem participare conceptum providentiæ. Probatur. Præparatio mediorum in finem gloriæ, quibus certissimè finis existit, est ordinatio mediorum in finem, seù ratio ordinandorum; sed ratio ordinandorum in finem, aut ordinatio mediorum in finem conceptus providentiæ est: ergo prædestinatio participat conceptum providentiæ: vndè benè valet: *Datur prædestinatio: ergo datur providentia*: certum est secundò. Prædestinationem ita esse providentiam, vt immediatè, & proximè respiciat finem indebitum subiecto, & supra ipsius vires, non sic quævis providentia; aliàs omnis providentia esset supernaturalis; sed omnis providentia non est supernaturalis: ergo non omnis providentia respicit finem indebitum subiecto.

83 Certum est tertiò; quod etsi prædestinatio sit providentia erga subiectum, quod immediate respicit; non tamèn omnis providentia est prædestinatio quoad subiectum, & finem, quem respicit; vndè non valet mutuò consequentia. Ratio est: quia prædestinatio est providentia respiciens determinatè subiectum rationale, finem supernaturalem, & cum existentia finis connexa, estquè circa factibilia *per se* ab operante; sed non omnis providentia sic se habet, tùm quia providentia irrationalia, & naturalem respicit finem, tùm quia à fine est separabilis, tùm denique quia est de peccatis, quæ non sunt factibilia *per se* ab operante; sed duntaxat permissibilia: ergo licèt prædestinatio sit providentia erga subiectum, & finem, quem immediatè respicit; non tamèn omnis providentia est prædestinatio. Ideò non benè valet mutuò: *Est prædestinatum: ergo provisum: Est provisum: ergo prædestinatum.*

84 Certum est quarto: prædestinationem convenire cum providentia in eo, quod sicut prædestinatio non est simpliciter necessaria ad obtinendum finem gloriæ; sic providentia *strictè*, & *formaliter* sumpta non est necessaria ad obtentionem finis particularis, cùm sufficiat providentia particularis; differt verò in quantum, qui assequitur finem suum particularem, potest illum consequi absque vlla prædestinatione *formaliter* tali: at qui assequitur finem particularem, quamvis possit illum acquirere sine providentia particulari dirigente ad talem finem; non potest illum acquirere sine vlla providentia *formali*. Et ratio est: quia etsi media illa non conferantur ex intentione talis finis debent conferri à prima causa ex alio fine, quia operatur, vt agens rationale, id est, propter finem: ergo necessarium est, quod etsi deficiat providentia *particularis*, & *formalis*, dirigens ad determinatum finem, existat alius finis in intentione providentis, in cuius assequutionem tendat per mediorum positionem.

85 Certum est quinto: apud omnes: prædestinationem esse aliquomodo partem providentiæ, vno excepto Aureolo, refragante: quia eo sensu, quo non est bona mutua consequentia ab vna ad alteram, quamvis sit bona à prædestinatione ad providentiam, eo sensu providentia includit prædestinationem, & aliquid amplius, pars autem iure dicitur alicuius, quod includitur in aliquo, & non est totum illud. Quarè controversia est quoad modum, quo dicenda est pars. An scilicèt *subiectiva* tantùm: àn *obiectiva* tantùm: àn *subiectiva* simùl, & *obiectiva*? Quævis pars ex his suos habet patronos videndos apud Ribadeneyra, & Izquierdo.

Di-

Dicendum : prædestinationem esse partem *subiectivam* providentiæ. Probatur. Illud est pars subiectiva alterius iuxta Divum Thomam 2. 2.quæstione 120.articulo 2. de qua essentialiter prædicatur totum, & est minor toto ; sed prædestinatio comparatur ad providentiam tamquàm id, quod est minus providentia, & de quo providentia essentialiter prædicatur : ergo prædestinatio est pars *subiectiva* providentiæ.Confirmatur: non ob aliam rationem scientia libera est pars *subiectiva* divinæ scientiæ, nisi quia comparatur ad illam tamquam ad rationem superiorem, & se extendentem ad alias scientias non liberas : ergo si prædestinatio comparatur ad divinam providentiam tamquam inferius ad superius, est pars *subiectiva* illius.

86 Obijcies primò : quamvis prædestinatio respiciat diversum subiectum, finem, & media ac respiciunt aliæ providentiæ ; non tamen differt ex modo tendendi, qui idem est in omnibus providentijs : ergo non est pars *subiectiva* providentiæ, quia ad hoc erat necessarium, vt specificè differrent prædestinatio, & aliæ providentiæ. Respondeo : prædestinationem non solum differre ex obiecto ab alijs providentijs ; sed ex modo tendendi : nàm diversus modus tendendi est *efficax*, àc *inefficax*, *permissivus*, & *causativus* ; sed hi modi tendendi intercedunt inter prædestinationem, & alias providentias : ergo differunt ex modo tendendi, & specificè. Adde ex Recentioribus, dato ; quod prædestinatio non differret specificè ab alijs providentijs, adhùc per hoc non impediri esse partem *subiectivam* providentiæ, cùm non solum species comparetur, vt pars *subiectiva* generis ; sed individuum speciei : vndè prædestinatio esset pars *subiectiva* providentiæ, sicut individuum respectu speciei, & eo modo, quo comparatur actus fidei credens mysterium particulare ad rationem communem actus fidei comprehendentem actus differentes numericè in consideratione Theologica propter eundem modum tendendi in suum obiectum.

87 Obijcies secundo.Motivum formale omnis providentiæ idem omnino est, scilicet divina essentia, & bonitas ; siquidem cuncta Deus propter semetipsum operatus est. ergo non est locus distinctioni specificæ, quæ ex solo obiecto formali desumi potest, àc proindè non datur locus, vt prædestinatio sit pars *subiectiva* providentiæ : hæc obiectio, quamvis ex diverso capite, àc præcedens, concludit impugnat ex defectu distinctionis specificæ, cui similiter responderi potest permittendo, nullam esse distinctionem specificam inter providentias ; sed quid inde, si sufficit distinctio numerica? Deindè permisso antecedenti : negatur consequentia, quia distinctio specifica non solum oritur ex diversitate obiecti formalis ; sed ex diverso modo tendendi, qui invenitur in providentijs. Denique ipse Pater Ruiz, cuius est obiectio, concedit, non obstante indistinctione specifica, providentiam esse vniversaliorem conceptum ; quam prædestinatio, quo dato, innegabilis est nobis comparatio prædestinationis, vt partis *subiectivæ* ad providentiam, quia per hanc comparationem nil aliud præter id, quod concedit, intelligitur.

¶ Obijcies tertio : providentia est vnicus indivisibilis actus: ergo locus non est, vt detur vna, & altera providentia, quod necessarium erat pro comparatione partis *subiectivæ* à nobis intenta. Respondetur : providentiam esse vnicum indivisibilem actum *realiter* ; secùs *virtualiter*, aut *per rationem*, quod sufficit pro nostra comparatione, sicut sufficit, vt conceptus providentiæ apud adversarium sit magis extensus ; quàm conceptus prædestinationis.

¶ Dicendum secundo. Prædestinationem etiam esse partem *obiectivam* providentiæ. Ita clarissime Divus Thomas quæstione 23. articulo 1. ad illa verba : *Et sic patet, quod prædestinatio quantum ad obiecta est quædam pars providentiæ.* Probatur ratione. Pars *obiectiva* alterius dicitur, quæ respicit obiectum partiale alterius ; sic facultas agens de elementis dicitur pars *obiectiva* Physicæ, sicut habitus agens de definitione, pars *obiectiva* Logicæ, cùm respiciant partem obiecti integræ physicæ, & logicæ ; sed prædestinatio respicit partiale obiectum providentiæ, scilicèt directionem creaturæ rationalis in finem gloriæ, vltra quem finem,& obiectū respicit providētia,alia,prout est naturalis, & proùt est reprobativa : ergo prædesti-

natio pars *obiectiva* est providentiæ. Nequè in hoc sensu tantùm potest dici pars *obiectiva*; sed in alio per comparationem ad nostros conceptus, per quos apprehendimus prædestinationem, vt partem totius providentiæ; sed hæc acceptio non est adeò propria. Addunt etiam Recentiores posse dici partem actualem, quasi integralem providentiæ, quia licet participet totum conceptum providentiæ *formaliter*, hoc non impedit se habere quasi *physicam* partem providentiæ consideratæ in tota sua latitudine, sicut homo participat rationem animalis, & Regnum particulare conceptum Regni, cùm aliundè sint partes actualiter componentes, & rationem animalis, & Regni collectivè sumptam.

88 Vnica restat difficultas orta ex illis verbis Apostoli Pauli prima ad Chorinthios capite 3. vbi loquens de prædestinatis inquit: *Omnia enim vestra sunt, sivè Paulus, sivè Apollo, sivè Cephas, sivè mundus, sivè vita, sivè mors, sivè præsentia, sivè futura: omnia enim vestra sunt; vos autem Christi: Christus autem Dei*, volens significare: omnia Deum ordinasse ad sui, Christi, & prædestinatorum gloriam, quod cùm ita sit, apparet: prædestinationem non esse partem *obiectivam* providentiæ, sed adæquare per suum obiectum, providentiæ obiectum, quod non latius patet, vt necessarium erat si prædestinatio pars *obiectiva* ipsius foret. Huic difficultati variæ parantur evasiones. Quidam dicunt: verba non esse accipienda de ordinatione omnium rerum absolutè, & sine restrictione ad salutem prædestinatorum, quia Christus Dominus prædestinatorum caput prædefinitus fuit post absolutam prævisionem peccati, ac proinde præsupponendo magnam partem providentiæ ad ipsum non ordinatam, quod quidem est recurrere ad peculiarem sententiam, & nos ducere ad tractatum de Incarnatione contra id, quod ibi sentimus. Alij, vt Pater Iunius recurrunt ad distinctionem *obiecti formalis, finis qui, & cui*, & dicunt: prædestinationem, etsi respiciat omnia, quæ respicit providentia; non tamen habere idem subiectum, neque eundem finem *qui*, & *cui*, quod sufficit ad partialitatem *obiectivam* prædestinationis. Verùm hoc est idem obiectum absolutè concedere providentiæ, & prædestinationi, quamvis diverso modo respectum, quod nescio: an sufficiat pro parte *obiectiva*. In idem incidunt Pater Doctor Herrera, & Recentiores, qui dicunt: prædestinationem respicere quidquid respicit providentia; sed directè prædestinatos, & indirectè reliqua; at providentiam per oppositum, omnia respicere directè, cæterum, neque hanc indirectionem prædestinationis concipio, si prædestinatio respiciat reliqua omnia, vt media ad salutem.

89 Demùm dicunt alij: prædestinationem *collectivè* sumptam, non esse partem *obiectivam* providentiæ; quia omnia attacta per providentiam ordinantur, & sunt propter gloriam prædestinatorum omnium: cum quo componitur, prædestinationem cuiusvis esse partem *obiectivam* providentiæ; quia omnia non ordinantur ad prædestinationem cuiusvis, quod ni fallor, futile est, cum eodem iure possent dicere: providentiam esse partem *obiectivam* providentiæ: nàm si consideretur quævis providentia in particulari, non se extendit ad totum obiectum, quod respicit providentia *collectivè*, & vniversaliter accepta.

90 Mihi videtur dicendum: dato quod omnia, quæ respicit providentia defacto, sint obiectum prædestinationis; àt non omne, quod potest respicere, est, aut potest esse obiectum prædestinationis. Ratio est: quia carentia omnis prædestinationis potest esse obiectum providentiæ, & nullo modo potest esse obiectum prædestinationis, quod sufficit vt prædestinatio sit pars *obiectiva* providentiæ, in cuius obiecto non solum debet comprehendi id, quod ab illa existit; sed etiam, quod ab illa potest procedere, sicut ad cognoscendam extensionem rationis, & conceptus hominis non tantum attendimus homines existentes; verùm possibiles, qui sub eadem ratione vnivocantur. Hæc solutio mihi expeditior, quæque ad sententiam particularem non recurrit: quæ si non placeat, eligè inter solutiones positas, quæ magis arrideat, cum non sit materia tanti momenti, prædestinationem esse, vel non esse partem *obiectivam* providentiæ.

***

DIS-

DISPVTATIO II.

De essentia physica prædestinationis.

EGimus præcedente disputatione de Essentia prædestinationis metaphysicè accepta; explicando illam per suam definitionem, & prędicata ea, per quæ convenit, & per quæ distinguitur ab omni non ipsa. Nunc gradum facimus ad physicam considerationem, investigando illud esse, cui prædicata apposita in definitione conveniunt: nè quidem tantum *formaliter*; verùm etiam *arguitivè*. Vndè præsens Disputatio claudit *requisita, prærequisita, & constitutiva* prædestinationis.

CAPVT I.

Qui actus Divini Intellectus quomodocumque debeant intervenire in prædestinatione

1 ACtus divini intellectus divinæque voluntatis esse ad prædestinationem necessarios sine quibus complexivè sumptis, nequit existere, certum est apud omnes: si enim deficerent voluntatis actus, nèc *libera*, nèc *efficax* foret: non *libera*: quia intellectus, prout talis, libera potentia non est; non *efficax*: nam nisi cognitioni accedat decretum dumtaxat dabitur mera obiecti speculatio ex se nullam habens efficaciam, vt existat obiectum, nisi accedente actu voluntatis; si verò intellectus actus non intervenirent, voluntas, quæ cęca est, cęco modo, & temerè procederet, cum in incognitum ferretur: non ergo prædestinatio sine vtroque actu, & exercitio vtriusq; potētiæ potest existere: qui actus sint hi necessarij, videamus, sumendo exordiū ab actibus divini intellectus.

2 Pro quo advertendum est primò: quæstionis sensum procedere sub conceptu vniversalissimo necessitatis, qua vnum dicitur ita conducens ad aliud, vt id sine illo existere nequeat, sub quo conceptu comprehenduntur *requisita, prærequisita, & constitutiva*; ideò animus pręcipuè tendit ad inquirendum; quid ex parte divini intellectus sit ad prædestinationem indispensabiliter necessarium, (quod idem intellige pro voluntatis actibus) vt inde, quod *formaliter*, & *constitutivè* ad prædestinationem requiritur, commodius eruamus. Advertendum est secundò: loqui de necessarijs ad prædestinationem, hac cosiderata sub *formali, & proprio conceptu*; non sub *generico, & generalissimo* comprehendente, aut ens *increatum*, & *creatum*, aut licèt ens tantùm *increatum*; tamen sub conceptu commmuni se extendente ad omnem divinum actum, & perfectionem.

3 Advertendum est tertio: immediatius pro præsenti intento: actus divini intellectus, seu divinam scientiam dividi ab omnibus, in scientiam *naturalem*, & *liberam*; *scientia naturalis* dicitur, quam Deus habet independenter à suo exercicio libero, quæque Deo ita necessario competit, taliter vt contradictionem implicet, illa carere, non tantum quoad entitatem; sed quoad denominationem. *Scientia libera* ea est, quam Deus habet dependenter ab exercitio libero suæ volūtatis actualiter existenti, ideòque contingenter saltem quoad denominationē in eo existit, sicut liberum actuale decretū à quo dependet. Per primam scientiā cognoscit Deus omnes veritates necessarias, sivè *absolutas*, sivè *conditionatas*, sivè *quidditativas*, sivè *existentiales*: ideò per eam cognoscit Deus se, & omnia sua attributa tàm absoluta; quā relativa, & insuper omnia possibilia, & impossibilia, veritatesq; omnes quiditativas rerū creatarū: hęc scientia dividitur iuxta omnes in scientiā naturalē *Visionis*, & *simplicis intelligentiæ*: naturalis *visionis* est, qua Deus

cognoscit necessarium, non solùm *verificativè*; sed *existentialiter*: cùmque nil sit extra Deum ita necessarium, terminatur duntaxàt ad divinum esse, & ad omnem perfectionem illi necessariam. *Naturalis simplicis intelligentiæ* illa est, qua Deus cognoscit possibilia, & omnes alias veritates pertinentes ad rerum quidditates, & essentias.

4 Sub lite, & controversia aliam patitur divisionem; non quæ membra dividentia assignata minuat; sed quæ aliter explicet: nam si Deus non connectatur cum possibilibus, & impossibilibus, vt tenet Subtilis Doctor, pluresque ex nostris, quibus libenter semper accessi: scientia naturalis, & necessaria dividenda est in scientiam necessariam Deo *intrinsecè*, & necessariam *extrinsecè*: Scientia necessaria *intrinsecè* Deo, est scientia, quæ ei non potest deficere ex determinatione intrinseca Dei, scilicet, qua deficiente, Deus repugnaret, vt est scientia, qua Deus se, & suas perfectiones necessarias cognoscit; scientia *extrinsecè* necessaria, est, quæ Deo deficere non potest ex necessitate veritatis obiectivæ, aliundè, quàm ex determinatione Dei necessariæ, qualis est veritas obiectiva possibilium, quam Deus cognoscit necessario ex suppositione, quam non affert, propter determinationem sibi intrinsecam cognoscendi quidquid cognoscibile est, etsi non indigeat cognoscibile esse. In qua sententia scientia naturalis, & necessaria *necessitate intrinseca* erit scientia *visionis*, & scientia necessaria *necessitate extrinseca* erit scientia *simplicis intelligentiæ*. Quod si Deus connectatur cum possibilibus, & impossibilibus, hæc divisio non subsistit, nec alia datur; quàm visionis, & simplicis intelligentiæ sub his terminis explicata.

5 Per secundam cognoscit Deus omnia contingentia in tempore quocumque existentia absolutè, & insuper omnes suos actus liberos ab æterno existentes, quæquidem respectu omnium suorum obiectorum est scientia visionis: vndè inferes: has esse bonas consequentias: *Est scientia libera: ergo est scientia visionis: Est scientia simplicis intelligentiæ: ergo est scientia necessaria, saltem necessitate extrinseca*; secùs has: *Est scientia visionis: ergo est scientia libera: Est scientia necessaria: ergo est scientia simplicis intelligentiæ*, quia potest esse scientia visionis, quin libera sit, vt est scientia, qua Deus se cognoscit, & valet esse scientia necessaria, quin sit scientia simplicis intelligentiæ; quia sit scientia divinarum perfectionum.

6 Inter scientiam naturalem, & liberam mediam aliam cognoscit Societatis Schola post Insignem, & toto Orbe Celeberrimum Doctorem Patrem Ludovicum Molina, quam discussam, & firmatam coram Summo Pontifice, multi exteri sunt amplexati, de quorum numero non sum adeò avidus, vt pro sua prædeterminatione tom. 2. de Libert. quæst. 2. sect. 2. alter huius Vniversitatis Dignissimus Magister, & Doctor sepè in hoc Tract. memorandus, scilicèt, Illustrissimus D. Doctor D. Didacus Castell Ros, & Medrano Primariæ Cathedræ olim magno cum plausu Moderator, & nunc propter eximia merita ad vnam ex præcipuis Hispaniæ Ecclesiasticam Dignitatem evectus; maioribus adhuc, sicut dignus: sic cumulandus, cuius laborem in hac parte, dum adhuc sub prælo esset, prævenerunt alij Doctissimi ex Nostris sequuti Paulum Leonardum, & Henaum, ostendentesque quid realitatis habeat accurata huius Authoris computatio: non inquam adeò sum solicitus; tum quia nullum habeo, cui placere studeam per cathalogum, & indicem; tùm quia nec suam, nec meam sententiã, tã indigas iudico splẽdore proprio, vt nimis de alieno sit curandum. Quæquidem est: *scientia contingens conditionata, qua Deus independenter à decreto actualiter exercito, cognoscit eventum sub hypothesi indifferente ad illum.* Hæc scientia potest considerari dupliciter; vno modo *genericè*, proùt comprehendit actus liberos Dei, & creaturæ; altero modo *specificè*, proùt extenditur, vel ad actus liberos Dei, vel ad actus contingentes, & liberos creaturæ: *genericè* accepta, est ea, quam definivimus: *specificè* quoad actus liberos Dei, est *scientia conditionalis contingens, nulli præsenti innitens decreto, qua Deus cognoscit suos actus liberos sub hypothesi indifferente libertatis ad illos*: *specificè* quoad actus liberos creatos, est *scientia conditionalis contingens, independens à decreto actualiter exercito, qua Deus cognoscit actus liberos creaturæ sub hypothesi indifferente libertatis ad illos*: Hoc modo tendendi: *Si dedero Petro libertatem* A, *existet consensus sub ipsa*: sub qua consideratione specialissimè est attendenda pro toto Prædestinationis tractatu.

7 Dicitur *media* inter *natu-*

ra-

ralem, & *liberam*, quia, cum aliquid de vtraquè participet; neutram adæquat: etenim participat de *naturali*, & *necessaria* non indigere decreto actualiter existenti, & insuper non esse Deo liberam, si sit scientia conditionalis de libero exercitio creaturæ; participat de *libera* contingentiam: non adæquat *naturalem*, quia est contingens: non adæquat *liberam*, quia independens à decreto actuali, & quia inimpedibilis à Deo, si sit de actu libero creaturæ sub hypothesi libertatis, quam restrictionem adhibeo ad excludendam æquivocationem, quæ in aliquibus esse potest iudicantibus, scientiam mediam ex suo conceptu esse Deo non liberam, & ab ipso inimpedibilem, & indeterminabilem, quod falsum est, si consideretur *generice*, & prout comprehendit scientiam conditionalem contingentem de actibus liberis Dei sub hypothesi indifferente, qualis est scientia, qua Deus cognoscit, quid liberè exerceret circa Incarnationem Spiritus Sancti sub hypothesi alterius Mundi, aut alterius providentiæ erga res, quas produxit defacto; aut illa, quam vocant, scientiam mediam reflexam, quia attingit ex parte hypothesis aliam scientiam mediam, & ex parte conditionati exercitium liberum Dei, vt hæc: *Si prævidissem quod si existat libertas* A, *in Petro v.g. existeret consensus, illam conferrem*: vel clarius: *Si haberem scientiam mediam de efficacia huius determinatæ libertatis creaturæ, eam conferrem.*

8 Nequè certum est apud omnes Authores Societatis. Scientiam mediam adhuc de libertate creata ex parte hypothesis, & de exercitio libero creaturæ ex parte conditionati, non esse impedibilem à Deo quoad individuum, etsi non sit impedibilis quoad speciem eo modo, quo apud plures omnes scientiæ mediæ directæ de conditionato libero creaturæ identificantur inter se virtualiter: vnde quivis potest per suum exercitium liberum impedire scientiam mediam individuam, quę datur defacto circa reliquos, quamvis non quoad speciem; quia licèt *Ioannes* v.g. per suum dissensum possit impedire scientiam mediam consensus, quæ eadem est virtualiter cum scientia media efficaciæ reliquorum, quæ defacto datur, ac proinde possit facere, nè efficacia aliorum cognoscatur eo indivisibili actu, quo defacto cognoscitur; at non potest per suum dissensum impedire, quod absolutè detur scientia media de efficacia aliorum, quod erat necessarium, vt non tantum quoad individuum; verum quoad specificationem pollet per suum dissensum impedire; ne prævideretur consensus aliorum: quam doctrinam transfert Pater Aldrete ad scientiam mediam de actibus divinis; quam identificat virtualiter cum scientia media de actibus creatis, propterea que in sua sententia fatetur, Deum potentem impedire scientiam mediam de suo actu libero posse impedire individuum actum, quo defacto cognoscitur conditionatè actus liber creaturæ sub hypothesi creatæ libertatis.

9 Est ergo conceptus essentialissimus omni scientiæ mediæ inconcusse conveniens: contingentia, conditionalitas, & independentia ab actuali decreto; indeterminabilitas verò, & inimpedibilitas à Deo, non est de conceptu generico omni scientiæ mediæ convenienti; sed de conceptu specifico, prout contrahitur ad talem scientiam mediam de hypothesi, aut conditione libertatis creatæ, & de conditionato, quod sit exercitium liberum creaturę, vt illa: *si dedero Petro auxilium* A, *convertetur*: & sub hac restrictione tantùm est certum esse inimpedibilem, & indeterminabilem à Deo quoad speciem, & sub lite: an sit inimpedibilis, & indeterminabilis quoad individuum. His leviter attactis, & quasi ex alieno acceptis pro dicendorum intelligentia.

10 Certum est primò: Ex parte divini intellectus requiri ad prædestinationem scientiam *naturalem*, tùm *simplicis intelligentiæ*; tùm *visionis. Simplicis intelligentiæ* in quantum repræsentat possibilitatem *Beatitudinis mediorum* ad illam cum effectu assequendam, & *subiecti*, cui per media providetur ad talem finem: *visionis*, quæ repræsentet Dei existentiam, potentiam, & perfectiones illas, quæ defacto sunt motivum primarium prædestinandi. Prima pars constat: Deus non potest, aut efficaciter, aut seriò alicui procurare id, quod sivè absolutè, sivè respectivè impossibile est; aliàs exponeretur periculo frustrationis in procurando, & decernendo: deindè non potest ferri in incognitum: ergo debet dirigi ductu cognitionis proponentis possibilitatem *finis*, quem intendit, *subiecti*, cui intendit, & *mediorum* per quæ finem intendit: sed Deus per prædestinationem, & intendit, aut

effi-

efficaciter, aùt saltem serio, finem gloriæ creaturæ rationali, decernitque efficaciter media, quibus positis, gloria in re subiecto non deficiet: ergo ad prædestinationem necessaria est scientia naturalis, prout repræsentans possibilitatem finis, subiecti, & mediorum. Clarius: Deus non potest alicui intendere, neque efficaciter decernere nisi, quod iudicat absolutè, & respectivè possibile; sed Deus per prædestinationem, & intendit beatitudinem creaturæ rationali, & decernit efficaciter media, quibus in re erit talis finis: ergo debet iudicare absolutè, & respectivè possibilia finem, & media; sed hoc non aliter iudicat, quam per scientiam *naturalem* simplicis intelligentiæ: ergo scientia naturalis *simplicis intelligentiæ*; prout repræsentat possibilitatem subiecti, finis, & mediorum, est necessaria ad prædestinationem.

11 Constat secunda. Implicat Deum aliquid procurare prudēter, aut efficaciter decernere, ex aliquo motivo sibi intrinseco, quin cognoscat in se esse, tùm perfectionem illam moventem, tùm potentiam ad exequendum, quod efficaciter decernit; sed hæc non cognoscuntur per aliam scientiam; quam per necessariam *visionis*, qua cognoscit sua attributa: ergo ad prædestinationem, in qua Deus decernit efficaciter media, & procurat, aut efficaciter, aut saltem seriò finem gloriæ ex motivo primario propriæ perfectionis, & attributi, necessaria est scientia naturalis *visionis*, quæ repræsentet Dei existentiam, potentiam, & perfectiones illas, quæ defacto sunt motivum primarium prædestinandi.

12 Dices: Deus ratione suæ infinitæ perfectionis non potest per affectum procurativum, aut per decretum efficax tendere in impossibile: ergo cùm Deus id cognoscat, poterit huius scientiæ ductu independenter à cognitione alterius, tendere in finem, & decernere efficaciter, quod voluerit: nam qui cognoscit affectum suum, si existat, non posse tendere in impossibile, sivè sit efficax, sivè procurativus, potest ex vi huius cognitionis conditionem purificare; sed purificatio conditionis est existentia affectus: ergo vt detur in Deo affectus, sivè procurativus finis, sivè electivus, & exequutivus mediorum, non est necessaria alia naturalis scientia; quàm *simplicis intelligentiæ*, quidditatis divinorum actuum. Insto: ego cognosco, quod si existat in meo intellectu actus fidei circa quamcumque veritatem, per meam voluntatem imperatus, erit essētialiter infallificabilis: ergo possum ductu huius cognitionis solius elicere actum fidei ex imperio voluntatis circa quamcumque veritatem: pessima consequentia, & ratio est: quia in tantum illa cognitio est vera, in quantum actus fidei non potest existere à voluntate imperatus nisi præsuppositā cognitione certa moraliter de existentia revelationis, quæ si non detur imperium affectivè efficax de existentia actus fidei, erit irritus: sic similiter cognitio illa, qua Deus cognoscit, nec suam intentionem, nec suum efficax decretum posse tendere in impossibile eò vera est, quia omne decretum efficax, omnisque affectus procurativus divinæ voluntatis existit præsupponendo scientiam essentialiter veram de possibilitate obiecti, & de potentia ad illud exequendum.

13 Replicabis. Id quod per se essentialiter est aliquid quomodocumque existat, quoàd alia, quæ non est realiter, aut virtualiter, semper illud erit; sed divinus affectus, sivè intentivus finis, sivè electivus mediorum per se essentialiter fertur ad possibile: ergo quomodocumque detur, sivè cum cognitione possibilitatis, sivè absque illa sem per in possibile tendet. Insto secundo. Actus fidei per se essentialiter est infallificabilis: ergo quomodocumque detur quoad alia à se distincta, semper erit infallificabilis: ergo si existat sine obiecto, quod enuntiat, erit infallificabilis. Respondebis: pro tunc actum fidei esse chymæricè infallificabilem, cum ex vna parte detur quoad essentialia, & ex altera ea, quæ metaphysicè requirit, deficiant. Hoc etiam tibi respondendum: scilicet affectum illum divinum tendere in obiectum possibile chymæricè; nam existeret quoad essentialia, & deficeret scientia illa, quæ, vt tendat in possibile necessaria est metaphysicè: vndè distinguo illam maiorem. Id, quod per se essentialiter est aliquid quomodocumque existat, quoad alia, &c. Semper illud erit, sivè *chymæricè*, sivè *possibiliter*: concedo maiorem: determinate *possibiliter*: subdistinguo: si non sit *exactum essentialiter* illud aliud: concedo maiorem, si sit *exactum essentialiter*: nego maiorem, & sub eisdem terminis distincta minori nego consequentiam.

14 Dubitatur: an non solum

lum requiratur ad prædestinationem scientia naturalis, prout se extendit ad possibilia, & existentia enumerata, sed etiam ad omnia omnino possibilia, & ad omnem divinam perfectionem; tàm *absolutam*; quàm *relativam*? Affirmant Ribadeneyra, & Iunius, cum alijs Recentioribus. Distinguit Herera dicens; esse necessariam ex perfectissimo modo operandi, quem Deus habet; non verò ex capite procedendi absque periculo frustrationis. Placet hæc distinctio, quæ quoad vltimam partem non necessitatis ex periculo frustrationis patet; cùm certum sit, data cognitione possibilitatis absolutæ, & respectivæ finis, necnon possibilitatis mediorum efficacium, potentiæ intendentis, & motivi primarij nil deesse, quamvis desit cognitio possibilium reliquorum, aliarumque divinarum perfectionum, vt Deus ex titulo tendendi in impossibile exponatur frustrationi prædestinationis *formaliter* sumptæ. Quoad alteram verò de necessitate ex perfectissimo modo operandi.

15 Probatur. ea scientia requiritur per se ad prædestinationem ex perfectissimo modo operandi divinæ voluntatis, qua non intellecta, non esset prædestinatio perfectè voluntaria; sed secluſa scientia omnium omnino possibilium, omniumque divinarum perfectionum, prædestinatio non esset perfectè voluntaria: ergo ad eam ex perfectissimo modo operandi divinæ voluntatis per se requiritur. Maior est certa. Nam, cum prædestinatio sit Deo voluntaria, non aliter, quàm perfectissimè, per se requirit id sine quo non potest esse perfectissimè voluntaria. Probo minorem. Non potest esse perfectissimè voluntaria prædestinatio nisi cognoscantur omnes respectus, sivè adæquatè intrinseci, sivè semiextrinseci tùm ipsius prædestinationis, tùm obiectorum, in quæ tendit; sed tales respectus cognosci nequeunt, nisi detur scientia omnium possibilium, omniumque divinarum perfectionum: ergo ea secluſa non esset perfectissimè voluntaria prædestinatio. Probatur minor. Tàm prædestinatio; quàm obiectum illius comparantur ad omnem divinam perfectionem, vt quid cum illis metaphysicè connexum; necnon, vt quid componens coexistentiam cum illis: deindè ad possibilia in tota sua latitudine comparantur, vel vt connexa cum omnibus, si Deus sit connexus, vel vt connexa cum aliquibus; secus cum alijs, si sit inconnexus, vel vt quid constituens cum omnibus illis tale determinatum coniunctum veritatum, vel vt incomponibilia cum aliquibus quoad existentiam; cum alijs vero vt componibilia; sed omnes hi respectus, & denominationes non possunt cognosci, nisi adsit scientia omnium omnino possibilium, omniumquè divinarum perfectionum: ergo tales respectus sivè adæquatè intrinseci, sivè semiextrinseci nequeunt cognosci, nisi detur scientia omnium possibilium, omniumque divinarum perfectionum.

16 Confirmatur: non est plenè voluntarium id, quod à voluntate procedit, incognitis pluribus rationibus, quæ allicere, aùt retrahere possunt ab eius prosequutione: sed incognitis omnibus possibilibus, omnique divina perfectione, plures laterent Deum rationes, quæ à prædestinando retrahere, aut ad prædestinandum allicere valent: ergo deficiente ea scientia prædestinatio non esset perfectissimè voluntaria. Probatur minor. In collectione omnium possibilium sunt multæ series, & ordines rerum, quæ prædestinationem, vel in particulari, vel generaliter non admitunt, quasque, si Deus vellet, à prædestinatione retraherent: sunt etiam aliæ multæ componibiles, aut connexè, quas si Deus decerneret, in prædestinationem inducerent, perconsequensque modi innumeri ostendendi omnia sua attributa; sed non data ea scientia, omnia hæc ignorarentur: ergo ea scientia secluſa, plures laterent Deum rationes, quæ à prædestinando retraherent, aùt ad prædestinandum allicerent.

17 Dices: verum esse, vt ratio nostra probat, prædestinationem non futuram plenissimè voluntariam, secluſa ea scientia; verùm vnde probatur: perfectionem illam voluntarietatis pertinere ad conceptum prædestinationis, pluſquam ad conceptum scientiæ perfectissimæ, & infinitæ pertinet immensitas, quæ si non daretur absdubiò repugnaret attributum scientiæ, nec ideò dicitur, immensitatem esse de conceptu sapientiæ: poterit ergo dici: ad prædestinationem formaliter requiri cognitionem possibilium, quæ in prædestinatione involvuntur; aliorum verò tantum esse materialiter requisitam, in quantum Deus non potest cognoscere aliqua possibilia, quin cognoscat omnia, aut aliquod attributum, quin cognos-

noſcat reliqua. Reſpondeo : perfectionem illam voluntarietatis pertinere ad prædeſtinationem, quia eſt perfectio in linea pertinente *formaliter* ad prædeſtinationem, vt eſt eſſe voluntariam Deo ; ſed Deo voluntarium non poteſt eſſe niſi perfectiſsimum : ergo ſi prædeſtinationi formaliter, vt tali, convenit eſſe Deo voluntariam; non quæcumque voluntarietas ; ſed perfectiſsima debet ei convenire ; non ſic immenſitas reſpectu ſcientiæ, quia hæc, vt infinita, ſolum exigit omnem gradum pertinentem ad ſcientiam *formaliter*, ſcilicèt, & cognoſcere omnia, & cognoſcere perfectiſsimè ; pro quo formaliter nil iuvat immenſitas, ſicut nec omnipotentia, nec alia attributa.

18 Imò ex paritate adducta rationem promoveo: nam ſicut non poteſt dari in Deo ſcientia cum defectu alicuius gradus perfectionis pertinentis ad ſcientiam : ſic non poteſt dari providentia cum defectu gradus perfectionis pertinentis ad providentiam ; ſed gradus perfectionis pertinentis ad providentiam *formaliter*, eſt cognoſcere perfectiſsimè finem, & media, quibus ad finem dirigit : ergo non poteſt eſſe in Deo providentia; ac conſequens prædeſtinatio, quæ providentia eſt ſine cognitione perfectiſsima finis, & mediorum, quæ ſine cognitione omnium illorum, cum quibus obiectum prædeſtinationis poteſt comparari, & à quibus poteſt denominari, & diſcerni, non dabitur : hæc eſt cognitio omnium poſsibilium, & neceſſario exiſtentium : ergo ſine cognitione omnium poſsibilium, & neceſſario exiſtentium non erit perfecta prædeſtinatio in propria linea.

19 Dices ſecundò. Ad providentiam, qua Deus dirigit efficaciter in finem gloriæ, ea ſolum cognitio per ſe requiritur, qua deficiente, Deus, aut non dirigeret, aut ſe exponeret periculo non dirigendi: ſed ſola deficiente cognitione poſsibilitatis finis, & mediorum, hæc contingerent; ſecus ſi in Deo deficeret cognitio poſsibilitatis, & quidditatis muſcæ, & aliorum obiectorum, quæ per providentiam efficacem circa gloriam non attinguntur : ergo ad prædeſtinationem, quæ providentia eſt dirigens in finem gloriæ, cognitio omnium illorum, quæ diximus, non eſt neceſſaria. Reſpondendum : ad providentiam, qua Deus dirigit efficaciter in finem gloriæ, non ſolum requiri eam cognitionem, qua deficiente non dirigeret *abſolutè* in finem ; ſed illam, qua deficiente, non dirigeret *perfectè*, & vt Deo convenit : vnde verum eſt : deficiente cognitione omnium poſsibilium, Deum formaliter poſſe dirigere, cognita poſsibilitate finis, & mediorum ; ſed non poteſt dirigere perfectè, & prout convenit providenti infinito : ſicut deficiente cognitione comprehenſiva ſui, poſſet Deus ſe amare; àt nequiret ſe amare amore infinito, & debito obiecto ſinè termino bono, & perfecto. Itaque non debet confundi id, quod eſt neceſſarium providentiæ ſecundum conceptum vniverſaliſsimum, & genericum, cum eo, quod convenit providentiæ infinitæ, & perfectiſsimæ, proùt in Deo datur : ad providentiam primo modo acceptã, ſufficit cognitio aſſecurativa finis ; ad providentiam ſecundo modo acceptam, cognitio perfectiſsima, & plenè directiva finis, & mediorum eſt neceſſaria.

20 Advertes primò. Ea, quæ diximus de cognitione poſsibilium, extendẽda ſimiliter eſſe ad cognitionem impoſsibilium, cum militet eadem ratio. Advertes ſecundò; quod ſi Deus non connectatur cum poſsibilitate poſsibilium, & impoſsibilium impoſsibilitate, neceſsitas hæc, quam adſtruximus cognitionis omnium poſsibilium, & impoſsibilium ad prædeſtinationem ; non eſſe *abſolutam* ; ſed duntaxat *ex ſuppoſitione, quod ſint poſsibilia*, & *impoſsibilia ſuo modo* : nàm ſicut Deus in ea ſententia poſſet dari, repugnantibus omnibus poſsibilibus, & extincto conceptu impoſsibilium: ſic prædeſtinatio vnius creaturæ rationalis ex ſe poſſet dari, repugnantibus alijs ; vnde exigentia cognitionis aliorum pro ſua perfectione non eſt *abſoluta* ; ſed *ex ſuppoſitione : quod ſint* : modo, quo Deus in illa ſententia non exigit *abſolutè* cognoſcere poſsibilia, & impoſsibilia ; at ſi ex ſuppoſitione, quod ſint tales conceptus, eos non cognoſceret, repugnaret ex defectu ſcientiæ infinitæ; aliter res ſe habent in ſententia connexionis, in qua neceſsitas cognitionis omnium poſsibilium, & impoſsibilium ad prædeſtinationem eſt *abſoluta*, & independens ab omni ſuppoſitione, quæ contingenter adveniat prædeſtinationi contingentia intrinſeca, & ex parte ipſius.

21 Certum eſt ſecundò : loquendo de ſcientia libera, quæ, vt diximus,

ximus, scientia visionis est, eam esse requisitam ad prædestinationem, quia cum prædestinatio includat decretum efficax mediorum ad finem gloriæ, & Deus non possit ignorare, neque suam determinationem, neque obiectum efficaciter decretum, prout in tempore determinato existens; per consequens debet habere scientiam liberam innitentem liberæ determinationi, quæ scientia libera, & visionis est. Certum est tertiò: in prædestinatione, quæ de facto datur, intercedere scientiam liberam; non vtcumque, sed vt regulantem decreta, quæ in serie prædestinationis intercedunt. Ratio est: quia de facto Deus movetur ad prædestinandum simpliciter ex meritis Christi, & ad conferendum viteriora auxilia ex meritis aliorum iustorum, non vtcumque; sed prout absolutè prævisis; sed visio absoluta meritorum est scientia libera: ergo in prædestinatione de facto existente intervenit scientia libera aliquorum obiectorum, vt regulans decreta illius. Certum est quarto: quod etsi hæc scientia libera interveniat de facto, non est necessaria absolutè ad conceptum prædestinationis, tùm quia Deus potest prædestinare independenter ab omni merito, tùm quia, etsi necessarium esset ita prædestinare, posset id contingere sine prævisione absoluta meritorum, & cum sola prescientia conditionata, quę scientia libera non est, vt dicemus tractatibus de Merito, & de Incarnatione.

22 Dubitatur secundò. An ad prædestinationem, non solùm requiratur, sed prærequiratur scientia visionis illius obiecti, quod per prædestinationem efficaciter decernitur: v.g. An ad decernendum efficaciter finem, aut medium, requiratur propriori ad decretum efficax illius scientia libera visionis talis obiecti. In qua difficultate dicendum est: non posse prærequiri ad primum decretum efficax talis obiecti scientia visionis illius; at respectu alicuius decreti efficacis circa obiectum præcedere scientiam visionis illius. Probatur prima pars. Decretum efficax primum circa aliquod obiectum est Deo immediatè liberum; sed tale non esset, si præcederet scientia visionis obiecti: ergo ad primum decretum efficax obiecti non potest prærequiri scientia visionis illius. Probatur minor. Omne essentialiter determinatè prærequisitum ad actum, connexum cum actu, & immediatè præcedens, aufert libertatem ad actum; saltèm si non sit alia potestas indifferens non constituta per ipsum, per quam possit impediri, quia est incomponibile cum potestate indifferente ad illum; sed scientia visionis de obiecto connectitur cum primo decreto illius, quia connectitur cum omni essentialiter requisito ad illud, vt existens: ergo si prærequiritur essentialiter ad primum decretum, vt quid immediate præcedens, hoc Deo liberum non erit.

23 Respondebis primò. Antecedens connexum, & inimpedibile à voluntate est id, quod aufert libertatem illius, quia est necessitas simpliciter antecedens; at antecedens connexum, & impedibile cum libertate componitur, quia est necessitas consequens, qualis apparet esse scientia visionis dependens ab exercitio libero Dei, per cuius non positionem posset liberè scientiam visionis impedire; non aliter, ac iuxta plures, etsi scientia media sit essentialiter prærequisita ad consensum, & cum illo ex suppositione existentiæ hypothesis libertatis absolutè connexa, non impedit libertatem consensus, potestque per dissensum impediri. Sed contra: quia, vt scientia visionis essentialiter prærequisita ad decretum, libertatem illius servaret, posset que per omissionem decreti impediri, erat necessarium, quod independenter ab ipsa posset libertas ad tale decretum formaliter consistere; sed si scientia visionis est essentialiter prærequisita ad primum decretum, est prærequisita immediatè, & vt potestatis constitutiva, qua ratione indifferentiam potestatis, & libertatis aufert: ergo scientia visionis, non solum quid antecedens, & connexum esset cum determinato libertatis extremo; verum etiam simpliciter antecedens, & inimpedibile; aliter res se habent in scientia media, qua secluſa, & impedita per dissensum, remanet illæsa tota potestas ad consensum: vndè etsi sit prærequisita ad consensum; non est prærequisita, vt quid *immediatè* antecedens, & constituens potestatem illius; sed *pure, remotè*, in quantum constituit libertatem Dei ad dandum auxilium, & creatam libertatem constituendam: quid ergo mirum scientiam mediam de consensu esse necessitatem consequentem illius, & scientiam visionis obiecti primi decreti esse simpliciter antecedentem?

24 Respondebis secundò:

Insis

Insistendo eidem solutioni. Antecedens connexum, & immediatè essentialiter prærequisitum ad aliquod extremum, non aufert libertatem immediatam illius, neque est necessitas simpliciter antecedens: ergo quamvis scientia visionis immediatè præcedat ad decretum, vt quid essentialiter prærequisitum, & connexum, non ideo libertatem destrueret, neque erit necessitas simpliciter antecedens. Consequentia est legitima ab identitate rationis. Probatur antecedens. In actu essentialiter imperato, qui iuxta plures, quorum sententiam sequimur, est immediatè liber; cùm tamen procedat per imperium immediatè antecedens essentialiter prærequisitum ad actum, & cum illo connexum: ergo antecedens immediate, vt quid essentialiter prærequisitum ad determinatum libertatis extremum, & cum illo connexum, libertatem non destruit. Hanc evasionem ex paritate actus essentialiter imperati præcludere studui in conclusionis probatione, dum dixi, connexum, essentialiter requisitum ad actum, & immediate præcedens auferre libertatem illius, (attende exceptionem) *saltem quando non adest potestas alia indifferens non constituta per ipsum, per quam possit impediri*, quæ exceptio invenitur pro actu essentialiter imperato; secus pro actu visionis: ibi enim licèt imperium connexum cum actu immediate præcedat, vt quid connexum, & essentialiter prærequisitum, præcedit tamen, vt immediatus voluntatis actus, cuius potestas non constituitur per ipsum: quare manet indifferens voluntas, tùm, vt ponat immediate carentiã actus, & imperij, tùm, vt ponendo immediatè imperium, acquirat id, quod est necessarium ad actum imperatum ponendum immediatè ab ipsa voluntate cum imperio, quod sufficit vt voluntas dicatur immediatè libera quoad actum essentialitèr imperatum; actus verò scientiæ visionis, cum non sit exercitium immediatum divinæ voluntatis; sed alterius potentiæ, non aliter est acquiribilis; quàm per potentiam ad actum, quam ipsa scientia visionis constituit, quæ indifferens non potest esse ad carentiam illius; aliàs scientia visionis esset componibilis cum carentia sui. Adde sententiam istam de libertate immediata actus essentialiter imperati maiori parti Doctorum Societatis esse inviſam, iuxta quos, negato antecedenti, nulla est paritas.

25 Probo iam secundam partem. Potest Deus decernere efficaciter *purè intentivè* aliquod obiectum, in quo decreto, vtpotè connexo cum obiecto, videt illud extiturum; deinde hac scientia ductus, potest decernere *exequutivè* tale obiectum; sed in hoc casu præcedit scientia visionis obiecti ad decretum illius, scilicèt *exequutivum*: ergo potest scientia visionis obiecti præcedere ad decretum aliquod efficax illius. Dixi *posse*; & non debere, quia non est necessarium, vt decernat Deus efficaciter obiectum per duplex virtualiter decretum, vnum *intentivum*, & alterum *exequutivum*, cùm valeat per idem virtualiter intendere, & exequi tale obiectum. Hinc oritur altera difficultas, & dubitatur tertiò. An quando decretum exequutivum distinguitur ab intentivo, non solũ aliquod decretũ exequutivũ possit prærequirere scientiã visionis sui obiecti; sed omne debeat illam prærequirere? Respondetur affirmativè; & ratio est: nàm propriori ad decretum exequutivum debet dari scientia decreti intentivi; sed talis scientia, est scientia visionis obiecti decreti exequutivi: ergo in suppositione distinctionis decreti intentivi ab exequutivo omne decretum exequutivum prærequirit scientiam visionis sui obiecti. Probatur maior in qua est difficultas: in suppositione distinctionis decreti intentivi ab exequutivo scientia, qua Deus cognoscit decretum intentivum, debet existere in signo apto, vt Deus queat libere decernere *exequutivè*, vel propter decretum intentivum purè *materialiter*, vel propter decretum intentivum *formaliter* intrinsecè signatè referendo decretum exequutivum ad intentivum, hoc modo tendendi: *Decerno exequutivè, quia decrevi intentivè*: sed ad hanc libertatem necessaria est cognitio decreti intentivi. ergo propriori ad omne decretum exequutivum distinctum à purè intentivo, debet dari scientia decreti intentivi, & obiecti decreti exequutivi.

26 Dubitatur quartò. An in casu intentionis inefficacis finis gloriæ, ex qua moveatur Deus ad prædestinandum, necessaria sit scientia visionis talis intentionis propriori ad decretum, sivè *intentivum*, sivè *exequutivum* mediorum? Respondeo etiam affirmativè propter eandem rationem: nàm Deus propriori ad decretum mediorum est liber, vt moveatur *intrinsecè* ex tali intenten-

tentione, libertate versante inter moveri *intrinsecè*, & *extrinsecè*, (si possibiles sint motiones *extrinsecæ* actibus:) sed vt Deus possit moveri *intrinsecè* ex tali intentione, necessaria est scientia intentionis, quæ scientia visionis est: ergo in casu intentionis inefficacis finis gloriæ, si Deus conferat auxilia efficacia ad talem finem, necessaria est ad prædestinandum scientia visionis illius intentionis. Aliter suadetur idem. Posita intentione ineficaci finis gloriæ, Deus debet esse liber, vt moveatur ex illa; sed vt possit moveri ex illa, necessaria est cognitio intentionis, quia non aliter potest moveri, quàm referendo intrinsecè decretum mediorum ad finem, prout intentum, neque enim motiones extrinsecas in affectibus inefficacibus admittimus, vt constabit ex dicendis tractatu de actibus humanis: ergo necessaria est propriori intentionis visio. Vlterius, si scientia visionis intentionis inefficacis nō esset necessaria ad decretum, sivè *intentivum*, sivè *executivum* mediorum, decretum hoc non esset Deo plenè voluntarium, quia non esset illi præcognitum, vt coexistens, si existat, intentioni finis: àt decretum, sivè *intentivum*, sivè *executivum* mediorum debet Deo esse maximè voluntarium: ergo necessarium est præcedere ad illud scientiam visionis intentionis inefficacis.

27 Inter actus scientiæ liberæ requisitos ad prædestinationem enumerant plures Authores præcipuè Thomistæ actum quemdam, quem vocant imperium intellectuale, in quo *formaliter* prædestinationem constituunt; verùm cum investigare naturam huius actus, & diversitatem sententiarum, tùm circa eius quidditatem, & modum tendendi; tùm circa necessitatem illius ad prædestinationem nimis operosum sit, & longius petat examen; quàm ferat præsens caput, illud in subsequens reservamus, fat, putantes pro nunc brevē hanc eius mentionē facere.

28 Certum est tertiò: requiri ad prædestinationem scientiam, qua Deus cognoscat infallibiliter efficaciam mediorum in ordine ad finem Beatitudinis, & gloriæ: tùm quia veritas hæc, sicut reliquæ, non debet esse incognita omniscio, & perfectissimo intellectui, qualis est divinus: tùm quia cęco quodam modo procederet in præparatione auxiliorum, & mediorum efficacium, quæ tantum *materialiter*, & non *formaliter*, pròut ab intendente finem procedit, esset à consecutione illius inseparabilis. Acriter tamen controvertitur, & dubitatur quinto: qualis debeat esse hæc scientia. An *naturalis*; àn *libera*; àn *media* inter *liberam*, & *necessariam*? Quæ cum sit controversia gravissima huius tractatus præcipuum in ipso tenens locum, ea, vt per otium tractetur in disputationibus tertia, quarta, & quinta reservata, ad actus voluntatis necessarios ad prædestinationem procedamus.

CAPVT II.

Qui actus divinæ voluntatis requirantur ad prædestinationem.

29 CErtum est primò: ex parte divinæ voluntatis requiri ad prædestinationem intentionem finis gloriæ convenientis rationali creaturæ. Ratio est clara. Etenim cum prædestinatio non sit pura materialis assequutio gloriæ; sed ordinatio, & præparatio mediorum efficacium in consecutionem ipsius, quæ, fine non intento, aut procurato ex parte præparantis, stare non potest, vt conceptus præparationis formalis ex se fert; ideò necessarium est: in prædestinatione finis intentionem intervenire.

30 Dubitatur primò. An finis intentio debeat necessariò cum mediorum electione identificari? Aùt necessariò ab illa distingui? Respondetur negativè quoad vtramque partem. Nam Deus, cognita bonitate Beatitudinis, vt assequendę, cognitaque possibilitate, vtilitate, etsi velis, efficacia mediorum in talem finem simul cum potentia illa exequendi, potest, vel libere ita intendere finem, differendo ad aliud signum, eligere hæc præ illis mediis; aut indivisibiliter pro eodem signo, & per eundem virtualiter actùm intendere finem, & eligere determinata media ad illum obtinendum: in quo nulla est repugnantia; cum distinctio non proveniat in Deo ex non bene perspecta conditione mediorū, vt sæpe in nobis accidit; sed ex libertate, & arbitrio nolentis sic se exercere, cū possit: quod nullam in Deo arguit imperfectionem.

31 Dices: Deus ratione suæ in-

finitę perfectionis determinatus est ad maiorem simplicitatem possibilem in esse, quæ alteri attributo non præiudicet; sed maior simplicitas, & indivisibilitas in esse, est decernere per vnum virtualiter actum finem, & media; quàm per duplicem tendentiam virtualiter: ergo Deus ratione suæ infinitę perfectionis est necessitatus ad intendendum finem, non differendo mediorum electionem ad aliud signum; ac per consequens intentio finis debet non distingui ab electione mediorum. Sed non vrget: nam eodem fundamento posset excludi à Deo potentia volendi ineffaciter aliquod bonum creatum; nè detur tendentia separabilis à mediorum electione: quare sicut negabis; ne attributum divinæ simplicitatis præiudicet attributo divinæ libertatis: sic negari debet; ex attributo indivisibilitatis, & simplicitatis induci necessitatem ad intentionem, quæ sit electio; nè in hoc præiudicetur divinæ libertati circa modum intendendi finem, & media.

32 Inferes cum Patre Herrera: Divum Thomam assignantem prius intentionem finis, & post, mediorum electionem, in quo videtur distinctionem horum actuum necessariò adstruere, esse intelligendum, prout plerumque, & regulariter in humanis contingit; non verò quasi ex necessitate distinctionis, quæ neque in Deo, neque in nobis est necessaria. Ex quo duo similiter clara fiunt: vnum: electionem mediorum non debere ex necessitate provenire originaliter ab intentione finis; alterum: inter intentionem, & electionem nullum actum intellectus esse ex necessitate ponendum, qui sivè per modum intellectualis impulsus, aut per modum repręsentationis moveat ad electionem: vbi enim vnus, & alius actus ex necessitate non est, neque ex necessitate potest esse actus intellectus interiacēs.

33 Dices: aliqua intentio necessariò debet distingui saltem ab electione alicuius medij: ergo non omnis intentio finis potest identificari virtualiter cum mediorum electione. Probatur antecedens. Intentio efficax finis gloriæ per modum coronæ meritorum debet distingui à decreto applicativo omnipotentię, quod est medium eligendum ad consecutionem finis; aliàs decretum applicativum connecteretur cum operatione libera, quod contra rationem constitutivi libertatis est: ergo aliqua intentio necessariò debet distingui saltem ab electione alicuius medij. Distinguo primum antecedens: aliqua intentio debet distingui necessariò saltèm ab electione alicuius medij distincti à decreto: nego antecedens: indistincti à decreto, de quo non loquimur: concedo antecedens, & nego consequentiā.

34 Dubitatur secundò. Vtrùm ad prædestinationem requiratur voluntas efficax finis gloriæ? Respondetur negativè, si loquamur de voluntate efficaci intentiva. Ratio est: quia ad prędestinationem tantum requiritur moveri ex fine gloriæ ad danda auxilia, quibus infallibiliter in rè erit finis gloriæ; sed ad hoc non requiritur voluntas efficax gloriæ: ergo ad prædestinationem non requiritur voluntas efficax finis. Maior est certa, cum prædestinatio nil aliud sit; quam præparatio mediorum efficacium ad finem gloriæ. Minor probatur: moveri ex fine gloriæ ad danda auxilia efficacia ad illum, non requirit voluntatem efficacem finis; quatenus est electio mediorum propter finem glorię; aliàs in reprobis respectu quorum datur electio mediorum ad finem gloriæ, daretur voluntas efficax finis, quæ cum defectu finis in Deo nequit componi: nec quatenus est electio mediorum efficacium specificativè: hoc enim ad summum dicit velle efficaciter media sub cognitione efficaciæ absque affectu aliquo in efficaciam, in quo nulla voluntas efficax gloriæ includitur: non denique quatenus est volitio mediorum reduplicativè, vt efficacium ad finem, quia sicut primus affectus tendens in finem movetur ineffaciter ex illo; sic secundus affectus electionis potest tendere efficaciter in media efficacia specificativè accepta, & ineffaciter in illa, vt coniungenda cum fine: ergo ad hoc, vt Deus per prædestinationem moveatur ex fine glorię ad eligenda media, quibus infallibiliter erit talis finis, non requiritur voluntas efficax finis.

35 Dices: nemo potest dirigi efficaciter ad finem gloriæ, nisi in re consequatur talem finem; sed non potest ab alio gloriam consequi; quàm à Deo, nec aliter; quàm per voluntatem efficacem circa illam, scilicèt voluntatem executivam: ergo falsum est: prædestinationem posse consistere absque voluntate efficaci gloriæ. Non tenet solutio, si modus resolvendi dubium attendatur: dixi-

diximus enim prædestinationem non requirere voluntatem efficacem gloriæ, loquentes de ea non *completivè* sumpta, id est prout includit assequutionem gloriæ; sed de prædestinatione accepta *formaliter*, & *præsuppositivè*, hoc est, de prædestinatione in quantum est præparatio mediorum efficacium ad finem gloriæ descendens ex intentione illius.

36 Insistes. prædestinatio non est præparatio vtcumque mediorum; sed efficax, taliter, vt per ipsam dirigatur creatura cum effectu in finem gloriæ; sed hoc non potest dari absque actu efficaci Dei in finem gloriæ, & cum assequutione ipsius connexo; aliàs prædestinatio, vt talis, posset ab assequutione gloriæ separari: ergo in prædestinatione non *completive* duntaxat accepta; verùm *formaliter*, aut *præsuppositivè*, necessario dandus est aliquis affectus efficax erga gloriam. Sed contra: quia vt prædestinatio efficax sit circa gloriam, non est necessarius actus efficaciter affectivè tendens in gloriam *intentivè*, cum sufficiat actus efficaciter *affectivè* tendens in media in circunstantijs, in quibus non sunt separanda à fine gloriæ: sicut vt Deus infallibiliter ducat hominem ad consensum salutarem, non est necessaria voluntas aliqua efficax consensus, præcipuè apud illos, qui negant omnem prædefinitionem efficacem consensus, vt inimicam libertati; sed sufficit collatio auxilij in circunstantijs, in quibus per bonum vsum voluntatis creatæ non est separandum à consensu: ergo vt prædestinatio sit directio efficax, in quantum dirigit in gloriam cum effectu, non est necessaria voluntas efficax gloriæ.

37 Nec confundenda est efficacia *affectiva*, & *effectiva* actus: igitur efficacia *effectiva* actus est inseparabilitas ab effectu; sivè sit semiextrinseca actui, quia effectus coniungitur cum affectu quamvis affectus possit esse sine illo; sivè adæquatè intrinseca aliunde proveniens; quàm ex ardore affectus in talem effectum; efficacia verò *affectiva* est inseparabilitas actus ab obiecto fundata in ardore, & conatu, quo voluntas fertur in illud, quo non permittit, adstante potentia, & medijs, ab illo separari. Efficaciæ hæ sunt separabiles non mutuo in divinis affectibus, quia actus potest esse connexus cum obiecto sine efficacia *affectiva*; at non potest dari efficacia *effectiva* sine *effectiva*. Exemplum clarissimum separabilitatis efficaciæ *effectivæ* ab *affectiva*, accipe in hoc actu voluntatis, quo Deus sic tendat: *cum videam auxilium coniungendum esse cum consensu, volo illud conferre, vt sit libertas sub ipso.* Ecce actum efficacem *effectivè* ad consensum liberum, vtpotè connexum cum scientia conditionali de consensu, & purificatione conditionis; quin ideò sit efficax *affectivè* erga consensum; siquidem totus affectus insumitur erga libertatem. Quod efficacia *affectiva* non sit separabilis ab *effectiva*, tàm clarum est; quàm quod voluntas efficax Dei est infrustrabilis.

38 Certum est secundò. Ad prædestinationem requiri mediorum electionem, sinè qua non potest esse præparatio mediorum efficacium ad finem gloriæ, quæ de essentia est prædestinationis iuxta illius definitionem. Verùm dubitatur tertiò. An electio debeat distingui necessariò à voluntate executiva mediorum, quam vocant Theologi vsum activum, proùt distinctum ab executione omnipotentiæ, quę vocatur *vsus passivus*? Resolvitur negativè; ratio; quia nullum fundamentum datur ad eam necessariam distinctionem: ergo non est ex necessitate concedenda. Probatur antecedens: omne fundamentum, quod potest dari, est, vel quia circa omne obiectum intentio deberet distingui ab electione, vel quia deberet decerni ante decretum executivum, cum aliqua præcisione, aùt disiunctione; sed nullum ex his fundamentis potest subsistere in divina electione. ergo nullum fundamentum datur. Probatur minor. Non primũ: quia vt probatum manet, intentio adhùc in humanis non debet necessariò distingui ab electione; non secundum. Nam illa necessitas determinationis ad media cum præcisione, aùt vaguitate solũ posset oriri ex defectu cognitionis in Deo, omnium circunstantiarum, quibus media debent exequi: Vnde solum provenit in nobis talis indecisio, aut vaguitas; sed in Deo infinitè cognoscẽte no potest accidere defectus similis cognitionis: ergo nullum est fundamentum ad statuendam necessariam distinctionem inter voluntatem *intentivam*, & *executivam* mediorum.

39 Confirmatur: adhùc in nobis non est distinguenda necessariò electio ab vsu: ergo multò minus in Deo, cuius per-

fectior eſt cognitio, & expeditior eſt voluntas. Probatur antecedens. Ideò in nobis eſſet diſtinguenda electio ab vſu; quia in nobis electio coniungit voluntatem cum volito tantum *affectivè*; vſus verò coniungit voluntatem cum volito *effectivè*: aùt quia circa idem obiectum *materiale* habent diverſum obiectum *formale*, ita vt tendat electio in media, non prout *cauſativa* finis; ſed prout *appetibilia* propter finem: executio autem in media, proùt finis *cauſativa*: ſed primum ex his ſupponit probandum. Nam ſi electio ſit vſus, coniunget voluntatem cum re, & non purè *affectivè*. Secundum non probat, vel quia diſtinctio obiecti *formalis* non probat diſtinctionem actuum, vt conſtat in actu *ſcientiæ*, & *fidei*, aut *ſcientiæ*, & *opinionis*, aut in actu proveniente à duplici virtute ex motivo vtriuſque, aut quia, etſi probet; in electione tamen non datur diverſitas obiecti *formalis* ab vſu activo, cum tendat in media, proùt *cauſativa* finis, ſiquidem *appetibilitas* mediorum propter finem nil aliud formaliter eſt; quàm *cauſabilitas* finis per media: ergo adhuc in nobis non neceſſariò diſtinguitur mediorum electio ab vſu activo illorum.

40 Addendum: *electionem*, ſicut ex neceſsitate non diſtinguitur à voluntate *executiva*, & *vſu*: ſic ex neceſsitate non identificari: poteſt enim Deus pro ſua libertate intendere media, reſervando ad aliud ſignum, voluntatem executivam illorum. Probatur. Deus pro ſuo libito poteſt intendere finem, vel per voluntatem, quæ ſimul ſit electio mediorum *determinatè*, vel per voluntatem ſuſpendentem electionem ad aliud ſignum: ergò ſimiliter poteſt liberè eligere media, vel per voluntatem, quæ ſimul ſit *executiva* illorum, vel per voluntatem relinquentem ad aliud ſignum *vſum activum*, & voluntatem *executivam*. Hinc patet, ſicut in ſimili diximus de *intentione*, & *electione*: omnem actum medium, qualiſcumque ſit, inter *electionem*, & voluntatem *executivam*, etiam ſi poſsibilis ſit, non eſſe neceſſarium. Ratio eſt clara: vbi enim neceſſaria non eſt diſtinctio actuum, nec neceſſarium eſſe poteſt id, quod diſtinctionem eſſentialiter prærequirit; ſed actus medius, qualiſcumque ſit, inter *electionem*, & *vſum activum*, eſſentialiter requirit diſtinctionem inter *electionem*, & *vſum*: ergo ſi diſtinctio inter hos actus non eſt neceſſaria, nec actus medius inter illos, etiam ſi poſſibilis, erit neceſſarius.

41 Certum eſt tertio: requiri ad prædeſtinationem *executionem immanentem*, id eſt voluntatem *executivam* mediorum. Propoſitio eſt clara. Siquidem prædeſtinatio non eſt duntaxat præparatio *intentiva* mediorum; verùm præparatio *in re*, & *executivè* conferens media efficacia ad finem gloriæ; ſed præparatio *in re*, & *cum executione* conferens media, requirit voluntatem *executivam*, ſeu *immanentem executionem* mediorum: ergo ad prædeſtinationem requiritur *executio immanens*, ſeu voluntas *executiva* mediorum. Dubitatur quattò: An voluntas hæc *executiva* ſit vltima rei *executio*, taliter, vt in Deo non intercedat *executio* alterius potentiæ diſtinctæ à voluntate, cui conveniat externe ponere media neceſſaria ad prædeſtinationem? Vel contra, neceſſaria ſit in Deo, vltra voluntatem, alia potentia *executiva* mediorum, cuius actio, & *executio* ſit *tranſiens*, & non immanens?

42 Pendet quæſtionis reſolutio ab his, quæ in tractatu de Eſſentia, & attributis propriam ſedem habent. Vbi quæritur: an divina potentia *executiva*, & *productiva* ad extra ſit attributum divinum ſpeciale, & diſtinctum, ſivè *formaliter*, ſivè *virtualiter* à divina voluntate, & ſcientia? Cui reſpondet Divus Thomas prima parte quæſtione 15. articulo 1. ad 4. dicens: *Potentia non ponitur in Deo, vt aliquid differens à ſcientia, & voluntate ſecundum rem; ſed ſolum ſecundum rationem, in quantum ſcilicèt potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit.* Et articulo 5. ad 1. *Potentia intelligitur, vt exequens; voluntas autem, vt imperans; & intellectus, & ſapientia, vt dirigens*: ex quibus concludit. *Ideò Deus aliquid facit, quia vult; non tamen ideo poteſt, quia vult*: Eccè Angelicum Doctorem planè concedentem in Deo aliam potentiam vltra voluntatem, & ſcientiam, cui competit exequi exteriùs, id, quod voluntas ex ſcientiæ directione imperat interiùs.

Sed

43 Sed licet potentia ista *executiva*, & *productiva* ad extra, prout à voluntate, & intellectu formaliter distincta, sit necessariò Deo concedenda; quoad necessitatem exercitij illius distincti ab exercitio divinæ voluntatis, quod in actione immanente consistit, distinguere oportet. Nam sunt aliqui effectus, qui necessariò important procedere à Deo, & creatura per actionem indivisibilem, vt sunt actus vitales in communi sententia constituente eos essentialiter per actionem ortam à potentia vitali; & actus liberi, vt tales, qui sivè in actione, sivè in qualitate consistant, exposcunt essentialiter actionem agentis secundi, à quo *electivè*, & *determinativè* proveniunt. Sunt alij, qui etsi simpliciter possint à Deo solo provenire; defacto tamen à Deo, & causa secunda proveniunt, vt sunt omnes effectus producti à causis naturalibus iuxta exigentiam ipsarum. Sunt denique alij, qui vel à solo Deo possunt produci, vt sunt termini creabiles in communiori sententia, vel etsi à Deo, & alio possint procedere; defacto non nisi à Deo solo producuntur, vt contingit in prima rerum productione, quæ potuit esse secunda, si Deus anterius res alias produxisset.

44 Pro effectibus primi, & secundi ordinis necessarium est exercitium divinæ potentiæ à voluntate *formaliter* distinctæ. Ratio in promptu est; quia cum tales effectus producantur per actionem indivisibiliter procedentem à Deo, & creatura; non per exercitium *immanens*; sed *transiens* à Deo existunt, cumque exercitium proprium divinæ voluntatis, actus sit *immanens*, exercitium illud *transiens* ab alia potentia, quæ in Deo existat, quæque formaliter non sit voluntas, oriri debet. Pro effectibus autem tertij generis dico: quod etsi detur in Deo potentia *executiva* illorum distincta à voluntate; quia potest illos per actionem *transeuntem*, à se vnicè procedentem, producere; nihilominus non est necessarium exercitium illius pro effectuum existentia, cum non sit neganda divinæ voluntati efficacia, vt per se immediatè, & per *immanentem* actionem independentem ab omni alia potentia *executiva*, valeat illis dare esse: hoc enim exigit divina perfectio, in qua *velle*, & *facere*, potest esse idem iuxta illud Psalmi 48. *Dixit Deus, & facta sunt*, quod proprius intelligitur si *ly dixit*, in quo actus voluntatis significatur non arguat; sed sit *formaliter* ipsum *facere*: vnde colliges, quod pro omni actione, quæ non proveniat indivisibiliter à Deo, & creatura non est necessarius, quidquid sit: an possibilis? Influxus alterius potentiæ à divina voluntate.

45 Ex quibus propositum dubium resolvo, dicens: quod si media, quibus Deus vtitur ad prædestinandum, consistant essentialiter in actione; quia actus intellectus, & voluntatis, in quibus, iuxta nostram sententiam, consistunt auxilia, actionem intelligentis, & volentis essentialiter exigant; necessaria est ad prædestinationem vltra divinam voluntatem *executivam* alia *executio* consistens in actione *transeunte*, provenienteque ab alia potentia distincta à voluntate, cuius actus sunt purè *immanentes*; si verò media à Deo conferenda non in actione; sed in qualitate consistant, quia actus intellectus, & voluntatis qualitates sint, & non actiones intelligentis, & volentis, neque eas essentialiter cognotet, tunc nō erit per se essentialiter necessaria ad prædestinationē *executio* alia distincta à voluntatis actu; at erit *connaturaliter*, quia actus vitales, licet non exigant *essentialiter* actionem intelligentis, & volentis per ipsos, eam exigunt *connaturaliter*: cum ex modo connaturali procedendi debeant provenire ab intrinseco.

46 Deducitur ex immediate dictis: distinctionem illam vius *activi*, & *passivi* non habere locum, quando sola divina voluntas immediate per se, & per solam actionem *immanentem* exequitur effectum, & producit ad extra: quia distinctio solum datur, quando voluntas per suum actum applicat potentiam aliam *transeuntem* operativam ad extra, in quo casu actus voluntatis *executivæ* dicitur vsus *activus*, & exercitium potentiæ applicatæ ad operandum per actum voluntatis vocatur vsus *passivus*. Etiam deducitur ex tota dictorum serie: vnum indivisibilem virtualiter actum posse esse *intentionem* finis, *electionem*, & *executionem* mediorum, necnon ipsius finis. Et ratio est: quia vt vidimus, non est necessaria distinctio inter *intentionem*, & *electionem*, neque inter *electionem*, & *executionem* mediorum, & propter eundem titulum, nec inter *executionem* mediorum, &

finis : ergo idem virtualiter actus, qui potest esse *intentio*, potest esse *electio*, & idem, qui potest esse *electio*, potest esse *exequutio* mediorum, & finis.

47 Certum est quartò. Ad prædestinationem esse necessarium actum divinæ voluntatis præparativum omnipotentiæ, vt simul cum voluntate creata concurrat. Fundamentum est: nam etsi divina potentia propter suam perfectionem, & dependentiam, quam in esse, & operari habet creatura ab influxu ipsius, sit determinata, vt si voluntas creata, sicut, & quælibet alia causa secunda producat aliquem actum, cum ipsa concurrat immediatè; at non est absolutè determinata; quia potest Deus suspendere, & substrahere suum concursum, & operationem creaturæ impedire; ideoque necessarius est actus divinæ voluntatis expediens divinam potentiam; vt penès ipsam non deficiat operatio creaturæ, qui actus necessarius est inter media efficacia ad Beatitudinem, vt coronam obtinendam, quam respicit prædestinatio adultorum.

48 Dubitatur quintò: quale debeat esse hoc decretum applicativum: àn indifferens, an connexum cum operatione libera creaturæ? Quod si indifferens: àn quoad speciem, & individuum actus? An solum quoad speciem; secùs quoad individuum, quæ cum maioris ponderis sint his, quæ in præsenti disquirenda assumpsimus, digniorem locum in tractatus ordine ipsis damus. Vltra recensitos actus divinæ voluntatis; alium vt necessarium ad prædestinationem conatur intrudere, & totis viribus fulcire doctissimus Pater Ribadeneyra, quem vocat decretum comitans, sine quo putat divinum dominium non salvari; & rectè, vtpotè non antecedentem, quamvis efficacem, & connexum cum libertate cohærere; qui cum leviter attingi non possit, præmissa tantùm notitia illius, separatim examinandus relinquitur.

CAPVT III.

De natura, possibilitate, & necessitate imperij intellectualis.

49 IMperium aliud dicitur *politicum, civile*, & *morale*; aliud *monasticum*, & *despoticum*. Primum dicitur actus ille, quo superior præcipit personæ sibi subditæ, sivè per purum præceptum, sivè per legem, actionem aliquam exequendam: vocatur *politicum* quia necessarium ad servandam politicam, & rectam gubernationem eorum, qui socialiter vivunt. *Civile*, quia datur respectu illorum, qui civiliter, & incommunitate vivunt. *Morale*, quia non inducit vim *physicam* operandi; sed *moralem* per intimationem obligationis reddentis illicitum subdito oppositum illius, quod præcipit; secundum est *eiusdem ad se*, id est actus, quo quis imperat actum potentiæ sibi subditæ, determinando ad exequutionem illius: appellatur *monasticum*, quia est *vnius ad se*; *Despoticum*, propter vim, quam habet, quando est efficax, & absolutum, impellendi irresistibiliter ad actionem imperatam. Hoc imperium invenitur apud plures in humana voluntate respectu suorum actuum, potente per vnum sibi inducere necessitatem ad alium tendendo affectivè in ipsum, taleque invenitur apud omnes in voluntate respectu potentiarum materialium, vt potentiæ loco motivæ, quam determinat per suum actum irresistibiliter ad movendum pedem; necnòn respectu intellectus quoad illos actus, ad quos per evidentem obiecti propositionem non necessitatur.

50 Vltra hoc imperium ad voluntatem pertinens, & quod, vt notavit Pater Ribadeneyra clarissimè traditur à Divo Thoma tum prima secundæ quæstione 17. in titulo quæstionis, & in procœmio illius vbi inquit: *Actus esse imperatus à voluntate*. Tùm secunda secundæ quæstione 4. art. 2. ad 2. ibi: *Oportet intellectum esse promptum ad sequendum imperium voluntatis*. Tùm quæstione 58. art. 8. ad primum dicens. *Voluntas movet per suum imperium omnes alias animæ potentias*: sicuti etiam frequens est in phrasi Scripturæ,

turæ, & Patrum, à quibus voluntas Dei, & Prælatorum dicitur præcipere, & iubere, sicut, & subditorum voluntas obedire voluntati Dei, & Superiorum. Dubitatur: an in agentibus rationalibus sit possibile simile imperium *monasticum*, pertinensque ad intellectum *formaliter*, quia consistat in actu illius, insuperque: an ex suppositione, quod sit possibile, sit taliter necessarium, vt eius necessitas comprehendat etiam diuinos actus: vndè necessariò in prædestinatione debeat inueniri?

51 In quo dubio. Multiplex est sententia. Prima affirmat possibile hoc imperium rationis. Ita Thomistæ cum Cayetano, & ex nostris Eximius Suarius, Belarminius, Vazquez, Valentia, & alij, quorum aliqui minus rigidè imperium intellectuale accipiunt. Secunda negat, pro qua citatur Okam 3. Sententiarum, quæstione 12. articulo 4. Enricus, Almaynus, Ioannes de Medina, Castro, & Divus Bonaventura, quamvis de mente huius dubitet Pater Ribadeneyra. Rursus inter concedentes possibile imperium intellectuale, seu rationis diuisio est, quoad naturam ipsius explicandam. Dicunt enim plures: imperium intellectuale esse actum intellectus distinctum ab apprehensione, & iudicio non explicabilem per verbum modi indicativi, sub tendentia correspondente his terminis. *Hoc est tibi faciendum*; sed per verbum modi imperativi sub hac tendentia: *Fac hoc*. Ita Bartholomæus Medina, Sotus, Salas, Valentia, Granado, & alij ex quibus nonnulli asserunt, non esse appellandum cognitionem; alij autem esse cognominandum cognitionem non *perceptivam*; sed *præceptivam*: alij denique cognitionem *perceptivam intimativam*. Per oppositum, aliorum sententia est: repugnare imperium, quod tendentia iudicativa non sit. Sic Corduba, Ioannes à Sancto Thoma, & ex nostris Suarez, Vazquez, Fonseca, Azor, & Ruiz, quos sequuntur multi, præcipuè Recentiores.

52 Quoad necessitatem illius, quidam dicunt esse necessarium ante omnem actum liberum: sic Cardinalis Belarminus: quidam inter *electionem*, & *vsum activum*, seu voluntatem exequutivam: sic frequentius Thomistę, qui adeò indispensabiliter necessarium ad prædestinationem affirmant, vt in ipso totam essentiam prædestinationis *formaliter* sumptæ, constituant. Alij ex his, qui imperium intellectuale *iudicium* esse affirmant, inquiunt esse necessarium, vt voluntas exequutiva intimetur potentiæ exequutivæ, vt ratione illius exequatur media electa: insuperque in eo iudicio repræsentanti potentiæ exequutivæ actum voluntatis imperantis *exequutionem*, prædestinationem consistere: huius sententiæ est Pater Ruiz. Vltimo sunt alij dicentes: imperium neque in Deo, neque in nobis esse simpliciter necessarium; verum posse dari in aliquibus circunstantijs, si in iudicio consistat: ita iudicant Pater Herrera, & alij Sapientissimi Recentiores. Ex quibus liquet, quam obscura, & lubrica sit hæc quæstio, in qua tot dicendi modi inueniuntur iam circa naturam, iam circa possibilitatem, iam circa necessitatem, iam circa extrema, quæ antecedere, vel inter quæ collocari debet hoc imperium rationis.

53 Sit prima conclusio. Imperium intellectuale, quod non sit tendentia *iudicativa*, aut *perceptiva*, repugnans est in ratione actus, & in ratione imperij; ideoque neque in Deo, neque in creaturis potest inueniri. Probatur prima pars propositionis primò. Actus, qui cum sit rationis, ad nullam speciem actus rationis potest reduci, est actus repugnans in ratione talis; sed imperium intellectuale, quod non sit tendentia *iudicativa*, aut *perceptiva*, est actus rationis, qui ad nullam speciem actus rationis potest reduci: ergo est repugnans in ratione actus. Maior est certa: nam non potest esse actus alicuius potentiæ, qui inter actus proprios ipsius nequit numerari. Probatur minor. Omnis species actus rationis reducitur ad *apprehensionem*, *iudicium*, & *discursum*, vt constat ex Aristotele libro 1. de Interpretatione, capite 1. cui in mentem non venit alia species intellectualis operationis; sed imperium intellectuale, quod nec sit tendentia *iudicativa*, nec *perceptiva* obiecti non pertinet ad speciem actus *apprehensivi*, *iudicativi*, aut *discursivi*: ergo imperium intellectuale, quod nec sit tendentia *iudicativa*, nec *perceptiva*, est actus rationis, qui ad nullam specem illius potest reduci.

54 Confirmatur: Intellectus est potentia adæquatè repræsentativa: ergo nullum potest habere actum, qui non sit repræsentativus. Consequentia est legitima. Antecedens probatur. Intellectus est potentia adæquate cognos-

noscitiva obiecti ; sed potentia adæquatè cognoscitiva obiecti est formaliter potentia adæquatè repræsentativa: ergo intellectus est potentia adæquatè repræsentativa. Vrgetur: in potentia materiali visiva, nullus datur actus, qui non sit perceptivus obiecti: ergo in potentia visiva spirituali nullus datur actus, qui non sit perceptivus obiecti spiritualiter. Consequentia apparet legitima, cum diversitas inter vnam, & alteram potentiam non stet, nisi in abstractione à materia, & in maiori extensione ad obiecta.

55 Respondet Pater Tyrsus. Rationem hanc facile posse dissolvi à Thomistis per recursum ad Divum Thomam 2. 2. quæstione 83. art. 1. vbi docet: orationem esse actum rationis: cumque sibi obiecisset difficultatem nostræ rationis, quia orationem, neque in actu apprehensivo, aut iudicativo ponit; sed in quodam actu speciali, qui sit *petitio intellectualis*: respondet: intellectum *speculativum* habere illos tantummodò actus; at intellectum *practicum*, qua ratione executionem respicit, & non purè in contemplando sistit, habere alios duos, nempè orationem, qua à superiore petit, & imperium, quo inferiori præcipit. Nec dissimilis est ipse Sanctus Doctor lectione 7. in librum primum Aristotelis de Interpretatione inquiens: ab oratione *enuntiativa* vocali significari conceptum, in quo est verum, vel falsum; ab oratione autem vocali *imperativa*, aut *deprecativa* non significari conceptum, in quo sit verum, vel falsum; sed ordinem quendam rationis ponit talem conceptum existentem, & sic respondet Godoy in præsenti quæstione 23. tractatu 8. disputatione 59. §. 5.

56 Sed contra: nam Divus Thomas prima secundæ quæstione 17. vbi de imperio ex professò agit, & esse actum rationis stabilit, duo dicit: primum: Imperium ita esse actum rationis, vt non antevertat; sed præsupponat actum voluntatis, ibi. *Dicendum, quod imperare, est actus rationis; præsupposito tamen actu voluntatis.* Secundum: imperium *intimationem* esse rationis, quæ *intimatio* dupliciter se habere potest; vno modo intimando *absolute*, quæ *intimatio* exprimitur per verbum indicativi modi: sicut si aliquis dicat alteri: *Hoc tibi faciendum est*: altero modo, intimando aliquid alicui, movendo ipsum ad hoc, *Et talis intimatio exprimitur per verbum imperativi modi, puta cum alicui dicitur: fac hoc*: vnde ad primum respondet: *Dicendum, quod imperare, non est movere quocumque modo; sed cum quadam intimatione denunciativa ad alterum, quod est rationis.* Ex quibus mens Præceptoris Angelici alioquin mihi valdè lubrica fit aliquomodo perceptibilis, iudicans non esse de mente illius imperium rationis, quod non sit tendentia *iudicativa*, & *perceptiva*, vt ex ipsis Thomistis Ioannes à Sancto Thoma, & alij iudicant, quod sic suadere intendo.

57 Primò: quia Divus Thomas assumit pro medio ad probandum cum evidentia (vt inquit) imperium esse actum rationis *esse actū intimativum*, & *denunciativum* alicuius faciendi: ex quo sic infero: ergo Div. Thomas loquitur de imperio, quod sit tendentia *iudicativa*, & *perceptiva*: patet: nam si per illam *denunciationem*, & *intimationem* non intelligeret tendentiam *indicativam*, aut *perceptivam*, malè cum evidentia probaret: esse opus rationis: posset enim responderi: actus intellectus, & rationis esse duntaxat *apprehensionem*, *iudicium*, & *discursum*, quam solutionem ibi non præoccupat: ergo quia loquebatur de intimatione per repræsentationem, & non per tendentiam aliam à repræsentatione distinctam. Secundò. Nam loquitur de imperio præsupponente actum voluntatis, quodquidem non est reflexè imperatum per voluntatis actum; sed posito voluntatis actu necessariò resultat; quod probat respicere actum voluntatis tanquàm obiectum, à cuius evidentia rapitur, vt illud cognoscat tanquàm existens: siquidem actus intellectus non aliter necessariò existit; quàm vel imperatus reflexè à voluntate, vel raptus ab evidentia obiecti.

58 Tertiò: quia *denunciatio*, & *intimatio* non excludit cognitionem *perceptivam*, vt ipse Divus Thomas fatetur, dum dicit: *intimationem* absolutè posse explicari per verbum indicativi modi: *Hoc est faciendum*: ergo quando dicit imperium esse *intimationem*, & *denunciationem* moventem; per ly *intimationem* non excludit repræsentationem *perceptivam*; sed tantum addit motionem supra *intimationem*, per quam distinguitur ab *intimatione*, & *denunciatione* absoluta. Quartò: quia in corpore articuli, dùm incipit quæstionem resolvere, dicit considerandum esse: *Quod quia actus vo-*

lun-

luntatis, & rationis supra se invicem possunt ferri, prout scilicet ratio ratiocinatur de volendo, & voluntas vult ratiocinari, contingit actum voluntatis præveniri ab actu rationis, & è converso, & per hoc probat imperium esse actum rationis antecedentem actum aliquem voluntatis, & præsupponentem alium: vnde infero: ergo intellectus in tantum reflectit supra voluntatem, in quantum ratiocinatur de volendo; ast *ratiocinari de volendo*, fit per tendentiam *iudicativam*, & *perceptivam*: ergo imperium intellectuale consistit in tendentia *perceptiva*, & *iudicativa*.

59 Ex quibus omnibus concludo; quod quando Divus Thomas alibi dicit: imperium esse actum intellectus *practici*, qui est vltra actus potentiæ *speculativæ*, non vult per hoc excludere imperium esse cognitionem *perceptivam*; sed superaddere motionem, per quam constituitur in ratione actus intellectus *practici*, vt probant verba illa eiusdem quæstionis 83. obiectæ: *Sed vlterius ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperij*, per quæ non excludit rationem cognitionis *perceptivæ*. Dùm verò ait: talem actum non habere veritatem, aut falsitatem, intelligendum esse *formaliter in quantum movet*; non *in quantum intimat*, aut *denuntiat*, tùm quia conceptus movendi non dicit tendentiam *perceptivam*, vt patet in actu voluntatis movente alios actus, & movente ad ipsum imperium; tum quia imperium movet, vt *quo*, & in virtute voluntatis, quæ remanet in imperio, ideoque secundum hanc virtutem non est tendentia *perceptiva*; sed purè *præceptiva*.

60 Probatur secundò: actus attingens suum obiectum absque ratione formali potentiæ, est actus chymæricus in ratione talis; sed imperium intellectus, quod non sit tendentia *iudicativa*, aut *perceptiva*, est actus intellectus attingens suum obiectum absquè ratione formali, & *sub qua* intellectus: ergo est chymæricus in ratione actus. Maior est certa. Probatur minor. Ratio *sub qua* formalis intellectus est veritas *formalis*, seù aptitudo, vt conformetur repræsentationi intellectus: nam licèt etiam dicatur, veritatem *transcendentalem* esse rationem *sub qua* intellectus, hoc debet intelligi, in quantum est fundamentum ad veritatē *formalem*: aliàs non magis explicaretur, cur veritas pertineret potius ad intellectum, quam ad voluntatem; cum in integritate prædicatorum etiam fundetur bonitas; sed actus imperij incapax veritatis *formalis* non potest attingere obiectum sub ratione *veri formaliter*: ergo imperium, quod non sit tendentia *iudicativa*, aut *perceptiva*, est actus intellectus attingens suum obiectum absque ratione formali, & *sub qua* intellectus.

61 Respondebis: veritatem aliam esse *speculativam*, aliam *practicam*, quarum secundam habet imperium; non primam, cùm sit verum *practicè*, sed non *speculativè*. Sed contra: quia veritas *practica* inexplicabilis est absque veritate *speculativa*. Nam vbi nulla est veritas *speculativa*, & affirmationis, veritas illa *practica* nihil aliud potest esse; quam connexio cum opere faciendo absquè vlla repræsentatione illius, qua ratione non datur maior ratio, vt hæc veritas pertineat ad intellectum; quam ad voluntatem, vel ad aliam potentiam, quæ necessariò feratur in suum actum, vel *absolutè*, vel ex *suppositione* alterius actus: ergo veritas hæc, quam vocas *practicam*, non est explicabilis independenter à veritate *speculativa*. Confirmatur: voluntas non potest tendere *practicè* in aliquod obiectum, nisi per tendentiam *affectivam* illius: ergo intellectus non potest tendere *practicè* in aliquod obiectum, nisi per tendentiam *speculativam* illius. Explicatur: quamvis voluntas possit imperare, non est in ipsa actus medius inter tendentiam *simplicem*, vel *compositam affectivè*: ergo quamvis ratio possit imperare, non erit actus medius inter tendentiam *simplicem*, aut *iudicativam speculativè*.

62 Tertiò, iuxta hos Authores repugnat contra Scotum actus intellectus, qui sit *dictio* intellectualis, & non *repræsentatio* sit: ergo repugnat actus rationis, qui sit imperium, & non sit repræsentatio, aliàs sicut ipsi distinguunt rationem *speculativam*, & *practicam*, ita ab alijs poterit distingui ratio intellectualis *illuminativa*, & *loquutiva*.

63 Probo secundam partem propositionis. Imperium movens efficaciter, & irresistibiliter absque efficacia movendi in ratione talis, est repugnans: sed imperium rationis, quod non sit tendentia *iudicativa*, aut *perceptiva*, movet efficaciter, & irresistibiliter absque efficacia movendi: ergo est repugnans in ratione imperij. Probatur minor. Voluntas non aliter necessitatur ab intellectu; quam per propositionem infiniti boni, aut per intimationem alterius

terius actus à se elicitì , cui resistere non possit ; sed imperium, quod non sit tendentia *perceptiva* , aut *iudicativa* , non potest proponere infinitum bonum , nec intimare alium præcedentem voluntatis actum : ergo imperium , quod non sit tendentia *iudicativa* , aut *perceptiva* , movet efficaciter , & irresistibiliter absque efficacia movendi. Probatur maior. Si voluntas posset moveri irresistibiliter ab intellectu aliter , quam per propositionem obiecti infiniti , aut per intimationem alterius actus voluntatis , non esset ratio , vt *iudicium practicum* , prout distinctum ab *imperio practico* , quodque explicatur per verbum indicativi modi, pertinetque ad virtutem intellectus , quæ dicitur *Synesis* , seu perspicatia , non sit irresistibile ; vel dicatur , & explicetur, quæ sit illa vis accrescens imperio rationis , & vnde illi proveniat? Ergo voluntas non aliter necessitatur ab intellectu ; quàm per propositionem infiniti boni , aut per intimationem alterius actus præcedentis voluntatis.

64 Confirmatur primò. Vel hoc imperium ponitur ad dirigendam voluntatem , vel non ? Si hoc secundum : non poterit exercere suas vires erga voluntatem , cum nulla potentia possit imperare alteri , quæ per imperium dirigi non potest: si primum: ergo cùm voluntas titulo duntaxat cęcitatis , quam ex se habet , egeat directione alterius potentiæ , eique subdatur; non aliter poterit ab intellectu dirigi; quàm per propositionem , & manifestationem obiecti : ergo imperium , quod repræsentatio non sit , non potest exercere suam efficaciam directivam in voluntatem.Confirmatur secundò. Voluntas vtpotè potentia libera , est potentia inter reliquas *despotica*,& cui cæterę subduntur : ergo non potest necessitari per intellectum , nisi in quantum hic proponat obiectum infinitum in ratione boni , cui voluntas creata subdita est , vel in quantum ostendat actum præcedentem voluntatis , cui voluntas pro libito potest subijcere reliquos actus subsequentes.

65 Respondebis. Rationem non posse imperare voluntati,quasi virtute propria ; at posse virtute derivata ab actu præcedente , vi cuius voluntas est *primum* movens , vt loquitur Divus Thomas ; vt autem cogat voluntatem virtute voluntatis,quam in se imbibit , non est necessaria aliqua obiecti propositio ; sed solummodo præcedentia actus voluntatis , à quo procedit imperium. Sed contra : quia vel hoc probat : imperium nullam exercere efficaciam erga alterum voluntatis actum,vel esse necessariam intimationem actus præcedentis. Probatur ; vel solus actus præcedens voluntatis est sufficiens ad subsequentem voluntatis actum ; & sic impertinens est imperium rationis ; vel est necessarius intellectus actus , vt medio illo , vim suam exequatur : quod si ita est ? In tantum potest esse hæc necessitas ; vt medio illo se intimet voluntati, quoad alium actum necessarium : ergo imperium necessarium est , vt manifestatio actus præcedentis. Probo consequentiam.Nam si intimatio cęca , vt ita dicam , sufficeret; primus voluntatis actus per se notificaretur voluntati ; quin esset necessarius actus rationis : ergo si hic est necessarius ; ideò est , quia non quævis intimatio; sed repræsentativa est necessaria. Suadet intentum imperium *politicum* , quod non aliter moveri; quàm per ostensionem , & manifestationem actus voluntatis *alienæ* : ergo imperium *monasticum* , & *despoticum* ; non aliter mòvet;quam per manifestationem actus voluntatis *propriæ*.

66 Secunda conclusio.Imperium *monasticum* , & *irresistibile* , quomodocumque quoad entitatem constituatur , sivè purè *perceptivum* , sivè *iudicativum*, & *repræsentativum*,nequè in Deo, nequè in nobis potest esse necessarium ad omnem voluntatis actum , vt vult ex nostris Eminentissimus Belarminus , & est sententia aliquorum Thomistarum apud Godoy ; imò impossibile est,quod ad omnem liberum voluutatis actum præcedat imperium. Propositio hęc clara est Divo Thomæ , qui , vt vidimus supra , non aliud concedit rationis imperium ; quàm supponens voluntatis actum ; prout autem supponit, non precedit. A ratione probatur. Primus actus liber voluntatis , nequè in Deo , nequè in nobis potest supponere imperium connexum , & irresistibile : ergo non ad omnem actum voluntatis requiritur imperium rationis. Probatur antecedens. non potest esse necessarium ad actum liberum id , quod si existeret , destrueret libertatem actus ; sed imperium requisitum ad primum liberum voluntatis actum destrueret libertatem illius : ergo primus actus liber voluntatis , neque in Deo , neque in nobis potest supponere

im-

imperium connexum, & irresistibile. Probatur minor. Tunc destruitur libertas actus, quando non manet expedita voluntas ad oppositum actus in casu libertati possibili; sed dato imperio non maneret volùtas expedita ad oppositum in casu libertati possibili: ergo imperium præcedens ad primum liberum voluntatis actum destrueret libertatẽ illius.

67 Probatur minor. Omnis casus libertati possibilis est casus non præscindens à duplici contradictorio imperij, & carentiæ illius; sed voluntas non maneret expedita ad oppositum pro vllo casu libertatis non præscindente ab imperio, & carentia imperij: ergo posito imperio, non maneret expedita voluntas ad oppositum in casu libertati possibili. Prob. min. omnis casus libertatis non præscindens ab imperio, & carentia illius, est casus, vel existentiæ libertatis, & existentiæ imperij; vel existentiæ libertatis, & carentiæ imperij; sed voluntas non manet expedita ad oppositum actus pro casu libertatis, & existentiæ imperij; aliàs coniungeret, aut posset coniungere carentiam actus cum imperio; neque maneret expedita ad oppositu m actus pro casu libertatis, & carentiæ imperij; tum quia non posset impedire imperium, quod necessarium erat, vt posset ponere oppositum in sensu diviso salvante libertatem; tum quia, quomodocumque deficiente imperio, deficeret potestas ad actum, qui sine imperio, vt dirigente, non potest existere, ac proinde casus carentiæ actus non esset casus possibilis libertati; verum casus necessitatis ad oppositum: ergo voluntas sub imperio non maneret expedita ad oppositum pro vllo casu libertatis non præscindente ab imperio, & carentia illius.

68 Hinc deprehendes: pro salvanda libertate cum imperio, non esse recursum ad solutiones, quas Thomistæ apropriant prædeterminationi: scilicet voluntatem prædeterminatam ad actum posse ponere oppositum in sensu diviso præcisivo, in quantum potest ponere carentiam actus secundùm se; aut posse ponere in sensu diviso faciendo à Deo, & potestate subordinata propria agentis secundi. Ratio est: quia in his omnibus casibus, vt libertatem salvent, relinquunt potestatem constitutam per iudicium indifferens, & componibilem cum vtroque extremo, tenente se prædeterminatione ex parte actus secundi per modum applicationis ad illum; at imperium, cùm se teneat ex parte actus primi, & vt regulans operationem, nequit relinquere potestatem indifferentem magis; quam visio beatifica existens in mente Beati, quæ nullam potestatem indifferentiæ relinquit ad amorem subsequutum. Accedit, quod etsi hę solutiones admitti possent pro libertate creata, & subordinata; verùm in increata, & prima locum non habent, cùm non sit alia, in qua contineatur tãquam in radice: vndè, vt maneat, est necessarium, quod possit oppositum actus imperati exercere in sensu diviso faciendo à se ipso, quod facere non posset, si ad primum actum liberum præcederet imperium independens ab altero exercitio libero. Ex quo detegitur aliud caput, vt libertas creata repugnaret; siquidem repugnante prima, secundam repugnare necesse est.

69 Ideò duplici alia via huic rationi solet ocurri: vtraque intendendo, quod etsi imperium sit prærequisitum ad primum actum liberum, libertatem illius non destruit; quia non est necessitas simpliciter antecedens; sed consequens, in quantum potest impediri per exercitium liberum voluntatis: impedibilitatem autem diverso modo componunt. Dicunt enim aliqui: voluntatem posse impedire imperium, in quantum libere permittit, & sibi imperare à ratione finit; quare dum existit imperium ad primum actum liberum, necessitas inde orta, est necessitas ad actum, in qua voluntas se constituit; necessitas autem, quæ à voluntate libere descendit, non est necessitas antecedens; sed consequens. Alij ex Thomistis rem expediunt per mutuam causalitatem, qua imperium præcedit primum voluntatis actum, & hic præcedit imperium; nè vero mutua causalitas, cùm sit in eodem genere *efficientis*, & *moventis* repugnet, vtrumque actum sub diversis formalitatibus considerant; sub quarum aliquibus vnus actus præcedit alium, & non subsequitur: v.g. imperium sub ratione purè *moventis*, & *dirigentis*, præcedit actum voluntatis sub ratione *volitionis reflexæ sui*; & sub ratione *imperij* subsequitur has formalitates primi actus liberi: at sub ratione *imperij* præcedit actum voluntatis, prout est exercitium volendi directè obiectum; sub qua consideratione, imperium in ratione talis nullo modo subsequitur.

Am-

70 Ambæ satis implexæ,& difficiles, quæque videntur difficultati non satisfacere. Impugnatur prima. Voluntas, vt permittens sibi liberè imperari per actum rationis; aut sinit liberè imperium per actum positivum, quo nolit illud impedire; aut per puram omissionem? Si *per actum positivum*: ergo actus voluntatis, quem vocas primum, primus non est; sed secundus adveniens post actum positivum liberum, quo voluntas permittit, existere imperium: vnde rursus arguo: vel ad illum primum actum liberum requiritur imperium, vel non? Si requiritur. ergo infinitum actuum voluntatis, & imperiorum rationis proceditur, cum ad hoc, vt salvetur libertas illius imperij, sit necessarius alter actus positivus voluntatis, & ad hunc aliud imperium rationis, & sic sinè termino: vlteriusque voluntas remanebit necessitata ad aliquod imperium; cum omne non possit excludere; propterquod, etiam manebit determinata ad id, quod ex imperio sequitur, quod actus directus est. Si per puram omissionē: præterquamquod ad illam concedendam possibilem restringeris, quod ego cum multis nego; insuper restat compositio libertatis huius puræ omissionis, designando illi aliud extremum, per quod pura omissio impedimenti incomponibilis cum actu imperij possit excludi; aliter pura omissio libera non erit; sed necessaria, impertinensque ad explicandam libertatem actus: iam rogo, quodnam est illud impedimentum imperij? Aut enim est libera carentia actus? Et hæc minimè; quia carentia actus non potest intelligi libera, nisi intelligatur potestas ad actum, quæ per imperium constituitur: vnde erit libera voluntas ad coniungendam omissionem, seu impeditionem imperij cum imperio: aut est aliud impedimentum distinctum à carentia actus, & hoc, aut *positivum*, aut *negativum*? Si *negativum* assigna *positivum*, quod excludit. Si *positivum*: aut hoc potest ponere sine imperio, vel secùs? Si absque imperio: ergo voluntas ad omnem determinationē positivam non indiget imperio: si cum imperio: De permissione huius, nè libertatem lędat, redit argumentum.

71 Impugnatur secunda: primò. Aut imperium secundum illam formalitatem, secundum quam subsequitur determinationem voluntatis, est impedibile, vel non? Si *hoc secundum*: ergo subsequutio hæc, pro libertate servanda, nil prodest, præcipuè, si de divina libertate loquamur, quæ in alia libertate non radicatur, per quam sit auferibile illud impedimentum ad carentiam actus. Si *est impedibile*: ergo voluntas potest impedire imperium in ratione talis per coniunctionem carentiæ actus cum illis formalitatibus actus imperij, quæ præcedunt exercitium liberum voluntatis: ex quo remanebit actus imperij in ratione *moventis*, & non in ratione *imperantis* volitionem directam, quod res mira, nè dicam chymæra ingens erit; præcipuè si ad imperium creatum se extendat hæc doctrina. Secundò: voluntas prout se exercens liberè per formalitates actus præcedentes ad imperium in ratione talis, & subsequutas ad ipsum in ratione *moventis*, libere operatur absque imperio præcedenti: ergo vera est propositio affirmans: *exercitium aliquod voluntatis existit absque præcedentia imperij*: ergo falsa est eius contradictoria: *nullum exercitium liberum voluntatis potest existere absque præcedentia imperij*: vnde subsumo: ergo aliquis voluntatis actus potest existere absque imperio rationis. Probo consequentiam: quoties aliquod exercitium liberum potest existere absque imperio dirigenti, deficit ratio, vt primus actus *completè* sumptus, procedat ab imperio, cum totum fundamentum sit, exercitium liberum voluntatis debere esse gubernatum, non solum à ratione *movente*; sed *præcipiente*: ait per te exercitium liberum, vt tale, non eget actu rationis *præcipiente*: ergo aliquis actus voluntatis potest existere simpliciter absque prævio imperio, vt tali dirigenti.

72 Tertiò: quia vt bene Godoy: omnis formalitas actus voluntatis propter huius cęcitatem debet procedere ab actu rationis *illuminante*, & *movente*, quin aliqua formalitas queat præcedere illuminationem, nec aliqua illuminationis formalitas in ratione talis subsequi: ergo omnis formalitas actus voluntatis propter huius indifferentiam debet procedere ab actu rationis *præcipiente*, & *determinante*, quin vlla formalitas actus præcedat imperium in ratione talis, nec aliqua formalitas huius in ratione talis subsequatur. Probatur consequentia. Non minus est indifferens voluntas; quam cęca: sed propter cęcitatem indiget illuminatione rationis in omni formalitate actus: ergo propter indif-

indifferentiam indiget rationis determinatione, quoad omnē actus formalitatē.

73 Tertia conclusio contra Patres **Ruiz**, & Granado: repugnat, sivè in Deo, sivè in creaturis rationis imperium, adveniens pòst vltimum voluntatis actum circa media, & præcedens ad solam productionem externam talis medij. Probatur primò ex Recentioribus. Imperium ex se inordinabile, est imperium repugnans; sed imperium hoc, adveniens post vltimum voluntatis actum executivum mediorum, est in se inordinabile: ergo repugnat. Maior est certa: Nam *imperare*, est in ordine ad aliquid, & respectu alicuius: ergo in se, & ex se includit ordinabilitatem. Probatur minor. Imperium hoc non potest dirigi ad actum voluntatis; cum omnem actum voluntatis præsupponat; sicque imperaret id, quod quia factum, non eget imperio; non ad effectum: quia effectus non ponit se ipsum: vnde frustra ei imperaretur executio sui: tùm etiam, nàm id, quod præcipitur, non est id cui præcipitur; effectus autem præcipitur per rationem; sed non præcipitur effectui: modo, quo in imperio *politico*, quod præcipitur, est aliqua actio; sed cui præcipitur, est potentia *executiva* talis actus. Non ad potentiam externè *executivam*, prout distinctam à voluntate; quia potentia *executiva* non potest immediate dirigi actu rationis; cum hoc duntaxàt sit proprium appetitus rationalis, qui immediate ratione gubernatur; reliquæ verò potentiæ immediate subduntur voluntati, cui per sympatiam, & subiectionem obediunt independentèr ab actu dirigente. Vlterius potentiæ aliæ ab intellectu non debent esse minus subiectæ voluntati, quàm intellectus: sed intellectus immediate subditur voluntati quoad suos actus, vt constat in ipso imperio immediate determinato per voluntatem: ergo actus potētiæ executivę potest immediatè determinari à volūtate sinè imperio.

74 Secundò ab eversione contrarij fundamenti. In tantum enim tale imperium esset posibile, in quantum necessarium, vt agens rationale externe operans, effectus, & actiones externas causaret prudenter, & rationis ductu: sed ad hoc non est necessarium: ergo nec titulo huius necesitatis posibile. Probatur minor. Vt agens rationale prudentissimè exerceat actiones externas sufficit, eas exercere ex imperio voluntatis prudentissimo: sed secluso imperio rationis immediatè præcedenti, si determinet voluntas medio suo decreto executivo, exercebuntur medio imperio prudentissimo; cum per hos Authores electio executiva medij posit esse prudentissima absque vllo rationis imperio: ergo vt causentur actiones externæ prudentissimè non est necessarium imperium rationis subsequens actum voluntatis executivum.

75 Tertiò: quia ad prudentiam non solum spectat actus imperij; sed actus alius, qui à Divo Thoma, & Aristotele vocatur *conclusio operis*, seu *perfecta idea*, & *cognitio* illius: ergo si, vt agens rationalè operetur prudenter, necessarium est præcedere ad externam executionem actum rationis imperantem; vt operetur plenè prudenter, erit etiam necessarium, quod prudentia adæquatè præcedat operis executionem: quod si respondeas: sufficere, quod tales actus præcedant, aut intentionem, aut electionem: sic dicam; quod, vt executio sit prudentissima, sufficit, executionem fieri immediate per determinationem voluntatis regulatam iudicio prudentiæ. Quartò. Iudicium hoc *intimativum* voluntatis executivæ, quod vocas imperium, non imperat, vt *quod*; sed vt *quo*; in quantum manifestat voluntatem imperantem: eo modo, quo promulgatio legis non est lex; sed intimatio legis: àt intellectus non est medium *quo* movens, nisi respectu voluntatis, quę vnice ducitur repræsentatione intellectus immediatè: ergo imperium illud fictitium est. Quinto: imperium movens, vt *quo*, ratione voluntatis moventis, vt *quod*, non est nova determinatio ad executionem; sed novus titulus ad eandem determinationem: at novus titulus ad eandem determinationem est superfluus: ergo nullatenus necessarium.

76 Sextò specialiter pro Deo. Deus prudentissimè applicat suam omnipotentiam ad operandum independenter ab imperio rationis: ergo vt omnipotentia, pròut distincta à voluntate, exequatur opus externum, non indiget imperio rationis. Probatur antecedēs. Deus prudentissimè se gerit, dum applicat suā omnipotentiam ad concurrendum simul cum creatura in actibus liberis: sed tunc nō applicat per imperiū rationis; sed per actū voluntatis: ergo prudētissimè applicat suā omnipotentiā ad cōcurrendum, & operandum independenter ab impe-

rio rationis. Probatur minor. Id, per quod applicat omnipotentiam ad sic operandum, debet esse indifferens ad concursum in actu secundo, & carentiam illius; aliter libertatem everteret, cum omnipotentia, prout applicata, sit constitutivum illius: sed imperium rationis, quod vocas *monasticum*, & *despoticum*, non est indifferens ad carentiam effectus: ergo dum Deus applicat omnipotentiam ad concurrendum cum creatura pro actibus liberis, non applicat per imperium rationis; sed per actum voluntatis. Infero: Omnipotentia propter subiectionem, quam habet ad divinam voluntatem, est potens obedire absquè imperio rationis, interveniente tantùm voluntatis actu: ergo absque fundamento, & vtilitate introducitur imperium rationis in Deo pro executione actionum externarum.

77 Forsàn respondebis: etiam tunc intercedere cognitionem, quæ, etsi non sit connexa cum operatione, sicùt nec voluntatis actus connexus est; tamen intimet omnipotentiæ voluntatem applicativam, & sit imperium; non actionis externæ provenientis ab omnipotentia; sed applicationis. Contra vero est; nam cùm omnipotentiam esse applicatam, non sit aliquid exequibile ab omnipotentia; sed quid formaliter ipsi adveniens per adiunctum actum divinæ voluntatis, liberè decernentis præparationem ad quid erit necessaria ista notitia? Igitur semèl præparata sufficienter per divinam voluntatem, iam non erit necessarius actus rationis: imo vires subsumit nostra ratio. Per te voluntas creata potest per suum exercitium liberum determinare omnipotentiam ad actionem externam sine prævia cognitione illius: ergo potiori titulo divina voluntas poterit determinare per suum actum actionem externam absquè prævia cognitione illius. Nec obstat, actionem externam creaturæ imperatam à voluntate creata esse identicè actionem omnipotentiæ: nam id, quod facit identitas actionis provenientis à Deo, & creatura, potest facere dependentia, quam habet actio omnipotentiæ ab actu efficaci divinæ voluntatis. Confirmatur. Deus per suum efficacem voluntatis actum potest immediatè determinare actum creatæ voluntatis, vel alterius potentiæ sine prævia cognitione illius: ergo poterit similiter per suum actum efficacem voluntatis immediatè determinare actionem suæ potentiæ executivæ, non præcedente cognitione illius: non enim est minus prompta divina potentia ad sequendum ductum divinæ voluntatis; quam quævis alia potentia limitata.

78 Septimò ad idem intentum. Imperium illud medians inter voluntatem *executivam*, & *executionem* externam, derogat perfectioni divinæ voluntatis: ergo in Deo repugnat. Probatur antecedens: voluntas divina non haberet perfectissimè sibi subiectam potentiam executivam à se formaliter, seu virtualiter distinctam, si imperium executivum esset necessarium: ergo derogat perfectioni divinæ voluntatis. Probatur antecedens. Non est perfectissima subiectio potentiæ executivæ ad voluntatem ea, quæ non est immediata dependentia à voluntate, taliter, vt voluntas immediate per se valeat determinare executionem, vel illam suspendere; sed si esset necessarium imperium rationis medians inter actum voluntatis, & executionem; potentia executiva ad extra non esset immediatè subiecta voluntati; sed media operatione alterius potentiæ, scilicet intellectus: ergo si imperium esset necessarium; voluntas divina non haberet perfectissimè subiectam potentiam executivam. Confirmatur. Creaturæ non essent perfectè subiectæ omnipotentiæ, si ad illas concurreret tantùm, mediantè operatione, in aliam virtutem immediate influxivam: ergo divina potentia non esset perfectè subiecta divinæ voluntati; si ad illam determinandam concurreret, mediante exercitio alterius potentiæ immediatè determinantis.

79 Quarta conclusio. Imperium communiter vocatum *Thomisticum* medians inter *electionem*, & *vsum activum* non est necessarium, neque in creaturis non modò *absolutè*; verum nec ex *suppositione*. Probatur prima pars. Non est necessarium *absolutè*, neque in Deo, neque in creaturis id, sinè quo tàm in Deo; quàm in nobis potest stare actus *electivus*, & *executivus* mediorum: sed tàm in Deo, quàm in nobis potest sine rationis imperio stare actus *electivus*, & *executivus*: ergo, neque in Deo, neq; in creaturis est necessariũ imperiũ rationis medians in-

inter *electionem*, & *vsum activum*. Probatur minor. Tàm in Deo; quàm in nobis potest esse vnus, & idem actus *intentio* finis, *electio*, & *executio* mediorum: sed quando vnus, & idem actus est *intentio* finis, *electio*, & *executio* mediorum, non est locus imperio rationis inter actum *electivum*, & *executivum*: ergo tàm in Deo, quam in nobis stare potest, sine imperio rationis actus *electivus*, & *executivus*. Maior, in qua stat difficultas, probata manet ex dictis capite præcedenti.

80 Probo secundam partem: primò ad hominem contra Thomistas per quos, adhùc data distinctione inter *intentionem* finis, & *electionem* mediorum, non intervenit imperium rationis medians inter vtrumque actum; ex quo sic arguo. Per vos, adhùc interveniente distinctione inter *intentionem*, & *electionem*, non est necessarium imperium rationis medians: ergo adhuc ex suppositione distinctionis inter *electionem*, & *vsum activum*, non est necessarium imperium rationis medians, & immediate determinans ad actum executivum. Probatur consequentia. Non minus dependet efficacia *electionis* ab efficacia *intentionis*; quam efficacia *vsus activi* ab efficacia *electionis*; sed non obstante illa dependentia, non est necessarium imperium rationis inter *intentionem*, & *electionem*: ergo non obstante hac dependentia, non erit necessarium inter *electionem*, & *vsum activum*.

81 Respondet Godoy: disparitatem stare in eo, quod iudicium regulans electionem, proponit media in ordine ad finem efficaciter intentum; cùm autem in vi intentionis non possit participare efficaciam motivam quoad exercitium circa hæc determinata media; ideò rationem imperij efficaciter moventis, non obtinet: iudicium verò regulans *vsum*, cum media, vt efficaciter electa, hic, & nunc exequenda, proponat; ab *electione* efficaciam participat; & ideò obtinet rationem imperij. Sed contra. Nam non semper finis intentus habet mediorum vaguitatem; sed determinate per media aliqua est assequendus: in quo casu etiam si *electio* ab intentione distinguatur, participabit efficaciam motivam ab *intentione*, quod si dicas. Iudicium in tali casu movens, esse imperium *large* acceptum, prout comprehendit actum gaudentem efficacia motiva; idem dicam de tuo imperio versante inter *electionem*, & *vsum*: vnde non dabitur imperium propriè acceptum. Contra deindè; quia sicut posita *intentione* finis, hic potest consequi per hæc, vel per illa media: sic ponta electione determinati medij, potest esse variatio in modo executionis per hoc, vel per illud decretum, quod moveatur, vel tantùm *materialiter*, vel *formaliter*, & per tendentiam intrinsecam ex actu voluntatis electivo; quin requirat hunc determinatum modum exequendi: ergo si *intentio* propter illam indeterminationem mediorum non movet ad *electionem*, medio imperio; *electio* propter indeterminationem executionis non movebit ad *vsum*, medio imperio. Contra denique: quia etsi *electio* non valeat participare ab *intentione* efficaciam circa hæc determinata media; propterea quod sine illis potest existere; at potest participare efficaciam circa aliqua; cum ex vi *intentionis* efficacis omnia non possint omitti: ergo hanc, medio rationis imperio, participabit, quod proponat media omnia non esse omittenda.

82 Secundo specialiter pro Deo. In suppositione distinctionis *electionis* ab *vsu*, actus intellectus subsequens *electionem* procedit ex perfectione divini intellectus, qui formaliter, & in se debet cognoscere *electionem*, quam primum habet veritatem *obiectivam*, cui correspondere debet cognitio perfectissima in divino intellectu; non vero ex indigentia *electionis*, vt moveat ad *vsum activum*, quæ per se potest movere immediate illum: sicut per *vsum*, absque actu rationis, potest movere potentiam executivam distinctam à voluntate: ergo etsi inter *electionem*, & *vsum activum* interveniat iudicium aliquod rationis; hoc nullatenus potest movere, vt imperium. Confirmatur: quamvis posita *electione* efficaci circa finem, detur in Deo cognitio repræsentans *intentionem*, ex qua manet necessitata voluntas ad aliquam *electionem* vagè acceptam; illa cognitio non induit rationem imperij erga talem *electionem*: ergo quamvis, existente in Deo electione, sit cognitio illius: hæc non erit imperium *vsus activi*; sed quid debitum perfectioni divini intellectus.

83 Propter easdem rationes dicendum est quintò. Neque in Deo, neque in creaturis esse necessarium

imperium vllum rationis inter *intentionem*, & *electionem* mediorum, neque *absolutè*, neque ex *suppositione*. Non *absolutè*: quia tàm in Deo; quàm in creaturis potest esse idem actus, *intentio* efficax finis, & *electio* mediorum; in quo casu necessitas imperij excluditur propter impossibilem distinctionem tendentiarum, inter quas existat. Non ex *suppositione*. quia etsi *intentio* distinguatur ab *electione*, omnis actus intellectus, qui interveniat inter vnum, & alium actum, non exibit ex necessitate, vt medio ipso, vnus voluntatis actus moveat ad alium irresistibiliter; sed vel ex determinatione veritatis *obiectivæ*, & perfectione cognoscentis; vel vt voluntas sit libera, vt per tendentiam intrinsecam actus subsequuti se moveat ex actu præcedente: quod cum liberum sit, posita cognitione; non est titulus, vt hæc reputetur tamquam imperium rationis determinans irresistibiliter ad vlteriorem actum.

84 Sexta conclusio. Imperium rationis *strictè* tale, neque in Deo, neque in creaturis est possibile; ac perconsequens Deus, sivè ad providendum, sivè ad prædestinandum illo non eget. Ita Pater Vazquez prima secundæ disputatione 49. capite 4. Probatur. Imperium rationis *strictè* tale est actus intellectus irresistibiliter determinans ad operationem, qui vel præcedat ad omnem voluntatis actum, vel saltem ad aliquem, intimando alium præcedentem, vel absque repræsentatione præcipiendo: sed tale imperium non est possibile, neque in Deo, neque in creaturis: ergo neque in Deo, neque in creaturis est possibile imperium rationis *strictè* tale. Probatur minor. Imperium rationis *strictè* tale præcedens ad omnem voluntatis actum opponitur, vt vidimus, cum libertate illius: deinde imperium *strictè* tale subsequens vnum voluntatis actum, & antecedens alium, si sit purè *præceptivum*, & non *repræsentativum*, est actus chymæricus intellectus, vt etiam manet explicatum; si verò sit *intimativum*, & *repræsentativum* actus præcedentis, in ratione imperij est superfluum; cum non proveniat ex indigentia voluntatis ad determinandum actum subsequentem; sed ex pura determinatione veritatis *obiectivæ*, sicut quævis alia cognitio; nec per se vnquam determinat; sed ad summum per id, quod repræsentat: ergo tale imperium non est possibile. Dixi imperium *strictè* acceptum. Nam si sit sermo de imperio minus *propriè*, & *latè* sumpto, nimirùm, pro actu quomodocumque repræsentante connexionem vnius actus voluntatis cum alio; aut pro cognitione, quæ non purè sistit incontemplatione obiecti; sed practicè movet per adiunctum voluntatis actum; non est negandum: esse possibile, imò, & necessarium imperium rationis. Cæterùm id extra sensum, & rigorem quæstionis est.

CAPVT IV.

Solvuntur obiectiones.

85 COntra primam conclusionem obijcies primo. Sunt plures actus de linea intellectuali, qui neque *apprehensio* sint, neque *indicium*, neque *discursus*; ergo imperium intellectuale, quod purè *præceptivum*, & non *perceptivum*, & *repræsentativum* sit, non repugnat ex eo, quod intra tres species operationis intellectus non contineatur. Probatur antecedens. *Formido*, *dubitatio*, *suspicio*, *admiratio*, *petitio*, & *interrogatio* sunt actus de linea intellectuali, quin sint *apprehensiones*, *iudicium*, aut *discursus*: ergo possibiles sunt actus de linea intellectuali ad tres enumeratas operationes non pertinentes. Antecedens probatur per partes. *Formido* non est pura *apprehensio* falsitatis: quia in eo, qui firmiter credit, potest esse, & est *apprehensio* falsitatis, & non est *formido* de parte opposita. Neque est *iudicium*, quo quis iudicet: possibile esse falli: quia dùm quis iudicat cum formidine aliquid possibile esse, non simul iudicat illud non esse possibile; qualiter iudicaret, si *formido* consisteret in *iudicio* de possibilitate falsitatis; siquidem idem est *formaliter* esse possibile oppositum possibilis in esse talis, ac esse possibile impossibile; neque est *discursus* compositus ex similibus iudicijs, vt per se patet; nam si *formido* repugnat *iudicio*, similiter repugnabit compositioni ex illo: *dubitatio*, neque est mera *apprehensio*; aliàs omnis, qui apprehenderet, dubitaret: neque est *iudicium*, vtpotè, quæ est omnis iudicij

circa

circa obiectum, de quo dubitat suspensio: *admiratio* debet distingui ab illis tribus operationibus, nè admirativum confundatur cum rationali. *Petitio* explicatur his terminis *Da hoc*, quæ voces actum diversissimum denotant ab illis tribus: idem invenitur in *suspicione*, & *interrogatione*, quæ non facile explicari possunt per *iudicium*, *apprehensionem*, aut *discursum*: ergo prædicti actus sunt de linea intellectuali, quin sint *apprehensiones*, *iudicium*, aut *discursus*.

86 Respondent aliqui concesso antecedenti. Negando consequentiam. Quia in imperio est specialis ratio; propterea quòd est *denuntiatio*, & *intimatio*, quæ sine cognitione repræsentativa stare non potest: verùm hæc solutio ex parte deserit intentum, admittendo aliquos actus intellectus, qui sub *apprehensione*, *iudicio*, & *discursu* non comprehendantur. Quare melius respondetur cũ alijs: omnes actus propositos reduci ad aliquam ex illis tribus operationibus; *formido* enim est debilitas iudicij proveniens ex comitantia *apprehensionis suasivæ*, vel *iudicij* circa fundamenta prudenter persuadentia oppositum: *dubitatio* si *strictè* accipiatur, non est actus intellectus; sed omissio actus intellectus cum *apprehensione*, vel *iudicio* de non sufficienti fundamento pro vlla contradictionis parte; quod si accipiatur *positivè*, est iudicium affirmans: illud obiectum esse dubium; quia nec pro eius *esse*, nec pro eius defectu est sufficiens fundamentum: *suspicio* est *apprehensio* fundamentorum impellentium ad assensum simul cum *apprehensione suasiva*, vel *iudicio* de eo, quod fundamentum non est sufficiens ad assensum. *Petitio*, si sit *externa*, est manifestatio desiderij obtinendi aliquid à superiore; si verò *interna*, est desiderium obtinendi aliquid à Superiore, simul cum *iudicio*, aut *apprehensione suasiva*, de potentia, & inclinatione alterius ad subveniendum, directa ad alium ex fine movendi ipsum, vel die; quod sicùt locutio Angelorum, iuxta communem sententiam, consistit in apprehensionibus directis ad alium ex fine, vt per illas cognoscat talem, vel talem conceptum: sic *petitio interna* consistit in apprehensione indigentiæ remedij illius, & potentiæ, vt ab altero proveniat, ex fine, vt in illis cognoscat desiderium obtinendi ab illo subventionem necessitatis, & indigentiæ: vel vt tenet Vazquez prima secundæ disputat. 49. est iudicium, quo inferior vt talis, exprimit suum desiderium, quo desiderat aliquid, tanquam indigens, à Superiore obtinere. *Admiratio* est iudicium de effectu simul cum carentia notitiæ proponentis causam, vnde proveniat; vel iudicium, quo iudicamus, alquid evenire *insolitè*, & præter morem. Vnde non distinguitur à rationali *formaliter* ex modo cognoscendi; sed vel ex carentia cognitionis, vel ex obiecto, quod iudicatur. Deniquè *interrogatio* nil aliud est; quam manifestatio desiderij sciendi aliquid per instructionem alterius: vnde nullus est actus ex his, qui ad aliquam ex his tribus operationibus nequeat reduci.

87 Instabis ex authoritate Divi Thomæ supra adducti in 2. 2. quæstione 83. artic. 1. ad 3. vbi clarè videtur distinguere *orationem* ab *apprehensione*, *iudicio*, & *discursu*, eam collocando inter actus intellectus *practici*, prout distinctos ab actibus rationis *speculativæ*: ergo ex mente Doctoris Angelici, alius actus est concedendus de linea intellectuali, qui ad *apprehensionem*, *iudicium*, aùt *discursum* nequeat reduci. Respondeo: Divum Thomam tantum asserere ibi: *Quod illi tres actus pertinent ad rationem speculativam; & vlteriùs ad rationem practicam pertinere, causare aliquid per modum imperij, vel per modum petitionis*; per quæ non vult excludere actum *petitionis*, ab eo, quod sit vnus ex illis tribus; sed tantum esse vnum ex illis superaddentem rationem *motionis*, per quam non tantum sistit in contemplatione obiecti, pertinetque ad rationem *speculativam*; sed transit ad inclinandum per modum *speculationis* moventis; qua ratione est actus rationis *practicæ*: hanc esse intelligentiam legitimam, probat mihi idem Sanctus Doctor, quando in eiusdem articuli corpore, præbens, & explicans distinctionem inter rationem *practicam*, & *speculativam*, inquit: *Ratio autem speculativa, & practica in hoc differunt, quod ratio speculativa est apprehensiva solum rerum; ratio verò practica est; non solum apprehensiva; sed etiam causativa*: ergo ratio *practica* ad quam pertinet *petitio*, & *oratio*, non excludit conceptum rationis *speculativæ*; verùm involvit actus illius, prout potentes movere in ordine ad aliquid: qua igitur ratione poterit probari ex mente Divi Thomæ *orationem*, & *petitionem* non

includi in illis actibus *apprehensionis*, *iudicij*, & *discursus* pertinentium ad rationem *speculativam*?

88 Objcies secundò. Imperium *politicum* consistit in actu intellectus, non habente veritatem, aùt falsitatem: ergo, & imperium *monasticum* poterit consistere in actu intellectus non habente veritatem, aut falsitatem; sed non in actu, qui sit pura *apprehensio*, quæ, vt per se patet, non est apta ad imperandum: ergo in alio actu præter *apprehensionem*, *iudicium*, & *discursum*. Probatur antecedens. Verba illa, quibus alijs imperatur scilicèt *fac hoc* substituuntur pro actu intellectus, in quo consistit imperium *politicum*: sed verba illa non habent veritatem, aut falsitatem: ergo nec actus intellectus, pro quo substituuntur. Nego antecedens. Nã imperium *politicum* non consistit in actu intellectus; sed voluntatis volentis obligare: nec verba, quibus exteriùs significatur, etsi non habeant veritatem, aut falsitatem respectu rei imperatæ; carent veritate, aut falsitate relatè ad actum voluntatis, quem significant.

89 Objcies tertio: voluntas non est minus potentia amandi, & odio habendi, volendi, & nolendi, quam intellectus potentia iudicandi, & apprehendendi: sed in voluntate potest dari actus, qui nec sit *amor*, aut *odium*, *volitio*, aut *nolitio*: ergo in intellectu poterit inveniri actus, qui non sit *apprehensio*, aut *iudicium*. Probatur minor. Actus voluntatis promissivæ, aut condonativæ respicit obiectum promissum, aut condonatum, & quidem neque, vt *amatum*, & *volitum*, neque, vt odio *habitum*, & *nolitum*: & ratio est: quia tàm promissio; quàm condonatio est componibilis, sivè cum volitione, sivè cum nolitione rei promissæ, aut condonatę: potest enim quis promittere sine animo adimplendi, aut cum animo opposito non adimplendi; & potest etiam coniungi cum animo adimplendi: similiter, qui condonat iniuriam, qua ab aliquo est affectus, potest coniungere cum condonatione non odium iniuriarum, quia vtiles sunt ad patiendum pro Christo, & ad obtinendam gratiam, & gloriam; & etiam non amorem, quia ingentem attulerunt læsionem in honore, aut fama; & nihilominùs voluntas promissiva, & condonativa respiciunt rem promissam, aut condonatam: ergo in voluntate potest dari actus, qui non sit *amor*, aùt *odium*, *volitio*, aut *nolitio* obiecti, quod respicit.

90 Responderi potest primò. Aliud esse, voluntatem posse respicere per suum actum obiectum aliquod, quod neque sit volitum, aut nolitum per ipsum; aliud, posse dari actum voluntatis, qui neque sit *amor*, neque *odium*, *volitio*, aut *nolitio* alicuius obiecti. Transeat primum pro nunc; quod imperio illi minimè favet; cùm illud non modo non sit *apprehensio*, aut *iudicium* alicuius obiecti; verum neque fundetur in apprehensione, aut iudicio alterius; & hoc intendimus esse incomponibile, si sit actus intellectus. Nec simile invenitur in actu voluntatis promittentis, aut condonantis, qui, etsi respiciat obiectum promissum, cum præcisione ab amore, & odio, volitione, & nolitione illius; non autem cum præcisione ab amore, & odio alterius, cùm tendat *volitivè* in obligationem, & condonationem, in qua tendentia fundatur alter respectus: quod explicari potest exemplo satis apto. Etenim actus intellectus quivis dicit respectum potentis coexistere alteri actui cum ipso componibili, ac proindè actui voluntatis: hunc ergo prout potens coexistere, respicit respectu coexistentiæ, seù aptitudinis ad illam, & sub hoc respectu, nec est *apprehensio*, nec *iudicium* illius; nec propterea poterit habere talem respectum, quin sit apprehensio, aut iudicium alterius; imo si non esset apprehensio, aut iudicium alterius, non posset habere respectum potentis coexistere: ergo idem non est; posse respicere aliquod obiectum cum præcisione ab apprehensione, & iudicio illius, aut cum præcisione ab amore, & odio illius; & posse dari, quin sit apprehensio, aut iudicium, amor, aut odium alicuius.

91 Responderi potest secundò. Voluntatem promissivam, aut condonativam non respicere rem promissam, aut condonatam respectu intentionali, vel per modum ponderis, vel per modum recessus affectivi: vnde nil mirum, quod præscindat ab amore, & odio, volitione, & nolitione illius: quod enim tales actus respiciunt, est obligatio, & condonatio, talitasque obligationis, & condonationis, tendendo *volitivè* in ipsas, quæ adæquatè distinguuntur à re conditionata, & promissa, quippè identificatę cum actibus voluntatis distinctis à re condonata, & promissa:

nec

nec obstat, quod talitas obligationis, & condonationis dicat ordinem ad rem promissam, & condonatam: quia hic non est respectus per modum tendentiæ in illam; sed est respectus, aut *physicus*, aut *moralis*, qualis est, quem habet actus voluntatis ad Deum, cum quo connectitur, aut ad libertatem, à qua *electivè* procedit, quin detur tendentia in quovis actu voluntatis libero, neque ad Deum, cum quo connectitur, neque ad libertatem à qua elicitur.

92 Replicabis immediatè: intellectus non potest cognoscere connexionem, aut respectum ad terminum, incognito, & non expresso *repræsentativè* termino: ergo neque voluntas poterit *affectivè* tendere in connexionem, aut respectum ad aliquem terminum, quin aliquomodo tendentia intentionali terminetur ad terminum: ac perconsequens non poterit *affectivè* tendere, in obligationem, aut condonationem, & talitatem illarum; quin tendentia propria actus voluntatis, vt talis, respiciat rem promissam, aut condonatam. Ante solutionem adverte primò: assumptum pro medio in argumento, dubium esse; si requirat, quod per eundem actum intellectus, per quem cognoscitur connexio, aut respectus, cognoscatur terminus. Nam licet verum sit: non posse cognosci connexionem, & respectum, incognitis terminis; hoc non probat, vt inquit Izquierdo: cognitionem vnius debere esse cognitionem alterius; sed cognitionem vnius non posse esse sine cognitione alterius; quod cum distinctione vtriusque cognitionis componitur.

93 Adverte secundò. Replicam nil evincere pro intento actus voluntatis tendentis in obiectum *medio modo* inter amorem, & odium, volitionem, & nolitionem; nam quod, stando paritati intellectus, concluditur, ad summum est, quod sicut intellectus non potest apprehendere, aut iudicare connexionem, & respectum, non apprehenso, aut iudicato termino; sic voluntas non poterit tendere *affectivè* in connexionem, vel affectu prosequutivo, vel recessivo; quin eodem modo tendat in terminum: ex quo non deducitur actus *medius* voluntatis, vt inde arguatur ad actum *medium* intellectus inter apprehensionem, & iudicium.

94 Respondeo concesso antecedenti. Negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quam experientia comprobat: cum enim intellectus per suos actus tendat, exprimendo obiectum; & implicet exprimere vnum in ordine ad aliud, quin exprimatur aliud; non aliter ac per voces non possumus exprimere vnum, vt connexum cum alio, aut prout dicens ordinem ad aliud, hoc aliquomodo non significato; ideo cognito fundamento connexionis, aut respectus, non potest non attingi *expressivè* terminus: cæterum cum voluntas non sic tendat per suos actus, sed vel *prosequutivè*, vel *aversivè*, præsupposita ex parte intellectus expressione respectus, potest tendere in fundamentum connexionis, & respectus, quin tendat in terminum: sic Deus, etsi prosequatur pœnitentiam dicentem connexionem cum peccato, non ideò tendit *prosequutivè* in peccatum, neque est necessarium, vt per eundem virtualiter actum tendat *aversivè* in peccatum: similiterquè, quamvis odio habeat peccatum connexum cum Deo; non ideò odio habet se ipsum: quare actus voluntatis, quomodocumque tendens in connexionem, & respectum, dicet ordinem intrinsecum ad cognitionem repræsentantem respectum, & terminum, ipsam essentialiter præsupponendo, cuius directione tendet *affectivè* in vnum, altero per actum non attacto.

95 Obijcies quartò contra secundam conclusionem: si ad omnem actum voluntatis non requiritur imperium rationis, in pluribus actibus deficeret præcipuus prudentiæ actus, vt est imperium; quod in Deo non est concedendum, qui propter suam perfectionem est determinatus ad operandum, & volendum prudentissimè: ergo ad omnem actum necessarium est imperium rationis; ac perconsequens primus actus debet ab illo regulari. Respondetur; quod, vt quivis actus sit prudentissimus, sufficit regulari iudicio practico de honestate illius, quin sit necessarius actus alius determinans ad actum voluntatis; nè prudentia cum libertate opponatur. Neque, vt vidimus, possibilis est actus rationis, qui sit imperium *strictè* tale; ideò eius existentia non potest esse magis necessaria ad actum virtuosum, & honestum; quam existentia cuiusvis alterius chymæræ.

96 Obijcies quintò. Voluntas per quamcumque tendentiam in bonum, illud per suum actum præfert al-

alteri bono, sivè *positivo*, sivè *negativo*, quod poterat eligere: sed non aliter præfert; quam sub iudicio dictante prælationem: ergo non aliter; quàm sub imperio rationis. Probo minorem probaturus post consequentiam. Quia sicut voluntas non potest ferri in bonum, nisi sub iudicio proponenti bonum; sic, nec potest ferri, præferendo vnum bonum alteri, nisi iudicium dictet, esse præferendum. Probo iam consequentiam. Illud iudicium est imperium, quod ita proponit bonum præferendum, vt sit incomponibile cum carentia prælationis: sed si voluntas non potest præferre vnum bonum alteri, nisi sub illo iudicio prælativo; tale iudicium est inseparabile à prælatione voluntatis; cum non sit simul cum ipso aliud iudicium prælativum; nè intellectus simul iudicet: vnum, & idem bonum esse simul præferendum, & non præferendum; neque voluntas valeat aliam prælationem facere, nisi impediendo illud: ergo non aliter præfert; quam sub imperio.

97 Scire vellem ab arguente, quid debeat contingere, quando voluntas versatur inter bona æqualia; aut quando talis conditionis est, vt quævis illius tendentia sit æquè honesta, vt accidit in actibus divinis: erit nè tunc necessarium imperium rationis prælativum vnius boni? Deinde in doctrina argumenti, quando voluntas præfert bonum delectabile bono honesto obligatorio, esset necessarium iudicium hæreticum dictans talem prælationem; quod si recurras ad falsitatem *practicam*, & non *speculativam*; incides in imperium, quod non sit iudicium; propterea que chymæricum. Dicendum igitur, & sit argumenti solutio: non esse necessarium ad prælationem iudicium dictans: bonum illud esse præferendum; sed solum cognitio proponens bonum *suasivè*: sub qua propositione potest voluntas tendere, *subiectivè* præferendo vnum bonum alteri, quamvis non *obiectivè*, id est, præferendo illud, vt dignius, quod præferatur: quod si voluntas non potest ferri in obiectum, nisi propositum per intellectum bonum; ideo est; quia non potest ferri extra suum obiectum, neque est libera inter bonum, & non bonum; àt ex eo, quod eligat minus, aut æquale bonum non extrahitur à ratione sub *qua* boni; & libera manet, vt eligat, prout voluerit.

98 Insistes: bonum est ratio sub *qua* voluntatis, sicut verum est ratio sub *qua* intellectus: sed quia verum est ratio sub *qua* intellectus non potest per assensum præferre minus verum magis verò: ergo quia bonum est ratio sub *qua* voluntatis non poterit hæc per suam electionem præferre minus bonum maiori bono proposito, vt tali. Inito 1. bonum est ratio sub *qua* voluntatis, sicut verum est ratio sub *qua* intellectus: sed quia verum est ratio sub *qua* intellectus, hic non potest non assentire veritati finitæ evidenter propositæ: ergo quia. Bonum est ratio sub *qua* voluntatis, hæc non poterit non amare bonum finitum clarè ab intellectu propositum. Secundò. Intellectus etiam circa magis verum non evidenter propositum, etsi non possit dissentire, potest non assentire, & suspendere assensum: ergo voluntas erga maius bonum propositum, vt tale, poterit suspendere electionem; quo ruit tuum imperium rationis *monasticum*, & *despoticum*, & cum operatione connexum. Ad instantiam concessa maiori. Distinguo minorem: quia verum est ratio sub *qua* intellectus *præcisse*, non potest per assensum præferre minus verum magis verò: nego minorem: & *quia intellectus non est potentia libera*: concedo minorem, & nego consequentiam. Solutionem confirmat experientia, qua novimus, intellectum posse ex imperio voluntatis ferri in minus verum per assensum imprudentem, & temerarium: ergo quod intellectus ex se non amplectatur minus verum ad conspectum magis veri; non aliunde provenit; quam ex defectu dominij electivi, quo flecti valeat, iam in vnam, iam in alteram veritatem.

99 Objcies sextò ex Patribus Ruiz, & Granado contra tertiam conclusionem, & pro suo imperio rationis medianti inter voluntatem *executivam*, & *executionem*: sic arguunt. Imperium rationis medians inter voluntatem *executivam*, & *executionem* commendat maximam perfectionem Dei; necnòn conforme est perfectioni cuiusvis alterius agentis rationalis in operando: ergo est concedendum. Probatur antecedens. Id, quod ostendit Deum maximè providum, & quodvis aliud agens rationale prudens in sua operatione, commendat maximam Dei perfectionem; & est conforme modo operandi proprio cuiusvis alterius agentis rationalis: sed imperium rationis medians inter voluntatem *executivam*, & *executionem* operis exter-

extremi ostendit Deum maximè providum, & quodvis aliud agens rationale prudens in sua operatione: ergo commendat, tàm Dei; quàm cuiusvis alterius agentis rationalis perfectionem. Probatur minor. Id ostendit Deum maximè providum, & quodvis aliud agens rationale prudens, quod probat: nil fieri sine rationis directione, exequendo exterius per rationem id, quod interius per rationem intendit: sed imperium rationis medians inter voluntatem *executivam*, & *executionem*, id probat: ergo ostendit Deum maximè providum, & quodvis aliud agens rationale prudens in sua operatione. Confirmatur: de ratione agentis rationalis est dirigi per rationem ad omne id, ad quod se extendere valet rationis directio: sed directio rationis potest se extendere ad executionem: ergo ad hanc per modum imperij debet præcedere. Probatur minor ex Divo Thoma prima secundæ, quæstione 17. ad secundum dicente: *Intellectum non solùm sibi; sed etiam omnibus potentijs intelligere*; ast eo modo, quo intelligit, non tantum sibi; sed reliquis potentijs, potest illas dirigere: ergo directio rationis potest se extendere ad potentiam *executivam*, ac proinde ad *executionem*.

100 Respondetur: quod si hoc argumentum aliquid probat; etiã probat contra adversarios, inter intentionem, & electionem debere dari imperium rationis; imò antè primum voluntatis actum; quia quoad hos actus, vt agens rationale, debet ratione dirigi: deinde male confundit directionem per intellectum cum imperio; siquidem non omnis directio imperium est. Quare dicendum: de ratione agentis rationalis operantis, vt talis, & maximè providè esse duci per rationem; sed non esse necessarium: rationis ductum esse immediatum omni operationi agentis rationalis; cum sat sit ducere originem ab imperio voluntatis regulato iudicio rationis: nec aliud voluit Sanctus Thomas, quando dixit, intellectum intelligere sibi, & alijs potentijs; non quidem quia omnibus immediate intelligat; sed quia operatio omnium provenit à voluntate immediate directa per rationem, & in cuius virtute cæteræ potentiæ ab illa dependentes in suis operationibus diriguntur.

101 Objicies septimò contra quartam conclusionem pro imperio *Thomistico* ex illis verbis Scripturę Genes. capite primo. *Dixitque Deus; fiat lux, & facta est lux*, & Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* In quibus per ly *dixit*, quod non *exterius* per articulatam vocem; sed *interius* imperium *executivum* denotatur, vt dixit Divus Augustinus lib. imperfecto de Genes. ad litteram capite 5. ibi. *Quid enim convenientius de Deo dicitur, quantum inter homines dici potest; quam, cum ita ponitur: dixit factum est, placeret*, ita vt in eo, quod dixit, imperium intelligatur; in eo, quod factum est, potentia; in eo, quod placuit, benignitas: ergo ex Scriptura concedi debet in divino intellectu imperium, vt necessarium ad rerum executionem.

102 Si verba hæc Sacræ Scripturæ, sicut, & Augustini effatum de imperio rationis essent accipienda; probarent quidem non imperium *Thomisticum* medians inter *electionem*, & *vsum activum*; sed illud, quod intendunt Ruiz, & Granado, cuius munus est applicare potentiam *executivam* post vltimum voluntatis actum: ratio est; quia in Scriptura *dicere*, in quo intendunt Thomistæ significari imperium rationis, ponitur, vt immediate præcedens factum ipsum operis externi; secùs voluntatem *applicativam* potentiæ operantis ad extra; alias non diceretur: *Dixit Deus, & facta sunt; sed dixit Deus, & voluit fieri.* Ad argumentum respondet Pater Suarez: ea verba esse intelligenda non in omni rigore, & proprietate; sed *metaphoricè*, ita vt ly *dixit* significet efficaciam, & facilitatem divinæ potentiæ, cui tam facile est exequi, ac nobis loqui: qua ratione intelligenda veniunt illa Proverbiorum capite 24. *Et legem ponebat aquis; nè transirent fines suos.* Iob cap. 38. *Vsque huc venies, & non procedes amplius.* Ad Romanos 4. *Vocat ea, quæ non sunt, tamquàm ea, quæ sunt*: cùm clarum sit, mare, aquas, & res non existentes non esse id, respectu cuius possit dari stricta lex, aut stricta loquutio.

103 Contra hanc solutionem insurgit Godoy: quia verba Scripturæ debent intelligi in strictiore sensu, quem capiunt, nisi aliunde probetur maximum aliquod inconveniens, quod in præsenti non apparet, si de imperio stricto accipiantur. Nihilominus solutio data subsistineri potest; nec sine gravi inconvenienti possunt loquutiones illæ *strictè* accipi; quale est admittere necessarium in Deo, quod necessarium non est: concedere imperium *strictum*, quod, vt tale imperceptibile est; si ad rationem

nem pertineat, & minuere efficaciam divinæ voluntatis, eam reddendo inhabilem, vt per se immediate sine interventu alterius potentiæ possit exequi id, quod intendit.

104 Quod si adhuc hæreas in proprietate loquutionis, dicendum, quod mihi verosimilius est: ly *dicere* denotare imperium *stricte* tale non pertinens ad intellectum; sed ad voluntatem; accipitur enim *dicere* pro eodem ac *mandare*, quod proprium est voluntatis, in qua tantum est strictum imperium. Nec video: vnde eruere possint Thomistæ: ly *dicere* contentum in Scriptura denotare *stricte* acceptum imperium rationis; nisi supponendo, imperium *stricte* acceptum esse opus rationis; quod nego, & inverso ordine affirmo: imperium *propriè*, & in rigore pertinere duntaxat ad voluntatem; & *impropriè*, & quasi per alienationem ad intellectum. Similiter Divus Augustinus non loquutus est de imperio rationis, sed de imperio voluntatis, & actu efficaci illius, quo non solum complacuit Deus in opere externo, sed applicuit potentiam ad exequendum *externe* opus præintentum.

105 Objcies octavo. In Deo debet concedi virtus prudentiæ, sicùt, & cæteræ virtutes morales conceduntur; ergo debet concedi imperium rationis. Probatur consequentia. Imperium rationis est principalis actus prudentiæ: ergo si concedenda est virtus prudentiæ concedendum est rationis imperium, nè *diminutè*, & *imperfectè* virtus prudentiæ Deo tribuatur. Antecedens constare videtur ex Divo Thoma 2.2. quæst. 47. articulo 8. iam citatis, vbi ex Aristotele distinguit tres actus pertinentes ad prudentiam: scilicèt operis *consultationem*, seu *eubuliam*; operis *iudicium*, seu *synesim*; & *præceptum rationis*, seu *gnomi*; ex quibus hunc vltimum dicit esse actum principalem prudentiæ: ergo imperium rationis est principalis actus prudentiæ, propterea que Deo non negandus; sed necessariò concedendus. Negat Pater Vazquez 1.2. disput. 49. actum vltimum prudentiæ *præceptivum*, præter iudicium illud ostendens modum, quo aliquid agendum est: alias tota difficultas virtutis, quæ in electione bona consistit, absque prudentia fieret. Hanc solutionem impugnare tentat Godoy, de cuius efficacia, vel inefficacia non curo.

106 Sed respondeo: Actum illum, qui vocatur à Divo Thoma *iudicium operis*, seu *synesim* non esse distinctum ex parte *recti* à iudicio *præceptivo*; sed tantum ex parte *formæ*, à qua sumit denominationem *præcepti*: nam illud iudicium, quod ex se præscindit a ratione imperij, posit, succedente intentione efficaci, & electione, induit rationem imperij respectu executionis, in quantum per illos actus fit inconiungibile cum carentia executionis. Neque quando dicit Divus Thomas prima secundæ quæstione 17. articulo 1. *Imperium rationis præsupponere actum voluntatis, in cuius virtute movet*; intelligendus est de præsuppositione ad imperium in ratione actus; sed in ratione imperij: quia iudicium illud rationis movet cum efficacia ad operis executionem, medijs illis actibus, qua ratione, vt inquit Pater Lesius, de Iust. & Iure lib. 1. dubitatione 3. potest dici actus rationis imperium; quia non solum præscribit modum operis; sed movet cum similitudine ad imperium *politicum*.

107 Objcies 9. contra quintam conclusionem. Admissa distinctione, aut *reali*, aut *virtuali* inter *intentionem*, & *electionem*, aut inter *electionem*, & *vsum activum*, datur in Deo, & creatura cognitio præcedens, proponens; aut intentionem facientem debitam electionem; aut electionem reddentem debitum vsum activum: sed cognitio proponens debitum, aut ad electionem, aut ad vsum activum, est imperium rationis: ergo supposita distinctione, aut *reali*, aut *virtuali* inter intentionem, & electionem, aut inter electionem, & vsum activum, necessario imperium rationis est concedendum. Maior apparet certa: nam posita intentione, aut electione efficaci, statim experitur: agens rationale habere in se tales actus efficaces connexos cum actibus subsequutis. Probatur minor. Cognitio proponens debitum operandi ex determinatione ad vlteriorem voluntatis actum, est imperium *strictum* rationis per similitudinem ad imperium *politicum*: ergo si supposita distinctione intentionis ab electione, aut electionis ab vsu, datur cognitio proponens debitum alterius voluntatis actus; perconsequens datur imperium rationis ea necessitate, qua talis cognitio existit.

108 Omisso, vt certo, eo, quod in argumento assumitur, & mihi falsum est in agente creato; videlicet po-

posito actu voluntatis statim resultare in intellectu cognitionem illius, nam etsi facilimum sit reflectere supra actus nostri intellectus, & voluntatis; non ideo, semper datur ea reflexio. Respondeo: cognitionem illam proponentem debitum ad actum subsequentem ex vi detegendi connexionem cum illo in actu præcedente, esse cognitionem debiti purè *speculativam*; non *practicam*: tùm quia supponit voluntatem sufficienter determinatam ad actum subsequentem in vi præcedentis; tum quia oritur ab actu præcedente tamquàm ab obiecto; non verò, vt quid necessarium ad sui efficaciam exercendam in alterum actum; tùm quia ea cognitio non movet per se; sed in vi illius, quod proponit: vnde non se habet, vt *imperium*; sed potius quasi *intimatio* illius; tùm demùm, nam ea cognitio non deservit, nisi vt satisfaciat veritati *obiectivæ*; & in intellectu determinato ad cognoscendum omne verum, determinationi illius; vlteriusque, vt constituat voluntatem liberam, non quoad substantiam actus subsequuti; verum quoad modum, id est, vt valeat pro nutu ponere alium actum propter præcedentem, aut tantum *materialiter*, & sine respectu intrinseco tendentiæ ad illum, aut *formaliter* hoc modo tendendi; *eligo, quia intendi*: *applico potentiam executivam, quia elegi*; in quibus omnibus munera propria *stricti* imperij non resplendent.

109 Obijcies decimò ex Aldrete disputatione 1. de Prædest. sect. 6. apud Arandam lib. 6. de Providentia disput. 30. sectione 1. §. 4. num 139. Nullus actus voluntatis determinat alium, nisi vt cognitus, & quatenus determinet ad cognitionem, vi cuius voluntas determinetur ad aliam volitionem: ergo intentio finis ex suppositione, quod distinguatur ab electione, sicut, & hæc ab vsu, non aliter determinant ad actum subsequentem; quam media cognitione, & in vi illius: sed cognitio hæc *stricte* est imperium rationis, cum ex vna parte determinet ad actum, & ex alia non aliter determiter; quam denunciando debitum ponendi alium actum; quarè eius vis non aliter explicari melius potest; quam verbis *fac hoc*: ergo ex suppositione distinctionis inter *intentionem*, & *electionem*, & inter hanc, & *vsum* necessario intercedit imperium rationis. Probatur prima propositio, in qua est vis argumenti: voluntas potest non elicere secundum actum, dum non adest primus determinans: ergo vt non possit, opus est cognoscere suppositionem: sed cognitio suppositionis est cognitio actus præsuppositi, & determinantis: ergo voluntas per nullum actum, nisi vt cognitum potest determinare alium.

110 Respondeo primò permittendo maiorem, & neg. min. etenim cognitio illa determinaret tantum *vt quo*, & in vi obiecti, quod proponit; id est, actus voluntatis præcedentis; qui in re est imperium determinans ad alium actum; cognitio verò, media qua proponitur non est imperium; sed promulgatio imperij: sicut in lege, promulgatio ipsius non est lex, sed intimatio; & in imperio *politico* verba per quæ superior illud denunciat subdito non sunt imperium; verùm notificatio illius. Respondeo secundò negando maiorem. Ad cuius probationem dico: sufficere, vt voluntas sit determinata ad actum subsequutum, quod existat suppositio *physicè* determinans ad illum, qua seclusa, posset illum non ponere; at non est necessarium, quòd existat cognitio talis suppositionis, quia independenter ab illa est potens voluntas determinare ad actum secundum in vi prioris.

111 Instat Pater Suarez lib. 1. de Prædestinatione cap. 16. num. 11. Intellectus non potest necessitari ad conclusionem in vi præmissarum, nisi cognita veritate præmissarum; & connexione illarum cum obiecto conclusionis: ergo neque voluntas poterit determinari in vi intentionis ad electionē, aut in vi electionis ad vsum, nisi cognita connexione intentionis, & electionis, aut electionis cum vsu. Concesso antecedenti, permitto consequentiam, qua data restat adhùc probare, quod cognitio illa intentionis, aut electionis præcedentis non sit pura intimatio imperij consistentis in actu voluntatis, quo non probato, nil convincitur de imperio rationis. Vel aliter: distinguo antecedens: intellectus non potest necessitari ad assensum conclusionis, nisi cognita veritate præmissarum, &c. pòst *assensum præmissarum*; nego antecedens. Nisi cognita *absolutè* veritate præmissarum, & connexione cum obiecto conclusionis: concedo antecedens: & distinguo consequens: ergo neque voluntas poterit determinari in vi intentionis ad electionem, &c. nisi cognita connexione intentio-

tionis cum electione post *existentiam intentionis*: nego consequentiam: *absolutè*: permitto consequentiam; cum nil obsit, vt ante intentionem proponatur voluntati intentionem efficacem, si existat, trahere secum necessariò electionem. Vel tertio: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio disparitatis est: quia non proposita connexione veritatis præmissarum cum veritate conclusionis, nil est, quod determinet intellectum ad assensum conclusionis. at in voluntate secluſa cognitione intentionis, aut electionis, existit intentio determinans per se ad electionem, & electio determinans per se ad vsum.

112 Instant alij apud Arandam num. 142. Quod constituit medium appetibile ab intendente finem, non aliter movet ad electionem; quam vt cognitum: sed intentio præexistens constituit medium appetibile ab intendente finem: ergo non aliter movet, & determinat ad electionem; quam media cognitione sui. Maior videtur constare: non enim ob alium titulum bonitas finis, & intrinseca vtilitas medij movent ad amorem medij, vt cognitæ; nisi quia constituunt medium appetibile ab intendente finem. Probatur minor. Præscindendo ab affectu circa finem, tota vtilitas medij in ordine ad finem, qui non intenditur, non est sufficiens appetibilitas medij: ideò licèt gladius sit vtilissimus ad sumendam vindictam, & opera Theologica magni Doctoris ad addiscendam Theologiam; sunt quasi non essent ei, qui nec vindictam, nec Theologiam procurat: ergo appetibilitas medij ab intendente finem, provenit constitutivè ab intentione finis. Recidit hæc instantia in inconveniens ponderatum in præcedentibus. Nam licèt efficaciter probasset, intentionem non aliter posse movere ad electionem; quam vt cognitam; non probat, eam cognitionem habere rationem *stricti* imperij; sicut, quod lex non aliter valeat obligare, & determinare ad operandum; quam media promulgatione; non probat, promulgationem esse legem; quia non obligat *vt quod*; sed *vt quo*, id est, tamquam medium ostendens id, quod obligat, quod etiam cernere licet in cognitione imperij *politici* necessaria, vt moveat: quin cognitio illius sit imperium *politicum*; verùm applicatio tantummodò.

113 Deindè redarguo in necessitate intendendi finem: si enim Deus prædeterminaret, necessitando ad intentionem finis, hæc necessitas esset appetibilitas mediorum in ordine ad finem: quia sicut est connexa cum intentione efficaci finis, sic est connexa cum eo, quod media non omittantur in ordine ad finem, quæ alias omitti possent liberè, excluſa intentione finis: quod vt magis vrgeat; pone intentionem finis tantum necessitare ad aliqua media *vage*, propter assequibilitatem finis per plura, & diversa media; & quod necessitas immediate tendit ad determinanda hæc media, præ alijs, quæ possent poni libere, aut omitti. Ecce tunc appetibilitas horum mediorum in ordine ad finem proveniret ex necessitate: sed tunc casus necessitas non moveret, media cognitione sui; quia sicut ad operandum libere non est necessaria cognitio reflexa libertatis; sic ad operandum necessariò superflua est cognitio reflexa necessitatis: ergo quamvis intentio finis constituat media appetibilia ab intendente finem, non probatur, intentionem movere non aliter; quam media cognitione sui. Quod si propterea dicas: necessitatem non indigere cognitione sui, quia appetibilitas mediorum provenit ab ipsa non *obiectivè*; sed pure *causaliter*, & *efficienter*; vide solutionem tuæ instantiæ consistentem in eò, quod intentio constituat media appetibilia ab intendente finem, non per modum rationis *obiectivæ*; sed per modum determinationis *physicæ*, & *causativæ* incomponibilis cum non electione mediorum, quibus finis proponitur assequibilis.

114 Objcies 11. contra sextam, & vltimam conclusionem. Divus Thomas absolute resolvit, *imperare* esse actum rationis, quod si loqueretur de imperio *latè* tantum, & *impropriè* accepto; potius resolveret consistere in actu voluntatis; quam in actu intellectus: sed hoc non facit: ergo quia iudicat; imperium *strictè* acceptum esse actum rationis. Respondeo: ipsum Angelicum Doctorem satis modificare propositionem in citata quæstione primæ secundæ 17. Dicendo imperium pertinere ad rationem, præsuppoſito actu voluntatis: deinde voluntatem esse *primum* movens in cuius virtute operatur *secundum* movens, quod est intellectus: quæquidem mihi satis persuadent primò. Propoſitionem illam: *imperare est actus rationis* non esse accipiendam *positivè*,

vè, & sensu significante: *imperare* esse adæquatè actum rationis; sed *negativè*, sensu significante: hoc quod est *imperare* non perfici sine actu rationis. Secundò: loqui non de quocumque imperio; sed de illo, quod pertinet ad prudentiam, & vocatur actus præcipiens executionem, qui in tantum dicitur imperium, in quantum vltra repræsentationem, qua proponit conuenientem operis facturam, mouet in actu secũdo: quod quidem participat à voluntate volente moueri ex tali actu per primum sui actum; quo adiuncto, actus ille prudentiæ dicitur determinare ad reliquos in virtute primi, casu, quo dentur actus distincti procedentes à primo, vt regulariter contingit in creatis. Hæc, vt vides, suadent; Diuum Thomam loqui non de imperio *stricto*, & adeo rigido, vt volunt Thomistæ, nequè de imperio immediate regulanti voluntatem executiuam, seu vsum; sed mediate, intercedente primo actu efficaci.

CAPVT V.

In quo, aut quibus actibus, & cuius potentiæ consistat formaliter prædestinatio?

115 PRoposuimus in antecedentibus actus omnes, sivè intellectus, sivè voluntatis Dei, qui in prædestinatione possunt intervenire: ex quo ducimur ad inquirendum: in quibus ex illis, & cuius potentiæ consistat *formaliter physicè* prædestinatio? an scilicet in actibus, vel actu solius intellectus: an solius voluntatis: an vtriusque potentiæ, & denique: an ex vtrisque in recto; an verò ex actu, vel actibus vnius potentiæ in recto, & alterius in obliquo?

116 In qua quæstione variæ sunt Authorum sententiæ. Prima tenet: prædestinationem consistere in actu intellectus purè connotato, vt connexionis termino, actu voluntatis: ita communiter Thomistæ ponentes prædestinationem *formaliter* in imperio intellectuali, cum quibus aliqui ex nostris, vt sunt Valentia, Fonseca, Ruiz, & Granado. Secunda sententia per oppositum tuetur: prædestinationem stare *formaliter* in actu voluntatis, actu intellectus se habente de connotato. Ita Scotus in primo sententiarum distinctione 40. quæstione vnica, & cum ipso Diuus Bonaventura, Aureolus, & alij: Pater Vazquez, Suarez, Arriaga, & Martinon apud Tyrsum disputatione prima, sectione 1. Tertia sententia est eorum, qui dicunt: prædestinationem æqualiter, & in recto dicere vtrumque actum intellectus, & voluntatis: eam tenent Pater Molina prima parte q. 22. art. 1. disp. 2. cum quo Herice, Arrubal, Becanus, Herrera, & Tyrsus. Tenent alij quartò tam de actu intellectus; quàm de actu voluntatis, & de complexo vtriusque posse verificari: esse prædestinationem. qualiter de complexo materiæ, & formæ hominis verificatur: esse substantiam, simulque de qualibet parte *incomplexim* accepta: sic Ribadeneyra, & Quiros. Quinta, & vltima sententia defendit: prædestinationem consistere in actu voluntatis se habente in recto, & in actu intellectus in obliquo. Ita sentit Pater Iunius sectione prima de Prouidentia capite 7.

117 Dico primò. Prædestinatio non consistit adæquatè in solo, aut solis actibus intellectus. Probatur: omnes actus diuini intellectus claudũtur scientia necessaria, libera, & media: sed nullus ex his actibus, nec coniunctum ipsorum est *formaliter* prædestinatio *adæquatè* sumpta: ergo hæc non consistit in solo, aut solis actibus intellectus. Probatur minor. Non in actibus scientiæ necessariæ: quia omne necessarium est indiferens ad liberum, & contingens; aliàs deficiente contingenti, deficeret; quod contra rationem *necessarij* est: at prædestinatio libera, & contingens est: ergo non est actus necessarius, qui ad se ipsum indifferens nullo modo est. Non in actibus scientiæ liberæ, prout distinctis ab imperio: quia hi: aut sunt de obiecto constituenti motivum ad liberam mediorum præordinationem v.g. de meritis Christi; & sic est indifferens ad prædestinationem: aut de obiecto antecedenti ordinationem mediorum; & sic antecedit, non constituit prædestinationem: aut de obiecto subsequuto; & ita subsequitur *esse* formale prædestinationis: aut de illo, quod est *formaliter* prædestinatio; qua ratione, dato, quod non subsequatur tale obiectum visio illius, *materialiter*, & *identicè* ad summum erit prædestinatio; sed non *formaliter*;

cum tale obiectum non sit prædestinatio, quia visum; sed quia habet alia prædicata, quæ non sunt pura visio. Non denique in quantum sit visio alterius, quod non sit præordinatio adæquate: siquidem videre id, quod non est adæquate prædestinatio, non est prædestinatio adæquatè; verum pura speculatio illius: quod ad prædestinationem non sufficit.

118 Non in imperio intellectuali *Thomistico*, quod inter electionem, & vsum versatur: vel quia si non sit perceptivum; sed tantùm præceptivum, repugnat; vel quia etsi non repugnaret, non est necessarium; insuperque, quia etsi necessarium esset; non in ipso formaliter adæquatè; sed in ipso, & decreto executivo prædestinatio consisteret; vtpotè, quæ ordinationem mediorum *complete* sumptam debet includere, quæ, secluso vsu activo voluntatis, non stat. Non in imperio alio iudicativo cõcesso à Patre Ruiz, & existenti post decretum executivum: quia tale imperium multis titulis repugnat, vt vidimus; & licet non repugnaret, supponit totam mediorum præparationem ex parte diuinę voluntatis. Non denique in actibus, aut actu pertinente ad scientiam mediã: quæ, vtpotè ostendens mediorum efficaciam conditionatè, potest componi cum carentia præordinationis efficacis ad finem gloriæ: vt contingit in reprobis, quorum multa auxilia prævidentur per scientiam mediam efficacia. Quod si recurras ad complexum horum actuum; cum tale complexum includat in se, vel impossibile, vel inutile ad prædestinationem; non potest esse *formaliter* prædestinatio, quæ neque impossibilis, neque inutilis est ad se ipsam.

119 Dico secundo. Non consistit prædestinatio adæquatè *formaliter* in solo, aut solis actibus voluntatis divinæ. Probatur. Non consistit in aliquo determinatè accepto; non in complexo omnium: ergo non consistit in solo, aut solis actibus divinæ voluntatis. Probatur antecedens. Non consistit in intentione, sivè inefficaci, sivè efficaci gloriæ: quia si inefficax: est indifferens ad præordinationem mediorum efficacium; potestque sine prædestinatione existere: vt contingat in reprobis, respectu quorum datur intentio inefficax gloriæ ex voluntate generali, qua Deus vult omnes homines salvos fieri; & non datur prædestinatio: si verò efficax sit: quamvis connexa cum præparatione mediorum efficacium, præsuppositivè se habet ad electionem, si aliquomodò ab ipsa distinguatur: vnde non est præparatio *formaliter*; sed *arguitivè*: si autem ab electione sit indistincta; in primis non erit prædestinatio, quia intentio; sed quia electio: deinde neque, quia electio, si hæc distinguatur à decreto executivo, cui convenit proprius, aut saltem *completivè* conceptus præparationis mediorum, vtpotè immediatiori exequutioni. Nec si identificetur electio cum decreto executivo, & vsu activo: nam prædestinatio non est solum præparatio vtcùmque mediorum efficacium; sed præparatio prudens formaliter vt talis: qua ratione includit non tantum *connexivè*; verùm *formaliter* scientiam dirigentem: propter quem titulum, nec coniunctum horum omnium actuum valet esse prędestinatio adęquatè: quòd etsi scientiam requisitam pro actuum directione arguat; eam non includit *formaliter*, & *constitutivè*: non ergo prædestinatio adæquatè consistit in solo, aut solis actibus divinę voluntatis.

120 Dico tertio. Prędestinatio consistit formaliter adæquatè in actibus intellectus, & voluntatis Dei, non vtcumque; sed in *recto* sumptis. Prima pars propositionis deducitur ex conclusionibus præcedentibus: si enim prædestinatio debet consistere in actu immanente, & non in solo actu intellectus, neque in solo actu divinæ voluntatis; ad vtramque potentiam debet pertinere, & per actus vtriusque *formaliter* adæquatè constitui: sed vltra probationem hanc negativam, *positivè* probatur. Primò authoritate Scripturæ, & Augustini: illius Act. cap. 4. vbi loquentes Divus Petrus, & Ioannes de Actionibus provenientibus à divina providentia inquiunt: quæ *manus tua, & consilium decreverunt facere*: vbi per metaphoram *manus* intelligitur voluntas, vt notavit Pater Suarez, & est commune in phrasi Sacrarum Litterarum, addito consilio pertinenti ad rationem, & intellectum; vt ex actibus vtriusque potentię resultet providentia perfecta, quę deficeret, si voluntati, aut permittenti, aut volenti, deficeret prudentia ad intellectum pertinens, aut prudentiæ non adijceretur voluntatis actus, per quem prudentia exerceatur: ergo cum eadem sit ratio providentiæ, ac prædestinationis quoad constitutionem in suo *esse*; ex scriptura colligitur: prædestinationem in actibus vtriusque poten-

potentiæ consistere. Istius in celebri definitione in qua, explicans prædestinationem, quasi *physicè*, non dicit esse, aut solam præscientiam, aut solam præparationem; sed præscientiam, & præparationem. Si autem prædestinatio iuxta Divum Augustinum esset, vel sola præscientia, vel sola præparatio; ideoque ad vnam duntaxàt potentiam pertineret; non vtraque de illa affirmaret: cum connotatum præcisè à subiecto nequeat de illo in recto affirmari.

121 Secundò ratione. Prædestinatio est providentia: sed providentia consistit in vtroque actu: ergo, & prædestinatio. Maior est certa. Probatur minor. Providentia non consistit in sola præparatione mediorum; nam si hæc aberret à prudentia, per eam præparans non denominatur providus; neque consistit in sola prudētia: quia prudentia nō reducta ad actum, non est providentia; sed sola aptitudo ad illam: ergo providētia in actibus intellectus, & voluntatis debet consistere. Vlterius: eo modo prædestinatio debet constitui, qui magis conveniat loquutionibus Scripturæ, & Patrum: sed modus constituendi prædestinationem per actus intellectus, & voluntatis conformior est loquutionibus Scripturæ, & Patrum: ergo ex actibus vtriusque potentiæ est constituenda. Probatur minor: apud Scripturam, & Patres, prædestinatio iam proponitur per actum intellectus, iam per actus voluntatis: sed his loquutionibus magis congruit id, quod reddit illas veriores in strictiore, & rigidiore sensu; vt reddit constitutio per vtrosque actus, ex qua verum *strictè* est: prædestinationem esse actum intellectus, & esse voluntatis actum: ergo modus constituendi prædestinationem in actibus vtriusque potentiæ, conformior est loquutionibus Scripturæ, & Patrum.

122 Explicatur: si prædestinatio consisteret in solo, aut solis voluntatis actibus, non nisi impropriſsimè posset dici intellectus actus; sicut à contrariò; si consisteret in actu, vel actibus pertinentibus tantùm ad potentiam intellectivam, ea tantum improprietate, qua solum potest dici aliquid esse id, à quo distinguitur; contra verò si in actibus vtriusque potentiæ consistat, non impropriè potest explicari per quosvis: sicut hominem constantem ex materia organica, & anima rationali vnitis non impropriè explicamus, iam per materiam organicam, iam per animam rationalem, vt cum dicimus, *mortuus est homo*, aut *vulneratus*, accipimus hominem, aut secundùm vnionem, quæ per mortem dissolvitur, aut secundum materiam organicam, quæ vulnere dividitur; contra vero si dicamus: *homo pravus, & male operans*, ipsum præcipue secundum animam intelligimus: ergo si prædestinatio in actibus, vel solius intellectus, vel solius voluntatis constituatur, necesse est: Scripturam, & Patres ad impropriſsimos detorquere sensus: quod vitatur, reducendo *esse* illius ad vtramque potentiam *constitutivè*.

123 Probatur secunda pars. Si prædestinatio non constitueretur per vtrumque actum in recto; sed per vnum in recto, & alterum in obliquo, Deus denominaretur prædestinans, vel ab vno, vel ab altero tamquam *à forma*, seù *quasi forma*, quamvis, vt denominaret, indigeret alio; sed Deus non denominatur prædestinans à solo actu intellectus, neque à solo voluntatis actu: nàm adhuc quando est præparatio ex parte voluntatis, non est providus per rationis actum; nec quandò est præsciētia redditur providus per solam præparationem: forma enim, aut quasi forma denominationis *prædestinantis* non est sola prēparatio præsciens, aut sola præscientia præparans *specificativè* accepta; sed *reduplicativè*: ergo prædestinatio, ita ex actibus intellectus, & voluntatis constituitur, vt vtrique sint in recto, & neutri in obliquo. Vndè manet excluſa cogitatio Patris Ribadeneyra dicentis: vtrumque actum participare conceptum providentiæ *formaliter*, & non solum *constitutivè*; sicut materia, & forma hominis participant conceptum substantiæ, etiam divisim acceptæ: quia ad hoc erat necessariū, quod Deus cum sola præscientia, mente secluſa prēparatione ex parte voluntatis, intelligeretur providens: sicut è contra cum sola præparatione, mente secluſa præscientia: quod falsum est; cum nemo per præscientiam sine præparatione, aut cum præparatione, sine præscientia provideat.

124 Contra primam concluſionis partem obijcies primò Divum Thomam, qui quæst. 6. de Verit. accipit *præparare* ex parte intellectus, & non ex parte voluntatis, quod idem facit artic. 2. solutione ad 3. per hæc verba: *& talis præparatio prædestinatio est, prout ageus per intellectum dicitur se præparare ad*

agendum, in quantum præconcipit rationem operis faciendi: ergo iuxta Divum Thomam prædestinatio consistit in præparatione pertinente ad actum intellectus; ac perconsequens in solo actu intellectus consistit. Inferrem ego (ni fallor) potiori titulo contra Thomistas: prædestinationem iuxta Divum Thomam non consistere in imperio; sed in actu intellectus præcedente imperium. Ratio est: quia imperium non est præconceptio operis faciendi; sed applicatio ad operandum ortum ducens ex præconceptione operis; alias imperium irrationale esset: quod conforme est menti Divi Thomæ, qui prima secundæ quæstione 17. & secunda secundæ quæstione 47. distinguit *synesim*, seu *perspicaciam*, quæ est quasi conclusio operis faciendi post consultationem, seu *eubuliam*, ab imperio, seu *gnomi*, qui est vltimus actus prudentiæ.

125 Respondeo: Sanctum Doctorem non dicere, præparationem, quæ prædestinatio est, esse in intellectu; sed *agens per intellectum dici se præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationem operis faciendi*: quod diversum est: nàm præconcipere rationem, etiam competit voluntati; quamvis ly *præconcipere* addatur *mente*: quod constat ex ipso Divo Thoma in hac quæstione 23. art. 2. ad 2. vbi distinguens duplicem destinationem ad aliquem terminum, inquit: *Alio modo sumitur destinatio pro missione, quam aliquis mente concipit, secundùm quod dicimur destinare, quod mente firmiter proponimus.* Ecce *destinare mente*; est idem, quod *mente firmiter proponere*; sed *proponere* non est intellectus; sed voluntatis: ergo *mente concipere destinationem* non probat; destinationem esse opus intellectus. Ex quibus subsumo. Prædestinatio apud Divum Thomam non est aliud, quàm præcedens destinatio: hæc, apùd ipsum, est propositum: ergo prædestinatio est propositum: at propositum actus voluntatis est: ergo iuxta Divum Thomam, vel prædestinatio actus voluntatis adæquatè est, vel actum voluntatis, saltem includit, proùt est præparatio.

126 Contra secundam partem obijcit Pater Iunius. Providentia, & prædestinatio est Deo *exercite* per se voluntaria, immediatè libera elicitivè, benevola, benefica, & efficax, item materia orationis, & gratitudinis: ergo in recto dicit actum voluntatis solum, & nullatenus scientiam, nisi in *obliquo*, & *adiectivè*; cum prędicta prædicata nulli cognitioni conveniant; & stultum, imò, & blasphemum sit, Deum orare, vt non ignoret, sivè vt sciat, quod scibile est. Respondetur: aliud esse, quod prædicata aliqua prædestinationis ipsi conveniant ratione vnius partis tantum, & non ratione alterius *formaliter*; aliud, quod *esse* prædestinationis non resultet in recto, nisi ex sola illa parte, aut quasi parte, cui conveniunt formaliter ea prædicata: vt videre est in homine, cui conveniunt prædicata *rationalis, libere excedentis substantias adæquatè corporeas* formaliter ratione animæ; & *esse corporeum, & impenetrabilem* ratione materiæ; neque ideò rectum argumentum est: hominem physicè sumptum, esse solam animam in recto, & materiam in obliquo, velècontra; cum sit sub tali ratione exæquò, & in recto materia, & forma: sic similiter, etsi prædestinationi ratione voluntatis *formaliter* conveniat esse liberam, efficacem, & cætera proposita in obiectione; non ideò excluditur ab *esse* illius in recto *præscientia*, propter quam alia prædicata ipsi formaliter conveniunt; ni velis, quod simul sit prædestinatio *physice* accepta voluntas in *recto*, & cognitio in *obliquo*, & voluntas in *obliquo*, & cognitio in *recto*; quod non dices.

127 Inferes primò: quod licet providentia, & prædestinatio pertineant ad prudentiam, & hæc ad intellectum, non ideò concluditur: prædestinationem pertinere tantum ad intellectum; sed pertinere ad intellectum: quod non excludit pertinere etiam ad voluntatem: sicut quod homo pertineat ad incorruptibile, & creabile ratione animæ; non impedit pertinere etiam ad corruptibile, & educibile ratione vnionis. Inferes secundò: male ab aliquibus excludi prædestinationem à ratione voluntatis ex eo, quod prædestinatio sit providentia; & nomen *providentia* originem trahat à verbo *provideo*, quod ad intellectum pertinet: nam dato quod *provideo* significet idem ac *ante videre*, quod ad intellectum pertinet; & non *procurare*, & *intendere*, quod proprium est voluntatis; argumentum desumptum ab etymologia nominis insulsissimum est: nam sicut denominationes convenientes coniuncto, sæpè proveniunt ab vna tantùm parte; quin per hoc excludatur

aliud

aliud constitutivum pertinens ad esse coniuncti : sic vox imposita ad significandum complexum, potest derivari à significatione vnius tantum partis ; quin per hoc denotetur, non esse aliud præter id, quod significat verbum, ex quo nomen impositum derivatur: quod probat exemplum adductum ab Herrera: lapis enim dicitur à lædendo pede: vnde malè argueres ; nil aliud esse in lapide præter potentiam lædendi pedem.

128 Habemus ex dictis: *esse adæquatum* prædestinationis pertinere formaliter ; tùm ad divinum intellectum, tùm ad divinam voluntatem ; ac perconsequens *esse* illius in actibus vtriusque potentiæ consistere ; sed quinam sint hi actus ex quibus *esse* prædestinationis resultat, decidendum restat. Pro quo dicendum : prædestinationem includere formaliter ex parte intellectus omnem illam scientiam, de qua diximus esse necessariam, vt collatio auxiliorum sit perfectissimè, & plenissimè voluntaria, reddentemque Deum securum infallibiliter de assecutione finis per media ; ex parte vero voluntatis, omnem illum actum, qui necessarius est, vt electio mediorum sit præparatio perfecta in ordine ad finem gloriæ : vnde si electio distinguatur ab vsu, vtrumque actum includit necessariò. Probatur. Illi actus constituunt *formaliter* prædestinationem, in quibus consistit : esse præparationem efficacem providentissimam mediorum ad finem gloriæ, & quibus deficientibus, non sic se haberet: sed in actibus enumeratis intellectus, & voluntatis hoc invenitur : ergo ex omnibus illis resultat *formaliter* prædestinatio. Probatur minor. Quolibet ex illis actibus intellectus deficiente, providentia prædestinativa non esset perfectissima, aut ex defectu securitatis in assequutione finis per media, aut ex defectu voluntarietatis : Deinde ex parte voluntatis, deficiente electione exequutiva, qualis non erit, si deficiat vsus activus, non esset perfecta mediorum præparatio : ergo in actibus assignatis invenitur quidquid est necessarium pro *esse formali* prædestinationis.

129 Dices. Si ex parte divinæ voluntatis requiritur ad prædestinationem omnis ille actus, quo constituitur electio mediorum in ratione præparationis ad finem gloriæ, constituet *formaliter* prædestinationem intentio finis, quod est contra assertum à nobis in præcedentibus', vbi distinximus prædestinationem in *formalem*, *præsuppositivam*, & *completivam* ; diximusque intentionem finis esse extra *formalem prædestinationem*, & tantum comparari ad illam *præsuppositivè*. Assumptum probatur. Nam si electio mediorum non referatur *intrinsecè* ad intentionem finis, constituetur in esse præparationis mediorum ad talem finem per ipsam intentionem; cum in tali casu electio illa mediorum ex se præscindat ab intentione in talem finem, poteteque existere ex vi alterius intentionis respicientis alium finem: sed id per quod constituitur talis electio mediorum in ratione præparationis ad finem gloriæ, pertinet *formaliter* ad prædestinationem : ergo intentio finis gloriæ constituit *formaliter* prædestinationem.

130 Respondeo : quòd quandò diximus ; *esse formale* prædestinationis consistere *formaliter* in electione, & dicere intentionem *præsuppositivè*, loquuti sumus de eo, quod prædestinatio in suo conceptu, & *esse formali* permittit; non de eo, quod in aliquibus circunstantijs accidentalibus prædestinationi, potest contingere : prædestinatio enim ex suo conceptu, & *esse formali*, quamvis connotet intentionem finis gloriæ; non eam *formaliter* includit ; licet aliquando ex defectu relationis intrinsecæ ad intentionem per hanc in ratione præparationis constituatur : modo, quo nolumus excludere ab *esse formali* prædestinationis intentionem finis, quando intentio, & electio sint idem virtualiter actus : quare nostra propositio intelligenda venit eo sensu, quo dicitur : animal ex conceptu suo non indigere identitate cum rationali : quod minimè excludit aliquod animal, vt est animal hominis, identificari cum rationali.

***

DISPVTATIO III.

De Scientia Media comparata ad providentiam, & prædeſtinationem?

AGgredimur iam ſublimiora huius tractatus, in quibus præcipuum obtinet locum controverſia præſens, quæ maiore ex parte continet diſsidium inter Authores noſtræ Scholæ: in ea varia ad trutinam vocantur. Primò: neceſsitas ſcientiæ mediæ ad providentiam, & prædeſtinationem. Secundò: conditio ſcientiæ mediæ, ſeu extenſio illius ad vtramque neceſſariæ. Tertiò; præcedentia ſcientiæ mediæ ad decretum collativum mediorum. Quartò qualitas huius præcedentiæ: quæ omnia ſequentia capita explanabunt.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm Scientia Media ſit neceſſaria ad providentiam, & prædeſtinatìonem?

1 SCientia Media, vt ſupra vidimus eſt ſcientia conditionata, & contingens, nulli præſenti innitens decreto; ſeu ſcientia de eventu contingente ſub hypotheſi, aut conditione indifferente ad exiſtentiam, & carentiam illius, independens à decreto vllo *ſubiectivè* abſoluto. Exiſtentiam in Deo huius ſcientiæ modò non diſputamus; ſed diſputatam, & ſtabilitam accipimus ex tractatu de Scientia, vbi propria ſedes. Ideò exiſtentia illius aliundè ſuppoſita, quod inquirimus eſt: an ſcientia ita ſit neceſſaria ad providentiam, & prædeſtinationem *formaliter*, vt talem; non vtcumque; ſed *conſtitutivè*? Explico amplius: dubitari non poteſt: ſuppoſita exiſtentia ſcientiæ mediæ, eam neceſſariam eſſe, vt Deus cognoſcat infallibiliter efficaciam, aut inefficaciam mediorum, ex ſe indifferentium ad finem. Ratio eſt: quia cum ſuppoſita ſcientia media in Deo, efficacia, aut inefficacia mediorum non ſit eis intrinſeca; ſed ab extrinſeco determinationis liberæ ſub ipſis proveniat; nulla alia ſcientia eſt proportionata ad cognoſcendum eventus ſub ipſis præter ſcientiam mediam. Quare, quod inquiritur eſt: àn cognitio hæc repræſentans efficaciam, aut inefficaciam, quæ in hac ſuppoſitione aliter; quam à ſcientia media provenire non poteſt, ſit neceſſaria, non vtcumquè, & purè *connexivè*, & *arguitivè* ad providentiam, & prædeſtinationem: ſed *conſtitutivè*, & *formaliter*?

2 Deinde: cum providentia alia ſit *phyſica*; alia *moralis*; & hæc alia *naturalis*, alia *ſupernaturalis*; & hæc alia *efficax*; alia *inefficax* ad finem gloriæ; efficaxque alia *adultorum*, qui ſalvantur ex meritis proprijs; alia *eorum*, qui decedunt cum baptiſmo ante vſum rationis; perconſequenſque gloriam aſſequuntur independenter ab actibus liberis, propria voluntate exercitis; quæſtio non reſtringitur ad ſolam providentiam *ſupernaturalem prædeſtinativam adultorum*; quàvis hæc immediatiſsimè, & principalius pertineat ad noſtrum intentum; ſed in tota ſua latitudine relinquitur, differendo: àn ad omnem providentiam propoſitam requiratur ſcientia media, ex ſuppoſitione, quod ſit; non quomodolibet; ſed conſtituendo talem providentiam? Nec in providentia *phyſica*, aut *in morali* reſpectu non adultorum, quæ cum phyſica confunditur, quia non reſpicit media libera, poteſt dubitari: non eſſe requiſitam *conſtitutivè* ſcientiam mediam, quæ attingat conditionate eventum ſub medijs, quibus dirigitur efficaciter ſubiectum in finem. Nàm cum media illa non ſint indifferentia; ſed potius determinata ad eventum; aliundeque habeant efficaciam, quam à libera coope-

cooperatione assequentis finem ; per aliam scientiam; quam per mediam, eius efficacia in ordine ad finem debet cognosci : quarè solùm potest controverti: àn scientia media in tota sua latitudine, & proùt respicit alia media conducentia ad alios fines aliter ; quàm physicè obtinendos, sit constitutiva providentiæ *physicæ* : quod clarioribus terminis est inquirere : an omnis scientia media, quæ defactò datur de eventu contingente libero creaturæ, debeat constituere quamlibet aliam providentiam *physicam*, etiam si sit de medijs aliis distinctis ab his, quæ ponuntur in ordine ad finem intentum per talem providentiam.

3 Vlterius loquendo de providentia *morali*, seu *adultorum*, quæque fit per media libera, conveniunt omnes nostri Authores ; scientiam mediam esse absolutè necessariam *constitutivè* ad providentiam *particularem*, qua Deus conferat medium per speciale decretum intrinsecè, & per suum modum tendendi relatum, vel ad efficaciam medij, tamquam motivum, & rationem amatam, vel ad inefficaciam, veluti ad rationem, ex qua non retrahitur; etsi posset retrahi à conferendo medio: quod explicatur his terminis : *Confero hoc medium, quia coniungendum cum fine, aut quia efficax : confero hoc medium, quamvis non coniungendum cum fine, vel etsi prævideam inefficax.* Ratio vtriusque est : quia cum talia decreta innitantur, aut efficacia tamquam motivo, aut inefficacia, tamquam ratione, ex qua non retrahitur : necessarium est ; ex parte actus primi præcedere cognitionem efficaciæ, aut inefficaciæ regulantem liberam Dei determinationem : cognitio autem regulans decretum, constitutiva est providentiæ, sicut, & libertatis, à qua provenit decretum. Procedit ergo quæstio in sensu vniversaliore, & inquiritur: àn scientia media sit necessaria *constitutivè* ad providentiam *moralem* tàm *prædestinativam* ; quàm non *prædestinativam* ; non solum, proùt comprehendit ea specialia decreta ; sed proùt involvit quodvis decretum quomodocumque collativum mediorum?

4 In qua communis Societatis sententia, & vt dicunt, ipsa scientia media nata, enutrita, & adulta, affirmat necessitatem illius ad providentiam *moralem constitutivè*, ac proindè ad providentiam *prædestinativam* : pro qua non opus est, aliquem ex nostris in particulari referre ; cum sat sit dicere id, quod ex mente Eximij Suarij protulit Pater Haulnoldus de Theologia speculativa libro primo tract. 1. cap. 3. controversia 4. num. 222. nimirum : *Omnes nostri Doctores fatentur, quod nisi scientia media de nostris actibus liberis esset necessaria ad providentiam Dei vniversalem, & directivam decretorum; non esset vlla necessitas eam asserendi.* Nihilominùs à communi regula exorbitavit Pater Arriaga tom. 1. in primam partem disputatione 32. sectione 4. cui apùd Arandam disput. 3. sect. 4. §. 1. accesserunt Henao, & vnus, vel alter Recentior, & quidem à reliquis iure reprehensi, nec consequenter ad ea, quæ ipsi asserunt, vt iam videbimus: Hi pauci non ita excludunt necessitatem scientiæ mediæ ad providentiam *moralem*, vt non fateantur esse necessariam vt quid consequutum ad ipsam. Quoad providentiam *physicam* maior est dissensio inter Recentiores, quorum plures dicunt; non esse necessariam scientiam mediam ad providentiam *physicam* ; nihilominus communior sententia eius necessitatem adstruit.

5 Sequor communem nostræ Scholæ sententiam, quam theseram illius iudico : cum qua sit prima conclusio ; scientia media est necessaria *constitutivè*, & non tantùm vt *quid consequutum* ad providentiam *moralem*. Probatur. Providentia *moralis* Dei est providentia perfectissima ; sed ad providentiam *moralem* perfectissimam est necessaria *constitutivè* scientia media : ergo ad providentiam *moralem* est *constitutivè* necessaria scientia media. Probatur minor. Ad providentiam *moralem* perfectissimam pertinet *constitutive* ille modus, quo secluso, providentia *moralis* non esset perfectissima : sed secluſa scientia media *constitutivè*, providentia *moralis* non esset perfectissima : ergo ad providentiam *moralem* perfectissimam necessaria est scientia media *constitutivè*. Probatur minor. Secluſa scientia media *constitutivè* à providentia *morali*, hæc inter sua constitutiva non includeret cognitionem de eventu sub medijs ; ergo secluſa scientia media *constitutive*, providentia *moralis* nō esset perfectissima. Probo consequentiam. Perfectior est ille modus providendi, quo non solum præparantur media cum cognitione aptitudinis ad finem ; sed cum notitia certa, & infallibili de eorum efficacia, aut inefficacia ad illum consequendum: sed hic modus providendi deficeret in providentia

mo-

morali, si scientia media ad illam non esset necessaria *constitutivè*: ergo secluſa scientia media *constitutivè*, providentia *moralis* non esset perfectissima.

6 Probo maiorem. Perfectior est ille modus providendi, quo determinatè coniunctio, aut non coniunctio mediorum cum fine non est casualis, aut imperfectè voluntaria respectu providentis: at vt coniunctio, aut non coniunctio mediorum cum fine non sit casualis, nec imperfectè voluntaria respectu providentis, necessaria est cognitio efficaciæ, aut inefficaciæ illorum ad finem: ergo perfectior est ille modus providendi, quo non solum præparantur media cum cognitione aptitudinis ad finem; verùm cum notitia certa de eorum efficacia, aut inefficacia ad illum consequendum. Confirmatur: non potest non pertinere ad perfectionem providentiæ *formaliter* notitia illa maximè æstimabilis in ratione providendi: sed notitia de efficacia, aut inefficacia mediorum ad finem maximè æstimabilis est in providente; tùm quia aliter cæco modo proceditur in mediorum electione; tum quia notitia illa proponit rationem, aut maximè allicientem, aut maximè retrahentem à mediorum positione: ergo notitia de efficacia, aut inefficacia mediorum pertinet ad perfectionem providentiæ: vnde cum hæc notitia aliter; quam per scientiam mediam haberi nequeat; ex suppositione existentiæ illius scientia media ad perfectionem providentiæ *formaliter* est necessaria.

7 Respondebis primò. Vt mediorum efficacia, aut inefficacia non sit casualis respectu providentiæ *moralis*, sufficit notitia, qua providens cognoscat, esse proximè possibilem, & æquè contingentem sub ipsis efficaciam, aut inefficaciam: sic non esset casualis respectu iaculantis in obiectum è regione positum mors hominis, si æquè proximè possibilis, & contingens sub iaculatione ipsi proponeretur mors hominis, quàm occisio feræ: ergo quamvis Deus providens de medijs indifferentibus ad finem, qualia sunt, quæ per providentiam *moralem* confert, non constituatur in ratione providentis per scientiam efficaciæ, aut inefficaciæ illorum; non erit illi casualis eventus; quia providet directus per scientiam, quæ æquè proximè possibilem, & contingentem efficaciam, aut inefficaciam proponit. Sed contra: nam ex hac solutione saltem assequimur; quod quando Deus confert media connexa *moraliter* cum fine, debet constitui eius providentia per scientiam de eventu sub medijs; nè non coniunctio cum fine absolutè possibilis valeat esse illi casualis. Contra deinde: quia *casuale* hic non accipimus eo rigore, quo significat id, quod omninò involuntariè, & cum impotentia impediendi evenit; sed prout minùs propriè se extendit ad denotandum defectum cognitionis perfectæ, & perfectæ voluntarietatis: qua ratione etiam non est admittendum in Deo, cuius providentia debet esse omnibus titulis perfectissima. Nec negari potest, quod si Deus conferat media in ordine ad finem per providentiam *moralem* non constitutam per scientiam repræsentantem infallibiliter eventum sub medijs; procedet modo quodam fallibili, & simili providentiæ creatæ ponenti media absque securitate de eo, quod sub illis eveniet: vel dicatur, qua alia de causa providentia creata dicatur fallibilis? Quarè, nè eadem imperfectio ad divinam transferatur, constituenda est per scientiam, quæ securitatem in eventu inducat: cui attendens Divus Damascenus Dialogo contra Manichæos pag. 562. apud Lesium capite 3. de Efficacia gratiæ dixit: *Prævidens Deus ea, quæ à nobis sponte futura erant*: (eccè scientiam conditionatam de eventu) *videlicet, quæ in nostra sunt potestate, virtutem dico, & vitium, prædestinat ea, quæ non sunt in nostra potestate*: Eccè media non aliter collata; quam per providentiam constitutam per scientiam de eo, quod sub medijs determinatè futurum erit.

8 Respondebis iterum: dicta tantùm probare necessariam esse scientiam mediam *constitutivè* ad providentiam *moralem* titulo perfectionis divinæ in modo operandi; secùs ex exigentia effectus. Sed contra: nam in hoc habemus intentum; cum in Deo sit imprescindibile *providere* à modo perfectissimo providendi: quare si ad Dei perfectissimam providentiam necessaria est scientia proponens efficaciam, aut inefficaciam mediorum, ad omnem Dei providentiam erit necessaria. Ex quo non subsistit prætensa distinctio necessitatis ex parte divinæ perfectionis, & ex parte effectus: propterea, quod effectus exigat procedere à causa eo solùm modo, quo potest à causa provenire, repugnetque oriri aliter; ac potest à causa pro-

procedere : ergo si Deus, vt causa mediorum, quæ præparat ad finem, exigit essentialiter scientiam de eventu sub ipsis, & repugnat defectui talis scientiæ; effectus etiam, qui existere non potest à causa chymærica, exiget procedere ab illa cum illo modo procedendi, sine quo non potest existere.

9 Secundò. De ratione providentiæ constitutiva est cognoscere conducentiam, & non conducentiam mediorum in finem : ergo de ratione perfectissimæ providentiæ est cognoscere omnem conducentiam, aut non conducentiam mediorum : sed omnis conducentia, & non conducentia mediorum claudit conducentiam, & non conducentiam *intrinsecam*, & *extrinsecam*; *in actu primo*, & *in actu secundo* : ergo de ratione perfectissimæ providentiæ est cognoscere conducentiam, & non conducentiam *extrinsecam*, & *in actu secundo*. Bene; at conducentia, aut non conducentia *extrinseca*, & *in actu secundo* mediorum indifferentium, supposita existentia scientiæ mediæ, non aliter est cognoscibilis; quàm per ipsam; in quantum affirmat coniungenda, aut non coniungenda esse cum operatione, & fine : in quo consistit conducentia, aut non conducentia *extrinseca*, & *in actu secundo* : ergo scientia media est necessaria *constitutivè* ad providentiam perfectissimam. Confirmatur: sicut cognitio conducentiæ, aut non conducentiæ mediorum constituit providentiam; sic maior, aut perfectior cognitio conducentiæ magis perficiet providentiam: sed cognoscere non tantùm conducentiam, aut inconducentiam *intrinsecam*, & *in actu primo*; verum *extrinsecam*, & *in actu secundo*, est maior, aut perfectior cognitio conducentiæ : ergo cognitio conducentiæ, aut non conducentiæ *extrinsecæ*, & *in actu secundo*, qualis est scientia media, constituit providentiam perfectissimam, vtpotè secùm trahens excessum perfectionis providentiæ.

10 Tertiò. Perfecta providentia dicit *constitutivè* perfectam libertatem, quoad mediorum electionem : sed non est perfecta libertas, quæ non constituitur per cognitionem omnis illius rationis, quæ aptissima est, vt moveat, aut retrahat ab exercitio libero : ergo vt sit perfecta providentia, debet constitui per cognitionem omnis illius rationis, quæ aptissima est, vt moveat, aut retrahat ab exercitio libero conferendi media ad finem : at cognitio efficaciæ, aut inefficaciæ mediorum est cognitio illius rationis, quæ aptissima est, vt moveat, aut retrahat ab exercitio libero conferendi media indifferentia ad finem : ergo ea *constitutivè* deficiente à ratione providentiæ, hæc imperfecta ex defectu libertatis perfectæ evaderet; ac proindè Deo indigna. Vrgetur : Deus vt potens libere conferre media indifferentia ad finem, est potens moveri ex efficacia, sicut, & retrahi ex inefficacia : sed non potest retrahi, aut moveri libere ex ratione, cuius propositio non sit libertatis constitutiva : ergo si Deus, prout liberè conferens media, potest liberè moveri, aut retrahi ex inefficacia, aut efficacia; scientia media, per quam vtraque proponitur, est libertatis, & providentiæ constitutiva.

11 Quartò. Nil est, quod possit retardare scientiam de efficacia, aut inefficacia mediorum ab existentia anteriore ad decretum mediorum : ergo debet existere pro signo anteriore ad decretum. Consequentia est legitima : nàm perfectio divini intellectus exigit, nè retardetur notitia veritatis *obiectivæ* cognoscibilis ab eo signo, in quo potest terminare cognitionem. Probo antecedens. In primis non potest retardare scientiam de efficacia, aut inefficacia mediorum ab existentia anteriore ad decretum dependentia, quam habeat talis scientia à decreto : quia scientia media est independens à decreto : deindè nec potest retardare incognoscibilitas obiecti : quia sicut scientia non dependet à decreto, sic, nec veritas *obiectiva* conditionalis in suppositione, quam tuemur, indiget decreto : insuper status conditionatus est prior in subsistendi consequentia absoluto statu : quia ab statu conditionato ad absolutum non tenet consequentia; secùs ab absoluto ad conditionatum : ergo nil est, quod valeat retardare scientiam de efficacia, aut inefficacia mediorum ab existentia antetiore ad decretum mediorum. Iam infero immediatè : scientiam hanc esse constitutivam providentiæ. Probo consequentiam. Non ob aliam rationem scientia *simplicis intelligentiæ* est constitutiva providentiæ, nisi quia nil est, quod retardet ipsam à signo anteriori ad decretum : cum status necessarius possibilium sit prior in subsistendi consequentia statu absoluto existentium contingenter; & aliunde scientia *simplicis intelligentiæ*

maxi-

maximè conducit ad ſecuritatem electionis: ergo ſi nil eſt, quod retardet ſcientiam mediam ab exiſtentia in ſigno anteriori ad decretum, ſi ſtatus conditionatus eſt prior in ſubſiſtendi conſequentia ſtatu abſoluto, vlteriuſque talis ſcientia eſt maximè conducens ad ſecuritatem electionis, erit conſtitutiva providentiæ.

12 Propoſitæ rationes ſuadent generaliter neceſsitatem ſcientiæ mediæ, vt conſtitutivæ providentiæ *moralis* præſcindentis à *prædeſtinativa*, & *non prædeſtinativa*. Probo iam ſpecialiter neceſsitatem conſtitutivam ſcientiæ mediæ ad providentiam *moralem prædeſtinativam*; ex cuius fundamentis iterum conſtitutio providentiæ *moralis* vniverſaliter acceptæ, firmabitur. Probo ſic primo. Prædeſtinatio, vt talis, eſt providentia certa, & infallibilis circa finem: ſed providentia ſic certa, includit ſcientiam mediam *conſtitutivè*: ergo ad prædeſtinationem neceſſaria eſt ſcientia media *conſtitutivè*. Maior certa eſt: etenim in eo diſtinguitur providentia *prædeſtinativa*, à *non prædeſtinativa*, quod hæc non aſſequitur ſuum finem *neceſſario*; ſecus illa. Probo minorem. Providentia ſic certa, non ſolum habet certitudinem *obiectivam*, & *materialem*, ſed *ſubiectivam*, & *formalem*: at certitudo *ſubiectiva*, & *formalis* includit *conſtitutivè* ſcientiam mediam: ergo providentia *prædeſtinativa* includit *conſtitutivè* ſcientiam mediam. Probo maiorem, probaturus poſt minorem. Providentia certa tantum *obiectivè*, & *materialiter* eſt providentia, quæ in ratione talis non diſtinguitur à providentia non certa: cum neque ex parte ſcientiæ, neque ex parte decreti, quæ ſunt conſtitutiva providentiæ, vllam habeat connexionem cum adæquutione finis; proindeque ſit componibilis cum carentia finis: ergo providentia, quæ prout talis, eſt certa, non ſolum habet certitudinem *obiectivam*, & *materialem*; ſed *ſubiectivam* & *formalem*, tenentem ſe ex parte providentiæ.

13 Probo iam minorem. Certitudo hæc ſe tenens ex parte providentiæ, eſt certitudo conſiſtens in cognitione infallibili de efficacia mediorum in ordine ad finem: ſed ſcientia hæc alia non poteſt eſſe à ſcientia media ex ſuppoſitione, quod hæc exiſtat, & media ſint ab intrinſeco indifferentia: ergo certitudo *ſubiectiva*, & *formalis*, quæque ſe teneat ex parte providentis, non aliunde; quàm ex ſcientia media poteſt oriri. Probatur minor. Suppoſita exiſtentia ſcientiæ mediæ, efficacia auxiliorum ipſis extrinſeca per aliam ſcientiam diſtinctam ab ipſa, ſcilicèt per ſcientiam *naturalem*, aut *liberam*, non poteſt certò, & infallibiliter cognoſci: ergo ſcientia, qua cognoſcitur infallibiliter efficacia mediorum, alia non poteſt eſſe à ſcientia media ex ſuppoſitione, quod hæc exiſtat. Confirmatur. Prædeſtinatio, vt providentia, eſt præſcientia, & præparatio: ergo vt ſit certa, qua providentia eſt, debet habere certitudinem de efficacia mediorum, vel vt eſt præſcientia, vel vt eſt præparatio, vel ratione vtriuſque: ſed ſecluſa ſcientia media, neque eſt certa ex parte præſcientiæ, aùt præcedentis, aut comitantis præparationem; cum hæc præſcientia tantum poſsit conſtitui ex ſcientia naturali, & libera collationis auxilij, quæ ex ſe indifferentes ſunt ad efficaciam; non ex parte præparationis, quæ indifferens etiam eſt ad efficaciam; neque ex coniuncto, in quo eſt ſimilis indifferentia, & componibilitas cum defectu efficaciæ: ergo vt prædeſtinatio ſit providentia certa, debet includere neceſſariò ſcientiam mediam *conſtitutivè*. Vrgetur. Providentia certa, vt talis, non poteſt diſtingui à providentia non certa per id, in quo cum illa convenit: ſed per poſitionem mediorum, quibus in re erit finis, ſecluſa ſcientia proponēte efficaciam, convenit providentia certa cum incerta; nàm ſæpè, qui incertus eſt de fine, illum in re obtinet: ergo, vt providentia certa ab incerta diſtinguatur vltra certitudinem tenentem ſe, ſive intrinſecè, ſive extrinſecè ex parte mediorum, indiget alia certitudine *ſubiectiva* ex parte providentis, quæ conſiſtat In ſcientia de efficacia mediorum in ordine ad finem.

14 Secundò ad hominem contra Patrem Arriagam. Per te ſcientia media eſt neceſſaria ad aliquam Dei providentiam *prædeſtinativam*, illam ſcilicet, in qua Deus conferat auxilia, motus ex efficacia eorum: ergo ad omnem providentiam, qua Deus conferat media cum fine non connexa, eſt neceſſaria talis ſcientia. Probo conſequentiam. Suppoſita ſcientia media de efficacia auxiliorum, Deus eſt eſſentialiter liber ad conferenda auxilia efficacia, motus, vel non motus ex efficacia illorum: ergo ſcientia media efficaciæ ex ſuppoſitione quod ſit; neceſſariò conſtituit poteſta-

tem

tem præparandi talia auxilia ; cum constituat potestatem ad ea sic, vel aliter præparanda : at potestas præparandi media necessariò includitur in prædestinatione; nam si aliqua præscientia in prædestinatione includitur, maximè illa, quę constituit potestatem præparandi: ergo si scientia media est necessaria per se ad aliquam providentiam *prædestinativam*, ad omnem prædestinationem erit necessaria.

15 Eandem rationem promoveo. Deus non potest ex se providere de medijs determinatis, motus ex efficacia illorum, nisi cognoscat efficaciam; quæ aliter; quàm per scientiam mediam in suppositione, qua loquimur, non potest cognosci : ergo, vt hæc præ illis eligat ex tali affectu; scientia media, sivè de efficacia horum, quæ eligit, sivè de inefficacia illorum, quæ respuit, debet præire : ergo scientia media, tàm de efficacia ; quàm de inefficacia mediorum debet existere ; sivè vt Deum constituat necessitatum ad non se movendum ex efficacia, si omnia sint inefficacia, vt potest accidere, data non repugnantia creaturæ rebellis; sivè vt constituatur liber ad ea conferenda, vel cum affectu efficaciæ, vel sine illo : sed scientia, quę necessariò costituit potestatem elargiendi media, necessaria simpliciter est ad prædestinationem, & providentiam: ergo scientia media necessaria est, non solùm ad providentiam *prædestinativam* ; verùm etiam ad quemcumque alium modum providendi per auxilia, & media cum fine non connexa. Confirmatur. Per te *scientia naturalis simplicis intelligentiæ* necessaria est ad providentiam, & prædestinationem ; quia indispensabiliter constituit potestatem conferendi media: ergo si scientia media necessariò constituit potestatem, tùm prædestinandi, tùm providendi ; tàm necessaria erit ad prædestinationem, & providentiam ; quam scientia *simplicis intelligentiæ*.

16 Insisto alia forma. Deus dùm movetur ex efficacia auxilij, est potens nõ se movere ex tali efficacia ; aliàs non liberè moveretur: ergo casus non motionis ex efficacia est casus potestatis ad se movendum ex illa : sed omnis casus potestatis ad se movendum ex efficacia, includit necessariò scientiam mediam : ergo omnis casus non motionis liberæ ex efficacia auxilij, qualis per te est omnis casus conferendi auxilium efficax, includit necessario scientiam mediam. Clariùs adhùc : omnis casus conferendi auxilia efficacia ad Beatitudinem, est casus potestatis ad se movendum ex efficacia illorum ; vel nullus erit, in quo valeat se movere : sed casus potestatis ad se movendum ex efficacia auxiliorum, includit necessariò scientiam mediam : ergo omnis casus conferendi auxilia efficacia; ac per consequens omnis providentia *prædestinativa* includit necessariò scientiam mediam.

17 Secunda conclusio. Etiam ad providentiam *physicam*, & quæ non respiciat media indifferentia in ordine ad finem, necessaria est scientia media *constitutivè* ; non quidem quæ versetur circa illa media : quia hoc est impossibile, vt notavimus ; sed circa alia, & in ordine ad alios fines, v. g. hæc scientia media defacto existens : *si existat auxilium A in Petro, consentiet.* Probatur. Providentia Dei *physica*, est pefectissima in sua linea, non minus ; quàm providentia *moralis* : ergo ad providentiam *physicam* est necessaria scientia media *constitutivè*, sicut ad providentiam *moralem*. Antecedens est certum. Probatur consequentia. Vt providentia *physica* sit perfecta in sua linea, debet esse Deo perfectè voluntaria : sed vt sit Deo perfectè voluntaria, necessaria est scientia media *constitutivè* : ergo si providencia *physica* Dei est providentia perfecta, ad illam est necessaria *constitutivè* scientia media. Probo minorem. Vt providentia *physica* sit Deo perfectè voluntaria, requirit ad decretum mediorũ cognitionem illam, vi cuius proponatur determinatè omnis denominatio, quæ ex coexistentia ad alterum Deo non liberum, & contingens, resultabit, tùm in decreto, tùm in termino decreti: sed hæc cogũitio non alia potest esse ; quàm scientia media, saltem de exercitio libero creaturæ : ergo, vt providentia *physica* sit Deo perfecte voluntaria, necessaria est scientia media *constitutivè*. Probatur minor: contingens, & Deo non liberum, solum potest esse, aut scientia media de exercitio libero creaturæ, aùt obiectum talis scientiæ: ergo cognitio proponens aliquid Deo contingens, & non liberum, non alia potest esse; quàm scientia media de exercitio libero creaturæ cognoscens *directè* exercitium liberum creaturæ, & *reflexè* se ipsam.

18 Amplius explico propositam rationem. Coniunctum resultans ex vna parte contingente, & Deo non libe-

libera, & ex altera Deo libera, in tantum poteſt eſſe Deo liberum, & voluntarium, in quantum, cognita parte ſibi non libera, adiungat aliam ſibi liberam; qua poſita, reſultabit coniunctum: ſed coniunctum reſultans ex providentia *phyſica*, & eius obiecto ex vna parte, & ex ſcientia media de exercitio libero creaturæ, & eius obiecto ex alia, eſt coniunctum reſultans ex vna parte contingente, & Deo non libera, & ex alia Deo libera: ergo, vt ſit Deo liberum, & voluntarium, neceſſum eſt; Deum cognoſcere partem ſibi non liberam, & cum hac cognitione eligere aliam partem ſibi liberam: at cognitio partis ſibi non liberæ in illo coniuncto eſt ſcientia media de exercitio libero creaturæ: ergo vt Deus ſe exerceat per providentiam *phyſicam*, quæ eſt pars conſtitutiva illius complexi, ſitque electio plenè libera, & voluntaria; neceſſaria eſt ſcientia media. Confirmatur. Scientia *naturalis ſimplicis intelligentiæ* non ſolum in quantum repræſentat poſsibilitatem mediorum, quæ Deus providet in ordine ad determinatum finem; verùm in quantum proponit omnia alia poſsibilia, eſt conſtitutiva providentiæ tàm *moralis*; quàm *phyſicæ*: ergo ſcientia media, ſaltem de exercitio libero creaturæ, eſt conſtitutiva providentiæ *phyſicæ*. Antecedens eſt verum. Probatur conſequentia. In tantùm primum eſt verum, in quantum coniunctum ex decreto, termino illius, & omnibus veritatibus quidditativis poſsibilium non aliter poteſt eſſe Deo liberum, & voluntarium: ſed ſimiliter coniunctum ex decreto providentiæ *phyſicæ*, termino illius, & ſcientia media de exercitio libero creaturæ non aliter poteſt eſſe liberum, & voluntarium; quàm data cognitione ſcientiæ mediæ: ergo ſi ſcientia *naturalis ſimplicis intelligentiæ* conſtitutiva eſt providentiæ *phyſicæ*, etiam ſcientia media conſtitutiva eſt providentiæ eiuſdem.

19 Obijcies primo contra primam, & præcipuam concluſionem. Secluſa per impoſsibile ſcientia media, ſivè efficaciæ, ſivè inefficaciæ, ſi Deus conferret Petro v. g. auxilium directus ſola ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*; Petrus eodem modo conſentiret, aut diſſentiret; cùm ſcientia media non det conſenſum, nec diſſenſum; ſed ſupponat: ergo ſcientia media non eſt neceſſaria *conſtitutivè* ad providentiam *moralem*, & ad collationem auxilij, & libertatis. Inſto: ſi Deus conferret Petro auxilium; & libertatem abſquè ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*; imò coactus ab alio, & abſquè vlla providentia; eodem modo exiſterent conſenſus, & diſſenſus in Petro propter exiſtentiam libertatis in ipſo: ergo, vt Deus prouideat per *moralem* providentiam, non eſt neceſſaria *conſtitutivè* ſcientia *ſimplicis intelligentiæ*, nec libertas, nec ipſa providentia. Reſpondebis: ex illa ſuppoſitione impoſsibili vtrũque ſequi: quod tibi non obſtat loquenti de caſu poſsibili: vel tunc futuram libertatem, & conſenſum, vincendo impoſsibile; quod clariſsimè probat: *ſic exiſtere*, non aliter, quàm per impoſsibile poſſe accidere: exindeque neceſsitatem ſcientiæ *ſimplicis intelligentiæ* ad auxiliorum diſtributionem roborari, quæ tàm neceſſaria eſt, vt exiſtat auxilium; quàm actio, vt exiſtat terminus. Idem reſpondeo pro ſcientiæ mediæ neceſsitate, & ex ore tuo te iudico.

20 Obijcies ſecundò. Vt Deus comprehenſivè ſciat; ſe poſſe, & re ipſa ſe exequi quantum intra lineam generalis proviſſoris, ſeù providentiæ generalis eſt neceſſarium, ſufficit ſcientia *naturalis*, & impertinens omnino eſt ſcientia media: ergo pro conſtitutione providentiæ generalis non eſt neceſſaria ſcientia media. Probatur antecedens: Quia intra lineam providentiæ generalis ſolum cadit conſtitutio libertatis, & ſufficientia ad conſenſum: ergo pro conſtitutione providentiæ generalis non eſt neceſſaria alia ſcientia; quàm *ſimplicis intelligentiæ*, per quam quidditativè proponitur, & natura libertatis, & ſufficientia ad conſenſum; quin, ea data, quoad hoc poſsit falli divina providentia. Nego antecedens: nàm ad proviſſorem generalem perfectiſsimum, vt eſt Deus, non eſt ſolum neceſſarium per ſe dare libertatem, & ſufficientiam ad finem ſub ſcientia, qua cognoſcatur eventus poſsibilis ſub medijs; ſed ſub ſcientia, qua proponatur determinatè exiſtens, aut non exiſtens; nè aliter cæco modo, & creaturarum more procedat in providendo de medijs circa finem.

21 Obijcies tertio. Si ad providentiam *moralem* eſſet neceſſaria *conſtitutivè* ſcientia media; ad providentiam Dei aſſequutivam finis, & conſenſus neceſſaria eſſet *conſtitutivè* determinatè ſcientia media de conſenſu: ſed hoc eſt impoſsibile: ergo ſcientia media non eſt neceſſaria ad providentiam *moralem*.

Pro-

Probo minorem. Si scientia media de cõsensu esset determinatè necessaria *constitutivè* ad providentiam assequutivam cõsensus, scientia media esset requisita ex parte actus primi ad consensum: sed impossibile est, esse requisitam ex parte actus primi ad consensum; alias constitueret actum primum, aut saltem non esset actus primus indifferens, vt debet esse ad consensum liberum: ergo impossibile est esse determinate necessariam *constitutivè* ad providentiam Dei assequutivam consensus. Ad argumentum: concessa maiori primi syllogismi. Nego minorem. Ad cuius probationem: distinguo maiorem. Si scientia media de consensu esset determinate necessaria *constitutivè* ad providentiam assequutivam consensus, scientia media esset requisita ex parte actus primi *increatæ libertatis*: concedo maiorẽ: ex parte actus primi *creatæ libertatis*: nego maiorem, & distinguo minorem. Impossibile est, esse requisitam ad consensum ex parte actus primi *libertatis divinæ*: nego minorem: ex parte actus primi *libertatis creatæ*: concedo minorem. Et nego consequentiam. Itaque verum est; quod, vt existat consensus sub auxilio indifferenti necessarium est; scientiam mediam de consensu se tenere *constitutivè* ex parte libertatis divinæ conferentis auxilium: qua ratione, nec lædit libertatem divinam: quia non connectitur cum collatione auxilij; nec lædit libertatem creatam; quia non est quid exactum à libertate consentiendi, quæ eodem modo existeret, etsi daretur scientia media opposita dissensus; vnde nec *constitutivè* ingreditur libertatem creatam, neque est quid essentialiter requisitum ab aliquo constitutivo creatæ libertatis; propterea que ei nocere nullatenus valet.

22 Replicabis. Id quod per se est necessarium ad consensum, est id, sine quo non potest esse consensus: sed id, sine quo non potest esse consensus, debet se tenere ex parte actus primi illius: ergo scientia media, si est prærequisita ad consensum, debet constituere actum primum creatum illius. Probatur minor. Quia non ob aliam rationem, iuxta nos, prædeterminatio *Thomistica* debet se tenere ex parte actus primi creati ad consensum, nisi quia per se est necessaria ad consensum: ergo si scientia media de consensu per se est necessaria ad consensum, debet existere ex parte actus primi ad illum. Distinguo minorem. Id, sine quo non potest esse consensus, & est *inacquiribile* per consensum, debet constituere actum primum creatum consensus: concedo minorem. Id sine quo non potest esse consensus, & est *acquiribile* per consensum: nego minorem, & consequentiam. Ad minoris probationem patet disparitas: nam physica prædeterminatio ita est per se necessaria ad consensum, vt non sit acquiribilis per ipsum; quapropter actus primus, sine ipsa, non valet esse expeditus ad ponendum consensum; non sic scientia media, quæ per ipsum consensum *obiectivè* determinatur, & acquiritur.

23 Insistes. Providentia requisita ad consensum, est per se necessaria ad consensum, & inacquiribilis per consensum: sed scientia media de consensu, est providentia per se requisita ad consensum: ergo inacquiribilis per consensum. Probatur maior quoad secundam partem inacquiribilitatis. Providentia requisita ad consensum, est Deo proximè libera: sed providentia proximè Deo libera est inacquiribilis per consensum; alias duæ determinationes proximè liberæ coirent in idem exercitium liberum: ergo providentia requisita ad consensum, est per se necessaria ad consensum, & inacquiribilis per consensum. Ante solutionem inferam ex instantiæ doctrina: ergo scientia *naturalis* per te constitutiva providentiæ assequutivæ consensus, & ad hunc requisita, erit Deo libera, cum ingrediatur providentiam Deo liberam. Dicendum: scientiam mediam de consensu esse *inadæquatè* providentiam requisitam ad consensum; non *adæquatè*: deinde providentiam erga consensum esse Deo liberam *complexivè*, quatenus reliquis constitutivis adiungit præparationem liberam auxilij efficacis; secus quoad omnia constitutiva *divisim*. Vn de providentia circa consensum, & potest esse impedibilis, & acquiribilis à creatura ex parte, qua includit cõstitutivum, vt est scientia media, quę Deo libera non est.

24 Obijcies quartò. Si scientia media esset necessaria *constitutivè* ad providentiam *prædestinativam*, qua Deus confert auxilium efficax Petro v.g; destrueretur scientia media *obiectivè*, seu obiectum scientiæ mediæ: ergo scientia media non est necessaria ad providentiam *prædestinativam*. Probatur antecedens. Obiectum scientiæ me-

diæ est veritas *obiectiva* contingens: sed si scientia media est necessaria *constitutivè* ad providentiam, qua Deus largitur auxilium efficax, obiectum scientiæ mediæ non esset contingens: ergo si scientia media esset necessaria *constitutivè* ad providentiam, qua Deus confert auxilium efficax, destrueretur obiectum scientiæ mediæ. Probatur minor. Si scientia media est necessaria ad providentiam auxilij efficacis; aut Deus sciret per ipsam; *Quod si conferat auxilium absque vlla providentia, erit consensus sub illo*, & hoc est impossibile; cum tale sit, existere consensum creaturæ sub auxilio improvidè à Deo collato; aut Deus sciret, & cognosceret per ipsam; vel *quod si conferat auxilium cum aliqua providentia, erit consensus*; vel *quod si conferat sub determinata providentia constituta per scientiam mediam consensus, erit consensus*: & vtrumque est necessarium: primum: quia providentia constituta per scientiam mediam de consensu, est aliqua providentia, sub qua non potest non existere consensus: secundum: propter eandem rationem, cùm determinata providentia constituta per scientiam mediam de consensu, connectatur cum consensu: ergo si scientia media est necessaria *constitutivè* ad providentiam, qua Deus largitur auxilium efficax, obiectum scientiæ mediæ esset, vel impossibile, vel necessarium; ac propterea non contingens.

25 Confirmatur primò. Deus non scit per scientiam mediam, *quod si existat auxilium improvidè collatum à Deo, erit consensus*: ergo scit, *quod si existat auxilium provide collatum, erit consensus*: sed non per aliam providentiam; quam per constitutam ex ipsa: ergo scit Deus per scientiam mediam de efficacia; *quod si existat auxilium sub ipsa, erit consensus*. Vnde subinfertur: scientiam mediam de efficacia reddi omnino impossibilem; quia vel non affirmat id, quod debet affirmare; vel affirmat veritatem antecedenter necessariam. Confirmatur secundo. Quidquid requiritur ad aliquid in statu absoluto *absolutè* requiritur in statu conditionato illius *conditionatè*: at scientia media in statu absoluto consensus sub auxilio requiritur *absolutè*: ergo in statu conditionato consensus sub auxilio requiritur *conditionatè*: sed id, quod requiritur *conditionatè* ad consensum, debet se tenere ex parte hypothesis scientiæ mediæ: ergo ipsa scientia media de efficacia debet se tenere *obiectivè* ex parte hypothesis, reddendo se ipsam scientiam necessariam.

26 Hoc argumentum, si bene inspiciatur, non tàm impugnat necessitatem scientiæ mediæ ad prædestinationem *constitutivè*; quam existentiam, & possibilitatem ipsius; sivè enim sit necessaria ad prædestinationem, sivè non, sem per remanet in sua vi, intendendo non posse attingere auxilium ex parte hypothesis cum præcisione ab his, cum quibus defacto coniungitur; cumque defacto coniungatur cum scientia media efficaciæ, attinget se ipsam ex parte hypothesis, & reddetur necessaria. Nec tanta vis eius est, vt Thomistarum mereatur acclamationē: sicuti, & quod magnus ille vir Basilius Legionensis eo convictus, terga vertit scientiæ mediæ, si vera sunt quæ circumferentur de eius retractatione, de qua dixit Illustrissimus Manrique Cisterciensis apud Patrem Henao non constare; cum tamen cōstet ex eius scriptis, scientiam mediam acerrimè propugnasse. Ratio est: quia qualiscumque efficacia in eo sit, æquè comprehendit omnem sententiam circa scientiam, qua Deus cognoscit futura contingentia conditionata libera creaturæ, tenenturque omnes illi, solutionem præbere.

27 Quod sic ostendunt nostri Authores contra Thomistas. Pone ergo cum ipsis: Deum cognoscere futura contingentia conditionata in decreto *subiectivè* absoluto, & *terminativè* condionato v.g. *decerno, quod si Petro conferatur potestas libera ad consensum, consentiat*. Iam arguo sic; vel hoc decretum decernit; quod sub potestate ad consensum sine prædeterminatione ad illum, Petrus consentiat: vel decernit; quod sub potestate cum prædeterminatione ad consensum, consentiat: si primum: est impossibile in eorum principijs. si secundum: est necessarium, ac perconsequens inattingibile per decretum contingens: ergo vel decretum Thomisticum decernit impossibile, vel necessarium. Ex quo transfertur inconveniens ad ipsam scientiam innixam decreto, quæ vel attingit veritatē impossibilem, vel necessariam, destruendo scientiam contingem futurorum cōtingentium conditionatorum. Restat ergo, vt ab ipsis dicatur, decretum præscindere ex parte hypothesis, tùm à prædeterminatione, tùm à decreto; quamvis prædeterminatio, & decretum sint per se requisita ad consensum; quaprop-

propter contra se habebunt omnem instantiam, quæ contra nostram sententiam formari potest. Nec dicatur prædeterminationem non esse constitutivam potestatis ad consensum; providentiam verò constitui per scientiam mediam: quia licet providentia constituatur per scientiam mediam; providentia de consensu est extra potestatem consensus: quare nulla est disparitas.

28 Ad argumentum respondetur. Deum per scientiam mediam non cognoscere, quod si detur auxilium cum providentia se tenente ex parte hypothesis, erit consensus; sed præcisè, quod si existat libertas determinata, erit sub ipsa consensus. Ratio est: quia id solum attingitur ex parte hypothesis, quod est indifferens ad vtrumvis: pro quo est necessarium attingere, quod nullam connexionem habet cum consensu; & hoc quidem ex natura ipsius veritatis contingentis conditionatæ, quæ aliter non potest cognosci in esse talis: vndè vel dicendum est: Deum non cognoscere futura contingentia conditionata; vel ex parte conditionis, & hypothesis præscindendum omninò est ab illo, quod cum existentia conditionati habet connexionem. Ad primam confirmationem: concedo antecedens, & nego consequentiam. Nam per scientiam mediam, neque scit Deus, quod si conferat provide, erit consensus, nec quod si conferat improvidè; sed præcisè, quod si conferat auxilium, erit consensus: nec obstat, quod scientia media in repræsentando, præscindat ab vtroque contradictorio providentiæ, & non providentiæ, sicut scientia *simplicis intelligentiæ* præscindit ab vtroque contradictorio existentiæ, & non existentiæ creaturarum quoad affirmationem absolutam illorum. Ad secundam confirmationem: concedo, quod quidquid requiritur in statu absoluto *absolutè*, requiritur in statu conditionato *conditionatè*: sed cum hac distinctione, quod non omne, quod requiritur in statu absoluto *absolutè*, constituit statum conditionatum contingentem; sed necessarium: sic in statu absoluto Petri requiritur, quod existat *absolutè* actio, & quod *absolute* excludat suum contradictorium; & tamen non correspondet illi status contingens conditionatus: cum necessarium sit, quod si existat actio, &, si excludat suum contradictorium, existat: similiter scientia media, licèt requiratur in statu absoluto consensus *absolutè*; non constituit statum conditionatum contingentem, si ponatur ex parte hypothesis.

29 Replicabis primò. Si scientia media necessaria est ad providentiam, non minus necessaria est; quàm *naturalis*: sed scientia *naturalis* necessariò debet ingredi hypothesim attactam per scientiam mediam: ergo ipsa scientia media debet necessariò eandem hypothesim constituere: quo dato, non scientia contingens; sed necessaria erit. Secundo: scientia media eo modo debet attingere hypothesim, quo est possibilis sub ipsa: sed vnicè est possibilis sub ipsa, prout coniuncta cum tali determinata scientia media: ergo scientia media eo solum modo potest attingere hypothesim, quo hæc non est indifferens ad conditionatum: & reddetur chymærica. Ad primum respondeo. Tàm necessariam esse ad providentiam scientiam necessariam; quàm mediam: nego tamen, ideo debere attingi scientiam *naturalem* ex parte hypothesis: & dato, quod attingeretur, est clara disparitas propter inconnexionem, quam habet actus primus constitutivus hypothesis, prout coniunctus cum tali scientia; quam non habet, prout coniunctus cum scientia media, ex qua, & ex purificatione hypothesis resultat coniunctum connexum metaphysicè cum conditionato. Ad secundum: distinguo maiorem. Scientia media eo modo debet attingere hypothesim, quo est possibilis sub ipsa tàm *intrinsecè*, quàm *extrinsecè*: nego maiorem: *intrinsecè* tantum: concedo maiorem. Et sub eisdem terminis distincta minori. Nego consequentiam.

30 Adhùc non quiesces, & dices: Deus debet attingere hypothesim comprehensivè; ergo debet attingere hypothesim scientiæ mediæ cum omni denominatione, quam habet: sed vna ex denominationibus, quas habet, est *coexistentis conditionatè* ad scientiam mediam, per quam attingitur: ergo debet respici ab scientia media, prout coexistens sibi conditionatè, quod est formaliter attingi sub hoc modo tendendi: *Si existat auxilium sub scientia media efficaciæ, existet consensus.* Redarguo: Deus attingit existentias rerum contingentium comprehensivè: ergo debet attingere eas cum omni denominatione, quam habent: sed vna ex denominatio-

nibus est esse *necessario possibiles* : ergo per scientiam *visionis*, per quam cognoscit res, vt existentes, cognoscit illas, vt necessario possibiles; ac proindè scientia *simplicis intelligentiæ* confunditur cum scientia *visionis*. Insuper malè confunditur ab argumente : attingi per scientiam mediam hypothesim, vt sibi coexistentem conditionatè, & attingi à scientia media hypothesim, vt sibi coexistentem ad affirmandum conditionatum sub ipsa : nam id, quod ponitur ex parte hypothesis, constituendo illam, non attingitur conditionatè sed merè suspensivè; id verò quod affirmatur sub hypothesi, est quod attingitur conditionatè : quarè, vt hypothesis attingatur per scientiam mediam, vt sibi coexistes, necesse est attingi sub aliqua conditione, & hypothesi, cuius conditionatum sit coexistentia ad scientiam mediam.

31 Ad argumentum: concesso antecedenti: distinguo consequens: debet attingere hypothesim cum omni denominatione attacta, vt *constitutiva* hypothesis : nego consequentiam. *Posita extra hypothesim*, vel ex parte conditionati, vel ex parte ipsius scientiæ *reflexè cognitæ*: concedo consequentiam. Est dicere: non omne, quod attingitur per scientiam conditionalem ex parte hypothesis attingitur, vt constitutivum illius: patet in conditionato, quod attingitur per conditionalem scientiam, & non ideò attingitur ex parte hypothesis : insuperque termini connexionis hypothesis possunt attingi per scientiam conditionalem, & non ideò attinguntur vt constituentes hypothesim : vt constat in hoc modo tendendi conditionali: *Si existat auxilium, quod connectitur, vel cum scientia consensus, vel cum scientia dissensus, erit consensus* : in qua attingitur scientia media, vt terminus connexionis auxilj vagè respectus; quin propterea scientia media vagè accepta, constituat hypothesim : ergo mala consequentia est : *Per scientiam mediam attingitur hypothesis cum denominatione, quam habet : ergo denominatio attingenda est ex parte hypothesis*. Aliter potest responderi, distinguendo idem consequens : debet attingere hypothesim cum omni denominatione : *per scientiam mediam attacta* : nego consequentiam : *per aliquam scientiam* : concedo consequentiam. Itaque, sicut, vt comprehendat Deus creaturas, est necessarium, quod cognoscat omnem illarum denominationem; cæterùm non per vnicam scientiam; verum per complexum scientiæ *naturalis*, *liberæ*, & *mediæ* : sic, vt comprehendat hypothesim scientiæ mediæ, debet cognoscere omnem denominationem illius; ast non vnice per scientiam mediam; sed per complexum scientiæ divinæ adæquatè sumptæ.

32 Obijcies quintò ab absurdo. Necessitas scientiæ mediæ ad prædestinationem infert: prædestinatum non differre à non prædestinato, nisi tantum ex parte certitudinis præscientiæ : quod dici non potest, vt tenet Divus Thomas quæstione 6. de Veritate, art. 3. per hæc verba : *Sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis; sed tantum ex parte præscientiæ eventus, & sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset præelectionem prædestinantis, contra authoritatem scripturæ, & dicta Sanctorum.* Assumptum probatur. Hi, qui sunt pares in reliquis, præter vnum ab eo tantùm summunt discretionem : sed data necessitate scientiæ mediæ ad prædestinationem, prædestinatus, & non prædestinatus pares sunt in medijs indifferentibus, & in decreto collativo illorum, tantumque differunt ex parte scientiæ efficaciæ, quæ datur in prædestinato; secùs in reprobo: ergo in ea suppositione nullatenus differrent ex parte ordinis & electionis; sed ex parte certitudinis scientiæ.

33 Respondeo primò ex Recentioribus : necessitatem scientiæ mediæ ad prædestinationem non inducere discretionem prædestinati à reprobo per solam certitudinem præscientiæ, nullo modo interveniente certitudine ex parte ordinis, & prædestinantis. Ratio est; quia necessitas scientiæ mediæ non excludit electionem efficacem antecedentem prædestinati ad gloriam, nec decretum efficax collativum mediorum motum intrinsecè ex efficacia illorum; imò ex communiori sententia cum his defacto datur; quæ discretionem prædestinati à reprobo ex parte voluntatis eligentis, & prædestinantis constituunt. Respondeo secundò. Quod sicut, licet sit vera hęc propositio: *Inter album, & non album* (cæteris paribus) *tota disparitas fundatur in existentia albedinis*; tamèn est falsum dicere : *vnice differt album à non albo per existentiam, & habitionem albedinis*, quia vltra hoc, differt in effectu formali *albi*, qui aliud vltra formam includit. Sic etsi sit verum : *inter*

præ-

prædestinatum, & non prædestinatum (cæteris paribus) tota disparitas fundatur in certitudine scientiæ; falsum est: vnice differre per certitudinem scientiæ; & non etiam per certitudinem dispositionis. Fundamentum est: nam scientia tantum habet certitudinem conditionatam, dum præscindit à purificatione conditionis, quę per purificationem conditionis pertinentis ad dispositionem præparantis redditur absoluta: qua ratione non datur pura certitudo scientiæ; sed certitudo dispositionis.

34 Obijcies sextò contra secundam conclusionem. Omnis providentia, sivè *physica*, sive *moralis* est de medijs in ordine ad finem: ergo sola illa scientia erit constitutiva providentiæ *physicæ*, quæ sit de medijs physicis in ordine ad finem: sed scientia media non est de medijs physicis in ordine ad finem: ergo nulla scientia media est constitutiva providentiæ *physicæ*. Respondeo. Providentiam divinam, sivè *physicam*, sivè *moralem*, non esse solum de medijs, vt efficacibus, aut sufficientibus in ordine ad finem: sed de medijs, vt perfectissimè, voluntariè, & libere ponendis; pro quo est necessaria scientia media *constitutivè* ad providentiam *physicam*: quia licet per illam non repræsentetur eventus mediorum sub conditione, quod existant; tamen est necessaria, vt Deo sit liberum, & voluntarium ea perfectione, quæ divinam providentiam decet, omne complexum contingens, quod per positionem mediorum ex ipsis, & alio quovis Deo non libero, vt est scientia media de operatione libera creaturæ, constituitur. Solutio data roborari potest ex paritate scientiæ *simplicis intelligentiæ*, quæ non solum, prout proponit possibilitatem mediorum, quæ adhibentur, est providentia *physica*; sed prout repræsentat omnia possibilia, constituit providentiam *physicam*; vt hęc sit plenè, & perfectè Deo voluntaria.

***

CAPVT II.

Quæ scientia media, & qua extensione ad providentiam, & prædestinationem requiratur?

35 MAnet statutum primò. Scientiam mediam de efficacia, aut inefficacia mediorum, quæ disponuntur per providentiam *moralem*, esse constitivam huius providentiæ. Secundò: scientiam mediam de efficacia mediorum, quæ per providentiam *prædestinativam* adhibentur, constituere talem providentiam. Tertio: scientiam mediam de actibus liberis creaturæ esse necessariam *constitutivè* ad providentiam *physicam*. Cęterum cum scientia media comprehendat sub se *directam* de operatione libera Deo v.g. scientia, qua Deus cognoscit *Quod si decreviſſet alterum mundum, decreviſſet Incarnationem Spiritus Sancti*: *directam* de operatione libera creaturę, v.g. scientia, quæ sic tendit: *si conferat Petro auxilium* A; *consentiet. Reflexam*, quæ ex parte hypothesis attingit aliam scientiam mediam *directam* v.g. quæ sic se habet: *si prævidiſſem, quod si conferam Petro auxilium* A, *converteretur*, *conferrem auxilium* A, & quælibet ex his in sua linea *completè* sumpta, dividatur in scientia de *efficacia*, & *inefficacia*, quarum quælibet comprehendit sub se plures, quæ vlterius valent considerari, aut *determinatè*, aut *vagè*? Restat inquirendum: in qua latitudine scientia media sit necessaria *constitutivè* ad providentiam, & prædestinationem, & an *determinatè*, an *vagè*? quæ omnia, etsi in prima propositione obscura, & subtilia, ex sequentibus conclusionibus clarescent per resolutionem.

36 Pro qua advertendum est. Duplicem in Societatis Schola esse sententiam circa scientiam mediam *directam*, sivè de operatione libera creaturæ, sivè de operatione libera Deo: vna tenet: omnem scientiam medi am *directam*, quæ defacto existit, identificari non modò realiter; verum, & virtualiter, in ordine ad non susciplenda prædicata contradictoria, taliter, vt quidquid convenit vni, alteri conveniat; & Petrus, qui per dissensum potest impe-

dire scientiam mediam de suo consensu; potest similiter impedire omnem scientiam mediam *directam*, quæ de facto existit respectu omnium; non quia dissentiendo possit facere, quod alter, qui prævidetur consensurus, prævideatur dissensurus: quia non potest per suum liberum exercitium impedire exercitium alterius libertatis independentis; sed quia per suum dissensum potest facere, vt alter non prævideatur consensurus per hanc numero scientiam mediam, qua defacto prævidetur; quamvis per aliam numero distinctam prævideretur tunc alter consensurus. Fundamentum ipsis est, quia cum omnes scientiæ mediæ existant in eodem signo sinè dependentia vnius ab altera a priori, sivè a posteriori; divina simplicitas videtur exposcere, vt omnes veritates conditionatæ de hypothesi non connexa cum conditionato, nec claudente scientiam mediam, cognoscantur per eundem indivisibilem realiter, & virtualiter actum.

37 Altera per oppositum tuetur; quod quamvis omnis scientia media *directa* identificetur realiter inter se, vt divinæ perfectioni convenit; secus tamen virtualiter, cum de ipsis verificentur sine contradictione prædicata alias ex se opposita: scilicèt *hanc determinatam scientiam mediam de consensu Petri, posse existere sine determinata hac scientia media de consensu Pauli*; quod de hac non potest verificari, quia non potest existere sinè se ipsa: nec quamvis omnis scientia media *directa* in eodem signo existat; ipsos ad virtualem identitatem movet, censentes, scientiam mediam inducere, & sapere conditionem veritatis *obiectivæ*, quæ cum sit ita independens vna ab alia, vt *mutuo*, nec *non mutuo* non possint se impedire; sic scientiæ mediæ sunt ita independentes, vt vna impedita, altera possit permanere, & è contra. Iuxta primam sententiam iam videtur; omnem scientiam mediam *directam* esse requisitam *constitutivè* ad providentiam quamvis *moralem*, & *physicam*. Ratio est: quia cum ad has providentias requiratur *constitutive* aliqua scientia media *directa*; si quævis scientia media *directa* realiter, & virtualiter est omnis scientia media *directa*; constituente aliqua has providentias, omnem constituere, necesse est: ideò iuxta hanc sententiam solum remanebit dubium de scientia media *reflexa*, quod non admittet Pater Aldrete, qui contra reliquos tenet; scientiam mediam *directam*, & *reflexam* identificari realiter, & virtualiter. Verùm, vt magis amplè procedamus; dubia proposita definiemus, complectendo vtramque sententiam, sivè scientiæ mediæ *directæ* inter se virtualiter distinguantur, sivè identificentur.

38 Quo supposito dico primò. Ad quamcumque providentiam, sivè *physicam*, sivè *moralem* requiritur *constitutivè* omnis scientia media *directa* de operatione libera creaturæ; sivè sit vnius indivisibilis realiter, & virtualiter actus; sivè in plures virtualiter distinctos dividatur. Assertum provo. Existentia medij per providentiam tàm *physicam*, quàm *moralem* dispositi, sicut, & illius præparatio debent esse perfectè Deo voluntariæ: sed taliter non essent, si omnis scientia media *directa* de operatione libera creaturæ providentiam non constitueret: ergo ad omnem providentiam, sivè *physicam*, sivè *moralem* requiritur *constitutivè* omnis scientia media *directa* de operatione libera creaturæ, quomodolibet sit talis scientia quoad virtualem identitatem, vel distinctionem. Maior est certa. Probo minorem. Non est perfectè voluntaria existentia medij electi, & dispositio illius, quando non cognoscuntur cum omnibus circumstantijs, quibus determinatè afficiendæ sunt, si ponantur: sed non cognoscerentur cum omnibus circumstantijs, quibus in re determinatè afficiendæ sunt, si existant; nisi requireretur *constitutivè* ad providentiam, sive *physicam*, sive *moralem* omnis scientia media *directa*, &c. ergo existentia medij, sicut, & illius dispositio non essent perfectè voluntariæ. Probo minorem. Vna ex circumstantijs medij, prout existentis, & dispositionis illius, est coexistentia ad omnem scientiam mediam *directam* de operatione libera creaturæ, & ad omnem veritatem *obiectivam* per illam attactam: sed hæc circumstantia non aliter potest à Deo cognosci; quàm per scientiam mediam: ergo non cognoscerentur cum omnibus circumstantijs, quibus in re determinatè afficiendæ sunt, si existant; nisi requireretur *constitutivè* ad providentiam, sive *physicam*, sivè *moralem* omnis scientia media *directa*. &c.

39 Explicatur; sicut in simili diximus, loquentes de sola providentia *physica*: nàm, cum nulla scientia media *directa* de operatione libera creaturæ sit Deo libera; in tantum complexum

xum ex illa, & quovis alio potest esse Deo perfectè liberum, & voluntarium, in quantum aliud libere à Deo ponatur, prout illi coexistens: sed vt liberè, & voluntariè ponatur, vt illi coexistens, necessaria est cognitio illius, vt per se patet; ac per consequens cognitio omnis scientiæ mediæ, & conditionalis veritatis pertinentis ad libertatem creatam, cui auxilium, vel medium à Deo positum coexistat; quæ alia non est; quàm omnis scientia media *directa* de operatione liberâ creaturæ: ergo, vt medium positum per providentiam, sivè *physicam*, sivè *moralem*, & positio illius sint Deo perfectè libera, & voluntaria, necessaria est omnis scientia media *directa* de operatione libera creaturæ, cui sicut, & veritati *obiectivæ* per illam repræsentatæ, coexistit medium. Clarius adhuc. Deus, vt perfectissimus Artifex non solum attendit ad id, quod particulariter intendit, & providet; sed ad coniunctum, & complexum, quod per quodcumque decretum, & obiectum illius constituitur; vt ex omnibus resplendeat harmonia totius providentiæ: at decretum quodcumque particulare sivè providentiæ *physicæ*, sivè *moralis* constituit complexum cum omni scientia media *directa* Deo non liberâ: ergo ad quodvis decretum particulare vtriusque providentiæ necessaria est attentio ad reliqua omnia, quæ independenter à divina libertate quomodocumque sunt, & existunt: quæquidem attentio alia non potest esse; quàm complexum omnis scientiæ mediæ *directæ* Deo non liberæ, per quam veritates cum independentia à decreto repræsentantur.

40 Secundo. Omnis scientia media *directa* de operatione libera creaturæ independens est ex conceptu suo ab omni decreto libero Dei, prout absolutè existenti: ergo nullus est titulus, vt sit consequens decretum vllum absolutè existens; aliundè valdè conducit ad plenam voluntarietatem, & libertatem cuiusvis decreti: ergo aptissima est ad regulandam quamcumque providentiam: sed id, quod est aptissimum ad regulandam quamcumque providentiam, defacto regulat; ac perconsequens constituit; nè cuivis divinæ providentiæ deficiat, quod ipsi maximè convenit; aliàs defectuosa, & mutila contra divinam perfectionem redderetur: ergo quævis providentia Dei particularis, sivè *physica*, sivè *moralis* constituitur necessario ex omni scientia media *directa*, quæ de facto existit circa operationem liberam creaturæ.

41 Tertiò ex repetita, & inculcata paritate scientiæ *simplicis intelligentiæ*, quæ, quia requiritur *constitutivè* ad omnem providentiam, tàm *physicam*; quam *moralem*; requiritur non vtcumque; sed in omni sua amplitudine, & extensione; scilicet, provt comprehendit omnia possibilia, omnemque veritatem quidditativam, & necessariam: ergo quia scientia media *directa* de operatione libera creaturæ requiritur *constitutivè*, tàm ad providentiam *physicam*; quàm *moralem*, vt supra probavimus; non quomodocumque erit necessaria *constitutivè*; sed in omni sua extensione, & prout respicit omnem veritatem conditionalem, cuius hypothesis est libertas creaturæ, & conditionatum, exercitium liberum determinate acceptum sub tali potestate.

42 Hæc, quæ probabiliter satis suadent nostram conclusionem de necessitate scientiæ mediæ *directæ* de hypothesi libertatis creatæ ad omnem providentiam *physicam*, & *moralem*, eam convincunt in sententia Recentiorum dicentium post Patrem Sparza: Deum omnia decrevisse in eodem signo, & per idem indivisibile virtualiter decretum: nàm cum Deus, provt potens decernere, quæ decrevit, plura, & plura his, quæ decrevit, potuisset decernere; & ad latitudinem omnium, quæ potest decernere, necessaria sit omnis scientia media *directa*, quæ de facto existit; perconsequens ad decretum cuiusvis providentiæ particularis, qualiscumque ea sit, necessaria est omnis scientia media *directa* de operatione libera creaturæ: at cum sententia ista sit singularis, nec leves patiatur in Theologia difficultates; sufficiat id monuisse, præcipuè cum nostra fundamenta non egeant hoc speciali recursu.

43 Dico secundò. Si omnis scientia media *reflexa* sit idem virtualiter actus, nulla scientia media *reflexa* est constitutiva vllius providentiæ, aut *physicæ*, aut *moralis*; si autem scientiæ mediæ *reflexæ* distinguantur virtualiter inter se; omnes illæ scientiæ mediæ *reflexæ*, præter illam, quæ attingit conditionatum determinatæ providentiæ, aut *physicæ*, aut *moralis* sub potestate constituta per scientiam mediam, qua de facto constituitur, erit constitutiva determi-

minatæ providentiæ. Exemplum declarabit assumptum. Ponamus hanc providentiam *moralem* (idem intellige de *physica*) qua Deus decernit Petro auxilium efficax: & dicimus, quod si omnis scientia media *reflexa* sit eadem virtualiter, nulla constituet hanc determinatam providentiam; at si distinguantur virtualiter inter se; omnis scientia media *reflexa* præter eam, quæ sic tendat: *si prævidero auxilium A efficax in Petro, illud conferam*, erit constitutiva huius determinatæ providentiæ.

44 Probo primam partem propositionis. Non potest constituere talem providentiam ea scientia media, quæ libertatem providentiæ destruit: sed si omnis scientia media *reflexa* sit eadem virtualiter, quævis scientia media *reflexa* constituens hanc determinatam providentiam destrueret libertatem illius: ergo nulla scientia media *reflexa*, si inter se virtualiter identificentur, est constitutiva talis providentiæ. Maior est certa. Probo minorem. Id destruit libertatem providentiæ, quod constituit libertatem decreti, vt connexam cum illo. sed data identitate virtuali inter scientias medias *reflexas*, quævis scientia media *reflexa* constituit libertatem decreti, vt connexam cum illo: ergo si omnis scientia media *reflexa* virtualiter identificetur, quævis scientia media *reflexa* constituens hanc determinatam providentiam, destrueret libertatem illius. Probo minorem. Data identitate inter omnem scientiam mediam *reflexam*, quævis esset hæc determinata: *si prævidero auxilium A efficax in Petro, illud conferam*: quæquidem, provt constituens libertatem ad decretum, connectit libertatem cum decreto: quia connectitur cum eo, quod si existat scientia media *directa* de efficacia auxilij, sit decretum; & aliundè simul cum purificatione conditionis libertatem constituit: ergo data identitate virtuali inter omnem scientiam mediam *reflexam*, quævis scientia media *reflexa* constituit libertatem, vt connexam cum decreto.

45 Explicatur: hæc scientia media reflexa: *si prævidero auxilium A efficax in Petro, illud conferam*, Posita purificatione conditionis per existentiam scientiæ mediæ directæ, *Si existat auxilium A in Petro, erit consensus*, constituit cum illa coniunctum metaphysicè connexum cum decreto auxilij: quia omnis actus conditionalis essentialiter verus constituit cum purificatione conditionis aggregatum connexum metaphysicè cum conditionato: ergo si scientia media illa *reflexa* constituat libertatem ad decretum auxilij, simul cum scientia media directa constituit libertatem ad decretum includentem aggregatum ex ipsa, & scientia media *directa* metaphysicè connexum cum decreto. Subsumo: sed scientiam *reflexam* constituere hāc providentiam, est scientiam hanc determinatam constituere illam, negata distinctione virtuali inter scientias *reflexas*; & insuper scientiam hanc determinatam *reflexam* constituere hanc providentiam, est constituere libertatem decreti; siquidem scientia non aliter constituit providentiam; quàm constituendo libertatem decreti: ergo de primo ad vltimum, si omnis scientia media *reflexa* eadem tendentia virtualiter sit, & constitueret hanc providentiam; libertatem illius everteret.

46 Probo iam secundam partem. Suppositā distinctione virtuali inter scientias medias *reflexas*, omnis scientia media *reflexa*, quæ non sit de conditionato collationis huius determinati auxilij sub potestate, & scientia, sub qua defacto confertur, est scientia, quæ, prout constituit providentiam hanc determinatam, non lædit libertatem decreti; quia pro signo libertatis ad illud non adiungitur purificationi suæ hypothesis, quæ alia est à scientia *directa* efficaciæ huius determinati auxilij; aliundè maximè conducit ad voluntarietatem decreti constituentis cum ipsa complexum contingens, & Deo liberum; sicut de scientia *directa* libertatis creatæ diximus: ergo ex suppositione distinctionis virtualis inter scientias medias *reflexas*, omnes illæ constituent providentiam hanc determinatam præter illam, quæ sit de conditionato huius determinatæ providentiæ sub hypothesi potestatis constitutæ per omnem illam scientiam, per quam de facto constituitur.

47 Dico tertio. Si omnis scientia media *directa* de operatione libera Deo identificetur virtualiter; nulla scientia media *directa* de operatione libera Deo constituit providentiam sivè *physicam*, sivè *moralem*; at si distinguantur virtualiter; omnis scientia media *directa*, præter illam, quæ sit de illo determinato conditionato, in quo consistit particularis providentia, illam constituet, v. g. Hæc est scientia media *directa* de ope-

operatione libera Deo: *si dedero Petro auxilium A efficax, dabo Ioanni auxilium B inefficax*, quia est de conditionato libero Deo sub hypothesi indifferenti ad illud: quo posito, conclusio est; quod si omnes scientiæ mediæ *directæ* de operatione libera Deo identificentur virtualiter inter se, taliter, vt sint eadem virtualiter tendentia, nulla ex illis concurrit ad providentiam particularem conferendi Ioanni auxilium B inefficax; at si distinguantur virtualiter omnes illæ præter scientiam, qua Deus cognoscit; *quod si conferat Petro auxilium A efficax, conferet Ioanni auxilium B inefficax*, constituent providentiam conferendi Ioanni tale auxilium; quod sua proportione intellige de providentia *physica*.

48 Propositio hæc probatur sicut præcedens. Nam si omnis scientia media *directa* de operatione libera Deo sit eadem indivisibilis virtualiter tendentia, nulla scientia media ex illis datur, quæ non sit virtualiter hæc scientia: *si conferam Petro auxilium A efficax, conferam Ioanni auxilium B. inefficax*: sed hæc scientia non potest constituere providentiam donandi Ioanni auxilium inefficax: quia si constitueret talem providentiam, constitueret libertatem donandi auxilium inefficax; simulque eam destrueret; quia coniungeretur cum purificatione suæ hypothesis, constituendo ex parte libertatis coniunctum connexionem cum exercitio conferendi auxilium inefficax: ergo si omnis scientia media *directa* de operatione libera Deo sit eadē virtualiter, nulla constituet talem determinatam providentiam: quo manet probata prima propositionis pars. Probo secundam. Omnis alia scientia *directa* præter illam, quæ respicit hoc conditionatum *donandi auxilium inefficax Ioanni*, sub hypothesi *conferendi auxilium efficax Petro*, est scientia, quæ etsi coniungatur cum hac hypothesi, non constituit complexum inseparabile à collatione auxilij inefficacis; quia est scientia de alio conditionato: ulterius, vt constitutiva talis providentiæ conducit maximè ad perfectam libertatem, & voluntarietatem illius: ergo ex suppositione distinctionis virtualis inter scientias medias *directas* de operatione libera Deo, omnes præter illam, quæ respicit determinatam providentiam sub hypothesi potestatis ad illam, sunt constitutivæ illius.

49 Contra primam conclusionem obijcies primo. Ex suppositione distinctionis virtualis inter scientias medias *directas* de operatione libera creaturæ, non omnis scientia media *directa* est constitutiva cuiusvis providentiæ, sivè *physicæ*, sivè *moralis*: ergo falsum est, quod, sivè identificentur, sivè distinguantur virtualiter, omnes constituunt quamcumque providentiam particularem *physicam*, aut *moralem*. Probatur antecedens. Ex tali suppositione providentia circa auxilium *A*, quod de facto est efficax, potest dari sinè omni alia providentia, quæ defacto existit: ergo & potest dari sinè omni alia scientia media, quæ defacto existit; ac perconsequens hæc non erit de constitutione illius: quia nihil potest permanere, deficientibus suis constitutivis. Probatur antecedens. Deus cognoscens per scientiam mediam *directam* de operatione libera creaturæ efficaciam huius determinati auxilij, quàmvis omnis alia scientia media *directa* de operatione libera creaturæ, quæ defacto existit, impediretur; posset eodem modo, & in ordine ad eundem finem conferre tale auxilium: ergo providentia circa auxilium *A*, quod defacto est efficax, potest dari sinè omni alia providentia, & scientia media *directa*, quæ defacto existit.

50 Nego primum antecedens. Ad cuius probationem: distinguo antecedens. Ex tali suppositione providentia circa auxilium *A*, quod de facto est efficax, potest dari *adæquatè* sinè omni alia providentia, quæ defacto existit: nego antecedens. *Inadæquatè* ex parte intellectus: concedo antecedens: ex parte voluntatis: sub distinguo: si actus conferendi auxilium sit *intrinsecè* liber, ea determinata libertate, quæ defacto datur: nego antecedens: si non sit ita *intrinsecè* liber: concedo antecedens: & distinguo consequens: potest dari *adæquatè* sinè omni alia scientia media, quæ de facto datur: nego consequentiam: *inadæquatè* ex parte intellectus: concedo consequentiam: exparte voluntatis: subdistinguo sicut supra; qui termini sunt applicandi ly *eodem modo*, quod ponitur in ultima probatione. Explico solutionem. Vt ex defectu alicuius possit probari non constitutio alterius per illud, opus est, quod, illo deficiente, possit permanere *adæquatè* idem; si vero tantum permaneat *inadæquatè* ex eo, quod deficiente alio, sic existat; nequit probari, per illud non constitui; aliàs quia deficiente vnione inter materiam, & for-

formam permanet homo quoad materiam, & animam; posset probari, hominem vt talem non egere vnione pro constitutione sui. Itaque verum est, quod deficiente omni alia scientia media *directa* de operatione libera creaturæ, posset perseverare scientia media de efficacia determinati auxilij, quæ de facto datur; cæterum tunc non perseveraret eadem providentia *adæquatè*, quæ includit omnem scientiam, quæ Deum defacto dirigit ad collationem auxilij efficacis; sed *inadæquatè* tantum, & hoc ex parte intellectus: si vero ex parte voluntatis, & decreti: sub distinctione loquendum: nam si tale decretum non tantum sit essentialiter liberum; verum essentialiter requirat hanc determinatam libertatem divinam, à qua de facto procedit, cùm hæc includat omnem scientientiam, qua Deus defacto dirigitur, deficiente aliqua, idem decretum non daretur.

51 Objicies secundo. Si ad providentiam particularem esset necessaria omnis scientia media *directa* de operatione libera creaturæ, quæ defacto exiſtit, quavis providentia in particulari impedita, impediretur providentia respectu omnium: sed hoc est impossibile: ergo impossibile est, omnem scientiam mediam *directam* de facto exiſtentem, esse necessariam *constitutivè* ad omnem providentiam, quæ defacto exiſtit. Maior est certa. Etenim si providentia quævis particularis requirit scientiam constituentem omnem providentiam; quavis providentia in particulari impedita per impeditionem unius scientiæ mediæ de efficacia, aut inefficacia, omnem providentiam impediri necesse est. Probatur minor. Impossibile est per impeditionem vnius scientiæ mediæ impedire alias independentes à tali exercitio: sed non impedita omni scientia media, per impeditionem cuiusvis, manerent reliquæ providentiæ, ut modo sunt: ergo impossibile est per impeditionem vnius providentiæ in particulari, impedire omnem providentiam de facto exiſtentem. Distinguo maiorem primi syllogismi. Quavis providentia in particulari impedita, impediretur providentia respectu omnium *inadæquatè*: concedo maiorem: *adæquatè*: nego maiorem. Et distinguo minorem. Impossibile est impedire *adæquatè*: concedo minorem: *inadæquatè*: nego minorem, & consequentiam. Ad minoris probationem: concessa maiori, Distinguo minorem. Non impedita omni scientia media, manerent reliquæ providentiæ, vt modo sunt *inadæquatè*: concedo minorem: *adæquatè*: nego minorem, & consequentiam. Id est, impedita vna scientia media tantum; manerent reliquæ; cæterum, cum quævis providentia includat omnes, deficiente vna, deficeret omnis providentia *inadæquatè* ex parte illius, quæ impediretur, & modo exiſtit constituens providentiam adæquatam, quæ modo est.

52 Replicabis. Hanc solutionem subsistineri posse in sententia concedente virtualiter distinctas scientias medias *directas* de operatione libera creaturæ; at in sententia opposita virtualem distinctionem negante, manere in viridi inconveniens prætensum argumenti. Nam cum impediri nequeat (in tali suppositione) vna scientia media *directa*, quin impediantur omnes, quæ cum ipsa virtualiter identificantur; impedita providentia particulari per impeditionem vnius scientiæ mediæ, omnis providentia impediretur adæquatè, quod est inconveniens illatum. Respondeo; quod cum scientia media *directa* de operatione libera creaturæ non vnicè constituat providentiam ex parte intellectus; sed simul cum scientia *naturali*, & *libera*; quamvis, impedita vna scientia media *directa*, impediretur omnis; non ideo infertur; ex impeditione vnius scientiæ mediæ impediri omnem providentiam *adæquatè*: cum impedire vnum ex constitutivis complexi, cum quo cætera constitutiva non connectuntur, non sit impedire complexum *adæquatè*. Nec quod impedita vna scientia media directa, omnes reliquæ impedirentur, aliquid absurdi continet: quia reliquæ, etsi quaod speciem sint independentes ab hoc exercitio libero vnius voluntatis, in quantum voluntas Petri non potest facere per suum dissensum, ne sit scientia media de consensu Pauli; sunt tamen in ea suppositione dependentes quoad individuum, quia quodvis agens rationale per impeditionem scientiæ mediæ correspondentis suo exercitio libero potest facere; nè exercitium liberum alterius agnoscatur hac individua scientia media *directa*, qua defacto cognoscitur.

53 Objicies tertio contra secundam conclusionem: scientia media *reflexa*, nec identificata, nec distincta virtualiter potest constituere providentiam: ergo nullo modo est constitutiva pro-

providentiæ. Probatur antecedens. Si scientia media *reflexa* ex aliqua suppositione posset constituere providentiam, darentur infinitæ reflexiones scientiæ mediæ, taliter, vt non solum esset scientia media *reflexa*, cuius hypothesis esset scientia media *directa*; sed etiam, cuius hypothesis esset scientia media *reflexa*. Vnde supra se in infinitum reflecterent: quia non esset maior ratio, vt vna attingeretur ex parte alicuius hypothesis, secus altera: hoc non est dicendum: ergo neque, quod scientia media *reflexa* in aliqua suppositione constituit providentiam. Probatur maior. Si scientia media *reflexa* ex aliqua suppositione constitueret providentiam, constitueret similiter hypothesim divinæ libertatis: sed omnis hypothesis divinæ libertatis attingibilis est per scientiam, qua cognoscit, quid facturus esset sub tali hypothesi: sicut sub hypothesi libertatis creatæ, quid factura sit creata voluntas: deinde scientia illa *reflexa* constitutiva esset alterius libertatis extra illam, quam attingit ex parte hypothesis: ergo esset cognoscibilis per aliam, & hæc per aliam vsque in infinitum: igitur darentur infinitæ reflexiones scientiæ mediæ, si scientia media *reflexa* ex aliqua suppositione constitueret providentiam.

54 Respondeo: non esse absurdum concedere in intellectu diuino, aut infinitas scientiarum reflexiones, aut infinitas tendentias scientiæ circa infinitas hypotheses: sicuti dissonum non est; sed debitum infinitæ perfectioni infiniti intellectus, concedere infinitam scientiam, tàm quoad intensionem; quàm quoad extensionem. Sic quavis diuina scientia accepta, sivè *necessaria*, sivè *libera*, sivè *media*, concedendum est ab omnibus, Deum cognoscere vi illius, non tantum obiectum *directum* talis scientiæ; sed *reflexum*: in quantum per illam, aut per aliam cognoscit, se cognoscere tali modo, & insuper cognoscit hanc reflexionem, & reflexionem huius reflexionis; aliàs aliqua veritas, aut entis formalitas lateret diuinum intellectum: ergo infinitas reflexionum in diuino intellectu non est, vt absurda proponenda. Nihilominus intèta reflexio in argumento inter scientias medias *reflexas* non probatur; sed facilè inuenitur terminus reflexionum, dicendo: quamcumque scientiam mediam *reflexam* attingere ex parte suæ hypothesis omnem aliam scientiam mediam *reflexam* extra se: vnde non conuincitur alia reflexio; quàm quæ involvitur in ipsa multiplicitate scientiæ mediæ *reflexæ*, quæ necessario est concedenda, & ibi sistit, quin vltra progredi, sit necesse.

55 Instabis primò: ergo vna scientia media *reflexa* potest impediri per impeditionem alterius. Probatur consequentia: impedito obiecto scientiæ essentialiter veræ, impeditur scientia: sed quævis scientia media *reflexa* per nos est obiectum alterius: ergo impedita vna, impedientur reliquæ. Respondeo. Sequellam non esse adeo absurdam, vt non debeat deborari ab his, qui concedunt; scientiam mediam *reflexam* esse vnicam tendentiam virtualiter. Deinde nego sequellam. Ad cuius probationem: distinguo maiorem. Impedito obiecto scientiæ essentialiter veræ *eo modo, quo repræsentatur per scientiam*, impeditur scientia: concedo maiorem. Impedito obiecto *eo modo, quo non repræsentatur*: nego maiorem: & concessa minori: distinguo consequens. Impedita vna *eo modo, quo repræsentatur per reliquas*, impedientur reliquæ: concedo consequentiam: *diverso modo*: nego consequentiam. Ratio solutionis est: scientiam conditionalem non impediri per non existentiam conditionis; sed per non existentiam conditionati sub hypothesi: etenim affirmatio conditionalis præscindit ab existentia, & non existentia conditionis, & tantum affirmat conditionatum casu, quo existat hypothesis: vt cernere licet in hac scientia conditionali directa, *si existat auxilium existet consensus*, quæ eadem permanere potest, sivè existat, sivè non existat auxilium, & tantum impediri potest per non existentiam conditionatam consensus sub auxilio. Indè est; quod scientia media *reflexa*, etsi attingat alias, non potest impediri per non existentiam aliarum: quia cum illas attingat ex parte hypothesis, etiam illis deficientibus, perseverat, dummodo non deficiat conditionatè sub ipsis id, quod ex parte conditionati attingitur.

56 Instabis secundo: ergo scientiæ mediæ *reflexæ* mutuo se præcedunt in eadem linea *obiectiva*. Probatur consequentia. Mutuo sunt obiectum inter se: sed quæ mutuò sunt obiectum inter se, mutuò se præcedunt *obiectivè*: cum obiectum sit ratio existendi cognitionem; secus cognitio ratio existendi obiectum: ergo mutuo se præcedunt in eadem linea *obiectiva*: Respondeo: hanc mu-

mutuam præcedentiam *obiectivam* non obesse, dummodo sit secundum diversam rationem; qualiter invenitur inter scientias medias *reflexas*, quæ mutuò non se præcedunt *obiectivè* secundum se; sed provt sunt in complexo conditionati, cuius sunt hypotheses. Itaque scientia media *reflexa A*, provt coniuncta cum conditionato, quod affirmatur sub ipsa, præcedit *obiectivè* scientiam mediam *B reflexam* secundum se sumptam: & scientia media *reflexa B*, prout in consortio sui conditionati præcedit *obiective* scientiam mediam *reflexam A* secundum se sumptam: & ratio est: quia id præcedit *obiectivè* scientiam, quod determinat *obiectivè* scientiam; vna autem scientia *reflexa* non determinat *obiectivè* aliam, secundum se consideratam; sed prout assumitur tanquàm hypothesis in ordine ad aliquod conditionatum, quod sub ipsa affirmatur: vnde sub hac solum ratione præcedit aliam, & è converso. In quo nulla est repugnantia: sicut iuxta plures, nulla invenitur in eo, quod duo agentia physica mutuò se præcedant in linea efficientiæ physicæ, taliter, vt mutua causalitas appellet supra diversam rationem, scilicet *primi*, & *secundi esse*.

57 Obijcies quarto. Scientia media *directa* de hypothesi libertatis creatæ non attingit ex parte hypothesis vllam aliam scientiam *directam* à se virtualiter distinctam: ergo neque scientia media *reflexa* debet attingere ex parte suæ hypothesis ullam aliam scientiam mediam *reflexam* à se virtualiter distinctam. Antecedens est certum. Consequentia probatur. Tam impertinens est ad hypothesim scientiæ mediæ *reflexæ* quævis alia *reflexa*, ac pro hypothesi *directæ*, quævis alia *directa*: ergo tàm non debet attingi ex parte hypothesis scientiæ mediæ *reflexæ* altera *reflexa*, quam ex parte hypothesis *directæ* altera *directa*. Concesso primo antecedenti. Nego consequentiam. Ad cuius probationem: nego antecedens. Ratio diversitatis est: quia nulla scientia media *directa* constituit libertatem creatam; cum se teneat præcisse ex parte libertatis divinæ; quarè cum scientia media *directa* de hypothesi libertatis creatæ attingat tantum ex parte illius id, quod libertatem constituit; impertinens est pro tali hypothesi scientia illa, quæ libertatem creatam non constituit; at cum scientia *reflexa* attingat ex parte hypothesis libertatem divinam, debet eam attingere secundum omne, quod illam complet, pro cuius complemento impertinentes non sunt aliæ scientiæ mediæ *reflexæ*, quæ, vt vidimus, maximè conducunt pro libertatè, & voluntarietate actus, qui ponitur ex parte conditionati sub hypothesi scientiæ cuiusvis mediæ *reflexæ*.

58 Obijcies quinto contra secundam, & tertiam conclusionem: omnis scientia media, sivè *reflexa*, sivè *directa* de hypothesi divinæ libertatis est Deo libera: ergo nulla scientia media, sivè *reflexa*, sivè *directa* de hypothesi divinæ libertatis, nec exclusa, nec concessa virtuali distinctione, in quavis linea est constitutiva providentiæ. Probo consequentiam. In tantum aliqua ex his esset constitutiva providentiæ, in quantum id exigeret libertas, & voluntarietas complexi, quod ex providentia, terminoque illius ex vna parte, & scientia media *reflexa*, & *directa* de operatione Deo libera ex alia resultat: sed ad libertatem, & voluntarietatem talis complexi non est necessaria constitutio providentiæ per tales scientias: ergo nulla scientia media, sivè *reflexa*, sivè *directa* de hypothesi divinæ libertatis, nec exclusa, nec concessa virtuali distinctione, in quavis linea est constitutiva providentiæ. Probo minorem. Ad voluntarietatem, & libertatem vnius complexi sufficit libertas, & voluntarietas vnius partis: sed scientia media, sivè *reflexa*, sivè *directa* de operatione libera Deo, & est vna pars illius complexi Deo libera, & voluntaria: ergo ad voluntarietatem, & libertatem talis complexi non est necessaria constitutio providentiæ per tales scientias.

59 Respondeo. Ad voluntarietatem, & libertatem alicuius complexi non sufficere ponere libere, & voluntariè aliquod ex constitutivis illius; sed vlterius addendum, quod ponatur liberè, & voluntarie, provt actualiter constituens cum alijs partibus illud totum: pro quo est necessarium, quod præcedat scientia dirigens, aut proponens alia constitutiva, vt iam existentia, vel vt indefectibiliter extitura. Inde constat: voluntarietatem, & libertatem scientiæ mediæ *reflexæ*, aut *directæ* de operatione libera Deo, non sufficere pro libertate, & voluntarietate complexi resultantis ex ipsis, & providentia: ratio est: quia, cum illæ scientiæ omnino præscindant à providentia, cum qua coniunguntur; Deus libere determinans eas

eas scientias, non habet determinativum, vnde cognoscàt extituram talem providentiam; quapropter opus est, vt in signo libertatis, & potestatis ad providendum sic vel aliter, aut *physicè*, aut *moraliter*, existant; ex qua prælucentia per liberam adiunctionem alterius partis præsupponentis reliquas, resultat complexum, vt plenè liberum, & voluntarium.

CAPVT III.

Quo ordine, & in quo signo scientia media constituat providentiam, & prædestinationem.

60 SCientiam mediam, & qualem esse indispensabiliter necessariam ad prædestinationem, & providentiam, vidimus. Remanet verò pars nobilissima huius disputationis, in qua inquirendum: quo ordine, & in quo signo scientia media, quam probavimus necessariam *constitutivè*, se habeat ad providentiam, & prædestinationem, prout se tenentem ex parte divinæ voluntatis, & decreti collativi mediorum? An scilicet in signo priori: àn in signo comitanti: àn dirigens strictè, vel latè ad mediorum collationem: àn cum prioritate tantùm ordinis, & intelligentiæ: àn cum prioritate stricta, & à *quo*, & hęc àn ex necessitate pro omni, vel pro aliquo casu? Scientiam mediam debere prȩcedere aliqua prioritate ad decretum liberum collativum mediorum, esse quasi ex iure sententiam omnium Authorum Societatis, contendit R. Pater Tyrsus, quod si aliqui pauci negant, intelligendi sunt de prioritate stricta, & à *quo*, in quantum decretum collativum auxilij non debet inniti scientia media determinatè accepta; nec cum illa habere conexionem; modo, quo debet concedi (inquit) in scientia media inefficaciæ, quæ, etsi constituat liberam potestatem Dei permittendi peccatum, nec movet Deum ad illud permittendum; cum non conferat Deus auxilium, quia inefficax, nec decretum collativum auxilij inefficacis connectitur cum scientia media inefficaciæ, vtpotè quod sub sciẽtia media efficaciæ posset similiter existere.

61 Sed quidquid de hoc sit, in quo non omnia sunt adeò firma, vt proponit hic Sapientissimus Magister. Quatuor referuntur sententiæ à Patre Aranda lib. 6. de Deo disput. 31. sect. 1. Harum prima affirmat: posse scientiam mediam movere ad negandum conditionem, & medium; secus autem ad ponendum; sicut nec præcedere, aut præcedere posse ad collationem auxiliorum: pro hac citat sine controversia P. Antonium Perez, & Cardinalem de Lugo; hunc in manuscriptis; illum disp. 4. & 5. de Providentia. Secũda sententia concedit: scientiam mediam posse movere Deum, tàm ad negandum, quàm ad conferendum auxilium; sed hoc non esse necessarium: vnde nec necessarium, & indispensabile est: scientiam mediam præcedere ad decretum: ita Aldrete, & Ribadeneyra, qui addit: hoc non impedire scientiam mediam, quamvis necessariò non prærequisitam ad mediorum positionem, existere in signo apto ad movẽdum, ideòque ex necessitate habere prioritatem aptitudinalem.

62 Tertia sententia dicit: Scientiam mediam dirigere posse ad collationem medij, sive efficacis, sivè ineffi cacis; hanc autem directionem non esse necessariam, si *pro motione ex scientia* accipiatur, nisi pro determinato decreto, quo Deus decernat auxilium, quia efficax, seu motus ex efficacia: si verò latè accipiatur *pro constitutivo liberæ potestatis ad conferendum medium* esse necessariam ad omne decretum, sivè collativum, sivè denegativum medij: sic Recentiores aliqui, cum quibus Pater Tyrsus. Quarta, & vltima defendit strictam directionem scientiæ mediæ non esse necessariam; sed possibilem; at necessariam esse præcedentiam scientiæ mediæ ad volitionem, & decretum medij, sivè moveatur, sivè non moveatur per intrinsecam tendentiam ex obiecto scientiæ mediæ. Ita cõmunior Societatis sententia, quam cum pluribus tenẽt Herrera quæst. 3. Avendaño disp. 9. & 11. & Aranda disp. citata à sectione secunda.

63 Ex hac sententiarum diversitate colligitur: iuxta aliquos Authores idem esse *dirigere, movere, & præcedere*, taliter, vt secluſa motione, & directione, non esset præcedentia. Iuxtà alios, *strictè dirigere* idem esse, ac *movere*: & *præcedere*; at *dirigere latè*, & *præcedere* non esse idem ac *movere*: quia sine motione stat aliqua directio lata, & aliqua præcedentia stricta.

In aliorum sententia, quamvis *dirigere*, & *movere* sit idem, ac *præcedere strictè*; at *posse dirigere*, & *movere* includit aliquam præcedentiam aptitudinalem, quæ consistit in eo, quod scientia media, quamvis non moveat, nec dirigat actu, sit in signo apto, vt possit movere, dirigere, & præcedere strictè.

64 In hac opinandi diversitate, quæ bellum domesticum difficile satis instituit, non nisi per varias propositiones mens explicari potest, vt obscuritas in decidendo, recedat. Sit prima. Scientia media constitutiva providentiæ, & prædestinationis, sivè moveat, sivè non moveat ad decretum collativum mediorum, debet existere in signo apto ad movendum, aut retrahendum. Probatur primò. Esse scientiam mediam in signo apto ad movendum, aut retrahendum a decreto, est scientiam mediam existere in signo, in quo possit movere, aut retrahere à decreto: sed scientia media debet existere in signo, in quo possit movere, aut retrahere à decreto: ergo scientia media debet existere in signo apto ad movendum, aut retrahendum. Probatur minor. Scientia media, vel claudit in sua existentia, vel in obiecto, quod proponit, rationem, ex qua Deus potest moveri, aut retrahi à positione medij: sed ratio potens movere, aut retrahere ab exercitio libero, debet esse in signo, in quo possit movere, aut retrahere; alias falsò esset potens movere, aut retrahere: ergo scientia media debet esse in signo, in quo possit movere, aut retrahere. Probatur maior. Scientia media, vel per sui existentiam potest movere Deum, aut retrahere, vt constituat cum ipsa complexum per existentiam decreti, & auxilij, vel per efficaciam, aut inefficaciam medij, quam proponit, retardare, aut impellere electionem illius: ergo scientia media, vel in sua existentia, vel in obiecto, quod proponit, continet rationem, ex qua Deus possit moveri, aut retrahi.

65 Secundò. Scientia conditionatorum contingentium debet existere in signo apto, vt Deum moveat, aut retrahat: sed scientia conditionatorum contingentium est scientia media: ergo scientia media debet existere in signo apto ad movendum, aut retrahendum divinum affectum. Minor est certa ex suppositione scientiæ mediæ. Probatur maior ex communi sententia Patrum asserentium: Deum retrahi à collatione aliquorum beneficiorum propter malum eorum vsum, quem præcognoscit futurum, si darentur. Ita Divus Augustinus tractatu 73. in Ioannem: *Male vsurus eo, quod accipit, Deo potius miserante, non accipit:* & de Correctione, & Gratia capite 8. Vbi loquendo de reprobis, inquit: *Respondeat si potest, cur illos Deus, cum fideliter viverent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum? Vtrùm hoc in potestate non habuit? An eorum futura mala nescivit? Nihil horum, nisi perversissimè, & insanissimè, dicitur.* Idem Sanctus Damascenus libro contra Adimantum Manicheum docet: *Deum Davidi obtulisse occasiones, quibus potuit Saulem occidere; quia prævidit, se rectè facturum in illis.* Sanctus Bernardus serm. 52. in Cantica: *Interdum subtrahitur gratia, sivè retrahitur; non propter superbiam, quæ iam est; sed, quæ futura esset, nisi subtraheretur.* Sanctus Basilius in Institutione Monast. capite 20. *Si intellexisset Dominus: te, si munus impetrasses, id nequaquam esse amissurum, sine dubio vltrò tibi, sine vllo reatu detullisset; nunc autem tibi prospiciens, hoc facit.* Consonant frequentissimè alij Patres ad illud Sapient. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius:* Et passim dùm quærunt solutionem illis quæstionibus in quibus proponitur: cur Deus creaverit homines, & Angelos, quos prævidebat lapsuros? Et alij huius generis.

66 Constat insuper ex fidelium orationibus, petentium à Deo aliqua dona, si sint profutura; secùs si non sint profutura: sic facit Ecclesia orans: *Te suplices exoramus, vt noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas*, quæ orationes planè inutiles, & frustraneæ forent, si Deus in signo apto non cognosceret eventum sub talli dono futurum, vt vel ab eius malo vsu retraheretur, vel vt ad bonum alliceretur. Patet: nàm frustra petitur ab alio aliquid sub conditione, cuius cognitio non est in signo apto, vt moveat, aut retrahat à collatione doni, & qui tantum potest conferre postulatum, sivè existat, sivè non

non existat conditio, sub qua petitur. Idem suadent divina responsa reddita consultationibus de eventibus contingentibus conditionatis, vt est illa Davidis primo Regum capite 23. *Si descendet Saul in Zeilam, & tradent me viri Zeilæ in manus eius?* Cui respondit Dominus: *Descendet, & tradent.*

67 Tertiò: coexistentia scientiæ mediæ ad decretum liberum debet esse libera Deo: sed vt Deo sit libera ea coexistentia, debet existere in signo apto, vt moveat, aut retrahat à decreto; ergo scientia media debet existere in tali signo. Probatur minor. Non est libera coexistentia duorum, nisi vnum liberè ponatur ex prævisione alterius: sed non est libera coexistentia scientiæ mediæ ad decretum, quia Deus determinet scientiam mediam ex prævisione decreti; aut quia non omnis scientia media est Deo libera, vt accidit in scientia media *directa* de hypothesi libertatis creatæ; vel quia etsi Deo sit libera, vt scientia media *reflexa*, & *directa* de sua operatione, non præsupponit decretum: ergo tantum est libera ex determinatione decreti, præcedente scientia media: sed scientiam mediam præcedere ad decretum, est esse in signo apto, vt moveat, aut retrahat à decreto: ergo, &c.

68 Dices. Iuxta nos aliqua scientia media, vt est *reflexa*, & *directa* de hypothesi divinæ libertatis, non est in signo apto, vt moveat, aut retrahat à decreto, quod se tenet ex parte conditionati: quia sine læsione diving libertatis non potest constituere providentiam illam particularem: sed Deo est voluntarium coniunctum ex illis scientijs, & decreto per illas non regulato: ergo vt coniunctum ex scientia media, & decreto sit Deo liberum, & voluntarium, non opus est; scientiam mediam existere in signo apto ad movendum, aut retrahendum. Sed contra: nam sicut, quod scientia media pro suo signo attingat suspensivè suam hypothesim, non affirmando absolutè existentiam, aut non existentiam illius, non probat, quod divina scientia pro omni signo debeat attingere suspensivè hypothesim; alias nunquam daretur scientia *visionis* illius: sic quod respectu alicuius complexi, ex scientia media, & decreto detur tantum voluntarietas quædam vaga, in quantum determinans suam scientiam mediam *reflexam*, aut *directam*, cognoscit coexituram cuivis exercitio libero, quod post intelligatur, & id ex exigentia divinæ libertatis, non probat, quod omni complexo ex scientia media, & decreto sit concedenda illa tantum voluntarietas vaga, & quasi in confusio, quando divina libertas id non exigit; & aliunde voluntarietas determinata negari non possit: augere gradum aliquem in ratione *voluntarij*. Quod explicari potest exemplo voluntarij necessarij, & liberi, quod in Deo invenitur, & quamvis iuxta plures vnum sit alio perfectius in ratione *voluntarij*, non licèt arguere; *voluntarium necessarium* v. g. *est magis perfectum voluntario libero: ergo hæc perfectionis additio debet inveniri in omni actu divino*; quia sic destrueretur voluntarium liberum; & è contra, si excessus sit ex parte voluntarij liberi: quia destrueretur voluntarium necessarium: non ergo bonum argumentum est: *In tali actu divino sufficit, aut requiritur talis ratio voluntarij: ergo in reliquis sufficit, aut requiritur eadem voluntatietatis ratio.*

69 Quartò. Aut Deus nunquam potest moveri ex efficacia medij, & retrahi ab eius inefficacia; vel semper, ac est efficax, debet se posse movere ex efficacia: sicut semper, ac est inefficax, debet se posse retrahere ab inefficacia: sed Deum nunquam posse moveri ex efficacia, sicut nunquam posse retrahi ex inefficacia, dici non debet; cùm hoc sit Deo auferre rationem specialissimi Benefactoris in collatione auxilij efficacis præ inefficaci: ergo scientia media efficaciæ semper debet esse in signo apto ad alliciendum, sicut scientia inefficaciæ in signo apto ad retrahendum. Probatur maior. Semper ac existit scientia media efficaciæ, aut inefficaciæ, existit in eodem signo, ac quando Deus movetur ex efficacia, & retrahitur ex inefficacia: nàm existentia scientiæ mediæ in suo signo consequitur existentiam absolutam illius, quæ cum libera Deo non sit, nec liberum potest esse, quod existat aut non existat in suo signo; imo quamvis sit libera, vt scientia *reflexa*, non potest esse Deo liberum, *quod si existat, non existat in suo signo*: ergo vel Deus nunquam potest moveri ex efficacia, aut inefficacia per scientiam mediam proposita; aut semper ac existit

ſcientia media, tàm efficaciæ, quam inefficaciæ, exiſtit in ſigno apto ad movendum, & retrahendum.

70 Quinto. Omnis veritas *obiectiva* debet eſſe à Deo cognoſcibilis, quamprimùm poteſt cognoſci: ſed veritas *obiectiva conditionata contingens* cognoſcibilis eſt à Deo pro ſigno apto, vt ex illa moveatur, aut retrahatur a decreto: ergo ſcientia media debet exiſtere in ſigno apto, vt moveat, aut retrahat à decreto. Maior eſt certa; alias divinus intellectus non eſſet perfectiſsimus; ſed capax alicuius ignorantiæ. Probatur minor. Veritas *obiectiva conditionata contingens* non impeditur à cognoſcibilitate pro ſigno apto, vt moveat, aut retrahat, ex eo, quod non exiſtat in illo ſigno; tum quia, ſicut veritas non exiſtens ab æterno, terminat cognitionem exiſtentem ab æterno: ſic veritas non exiſtens in illo ſigno, poterit terminare cognitionem in illo ſigno; tùm quia falſum eſt, veritatem conditionalem non exiſtere ſuo modo pro ſigno anteriori ad decretum; cum ſit prior in ſubministrandi conſequentia complexo ex decreto, auxilio, & conſenſu v.g: bene enim valet: *exiſtit decretum, auxilium, & conſenſus: ergo exiſtit ſcientia media efficaciæ*; ſecus è contra. Neque impeditur ex capite connexionis cum decreto; quia talem connexionem non habet: nec quia conſenſus abſolutus connectitur, cum illa, voluntalque eſt potens illam impedire; qualiter non poſſet, ſi antecederet neceſſario decretum: quia voluntas bene poteſt impedire per vnum exercitium id, quod eſt ex parte cauſæ eſſentialiter requiſitum ad aliud: quando non eſt requiſitum ad cauſam proximam: ergo veritas conditionata poteſt cognoſci pro illo ſigno.

71 Sextò. Aut ſcientia media debet exiſtere in ſigno acto, vt moveat, aut retrahat à decreto, aut non poteſt probari in Deo neceſſaria: ſed ſciẽtia media in Deo eſt neceſſaria: ergo debet exiſtere in ſigno apto ad movendum. Probo maiorem. Scientia media; aut debet exiſtere in ſigno antecedenti ad ſtatum abſolutum, aut non poteſt probari in Deo neceſſaria: ergo ſcientia media; aut debet exiſtere in ſigno apto, vt moveat, vel retrahat à decreto; aut non poteſt probari in Deo neceſſaria. Probo antecedens. Si ſcientia media non exiſtat in ſigno antecedenti ad ſtatum abſolutum, exiſtet in ſigno comitanti ad ſcientiam *viſionis*. At pro ſigno comitanti ad ſcientiam *viſionis* non eſt neceſſaria: quia ſcientia *viſionis* ſufficienter oſtendit exiſtentiam eventus ſuo medio: ergo ſcientia media, aut debet exiſtere in ſigno antecedenti ad ſtatum abſolutum, aut non poteſt probari in Deo neceſſaria.

72 Dices: verum eſſe; debere exiſtere in ſigno antecedenti ad ſtatum abſolutum; ſed quid inde, vt exiſtat in ſigno apto ad movendum, & retrahendum? Sed contra: nam ſi ſcientia media debet exiſtere ante ſtatum abſolutum, exiſtet ante conſenſum abſolutum neceſſariò; & aliunde, poterit impediri per diſſenſum, quod eſt totum inconveniens contrariæ ſententiæ, nè exiſtat in ſigno apto: ergo ſi antecedit ſtatum abſolutum, exiſtit in ſigno apto. Contra deindè. Nam ſtatus abſolutus complectitur decretum: ergo ſi exiſtit ante ſtatum abſolutum, exiſtit in ſigno ante decretũ: ſed ſignum ante decretum, eſt ſignum aptum, vt moveat, aut retrahat ab illo; quia eſt ſignum liberæ, & indifferentis poteſtatis: ergo exiſtere ante ſtatum abſolutum, eſt exiſtere in ſigno apto, vt moveat ad decretum, vel ab illo retrahat.

73 Septimò: ſcientia media non poteſt exiſtere in ſigno ſubſequenti decretum; non in comitanti: ergo tantùm in ſigno apto, vt moveat, aut retrahat. Probatur antecedens per partes. Non *in ſigno ſubſequenti*; alias ſcientia media inniteretur decreto abſolutè exiſtenti, quod eſt contra rationem ſcientiæ mediæ: non *in ſigno comitanti*: nam ea ſolũ dicuntur exiſtere in ſigno comitanti, quando vnũ ex illis influit, quæ ſimul influunt in eundem effectum: ſed ſcientia media, ſi non ſit in ſigno apto, vt moveat; aut retrahat, non eſt in ſigno influentis in auxilium: ergo ſcientia media non poteſt eſſe in ſigno ſubſequenti, nec comitanti decretum. Dices ſcientiam mediam exiſtere in ſigno diſparato, & latè comitanti. Sed contra. Si enim ſcientia media ita exiſtit in ſigno diſparato, vt non ſit ſignũ alicuius antecedentiæ ad aliquid, reddit inſtantia ex inutilitate ſcientiæ mediæ: cuius conducentia, & vtilitas ſuaderi non poteſt, dummodo non explicetur, reſpectu cuius ſit antecedens, & reſpectu cuius conſequens, quibus non viſis, dicam nõ eſſe in Deo neceſſariam: cũ non ſit ſignum, in quo nõ poſsit altera ſcientia facere, quod ſcientię medię tribuitur.

Sit

74 Sit secunda: Scientiam mediã esse in signo apto, vt moveat, aut retrahat, est strictè dirigere, quamvis non sit strictè movere. Probatur prima propositionis pars. *Strictè dirigere*, est ostendere rationem, ex qua honestissimè possit moveri, aut retrahi divina voluntas: sed scientia media existens in signo apto, vt moveat, aut retrahat, ostendit rationem, ex qua honestissime moveri, aut retrahi valeat divina voluntas: ergo scientia media existens in signo apto, vt moveat, aut retrahat, strictè dirigit. Probatur maior. *Strictè dirigere*, est illuminare potentiam non cognoscitivam, vt rectè, & honestè procedat, sivè in electione, sivè in omissione electionis: sed ostendere rationem, ex qua honestissimè possit moveri divina voluntas, aut ex qua honestissimè possit retrahi, est illuminare voluntatem non cognoscitivam, vt rectè, & honestè procedat, sivè in electione, sivè in omissione electionis: ergo *strictè dirigere*, est ostendere rationem, ex qua honestissimè possit moveri, aut retrahi. Vel aliter. *Strictè dirigere*, est ostendere in signo apto ad electionem id, quo non cognito in tali signo; sed in alio posteriori, posset reddere electionem involuntariam: sed ostendere rationem, ex qua honestissimè possit moveri, aut retrahi divina voluntas ab electione, est ostendere in signo apto id, quo incognito in illo signo, & cognito in alio posteriori, posset reddere electionem involuntariam per detectionem rationis nodùm prævisæ: ergo est *strictè dirigere*.

75 Confirmatur: stat *strictè dirigere* sinè motione. sed dirigere sine motione, est purè proponere rationem, ex qua alter possit moveri, aut retrahi: ergo esse in signo apto, vt per propositionem obiecti moveat, aut retrahat, est *strictè dirigere*. Probatur maior. Recta ratio proponens, quid honestè amplectẽdum, quidque fugiendum rectè, dirigit strictè operantem, quamvis hic amplectatur fugiendum, & fugiat amplectendum. Item superior strictè dirigit subditum per consilium, aut præceptum, quamvis hic non moveatur ex consilio, aut præcepto: ergo stat *Strictè dirigere* absque motione. Vnde patet discrimen inter directionem agentis *libere operantis*; & *actionis liberæ*; & directionem *agentis necessarij*; & *actionis absque libertate elicitæ*: nam in his directio nõ stat absque motione; vt patet in directione instrumenti, quo vtitur Artifex ad fabricandum: in alijs verò directio potest stare absque motione: quia directio constituit potestatem indifferentem ad vtrumvis.

76 Per hæc probata manet secũda propositionis pars. Etenim si *dirigere strictè*, potest esse sine motione: ergo *dirigere strictè* non est movere; quod vlterius ostenditur: *strictè movere*, est in actu secundo inducere ad actionem per motivum: sed esse in signo apto ad movendum, aut retrahendum, non est inducere, ad actionem in actu secundo per motivum; cum sine actione possit dari: ergo existere in signo apto ad movendum, & retrahendum, etsi sit *strictè dirigere*; non tamen est *strictè movere*. Clarius: *movere in actu secundo* constituitur per actionem moventis, & moti: sed *dirigere* non includit actionem moventis, & moti, quamvis ad ipsam ordinetur: ergo *dirigere strictè*, non est *strictè movere*.

77 Sit tertia: Sic existere scientiam mediam, est vere præcedere prioritate à *quo* ad decretum. Solet probari hæc conclusio sub hac forma. Scientiam mediam sic existere, est constituere potestatem liberam Dei ad decretum: sed cõstitutivũ potestatis liberæ ad decretũ, verè præcedit ad decretũ: ergo scientiã mediã sic existere, est verè præcedere ad decretum. Discursus apparet legitimus, si præmissæ constent. Probatur igitur maior prius: scientiam mediam existere in signo apto, vt voluntas divina se moveat, aut retrahat sine determinatione antecedente ad vnum, est scientiam mediam constituere divinam voluntatem, ita Dominam se movendi, aut non se movendi ex ipsa, vt pro suo natu valeat determinare motionem præ non motione: sed voluntatem sic constituere Dominam suę actionis, est scientiam mediam constituere libertatem Dei ad decretum: ergo scientiam mediam sic existere, est constituere potestatem liberam Dei ad decretum. Iam probo minorem eiusdem syllogismi. Omne, quod constituit libertatem, constituit actum primum indifferentem divinæ voluntatis: sed omne, quod constituit actum primum divinæ voluntatis indifferentem, vere præcedit ad libertatis exercitium: ergo constitutivum potestatis liberæ Dei ad decretum verè præcedit ad decretum. Probatur hæc vltima minor. Omne, quod constituit indifferentiam, est id, quo non intellecto in signo priori ad exercitium, non intelligitur indifferentia in signo priori ad exercitium:

patet: quia non potest intelligi constitutum in aliquo signo, quin intelligantur constitutiva in tali signo: sed id, quo non intellecto, non intelligitur indifferentia libertatis in signo priori ad exercitium, necessarium est intelligi in signo actus primi indifferentis, quod est signum prioritatis ad exercitium: ergo omne, quod constituit actum primum indifferentem, debet præcedere ad decretum.

78 Verum ratio hæc, & modus probandi conclusionem patitur instantiam: nam non omne, quod constituit actum primum, est necessarium, quod sit in actu primo: sicut non omne, quod constituit prius in actu secundo, sive prioritate *à quo*, sive prioritate *in quo*, est necessarium, quod sit, prius eadem prioritate: sic effectus, aut actio illius constituit causam priorem se in actu secundo; & non ideo est prior se ipso in actu secundo. Sic etiam dies crastinus constituit priorem se diem hodiernum, quin ideò debeat existere in die hodierno; imò si sic existeret, destrueret prioritatem diei hodierni: ergo similiter poterit dici, quod etsi scientia media constituat actum primum indifferentem divinæ voluntatis, non est necessarium, quod sit in signo actus primi indifferentis: quo redditur inefficax discursus factus pro statuenda vera prioritate *à quo* scientiæ mediæ.

79 Probat aliter Pater-Herrera sub hac forma. Scientia media, vel est cognitio alliciens, vel retrahens: at cognitio, sive alliciens, sivè retrahens debet præcedere prioritate *à quo*, *& naturæ* decretum collativum mediorum: ergo scientia media existens in signo apto, vt moveat, aut retrahat, debet præcedere prioritate *à quo*, *& naturæ* decretum. Supponit minorem certam quoàd partem cognitionis allicientis, & probat quoad partem cognitionis retrahentis. Siquidem, si cognitio retrahens purè comitanter se haberet ad decretum, per æquè Deus, & creatura, ad peccati existentiam determinarent: vndè Deus æquè esset Author peccati. Probat assumptum. Existentibus omnibus constitutivis alicuius totius præter duo, *A*, & *B*, æquè comitanter se habentia, non magis determinat illud totū, qui determinat *A*; quā qui determinat *B*: sed existentibus omnibus constitutivis peccati, videlicet cognitione alliciente, præparatione concursus, &c. præter cognitionem retrahentem, & actum omnino comitanter se habentes, Deus determinat cognitionem retrahentem, & creatura actum omnino comitanter se habentes: ergo æquè determinant Deus, & creatura peccatum, & æquè sunt causa illius.

80 Hoc fundamentum etiam est inefficax, mirorque doctissimum Magistrum immemorem inefficaciæ in actu primo, & peccati habitualis. Argumentor sic. Non minus determinare debet existentiam alicuius complexi, qui positis omnibus constitutivis alicuius constituti præter vnum, illud ponit, & omnino à se determinat; quàm qui positis reliquis præter duo comitanter se habentia, vnum ponit liberè, quando aliud determinatur liberè ab altero. His tamen non obstantibus, Deus, qui, præsuppositā scientia inefficaciæ auxilij, determinationem ponit, & eligit auxilium, quod est vnicum constitutivum, quod deficit pro inefficacia in actu primo auxilij: & insuper, præsuppositō peccato in instanti *A*, ponit carentiam condonationis in *B*, quæ est vnicum constitutivum, quod deficit pro peccato habituali; quin sit causa, aut inefficaciæ in actu primo, aut peccati habitualis: ergo quamvis positis reliquis constitutivis peccati præter duo, ponat vnum ex illis comitanter cum creatura ponente aliud, non erit Author, & causa per se peccati. Quod si dicatur: ideò illud verum esse: quia vt attribuatur existentia coniuncti tamquàm per se causata, non sufficit ponere vltimum constitutivum; sed vlterius requiritur, vel ponere ex intentione coniuncti, vel cum obligatione impediendi, vel taliter, vt constitutivum, quod ponitur, sit rectum denominationis peccati. Idem respondebit quisquam probationi desumptæ ex comitantia, quo reddetur omnino infirma ad intentum persuadendum.

81 Melius igitur probatur propositio. Primò: Scientia media eo ipso, quod existat in signo apto ad movendum, aut retrahendum, non potest esse consequens ad divinum exercitium liberum; non comitans, nec disparato modo se habens: ergo antecedens vera prioritate. Probatur antecedens per partes. Non *consequens*: nam id, quod est in signo consequenti ad exercitium liberum per modum notitiæ notificantis aliquod obiectum, non est in signo apto ad retrahendum, aut alliciendum ad ta-

le

le exercitium : non *disparato modo* : cum maxime conducat ad constituendum exercitium liberum, & voluntarium : non *in signo comitanti*, vt supra probavimus : ergo tantum in signo prævio cum aliqua antecedentia. Secundo. Scientia media existens in signo apto ad movendum, aut retrahendum, expedit divinam voluntatem in ordine ad elicientiam actus liberi secundum aliquem modum elicientiæ illius : ergo si voluntas antecedit suum exercitium liberum, scientia media debet similiter antecedere. Antecedens est certum : quia scientia constituit voluntatem divinam liberam: quod expeditio eiusdem voluntatis est secundum modum elicientiæ actus. Probatur consequentia. Non ob aliam rationem dispositiones præcedunt ad effectum, nisi quia expediunt potentiam secundum aliquem modum elicientiæ illius, id est, vt naturaliter ipsum producat, & eliciat : neque alia ratio esse potest, vt non solum causa, aut principium præcedat ad effectum ; verumetiã approximatio ; nisi quia expeditam reddit potentiam secundum aliquem modum elicientiæ actus, id est naturalis elicientiæ : ergo si scientia media expedit divinam voluntatem secundum aliquem modum elicientiæ actus, scientia media debet præcedere.

82 Tertio : si existere scientiam mediam in signo apto ad movendum, aut retrahendum, & existere exercitium liberum divinæ voluntatis cum tali scientia, non esset scientiam mediam præcedere ad exercitium liberum ; scientiam mediam existere in signo apto ad movendum, aut retrahendum, & actualiter movere, non esset scientiam mediam præcedere ad exercitium liberum : sed per te scientiam mediam existere in signo apto ad movendum, aut retrahendum, & actualiter movere, est scientiam mediam præcedere ad exercitium liberum: ergo scientiam mediam existere in signo apto ad movendum, aut retrahendum, & actualiter existere exercitium liberum divinæ voluntatis cum tali scientia, est scientiam mediam præcedere ad exercitium liberum. Probatur maior. Scientiam mediam existere in signo apto ad movendum, & actualiter movere, est coniungi cum ratione insufficiente ad præcedentiam rationem aliam ad eandem præcedentiam insufficientem : sed coniungi rationi insufficienti ad præcedentiam rationem aliam insufficientem, est non constituere præcedentiam : ergo si scientia media eo, quod existat in signo apto ad movendum, non præcedit; eo, quod existat in tali signo, & moveat, nõ præcedet. Probatur minor. Actũ moveri ex scientia, seu ex obiecto illius, non arguit præcedentiam scientiæ ad illum, vt patet apud ipsum Patrem Ribadeneyra, cum quo modo agimus, qui tractatu de voluntate disputatione 5. capite 2. defendens identitatem virtualem inter intellectionem, & volitionem divinas, asserit : divinam volitionem tendere in infinitam bonitatem, vt propositam per intellectionem necessariam: quod est moveri ex illa ; & tamen non arguere præcedentiam ullam intellectionis necessariæ ad volitionem ; sed purum modum tendendi actus : ergo moveri actualiter ex cognitione, impertinens quid est ad præcedentiam.

83 Respondebis. Discursum deficere in eo, quod arguat ex partibus *divisim* acceptis ad eas *coniunctim* consideratas. Nam licet plura secundum se, & *divisim* considerata, sint impertinentia ad aliquam rationem ; at *coniunctim* maximè conducunt ad talem rationem: vt videre est in omnibus illis complexis, in quibus aliquid invenitur quod formaliter non est in cõstitutivis, ex quibus componitur. Sed contra. Nam doctrina hæc non ita vniversaliter est accipienda, vt liberum sit cuicumque, complexo tribuere id, quod in constitutivis non apparet; aliàs ex mixtura, vt ita dicam, vel aggregato diversarum entitatum possemus pro arbitrio, quamcumque aliam tertiam constituere. Contra secundo: quia eadem doctrina vtens, dicam; quod etsi scientia media secundum se, & quasi *divisim* sumpta à reliquis divinæ libertatis constitutivis, non influat in actum, ad quem non movet ; at *complexivè* cum reliquis libertatis constitutivis, movere. Tertio : licet solutio data posset subsistineri in illis complexis, in quibus vnum constitutivum non se habet, vt forma denominationis coniuncti ; non sic in alijs, in quibus constitutivum se habet, vt forma denominationis complexi; qualiter se habet in hoc complexo *existendi scientiam mediam in signo apto ad movendum, & actualiter movere*, in quo ly *actualiter movere* se habet, vt forma præcedentiæ.

84 Quarto. Potentia libera, vt libera, non est imperfectior potenti-

tentia necessaria: ergo neque minus operativa: sed potentia necessaria secundum totum quod includit, vt talis, præcedit ad suum exercitium: ergo potentia libera secundum totum, quod, vt talis, includit, præcedit ad suum exercitium: bene: ast scientia media, sivè, vt potens movere, sivè, vt potens retrahere, constituit potentiam liberam: ergo sive, vt potens movere, sive, vt potens retrahere, præcedit ad decretum, quod est exercitium potentiæ liberæ, vt talis. Quinto. Scientia *simplicis intelligentiæ*, quia divinæ libertatis constitutiva, præcedit ad exercitium liberum, sivè moveat, sivè non moveat ad illud: ergo scientia *media* libertatis divinæ constitutiva, præcedit ad exercitium liberum, sivè moveat, sivè non moveat. Antecedens videtur supponi ab Adversarijs, nullam controversiam exagitantibus circa scientiam *simplicis intelligentiæ*; verum duntaxat contra scientiam *mediam*.

85 Forsan respondebis: disparitatem esse: quia scientia *simplicis intelligentiæ* est determinatè necessaria secundum totum, quod includit, ad quodvis exercitium liberum divinæ voluntatis; non sic scientia *media*: nàm deficiente ea, quæ defacto datur, & facto efficaci auxilio, quod defacto inefficax est, eodem modo posset dari, vel idem exercitium liberum, & decretum circa auxilium, vel saltem aliud. Sed contra: nàm quod vnum sit indispensabiliter necessarium ad aliud, non probat præcedentiam illius; aliàs non posset esse connexio à *posteriori*, seu *comitanti*. Præterea solutio data nostrum intentum confirmat. Si enim quia scientia *simplicis intelligentiæ* secundum totum, quod includit, est necessaria ad exercitium liberum, ideò debet præcedere; similiter quia aliqua scientia *media* hæc, vel illa est indispensabiliter necessaria ad quodqumque exercitium liberum divinæ voluntatis, sivè moveat, sivè non moveat; debet præcedere: ergo sinè motione iam conceditur prioritas *à quo* scientiæ *mediæ* respectu exercitij liberi divini.

86 Sexto, & vltimo. Actus liber, vt actus liber, est exercitium potestatis Dominativæ dominio libertatis, non solum *specificativè*; sed *reduplicativè*, vt talis: at scientia media constituit potestatem Dominativam dominio libertatis: ergo actus liber divinæ voluntatis est exercitium scientiæ *mediæ* constituentis libertatem: sed omnis potentia præcedit suum exercitium: ergo scientia *media*, qualitercumque consideretur, præcedit actum liberum Dei. Maior, ad quam reduci potest difficultas, probatur. Actus liber, vt actus liber, est vsus dominij electivi: sed vsus dominij electivi est exercitium dominij, vt talis, & non tantum potentiæ habentis dominium *specificativè* acceptæ: ergo actus liber, vt liber, est exercitium potestatis dominativæ dominio libertatis, non solum *specificativè*; sed *reduplicativè*.

CAPVT IV

Solvuntur obiectiones contra conclusionem primam præcedentem.

87 CONtra primam assertionem obijcies primo. Deus non potest moveri ex obiecto scientiæ *mediæ* ad decernendum: ergo scientia *media* non est in signo apto ad movendum. Probatur antecedens. Deus non potest moveri ex efficacia medij proposita per scientiam *mediam*: ergo non potest moveri ex obiecto scientiæ mediæ. Probatur antecedens. Si Deus posset moveri ex efficacia, cum hæc non sit intrinseca auxilio; sed extrinseca, consistensque in operatione voluntatis creatæ, & ipsius merito; posset moveri ex nostris meritis, & operationibus salutaribus conditionatè prævisis: vnde nostra merita essent causa nostræ prædestinationis, non vtcumque; verum, vt conditionatè prævisa; quod est incidere in sententiam Semipelagianorum.

88 Hoc argumentum recte instat Pater Herrera, & Recentiores contra Thomistas, qui concedunt: Deum dirigi ad prædestinandum scientia *simplicis intelligentiæ* repræsentante nostra merita, vt possibilia; nec non scientia necessaria, qua cognoscit nostra merita futura conditionatè sub existentia gratiæ prædeterminantis, & efficacis ab intrinseco; nec ideo prædestinatio, apud illos, est ex nostris meritis, neque cum Semipelagianis coincidunt. Pro argumenti solutione aliqua notanda sunt. Primum: Semipelagianos in tantum dixisse prædestinationem esse *initiativè* ex nostris meritis, in quantum merita nostra à so-

lis

lis naturæ viribus procedentia, præstabant aliquod initium salutis, & prædestinationi, merendo, & impetrando à Deo primam gratiam : secundum : merita tantum conditionatè prævisa, & in statu tantum conditionato manentia esse merita vera, & defacto remunerari : sicut ab oppositio : demerita tantum conditionatè prævisa, & in eodem statu manentia, defacto puniri. Nos vero nec concedimus aliquod initium salutis, & prædestinationis per merita à sola natura sine gratia facta ; nec motionem meriti statui tantum conditionato, & independenter ab statu absoluto. Tertium. Non esse idem *movere meritum*, & *movere*, *vt meritum*, seu motione causæ meritoriæ: nàm potest esse motio *conditionis sine qua non*, & potest esse motio *per modum finis* ; qua ratione dixit Apostolus prima ad Corinthios capite 7 *tanquam misericordiam consequutus*, *vt sim fidelis* ; quin ipse, *vt fidelis*, esset causa meritoria voluntatis divinæ, liberalis, & misericordiosæ, qua ex tali fine fuit vocatus.

89 Vnde ad argumen. Si Deus posset moveri ex efficacia ad prædestinandum, prædestinatio esset ex nostris meritis, *vt factis sine gratia* : nego: *vt factis ex gratia* : sub distinguo: ex nostris meritis *exercentibus causalitatè meritoriam in prædestinationem*: nego: ex nostris meritis, *veluti ex conditione requisita*, *vt Deus prædestinet*, vel tanquam *ex fine intento* : concedo. Quod si Divus Augustinus negat; Deum, sivè ad vocandum, sivè ad prædestinandum moveri ex nostris meritis, & operibus conditionatè prævisis, loquitur quidem de motione, quæ reddat vocationem, collationemque gratiæ præmium meritorum ; & eo sensu, quo à Semipelagianis dicebatur ; Deum disponere Infantibus è vita decedentibus, prædestinationem per baptismum tamquam præmium operum, quæ conditionate prævidebat facturos, si in vivis manerent ; secus de motione per modum conditionis, aut per modum finis, quæ non impedit : vocationem, & prædestinationem esse omnino gratiosam, & liberalem.

90 Objicies secundo. Si Deus posset moveri ex efficacia ad dandum auxilium, posset dare auxilium quia efficax, non daturus, si esset inefficax: sed hoc impossibile est : ergo Deus non potest moueri ex efficacia. Probatur minor. Impossibile est Deum conferre auxilium sub scientia proponente consensum liberum sub ipso, & consensum non esse liberum ; sed necessarium sub auxilio : ait hoc eveniret, si Deus conferret auxilium motus ex illius efficacia ; non collaturus si prævideret inefficax : ergo sic conferre auxilium, impossibile est. Probatur minor. Non existit consensus libere, quando consentiens non potest dissentire: sed tunc casus consentiens non posset dissentire : ergo eveniret, quod consensus esset liber absque libertate. Probatur minor. In eo casu consentiens non posset dissentire in sensu diviso libertatis, quàm habet ; alias libertas non esset libertas, quia inconiungibilis cum vtroque extremo, ac proinde determinata ad vnum : sed neque posset dissentire in sensu composito libertatis, quam de facto habet, quia existentia dissensus esset purificatio conditionis, sub qua non existeret axilium collatum à Deo in vi illius veritatis conditionalis: *non conferrem auxilium, si præviderem inefficax* : nàm existente dissensu, existeret *inefficax*, & prævideretur *inefficax* : ergo in eo casu consentiens non posset disentire ; propterea que consensus liberè, & necessario existeret : quod est dari chymæricè.

91 Communis, & vera solutio est : in eo casu consentientem posse dissentire cum libertate, quàm defacto habet, impediendo per disensum veritatem illam conditionalem: *si esset auxilium inefficax*, *non daretur* : qua impeditione facta, non esset aliquid impediens existentiam libertatis ; quæ solum non posset existere cum dissensu, simul existente prædicta veritate ; secus impedita, & verificata oppositia : *si esset inefficax*, *daretur* : vnde ad illam propositionem difficilem: *existentia dissensus esset purificatio conditionis sub qua non existeret auxilium*, *& libertas* distinctio est applicanda : esset purificatio conditionis sub qua non existeret auxilium *in vi veritatis conditionalis*, *& scientiæ*, *quæ nunc est*, *& tunc non foret*: concedo : quæ *nunc est* : *& tunc foret* : nego. Est dicere. Existentia dissensus sub auxilio esset purificatio conditionis, quam habet scientia de facto existens in suppositione, qua loquimur scilicet : *si esset*, *& prævideretur inefficax*, *non daretur*; cæterum talis scientia tunc non esset; sed impediretur, verificando tantum poni purificationem conditionis scientiæ posibilis circa non existentiam auxilij sub purificatione illius, quod non magis conducit ad existentiam conditionati ; quam, quod Deus conferendo auxilium

lium sub scientia inefficaciæ, purificet conditionem scientiæ possibilis efficaciæ.

92 Nihilominus hæc solutio duas habet graves difficultates circa impeditionem per dissensum illius veritatis, & scientiæ conditionalis. Prima: veritas, & scientia *conditionalis contingens* non potest impediri per purificationem, aut non purificationem conditionis illius; alias Deus potens impedire, aut determinare purificationem conditionis per existentiam, aut non existentiam auxilij, posset impedire, aut determinare scientiam *directam* de libertate creata, raroque Deo esset libera: ergo si posita veritate illa conditionali, & scientia, *si auxilium prævideretur inefficax, non conferetur*, tantum datur potestas in voluntate creata ad purificandam conditionem per dissensum; non dabitur potestas ad impediendam illam veritatem, & scientiam conditionalem per dissensum: quare potestas ad dissensum erit potestas ad coniunctum dissensus, libertatis, & illius veritatis, & scientiæ *conditionalis*, quod est complexum chymæricum. Secunda: non stat potestas impediendi veritatem illam, & scientiam conditionalem, *si prævideretur auxilium inefficax, non existeret* quin detur potestas ad determinandam oppositam: *si prævideretur inefficax, existeret*: sed non est in creatura potestas determinandi per exercitium suæ libertatis scientiam hanc, & veritatem *conditionalem* vnicè liberam Deo: cum veritas *conditionalis* illi soli sit libera, cui libera est existentia conditionati sub conditione, & dare auxilium sub prævisione inefficaciæ, quod est conditionatum, vnicè pendet determinativè à divino arbitrio: ergo si veritas illa *conditionalis* non potest impediri nisi per determinationem alterius, quæ indeterminabilis est per libertatem creaturæ; illa erit inimpedibilis, & libertatem consensus destruens.

93 Ad primam respondendum. Verum esse: scientiam *conditionalem contingentem* non impediri per solam positionem, aut non positionem conditionis, sicut, neque per positionem, aut non positionem absolutam conditionati; verum adhuc restat duplex modus impediendi scientiam, & veritatem *conditionalem*: *vnus*, quando existente aliunde conditione, impeditur existentia absoluta conditionati: *alter*, quando existente aliunde carentia conditionati, determinatur existentia conditionis. Ratio est: quia, cum deficere veritatem *conditionalem*, sit existere oppositam, & eo ipso, quod existente conditione, deficiat conditionatum, aut deficiente conditionato, existat conditio, verificetur oppositum; quovis ex eis dato, veritatem conditionalem deficere, & scientiam divinam de illa impediri necesse est: ex quo constat: libertatem creatam posse impedire per dissensum veritatem illam, & scientiam *conditionalem: si prævideatur auxilium inefficax, non existet*: non quia præcisse determinat per dissensum hypothesim illius scientiæ; nimirum scientiam inefficaciæ; sed quia aliunde dato auxilio, quod est contradictorium illius conditionati, *non existet*, adiungit purificationem conditionis, determinando scientiam mediam inefficaciæ: ex quo resultat veritas huius conditionalis: *si existat scientia inefficaciæ auxilij, illud dabo* opposita cum illa: *si existat scientia inefficaciæ, non dabo.*

94 Replicabis: ergo si existat purificatio conditionis illius scientiæ, talis scientia non existit: sed scientia *conditionalis*, quæ per purificationem impediretur ab existendo, est scientia chymærica: ergo vel illa scientia *conditionalis* non est impedibilis, vel est chymærica. Probatur minor. Scientia *conditionalis*, quæ per purificationem suæ hypothesis est impedibilis ab existendo, est scientia, quæ pro nulla suppositione possibili infert conditionatum sub existentia conditionis: sed scientia, quæ pro nulla suppositione possibili infert conditionatum sub existentia conditionis, est scientia chymærica: ergo scientia *conditionalis*, quæ per purificationem conditionis impeditur ab existendo, est scientia chymerica. Probatur maior. Omnis suppositio possibilis non potest præscindere à duplici contradictorio *existentiæ conditionis*, & *carentiæ conditionis*: sed scientia *conditionalis*, quæ per purificationem conditionis impeditur ab existendo, nec infert conditionatum sub carentia conditionis, vt per se patet, nec infert conditionatum sub existentia conditionis: quia existente conditione, nunquam extitit; cum per existentiam illius impediatur, & id, quod nunquam extitit, prout *nunquam existens*, nihil potest inferre: ergo scientia *conditionalis*, quæ per purificationem conditionis impeditur ab existendo, pro nulla suppositione infert conditionatum sub existentia conditionis.

Ref-

95 Respondeo : non esse inconveniens : veritatem, & scientiam *conditionalem* esse incomponibilem cum purificatione conditionis, quando casus purificationis conditionis est casus carentiæ condionati sub ipsa ; imò id de se fert veritas *conditionalis*, & scientia *conditionalis* infalsificabilis ; quod autem esset inconveniens, si daretur, esset, quod sola purificatio conditionis esset semper impeditio scientiæ, & veritatis *conditionalis* : nàm sic non maneret casus possibilis, in quo inferret existentiam conditionati sub existentia conditionis : hoc autem non invenitur in casu nostro; nàm semper, sic existeret talis veritas, si purificaretur conditio, existeret veritas cum ipsa, & inferret conditionatum; quamvis detur potestas, vt determinando conditionem sub carentia conditionati impediatur. Ad formam. Distinguo primam minorem subsumptam. Scientia *conditionalis* quæ per purificationem conditionis *in omni casu possibili existentiæ conditionis* impeditur ab existendo, est scientia chymærica : concedo minorem : *quæ pro aliquo tantum casu possibili existentiæ conditionis cum carentia conditionati* impeditur ab existendo : nego minorem, & consequentiam. Ad minoris probationem. Distinguo maiorem. Scientia, quæ per purificationem conditionis est impedibilis ad existendo, *in omni casu possibili conditionis*, est scientia, quæ pro nulla suppositione possibili infert conditionatum sub existentia conditionis : concedo maiorem : quæ per purificationem conditionis *in aliquo tantum casu possibili* est impedibilis &c. nego maiorem, & concessa minore, nego consequentiam. Ad maioris provationem : concessa maiore, distinguo minorem. Scientia, quæ per purificationem conditionis *in omni casu possibili existentiæ conditionis* impediatur ab existendo, nec infert conditionatum sub carentia conditionis, nec sub existentia conditionis : concedo minorem; quæ per purificationem conditionis *in aliquo tantum casu possibili*: nego minorem, & consequentiam.

96 Ad secundam : respondeo : veritatem illam conditionalem : *si existat scientia inefficaciæ, existet auxilium* oppositam huic, *si existat scientia inefficaciæ, non existet auxilium*, in statu pure conditionato, & ante vllam suppositionem auxilij solum esse determinabilem per libertatem Dei, cui liberum vnicè est, sub prævisione inefficaciæ dare, aut non dare auxilium ; at facta suppositione auxilij, liberum est, non solum Deo ; sed libertati creatæ determinare illam veritatem. Ratio est : quia, cum supposito auxilio, possit voluntas creata per determinationem scientiæ inefficaciæ, constituere complexum conditionis, & conditionati, inferens metaphysicè conditionalem de existentia auxilij sub hypothesi prævisionis inefficaciæ illius; potest per consequens determinare illam scientiam, & impedire oppositam: ideo propositio illa argumenti : *veritas conditionalis, & scientia conditionalis illi soli est libera, cui libera est existentia conditionati* sic est distinguenda : *ante suppositionem conditionati* : concedo : *facta suppositione conditionati* : nego ; quia suppositio conditionati potest esse suppositio potestatis ad acquirendam conditionem, qua acquisita, datur antecedens, inferens veritatem conditionalem per coexistentiam conditionis, & conditionati.

97 Sed contra hanc solutionem insurges. Veritas illa conditionalis est vere determinabilis per divinam libertatem : ergo nullo modo potest esse determinabilis per voluntatem, & libertatem creatam. Probatur consequentia. Idem non potest esse determinabile per duplicem libertatem : ergo si illa veritas, & scientia est determinabilis per libertatem divinam, non est determinabilis per libertatem creatam. Probatur antecedens. De conceptu libertatis veræ, & propriæ, & prout distinctæ ab alia, est, ita pro libito determinare, vt existat determinatio, quamvis alia non determinet ; aut non determinare, vt existat non determinatio, quamvis altera determinet ; aliàs non duplex dominium esset, vt requirit duplex libertas; sed vnum, & idem, ita attemperatum, vt determinatio vnius agentis esset determinatio alterius, & non determinatio vnius esset non determinatio alterius: ergo idem non potest esse determinabile per duplicem libertatem.

98 Respondeo : quod quando libertates distinctæ, sunt ita dependentes, vt vna constituatur per exercitium alterius, non est inconveniens, quod vna libere determinet id, quod sub libera determinatione alterius est ; quia tunc determinatio vnius semper supponit determinationem alterius ; quod contra conceptum libertatis distinctæ, & distincti dominij electivi non est : nam quomodo potest impedire liberam, & def-

despoticam determinationem alterius id, quod, quando determinat, supponit iam liberam determinationem alterius: vnde solum officit dominio proprio libertatis distinctæ, quod exercitium vnius determinet exercitium alterius *in signo comitanti* determinationem alterius; secus *in signo præsupponente* exercitium alterius: sic evenit in determinatione illius veritatis conditionalis: *si prævideatur auxilium inefficax, dabitur, aut existet*, quæ, intantum est determinabilis à libertate creata, in quantum præsupponit auxilium liberè collatum à Deo: quod est vnicus modus determinandi illam veritatem, quam habet divina libertas in statu absoluto: in tantumque determinabilis à divina libertate in statu absoluto per positionem auxilij, in quantum præsupponit scientiam mediam inefficaciæ, quæ est quid determinatum per dissensum voluntatis creatæ in statu absoluto, & in statu conditionato.

99 Replicabis. Vnicus modus determinandi per libertatem creatam, tàm exercitium divinum, vel id, quod sequitur exercitium divinum, est auferendo per exercitium creatum aliquod constitutivum potestatis divinæ ad oppositum illius exercitij: sicut vnicus modus impediendi per exercitium creatum liberum exercitium divinum, est auferendo potestatem ad illud: & ratio est: quia si id, quod ponit voluntas creata, relinquit divinam potestatem expeditam, & indifferentem ad vtrumvis, nec poterit esse antecedens, vt sit aliquod exercitium divinum determinate, neque, vt oppositum determinatè non sit: sed libertas creata per suum exercitium non potest auferre aliquod constitutivum potestatis ad oppositum illius veritatis: *si detur scientia inefficaciæ, existet auxilium*: ergo voluntas creata per suum exercitium non potest determinare veritatem illam conditionalem. Probatur minor. Voluntas creata per suum exercitium præcisse potest determinare scientiam mediam de dissensu: sed scientia media de dissensu relinquit Deum indifferentem, vt conferat, vel non conferat auxilium, & per id determinet, aut impediat veritatem illam conditionalem: ergo libertas creata per suum exercitium non potest auferre aliquod constitutivum divinæ potestatis ad oppositum illius exercitij.

100 Instantia hæc multas patitur in doctrinis communibus nostræ Scholæ, vt in decreto vnico collativo auxilij connexo cum vno libertatis extremo: in efficacia in actu primo requisita ad consensum, & determinabili à creatura per consensum: quæ ex dicendis constabunt, & in quibus eadem militat difficultas: pro qua solvenda, distinguere oportet duplex modus impediendi, & determinandi exercitium divinum: vnus per determinationem antecedentem, & auferentem libertatem, vel ad oppositum exercitij determinati, vel ad existentiam exercitij impediti: qua ratione creatura per dissensum determinat Deum ad carentiam prædefinitionis efficacis, & impedit existentiam illius; quin Deus sit potens, dum creatura se exercet per dissensum, prædefinire consensum, & impedire prædifinitionis defectum: *alter* per determinationem, aut impeditionem inferentem extremum, vel carentiam illius, non vtcumque; sed vt liberam alteri: sic Deus, posita scientia media consensus sub auxilio, est potens obtinere consensum à creatura, & impedire peccatum illius per positionem auxilij, constituendo complexum connexum cum consensu, & cum carentia peccati, non quidem, vt necessarijs; sed, vt liberis: pro qua impedibilitate, & determinabilitate, sufficit habere potestatem per se non præsupponentem exercitium, vel carentiam illius, & expeditam ad ponendum id, quod, vt potestas alterius libera, coniungatur, aut determinatè cum exercitio, aut determinatè cum carentia illius. Ad primum impediendi, aut determinandi modum non datur potestas, nisi in quantum potest auferri potestas in altero ad vtrumvis: quia cum impeditio sit extremum sinè libertate positum, aut excluſum; potestas ad talem determinationem, vel impeditionem erit potestas auferendi indifferentiam ad vtrumvis; ad secundum verò non requiritur auferre aliquod libertatis constitutivum; sed posse ponere libertatem in circumstantijs, in quibus infallibilius erit, aut extremum ex determinatione libera alterius, aut carentia exercitij ex omissione libera illius.

101 Hinc · pro nostro casu voluntas creata constituta per auxilium, est potens determinare veritatem illam conditionalem: *si existat scientia media inefficaciæ, existet auxilium*, non, vt Deo necessariam; sed vt Deo liberam, in quantum potest per dissensum determinare scientiam mediam inefficaciæ,

cum

cum qua infallibiliter Deus determinabitur liberè ad ponendum auxilium; cum verum essentialiter sit, quod si *existente auxilio, detur scientia media dissensus, existet auxilium sub scientia media inefficaciæ*, vnde infertur metaphysicè altera veritas: *Si existat scientia media inefficaciæ, existet auxilium*, quæ est veritas, cuius determinatio pro tali casu intenditur. Ad formam: distinguo maiorem. Vnicus modus determinandi, aut impediendi divinum exercitium, est per ablationem alicuius constitutivi potestatis ad vtrumvis, *si fit per determinationem, aut impeditionem necessitantem*: concedo maiorem. *Si per impeditionem, aut determinationem servantem iura libertatis exercitij impediti, aut determinati*: nego maiorem. Et concessa minore: nego, vel distinguo consequentiam: voluntas creata non potest determinare illam veritatem *necessitando ad illam*: concedo consequentiam: *non necessitando; sed illam inferendo infallibiliter, vt liberam*: nego consequentiam.

102 Insistes: veritas illa non est impedibilis per exercitium libertatis creatæ: ergo neque est determinabilis. Consequentia apparet recta; cum videantur mutuo connexæ inter se impedibilitas, & determinabilitas; siquidem id, quod determinat per sui existentiam, per sui non existentiam impediet, & id, quod per sui existentiam impedit, per sui non existentiam determinabit. Antecedens probatur. Veritas illa *conditionalis* non est impedibilis *per dissensum*: nam quod existat auxilium sub scientia media dissensus, non impedit; sed potius connectitur cum tali veritate: non *per consensum*: quia quod auxilium existat sub scientia media consensus, non est incomponibile cum eo, quod existeret, etiam si daretur scientia media dissensus: ergo veritas illa non est impedibilis per exercitium libertatis creatæ. Concedo antecedens benè probatum, & nego consequentiam, quæ pessima est; cum non valeat ad convertentiam: *est determinabilis: ergo est impedibilis: est impedibilis: ergo est determinabilis*: Deus enim in omnium sententia potest impedire peccatum, & non potest illud determinare, & ego possum libere impedire coexistentiam mei ad alium in Templo v.g. & non possum determinare illam coexistentiam, altero nolente Templum adire: insuperque possum determinare per meam electionem liberam complexum duplicis determinationis liberæ, existente libera determinatione alterius, & non possum impedire coexistentiam duplicis determinationis liberę; quia deficiente mea determinatione libera, potest existere aliunde complexum duplicis determinationis liberæ.

103 Et ratio est: quia ponere liberè determinationem ad aliquid, præcisè involvit posse omittere determinationem: quod autem possim ego omittere aliquam determinationem ad aliquid, non probat deficere omnem determinationem ad illud: vnde deficiente mea determinatione, potest existere ab alio determinatio ad idem, & tunc defectus meæ determinationis non erit impeditio illius; cum non deficiat id, cum quo extremum illud conectitur; sed id, quod cum illo extremo est conexum: quod est deficere fundamentum connexionis ad illud, ex cuius defectu non valet ad defectum termini, quamvis ex defectu termini bene valeat ad defectum fundamenti connexionis. Pari iure ponere libere impeditionem alicuius, est posse omittere impeditionem ex parte mei; deficere autem impeditionem ex parte mei, non est deficere impedimentum ex omni capite: quod erat necessarium, vt non impeditio ex parte mei esset determinatio.

104 Objcies tertio. Si scientia media esset in signo apto ad movendū, & retrahendū; scientia media constitueret libertatē Dei; ac proinde scientia media de consensu constitueret potestatem proximam liberā Dei donandi consensū creaturæ: ergo deficiente scientia media de consensu, non esset in Deo potestas proxima donandi consensum: ergo sine scientia media de consensu non esset in Petro libertas proxima consentiendi: sed quando dissentit Petrus non est scientia media de cōsensu: ergo quando dissentit Petrus, non est potens proximè consentire. Omnia tenēt vsque ad illud cōsequēs: *sine scientia media de consensu non esset in Petro potestas proxima consentiendi*; cuius rectitudine probata, planum manet absurdū illatū de impotētia proxima cōsentiēdi in illo, qui dissentit. Probatur ergo sic: Petrū cōsentire, est accipere consensū à Deo: ergo posse proximè consentire, est posse proximè accipere consensū à Deo: sed deficiēte scientia media consensus, nō est *posse proximè* accipere consensū à Deo: ergo deficiente scientia media cōsensus, non est in Petro, v.g. *posse proximè consentire*. Probatur min. in qua est difficultas. Nō est potestas proxima accipiēdi consensū à Deo quādo nō est in Deo potestas proxima illū dādi; sed deficiēte scientia media cōsen-

sus, nō est in Deo potestas proxima dādi cōsensū: ergo deficiēte sciētia media cōsensus nō est *posse proximè* accipere cōsēsū à Deo. Confirmatur: sicut impossibilitas donandi, est impossibilitas accipiendi; sic impossibilitas proxima donandi, erit impossibilitas proxima accipiendi: at deficiente scientia media consensus datur in Deo impossibilitas proxima donandi consensum creaturæ: ergo, & in hac, impossibilitas proxima accipiendi: benè ergo infertur ex constitutione libertatis divinæ per scientiam mediam consensus; quod deficiente scientia media consensus, non esset in Petro potestas proxima consentiendi.

105 In hoc argumento, quod Patri Antonio Perez tribuitur, & quo vtuntur aliqui Thomistæ, non possum non mirari, ipsis facile esse; voluntatem creatam gratia sufficiente præventam, *esse proximè potentem consentire*, ac per consequens accipere consensum à Deo, licet deficiat ipsi prædeterminatio ad consensum, quamque per suum exercitium acquirere non potest, & esse ipsis difficile, dissentientem *esse proximè potentem accipere consensum à Deo*, quando, etsi deficiat proxima potestas in Deo dandi consensum; est tamen in voluntate potestas acquirendi ipsam per suum exercitium. Deindè ab illis paucis ex nostris, qui dicunt scientiam mediam, non esse necessariam ad prædestinationē, vel ab illis, qui dicunt: scientiā mediā non constituere necessariò potestatem prædestinandi, & dandi auxilium efficax; scire vellem: An ea deficiente, Deus sit proximè potens ad dandum consensum? *Si negent*: ergo scientia media efficaciæ est constitutiva potestatis ad prædestinandum; *si verò affirment*: ergo independenter à scientia media efficaciæ Deus est potens proximè convertere creaturam per quodvis auxilium; poteritque per consequens cuivis auxilio adiungere prædefinitionem.

106 Ad argumentum dicendum. Impotentiam proximam dandi, esse impotentiam proximam accipiendi, quando potestas proxima dandi, est independens *constitutivè* ab exercitio potestatis receptivæ; quando verò ipsum exercitium immediatum recipiendi potest constituere potestatem proximam dandi, non est necessarium; vt sit potestas proxima recipiendi, quod sit ex potentia proxima dandi: nam potentia proxima recipiendi ea dici debet, quæ immediate potest in exercicium recipiēdi prodire: sed potentia, quæ per suum immediatum exercitium, & potest constituere, seu determinare existentiam potentiæ proximæ donativæ, & determinare ipsam, vt donando se exerceat, est potentia potens immediatè prodire in exercitium recipiendi: ergo potestas illa, quam habet dissentiens, est potentia proxima consentiendi. Ideo cum Petrus dissentiens, per exercitium suum immediatum consentiendi possit determinare, vt sit in Deo potentia proxima dandi, determinando scientiam mediam consensus, sub qua est Deus potens proximè donare consensum; defectus potestatis proximæ donandi, non impedit potestatem proximam recipiendi.

107 Ratio solutionis est doctrina generalis, quæ ab omnibus admittitur circa impedimenta illa, quę tollunt potestatem proximam ad aliquod exercitium: iuxta quam, ea tantum impedimenta dicuntur incomponibilia cū potestate proxima ad aliquod extremū, quæ sunt inauferibilia per exercitium potestatis; ea verò, quæ per exercitium ipsum auferri possunt, proximam potestatem ad illud non evertunt. Quare cum potestas proxima donandi consensum sit requisita ad illum in re accipiendum, eiusque carentia impedimentum recipiendi; verum auferibile per ipsum exercitium consentiendi; non tollit proximā potestatem consentiendi carentia potestatis proximæ donandi consensum. Quod vlterius explicari potest exemplo: si enim ego habens dominium alicuius rei dicerem Petro: *Ego te constituo Dominum huius rei, quotiès Ioannes velit eam à tè accipere, & tuam donationem acceptare*; qui negaret: Ioannem esse potentem proximè accipere rem à Petro ipsi donatam; etsi Petrus non intelligatur Dominus, & potens proximè donare, donèc Ioannes vellet, & acceptaret? Ergo similiter; licèt Deus non intelligatur Dominus, & potens proximè donare consensum, donèc intelligatur consensus, & medio ipso, scientia media efficaciæ; quia dissentiens per consensum potest determinare eam potestatem donandi, est potens immediate, & proximè consensum accipere.

108 Instabis: si voluntas per consensum posset determinādo scientiā mediam consensus, constituere potestatem proximam dandi consensum; voluntas creata, esset magis domina sui consensus; quam Deus; sed hoc dici non potest; aliàs voluntas creata non acciperet consensum à Deo, vt à supre-

mo Domino : ergo voluntas creata per suum exercitium, non potest determinare existentiam scientiæ mediæ, neque hæc constituere potestatem donandi cõsensum. Probatur maior. Magis domina est alicuius exercitij potentia illa, quæ est potens donare, & donat alteri dominium illius rei, quam illa quæ est Domina illius ex donatione alterius: sic, qui confert alteri dominium alicuius rei in instanti, in quo dominium confert, est magis Dominus; quàm alter, qui dominium recipit; cum totum dominium, quod habet, sit ab altero acceptum: sed voluntas potens per consensum determinare scientiam mediam constitutivam potestatis donandi consensum, quando exiitit consensus, potest donare, & donat Deo potestatem donandi consensum: ergo si voluntas per consensum posset, determinando scientiam mediam consensus, constituere potestatem proximam divinam donandi consensum; voluntas creata erit magis Domina consensus; quam Deus. Confirmatur. Voluntas, prout potens determinare per consensum potestatem divinam donandi consensum, vel est Domina consensus, per dominium acceptum à Deo, vel per dominium à Deo independens; *si per dominium à Deo independens*: erit Domina consensus sine dependentia à Deo; ac proinde non habebit consensum à Deo donatum: *si per dominium à Deo acceptum*: ergo independenter ab exercitio consensus, Deus habet potestatem donandi consensum per potestatem donãdi dominium consensus: quod est posse donare consensum independenter à scientia media consensus.

109 Probat instantia (ni fallor) scientiam *simplicis intelligentiæ* non posse constituere potestatem proximam Dei convertendi, & donandi consensũ creaturę. Ratio est: quia scientia *simplicis intelligẽtiæ*, ideò datur in Deo, quia creatura est possibilis, nõ verò est possibilis; quia Deus illa cognoscit: vnde possibilitas rerum est ratio obiectiva determinativa divini dominij: ergo voluntas creata, vt potens consentire erit magis Domina consensus; quàm Deus; eo, quod per suum exercitium possibile, & prout potens consentire, determinat scientiam constitutivam dominij. Probat deinde in sententia probabilissima inconnexionis Dei cum possibilibus; res esse magis Dominas *sui esse*; quam Deus, ipsas potens producere, & destruere; cum per suam possibilitatem, quam Deus ex se non affert, ipsum expediant, & constituant proximè potentem vtendi illis, prout voluerit. Respondendum igitur est: voluntatem creatam esse potentem per suum exercitium, sivè conditionate, sivè absolutè acceptum, determinare scientiam mediam constitutivam proximæ potestatis, & dominij Dei donandi consensum, & convertendi creaturam; non tamen tribuit divinum dominium, nec formaliter, nec effectivè, nec secundum virtutem causativam consensus: sed purè obiectivè, & tanquam per exhibitionem materiæ ipsius dominij: *non formaliter*; quia exercitium libertatis creatæ præcisse arguit scientiam mediam constitutivam formaliter divini dominij: *non effectivè*, cum divina scientia sit incausabilis, & improducibilis: *non secundum virtutem causativam, & productivam consensus*, quæ sola est divina omnipotentia à nullo accepta; sed per se à Deo habita: *purè obiectivè*: quia solum, prout obiectum, & habens in se veritatem cognoscibilem à Deo, purificat conditionẽ, sub qua, & pro qua Deus est ex se determinatus ad illã cognoscendã.

110 Sic autem constituere Deum Dominum consensus, seu cum potestate proxima donandi consensum, non est, voluntatem esse magis Dominam consensus; quam Deum; sed pluribus titulis longe, & infinitè inferiorem: cum in dominio libertatis voluntatis creatæ nil sit, quod à Deo non sit immediatè causatum, & pro nutu, & libertate donatum; nec Deus purè *obiectivè* determinet aliquod dominij creati constitutivum; sed omnia per physicam productionem, & causalitatem. Hinc; licet, qui vere dat dominium alteri per translationem proprij, sit magis Dominus rei; quam ille, qui accipit (quod non admittent omnes illi, qui negant dominium formale *insolidum* penès duos in eodem instanti;) at, quando vnus accipit verè, & propriè dominium alicuius rei ab altero, nil aliud præstando, quam expeditionem alterius, vt sibi donet, reddendo se proportionatum, vt ab altero accipiat, solum est verè Dominus, qui donat, non, qui se proportionat, vt accipiat.

111 Ad confirmationem dicatur: voluntatem prout potentem determinare per consensum potestatem

divinam donandi consensum in se *formalem*, esse dominam consensus dominio libertatis per dominium acceptum à Deo: vnde solum infertur: Deum independenter ab exercitio determinato voluntatis, determinatè accepto, habere potestatem donandi consensum *virtualiter* in dominio libertatis creatæ, in qua continetur consensus; at independenter ab exercitio consensus non est Deus potens proximè donare consensum creaturæ in se *formaliter*, seu *subiectivè*, & *terminativè absolutè*: qua ratione determinata per voluntatem creatam scientia media de consensu, Deus est potens proximè donare illum creaturæ.

112 Objicies quartò. Scientiam mediam esse in signo apto ad movendum, & retrahendum, est idem, ac scientiam mediam constituere divinam libertatem permittendi peccatum, & donandi consensum: hoc est impossibile: ergo, & quod sit in signo apto ad movendum, & retrahendum. Maior est certa: probatur minor. Impossibile est posse à Petro committi peccatum, quod à Deo non valeat permitti, posseque Petrum se convertere ad Deum, quin possit Deus illum convertere: hoc contingeret, si scientia media constitueret divinam libertatem permittendi peccatū, & donandi consensum: ergo scientiam mediam constituere libertatem permittendi peccatum, & donandi consensum est impossibile. Probatur minor: habeat Deus scientiam mediam hanc: *Si existat libertas* A *in Petro, non peccabit: si existat libertas* B *in Petro, peccabit*, conferatque tales libertates pro diversis instantibus. Tunc sic: Petrus constitutus sub libertate *A*, in instanti *A* potest potestate antecedenti peccare; & constitutus sub libertate *B*, potest potestate antecedente converti: sed Deus non potest sub libertate *A* potestate antecedente Petrum deserere, & peccatum permittere; nec sub libertate *B* Petrum convertere: ergo si scientia media constitueret potestatem permittendi peccatum, & donandi consensum, Petrus posset peccare, & converti, quin Deus posset illi permittere peccatum, & donare consensū. Probatur minor. Deus sub prima libertate haberet impedimentum permissionis, & sub secunda impedimentum conversionis inauferibile pro libito, scilicet scientiam mediam consensus, & scientiam mediam dissensus: sed impedimentum exercitij inauferibile pro libito, tollit potestatem antecedentem ad illud: ergo Deus sub prima libertate esset impotens antecedenter permittere peccatum, & sub secunda convertere, & donare consensum.

113 Difficultatis solutio consistit in detegenda æquivocatione illius propositionis: *Impossibile est posse à Petro committi peccatum, quin à Deo valeat permitti, possitque Petrum se convertere ad Deum, quin Deus possit illum convertere*, quæ potest reddere duplicem sensum: *vnum* facientem sensum compositum exercitij, ad quod est potestas in creatura cum carentia potestatis Dei ad illud: *alterum* significando sensum compositum potestatis creaturæ cum carentia potestatis Dei ad illud: in primo sensu sic est explicanda: *Impossibile est posse creaturam facere aliquod exercitium, quod existat sine potestate Dei ad illud causandum, vel permittendum*, qua ratione vera est: in secundo sic debet exponi: *Impossibile est dari potestatem in creatura ad aliquod exercitium in casu, in quo non datur potestas Dei expedita ad illud, vel causandum, vel permittendum*: & hoc modo falsa est: quia, vt voluntas possit libere operari aliquod exercitium, non est necessarium, quod, dum est potestas in creatura, sit potestas in Deo; sed quod in casu, quo taliter se exerceat creatura, sit potestas in Deo illud permittendi, aut donandi; modo quo etsi verum sit; libertatem creatam non posse ponere consensum cum carentia consensus ly *cum carentia consensus* faciente sensum compositum consensus; & carentiæ illius; falsum tamen est, non posse ponere consensum cum carentia illius, ly *cum carentia* faciente sensum compositum *non consensus* cū potestate ad illū; cum certū sit: libertatē creatā, ponētē dissensū, ac proinde coniungentē se cū carentia consensus, posse ponere consensum. Vndè constat, qua ratione intelligendæ sint illę propositiones: *Petrus constitutus sub libertate* A, *est potens peccare, quin Deus sit potens antecedenter permittere, & sub libertate* B, *est potens converti, quin Deus sit potens antecedenter illum convertere*, quæ distinguendæ sunt sub his terminis: quin possit Deus antecedenter, aut permittere, aut convertere *pro casu solius potestatis*: nego: *pro casu potestatis, & exercitij*: concedo, vel aliter quin possit, & quin *posset pro casu exercitij*: concedo: quin possit *præcisè*: nego.

114 Objices quintò. Constitutivum libertatis creatæ connexum cum vno extremo destruit libertatem creatam: sed si scientia media esset in

sig-

signo apto ad movendum, & retrahendum à decreto, constitutivum libertatis creatę esset connexum determinatè cum vno extremo: ergo scientia media non potest esse in signo apto ad movendum, & retrahendum, nec divinam libertatem constituere. Probatur minor. Decretum applicativum omnipotentiæ est libertatis constitutivum: decretum hoc esset connexum determinatè cum vno extremo: ergo constitutivum libertatis esset connexum determinatè cum vno extremo. Probatur minor. Decretum applicativum omnipotentiæ, vtpotè intrinsecè liberum Deo, est connexum cum ea libertate, quæ defacto exiit in Deo: ergo si divina libertas existat constituta per scientiam mediam consensus, erit connexum cum scientia media consensus; si verò per scientiam mediam dissensus, cum scientia media dissensus: sed quod conectitur cum scientia media determinatè accepta, connectitur cum conditionato determinatè sub purificatione conditionis, ac per consequens determinatè cum consensu, aut determinatè cum dissensu: ergo decretum applicativum omnipotentiæ esset connexum determinatè cum vno extremo.

115 Responderet forsàn aliquis huic argumento, fatendo: decretum applicativum Omnipotentiæ esse ita intrinsecè liberum, vt nequeat existere sub alia libertate divina distincta ab ea, quæ defacto exiit; negando tamen connexionem illius cum vno extremo determinatè accepto: nam etsi connectatur determinatè cum scientia media consensus v. g; hæc, purificata conditione, non connectitur cum consensu; sed semper manet indifferens, quatenus est ex se ad carentiam illius, existente tantum connexione in complexo scientiæ mediæ, & libertatis; non in sola scientia media consensus. Verùm quamvis hæc solutio primo aspectu videatur sufficiens, mihi probari non potest; tum quia tenacissimè iudico falsum: scientiam mediam non habere connexionem absolutam cum conditionato pro casu purificationis conditionis; cum ex se, & per se sit infallificabilis pro omni casu possibili: vnde pro casu possibili purificationis conditionis exigit essentialiter id, sine quo veritas eius non posset consistere, quale est existentia conditionati.

116 Tum quia, si res benè inspiciantur, non vitat inconveniens, quod evitari intenditur; siquidem decretum applicativum omnipotentiæ videtur connecti cum reliquis libertatis constitutivis; aliàs ex vna parte Deus per tale decretum committeret libertati creatæ determinationem exercitij, & aliàs per defectum alterius constitutivi, libertatem, & determinationem ex parte creaturæ impediret: ergo cum etiam per te conectatur cum scientia media cō sensus v.g. quæ defacto datur, connectetur cum coniuncto libertatis, & scientiæ medię de consensu, quod per te connectitur absolutè determinatè cum vno extremo. Tùm demùm, & præcipuè ex eo, quod potestas impeditiva scientiæ mediæ, esset impeditiva decreti applicativi: potestas enim, quæ potest impedire terminum connexionis, potest etiam impedire fundamentum connexionis: sed potestas impeditiva illius scientiæ mediæ constituitur per tale decretum: ergo potestas sic cōstituta, posset per suum exercitium impedire decretū applicativum; àc per consequens se ipsam: quod ingens chymæra est, vtpotè existeret potestas, & deficeret cum suo exercitio.

117 Quarè melius respondetur, dicendo: omnia decreta libera Dei debere esse intrinsecè libera *quoad speciem* libertatis; non vero *quoad individuum*, hoc est, quod, quamvis id, quod à Deo liberè immediatè existit, nequeat existere necessario; non ideo est alligatum, vt existat libere per hanc determinatam libertatē; sed per hanc, vel per aliam: sic se habet decretum applicativum, quod etsi ex sua natura, & essentialiter non possit, nisi libere provenire; non tamen exigit determinatè hanc libertatem, quæ defacto datur constituta per determinatam scientiam mediam; sed hanc, vel aliam: cùm sub vtraque æquè provide valeat existere; nec magis conducat, vt libere se applicet ad concurrendum cum creatura libertas constituta per scientiam mediam consensus; quam per scientiam mediam dissensus.

CAPVT V.

Reliquæ obiectiones contra conclusiones alias expediuntur.

118 CONtra secundam conclusionem obijcies sexto. Non stat verè, & propriè dirigere activè sine directione passiva: sed non stat directio passiva absque motione: ergo non stat verè, & propriè dirigere absque motione. Probatur minor. *Passivè dirigi*, est conformari in actione cum activa directione: sed conformari in actione cum activa directione, est moveri ex illa: ergo non stat directio passiva absque motione. Confirmatur. *Dirigere* est ducere in aliquem terminum: sed nemo ducitur in terminum absque motione: ergo non est verè, & propriè dirigere absque motione.

119 Nego minorem. Ad cuius probationem: nego maiorem. Ratio est: quia non omnis directio concipienda est, ac illa, qua videns manuducit cæcum, vt ad terminum aliquem perveniat: nam est alia directio *per modum illuminationis, & suasionis*, qua etiam ille, qui ea non vtitur, passivè dirigitur; cum passiva directio non consistat in actuali vsu, movendo se ex tali directione; sed in aptitudine, vt ex illa, si velit, moveatur, sivè ad exercendam, sivè ad suspendendam actionem, qua ratione diximus: Superiorem dirigere subditum, etiam quando hic ex tali directione non movetur, nolēdo acquiescere dictis Superioris. Ad confirmationem: concessa maiore. Distinguo minorem. Nemo ducitur in terminum in *actu secundo* absque motione: concedo minorem. *In actu primo*: nego minorem, & consequentiam. Id est, licet *dirigere* sit ducere in aliquem terminum; hoc tamen comprehendit latitudinem, ducendo in actu primo, in quantum directus constituitur aptus, vt moveatur, & ducatur in actu secundo, quod vltra dictum, involvit, *actum primum reduci ad secundum ex vi directionis*; vel si velis. Nego maiorem. Siquidem directio libertatis constitutiva, & volūtarietatis actionis nō solum involvit id, quod in terminum ducit; sed id, quod à termino revocat. Imò experientia ipsa docet; neminem alium perfectè dirigere, si proponendo tantum motiva inclinantia, aut ignoret, aut sileat motiva, quæ ab executione actionis possunt retrahere; & quæ cognita post operationem, possent inducere in pœnitentiam illius.

120 Obijcies septimò. Nemo dirigitur in actionem per id, per quod revocatur ab actione: ergo per cognitionem retrahentem non dirigitur in actionem. Iam sic. Deus conferens auxilium inefficax, habet scientiam mediam inefficaciæ revocativam ab auxilij collatione: ergo Deus conferens auxilium inefficax, non dirigitur scientia media inefficacię: concedo totum præter vltimam illationem, quam nego. Propterea quod non sit idem *dirigere actionem, & dirigere in actionem. Ad primum* sufficit; proponere actionem secundum omnes circunstantias, vt sit voluntaria, & libera. *Ad secundum* opus est; directionem tendere in actionem tanquam finem: quod non requiritur pro quacumque directione, quæ non sit inclinativa, aut necessitans. Hinc, licet per scientiam inefficacię non dirigatur Deus in auxilij collationem; at dirigitur per talem scientiam in auxilij collatione, quod sufficit, vt sit verum; tàm scientiam mediam efficaciæ, quàm inefficaciæ dirigere, quāvis non eodem modo.

121 Hac explicatione vitatur altera instantia, quæ fieri poterat, intendendo: cognitionem retrahentem non posse dirigere actionem, à qua revocat; aliàs cognitio alliciens ad honestum, & revocans à peccato, dirigeret in peccatum, quod concedi nequit: manet inquam vitata: nàm cum non sit idem *dirigere actionem, & dirigere in actionem*, malè infertur: ex eo, quod cognitio alliciens ad honestum dirigat actionem pravam, dirigere in illam, & in peccatum; quia licet dirigat, constituendo actionem voluntariam, & liberam, non dirigit inclinando ad illam, neque physicè, neque moraliter: sine quo non stat directio in illam: sic qui luce ostenderet alteri præcipitium, vt illud vitaret, non dirigit in actionem se præcipitandi; at si alter velit se proijcere, dirigit eius actionem, ostendendo præcipitium, quod amplectitur, & vitare debuerat.

122 Obijcies octavò contra tertiam conclusionem, & necessa-

riam

riam præcedentiam scientiæ mediæ. Præcedentia scientiæ mediæ ad decretum est inexplicabilis independenter ab eo, quod decretum moveatur ex ipsa: ergo quod scientia media sit in signo apto ad movendum, & retrahendum, non probat scientiam mediam debere necessario præcedere ad decretum. Probatur maior. Præcedentia scientiæ mediæ independens ab eo, quod decretum moveatur ex ipsa, non est *præcedentia in subsistendi consequentia*; quia sicut scientia media potest dari sine decreto, quod defacto existit; sic decretum potest existere sinè scientia media, quæ defacto datur: vnde mutuo non valet consequentia ex vno ad aliud; quod plane obstat dictæ prioritati, quæ vt constat ex Philosopho ea est, in qua: *contingunt aliqua esse sine alijs: secus vero alia sine his. Non præcedentia influxus*: nam vbi cognitio medio obiecto, quod proponit, voluntatem non movet, non influit in voluntatis actum; ergo independenter ab eo, quod decretum moveatur ex scientia media, inexplicabilis redditur præcedentia scientiæ mediæ.

123 Respondet P. Herrera. Quod si supponatur: decreta Dei esse intrinsecè libera ea libertate, quæ defacto existit, facilis est explicatio scientiæ mediæ, vt præcedentis ad decretum; cum in tali casu decretum sit essentialiter dependens ab ea scientia media, quæ defacto existit, tànquam à conditione se tenente in priori libertatis: cæterum si hic Doctissimus Magister solum velit, ex ea suppositione clarum esse, scientiam mediam, sivè alliciat, sive retrahat, sivè moveat, sive non moveat, præcedere *in subsistendi consequentia ad decretum*, recta est illatio: cum tunc bene valeat: *est decretum: ergo scientia media talis determinata*: secus econtra *est talis determinata scientia media: ergo decretum*; aut si intendat etiam, vt principaliter videtur suadere, ex ea suppositione esse illationem necessariam ad præcedentiam aliam *influxus*, & quasi *moralis efficientiæ*, hoc non probat: nam quod vnum connectatur cum alio, præscindit ex se ab eo, quod connectatur *a priori*, *posteriori*, & *comitanti*: nec *quod scientia media, prout existens, libertatem constituat*, aliquid addit pro connexione decreti cum illa, quæ sit *à priori*: intendunt enim adversarij, non omne quod libertatem constituit, debere præcedere, nisi vltra hoc habeat munus movendi in actu secundo ad exercitium, quod ponitur.

124 Instò argumentum in scientia *simplicis intelligentiæ*, quam dicunt Autores contrariæ sententiæ esse *in priori à quo* ad decretum collativum medij, cuius prioritatem vellem explicari ab his Authoribus. Nam si recurrant *ad solam dependentiam connexionis* decreti à tali scientia, hæc non probat prioritatem *influxus*; cum etiam consensus liber dependeat à scientia *visionis sui*; nec ideo in sententia nostræ Scholæ scientia *visionis* est in priori *naturæ* ad consensum; si vero *ad motionem ex tali scientia*; Deus non movetur ex illa, vel saltem non est necessarium, vt ex illa moveatur; non enim Deus est necessitatus ad conferendum medium, quia possibile; præcipuè, quando possibilitas, quæ cognoscitur, est aliarum entitatum distinctarum ab ipso medio, cuius cognitio, iuxta ipsos, debet esse in signo priori ad decretum: in quo ergo consistit hæc prioritas *naturæ*, & *à quo*, quam dicit scientia *simplicis intelligentiæ*, ad decretum?

125 Quare sicut hanc prioritatem explicabunt, dicendo: scientiam *simplicis intelligentiæ* habere influxum directivum, & constitutivum potestatis in esse liberæ, explicando ipsam, vt libere exerceat decretum; insuperque constituendo decretum plene, & perfectè voluntarium; idem dicam de scientia media, sivè retrahat, sivè alliciat, quæ sub vtraque ratione, & dirigit ad decretum, expedit voluntatem divinam ad operandum libere, & constituit actum maxime, & perfectè voluntarium: neque, vt supra monuimus in conclusionis probatione, influit tantum in effectum, aut quasi effectum id, quod ipsum ponit, sivè *effectivè*, sivè *motivè*; verum illud etiam, quod se habet, vt complementum expeditivum virtutis proximæ ad illum secundum aliquem modum pertinentem ad elicientiam actus, qualis est voluntarietas, & libertas: vt satis suadet exemplum aproximationis in causa physicè efficativa, quæ se tenet in priori *à quo*, licet efficienter, vt virtus non det *esse* effectui.

126 Objicies nonc: Actus, qui non innititur scientiæ mediæ, sivè efficaciæ, sivè inefficaciæ, est actus, qui non dependet determinate, sivè à scientia media efficaciæ, sivè à scientia media inefficaciæ: sed actus, qui non dependet à scientia media determinatè accepta, est actus, in quem scientia media

dia non influit; ac proinde in cuius priori *à quo* non est : ergo actus divinus, qui non innititur scientiæ mediæ, & ab illa movetur, est actus, in cuius priori *à quo* non intelligitur scientia media. Maior apparet certa : quod enim potest existere sine alio, non dependet *in esse* ab illo. Probatur minor. Causalitas, aut influxus involvit dependentiam : ergo si divinum decretum non dependet à scientia media determinate accepta, hæc non influit in illud; neque in priori *à quo* debebet collocari. Respondetur; dependentiam vnius ab alio, aliam esse *influxus*, aliam *connexionis*, quæ sunt separabiles mutuo : hinc, licet decretum non dependeat à scientia media, dependentia *connexionis*, potest dependere, & dependet dependentia *influxus* : modo, quo calor, *vt duo*, qui defacto producitur à calore, & igne, licet defacto non dependeat ab vtroque dependentia *connexionis*; dependet tamen dependentia *influxus*; quia tàm ignis; quàm calor influunt in eius productionem; quod autem decretum non habeat modum tendendi innitentem scientiæ mediæ determinate acceptæ, solum probat, non habere dependentiã *connexionis*; aliter verò de dependentia *influxus*. Nec dissimulandum: in contraria sententia non quamcumque dependentiam decreti à scientia media sufficere ad probãdum influxum; quia quando decretum innititur scientiæ mediæ per tendentiam adversativam *quamvis video auxilium, illud decerno*; non ideo scientia media debet præcedere: cum non moveat; quod apud contrarios est necessarium.

127 Objicies decimò. Scientia media, aut non alliciens, aut non retrahens in actu secundo ad decretum collativum medij, est scientia non habens influxum proprium ipsius, scilicet, vel per inclinationem, vel per remotionem ab exercitio : sed scientia non habens influxum proprium ipsius, nullum influxum habet : ergo scientia media, quæ actualiter non movet, aut retrahit à decreto, non est in signo priori *à quo* ante decretum; sed pure aptitudinaliter. Respondeo : cognitionem allicientem, & retrahentem vltra influxum alliciti-vum, & aversivum habere influxum directivum, expeditivum potestatis liberæ, & constitutivum voluntarietatis actionis, qui omnes existunt in actu secundo, quando deficit influxus actualis allicien-di, aut retrahendi : neque vt aliquid sit in priori *à quo* respectu alterius, est necessarium, vt exerceat omnem influxum, quem potest præstare; sed aliquem: sic, qui præbet consilium alteri de opere exequendo, ex quo non movetur; si offerat pecunias, ex quibus ducitur; non ideo desinit influere; quia consilium eius non attenditur : cum, deficiente influxo consilij, existat influxus oblationis pecuniæ. Ad formam : distinguo maiorem. Scientia media, aut non alliciens, aut non retrahens in actu secundo est scientia non habens *omnem* influxum proprium : concedo maiorem. *Aliquem* : nego maiorem : sub quibus terminis distincta minore : nego consequentiam.

128 Objicies vndecimo. Scientia media, quamvis sit in signo apto ad movendum, & retrahendum, per hoc præcisse nullam exercet prioritatem *à quo* respectu decreti : ergo prioritas *à quo* scientiæ mediæ non est necessaria; sed contingens; in quantum Deus per decretum potest ex illa inclinari, aut retrahi in actu secundo à collatione medij. Probatur antecedens : scientia media, prout apta ad movendum, & retrahendum, non exercet prioritatem *à quo* in decretum; nec quia libertatem constituit; neque quia actionem constituit voluntariam : ergo scientia media, quamvis sit in signo apto ad movendum, & retrahendum, non exercet per hoc præcisse prioritatem *à quo* respectu decreti. Probatur antecedens. Aliquid sine prioritate *à quo*, adhuc *negativa*, respectu exercitij, & constituit libertatem ad illud, & ipsius involuntarietatem: ergo scientia media, etsi constituat libertatem, & voluntarietatem actionis, non debet habere necessario prioritatem *à quo* in decretum. Antecedens videtur certum in ignorantia comitanti, quæ ex vno capite libertatem constituit; siquidem eam specificat intrinsecè, constituẽdo eam notabiliter distinctam ad alia libertate constituta per ignorantiam antecedentem, & subsequentem; & ex alio, iuxta communem sententiam reddit involuntariam actionem quoad circunstantiam ignoratam. Consequentia probatur. Non datur maior ratio, vt carentia cognitionis comitanter se habens, & libertatem, & involuntarietatem constituat; quam vt cognitio comitanter se habens, & libertatem, & voluntarieta-

tem

tem constituat: ergo si aliquid sine prioritate *à quo* adhuc *negativa*, & libertatem, & involuntarietatem potest constituere, scientia media absque prioritate *à quo* libertatem, & voluntarietatem actionis Divinæ poterit constituere.

129 Solutio difficultatis petit explicationem ignorantiæ *antecedentis*, & *comitantis*; quarum distinctionem accuratissime explicat Pater Ribadeneyra disputatione 9. de actibus humanis capite primo. secundo, tertio, & quarto, ex quo dicendum: ignorantiam antecedentem, aliam esse *latam*; aliam *strictam*. Ignorantia antecedens *lata* ea est, quæ coniungitur cum hac veritate conditionali: *Si adesset notitia de tali circunstantia v. g. de eo, quod est homo obiectum illud, in quo dirigo sagittam, actionem non exercerem sagittando*. Ignorantia antecedens *stricta* ea est, quæ addit de præsenti affectum operantis contra circunstantiam ignoratam, vel per modum tendendi absolute, vel conditionatè excludens homicidium: vnde concludit: ignoratam *antecedentem* eam esse, quæ dat esse actioni, taliter ei innitendo, vt ea secluſa, actio non exerceretur. Ignorantia *comitans* ea dicitur, quæ neque cum veritate illa conditionali, neque cum affectu repugnante in circunstantiam ignoratam coniungitur: ex quo, taliter vi illius exerceretur actio, vt etiam illa deficiente, & detecta per cognitionem circunstantia homicidij, eodem modo iacularetur in obiectum è regione positum.

130 Hinc (ni fallor) clarè colligitur: ignorantiam *comitantem* non dici talem, quia simpliciter actionem comitetur, & nullatenus eam præcedat; sed prout contraponitur ignorantiæ *antecedenti*, & non habet tantum influxum, ac illa; nec actio ab illa procedit, cum alligatione ad ipsam; ideo considerandus est eius influxus, cum similitudine ad eum, quem haberet motivum positivum movens simul cum alijs; coniunctum tamen cum hac veritate conditionali: *Si non adesset hoc motivum, exerceretur actio in vi aliorum*, aut cum affectu non resistente actionis existentiæ sub carentia motivi, quod ideo posset dici comitans respectu aliorum; non per exclusionem omnis influxus; sed præcisse comparativè ad influxum aliorum. Ad argumentum. Nego primum antecedens, sicut secundum, & tertium probativum illius. Ad probationem vltimi. Distinguo antecedens. Ignorantia comitans *simpliciter* actionem, & constituit libertatem, & voluntarietatem illius: nego antecedens: ignorantia comitans *purè respectivè ad maiorem influxum ignorantiæ antecedentis*: concedo antecedens. Et distinguo consequens. Non datur maior ratio, vt carentia cognitionis comitans constituat libertatem, & involuntarietatem, quam advertentia, & cognitio; *accepta comitantia purè comparativè ad maiorem influxum*: concedo consequentiam: *accepta comitantia simpliciter*: nego suppositum: nam nulla comitantia simpliciter talis potest constituere libertatem, & involuntarietatem actionis.

131 Objcies duodecimo. Scientia media præcedens prioritate *à quo* decretum collativum medij, destruit libertatem creatam: ergo scientia media non habet talem prioritatem. Probatur antecedens. Si scientia media præcederet prioritate *à quo* decretum collativum medij, signum libertatis creatæ esset signum connexionis cum determinato libertatis exercitio: sed signum libertatis, quod sit signum connexionis cum determinato libertatis exercitio, est libertatis destructio: ergo si scientia media præcederet prioritate *à quo* decretum collativum auxilij, & medij, destrueret libertatem creatam. Probatur maior. Si scientia media præcederet vera prioritate *à quo* decretum collativum medij, signum potestatis, & libertatis creatæ esset signum complexi connexi cum determinato libertatis extremo: sed signum connexi est signum connexionis: ergo si scientia media præcederet prioritate *à quo* decretum collativum medij, signum libertatis creatæ esset signum connexionis, cum determinato libertatis extremo. Probatur maior. Signum complexi connexi cum determinato libertatis extremo, est signum coniuncti ex scientia media, & purificatione conditionis connexi cum conditionato, quod est determinatum libertatis extremum: sed si scientia media præcederet prioritate *à quo* decretum collativum medij, signum potestatis, & libertatis creatæ esset signum coniuncti ex scientia media, & purificatione conditionis: ergo si scientia media præcederet, signum libertatis creatæ, esset signum complexi connexi cum determinato libertatis extremo. Probatur minor. Illud est signum complexi connexi, quod, præsuppositio vno constitutivo complexi, includit aliud, & vnicum,

cum, quod restat pro constitutione ipsius: sed si scientia media præcedit, signum potestatis creatæ est signum vltimi constitutivi coniuncti ex scientia media, & purificatione conditionis: ergo si scientia media præcederet, signum libertatis creatæ, esset signum coniuncti ex scientia media, & purificatione conditionis.

132 Confirmatur. In eo signo intelligitur coniunctum connexum cum aliquo extremo, in quo intelligitur ablata indifferentia, vt sit, aut non sit complexum: sed existente scientia media propriori, in signo potestatis intelligitur ablata indifferentia, vt sit, aut non sit coniunctum ex scientia media, & purificatione conditionis connexum cum conditionato, quod est libertatis extremum: ergo si scientia media præcedit prioritate *à quo* decretum collativum medij, signum libertatis creatæ est signum alicuius connexi cum determinato libertatis extremo. Idem argumentum confici potest in scientia media *reflexa* de hypothesi pertinente ad libertatem divinam, vt est hæc: *si prævidero auxilium efficax, illud conferam*: vndè videtur per scientiæ mediæ præcedentiam destrui libertatem divinam, & creatam.

133 Nec dicatur: signum potestatis esse signum coniuncti connexi cum determinato libertatis extremo: sed non per ea, quæ sunt in signo potestatis; verum per ea, & per scientiam mediam, quæ est in signo anteriori divinæ potestatis indifferentis ad dandum, aut non dandum auxillium. Quia si semel verificetur: in signo potestatis esse coniunctum connexum cum libertatis extremo; quod consistit in existentia connexionis in illo signo; quamvis constitutio illius non sit in illo signo (modo, quo causa est prior suo effectu in suo signo, quamvis constitutio illius in esse prioris non sit in illo signo; sed coalescat ex signo causæ, & effectu;) non vitatur inconveniens.

134 Probat argumentum: non modo scientiam mediam non præcedere ex necessitate decretum liberum collativum auxilij; verum, nec vnquam posse præcedere, servata libertate. Probat deinde, nec comitanter posse existere; cum in tali casu tàm scientia media; quam auxilium det existentiam coniuncto, auferendo indifferentiam alterius partis. Respondetur, in totis successivis, qualia sunt, quæ componuntur ex priori, & posteriori; in nullius partis signo existere complexum *adæquate*; sed tantum *inadæquatè*; in complexo vero vtriusque signi *adæquate*. Ideo licet in signo auxilij existat vltima pars constitutiva complexi, non ideo est in illo signo totum complexum; sed in complexo scientiæ mediæ, & purificationis hypothesis, quod non est solum signum potestatis; neque, vt per se satis liquet, potest esse signum adæquatæ existentiæ alicuius id, quod tantum includit existentiam *inadæquate* sumptam: ex quo iam percipitur: omnes illas propositiones, quæ affirmant, signum auxilij esse signum coniuncti, & complexi connexi, esse distinguendas sub terminis *adæquate*, & *inadæquate*, & de existentia *inadæquata* concedendas; de *adæquata* vero negandas.

135 Ad confirmationem distinguenda est maior. In eo signo intelligitur coniũctum connexum cum aliquo extremo, in quo intelligitur ablata indifferentia, vt sit, & non sit coniunctum: *per constitutivum adæquatum illius*: concedo maiorem: *per constitutivum inadæquatum*: nego maiorem. Et distinguo minorem. Existente scientia media propriori, in signo potestatis intelligitur ablata indifferentia, vt sit, & non sit coniunctum *per constitutivum inadæquatum illius*: concedo minorem: *per constitutivum adæquatum*: nego minorem, & consequentiam. Quæ doctrina approbanda necessario est: ni velis libertatem existere in signo exercitij, & causam in signo effectus, quia tàm exercitium liberum; quàm effectus auferunt pro suo signo indifferentiam, vt existat, aut non existat complexum libertatis, & exercitij liberi, causæ, & effectus.

¶ Insistes primo. Coniunctum illud in aliquo signo debet existere: sed non in signo scientiæ mediæ existentis propriori, & præscindentis à coniuncto: ergo in signo potestatis existentis posteriori. Distinguo maiorem. Coniunctum illud, in aliquo signo *complexo* debet existere: concedo maiorem: *incomplexo*: nego maiorem. Et concessa minore de existentia *adæquata*: nego consequentiam in eodem sensu. Itaque, sicut, quod est successivum in tempore, in nulla parte incomplexa temporis debet existere; sed in coniuncto aliquarum; sic successivum quoad signa in eodem instanti in nullo signo, determi-

minatè accepto, debet *adæquate*, existere; sed in complexo aliquorum *adæquate*, & in quolibet *inadæquate*.

136 Insistes secundo. In illo signo intelligitur complexum, in quo solo intelliguntur omnia constitutiva complexi: sed in solo signo potestatis intelliguntur omnia constitutiva complexi: ergo in solo signo potestatis intelligitur complexum. Maior apparet certa: nam in eo signo debet intelligi aliquid, in quo intelligitur *esse illius*: sed in signo, in quo intelliguntur omnia constitutiva, intelligitur *esse*: ergo in signo in quo solo intelliguntur omnia constitutiva, intelligitur complexum. Probatur minor primi syllogismi. In solo signo potestatis est verum: existere scientiam mediam, & potestatem liberam creatam; cum ante existentiam illius verum non sit; imo falsum: existere vtrumque: sed scientia media, & potestas libera sunt omnia constitutiva illius complexi: ergo in solo signo potestatis intelliguntur omnia constitutiva illius complexi.

137 Instantia est manifesta in complexis memoratis libertatis, exercitijque liberi, causæ, & effectus, in quibus in signo exercitij liberi, & effectus est solum verum: existere complexum libertatis, & exercitij, causæ, & effectus; quin ideo totum complexum existat, aut in signo exercitij liberi, aut in signo effectus. Concessa igitur maiore. Nego minorem. Ad cuius probationem. Distinguo maiorem: in solo signo potestatis est verum: existere scientiam mediam, & potestatem *in solo signo potestatis*: nego maiorem. Est verum: existere scientiam mediam, & potestatem *distributione accõmoda cuiusvis in signo suo*: concedo maiorem. Et concessa minore. Distinguo consequens. In solo signo potestatis intelliguntur omnia constitutiva complexi, *vt existentia in solo potestatis signo*: nego consequentiam: *vt existentia in signis diversis, & successivis*: concedo consequentiam. Itaque in signo potestatis est verum: existere complexum existentia propria entis successivi complectentis vtrumque signum; at non est verum existere existentia pertinente duntaxat ad signum potestatis. Sicut in ente successivo quoad instans, in vltimo instanti verificatur: existere per existentiam complentem plura instantia; non vero illud solum, in quo est verum.

138 Obijcies decimo tertio. Saltem in signo auxilij erit scientia *visionis* determinati libertatis extremi: sed scientia *visionis* determinati extremi libertatis, in signo libertatis existens, libertatem destruit: ergo si scientia media præcedit mediorum collationem, creata libertas destruitur. Probatur mai. Infinita perfectio divini intellectus exigit cognoscere absolutè obiectum in eo signo, in quo intelligitur completa absoluta obiecti cognoscibilitas: sed præcedente scientia media, in signo auxilij intelligitur absoluta obiecti cognoscibilitas *completè* sumpta, scilicet conditionati, quod est determinatum libertatis extremum: ergo saltem in signo auxilij erit scientia *visionis* determinati libertatis extremi. Maior apparet certa: si enim in signo, in quo est obiectum cognoscibile, absoluta, & completa cognoscibilitate non cognosceretur à divino intellectu, hic esset in mora cognoscendi, quod cognoscibile est; proptereaque absque imperfectione, & ignorantia non staret. Probatur minor. In eo signo est completa, & absoluta cognoscibilitas obiecti, vt existentis, in quo completum est antecedens metaphysicè connexum cum obiecti existentia: sed præcedente scientia media auxilij collationem, in signo auxilij completur antecedens metaphysicè connexum cum existentia absoluta conditionati, scilicet coniunctum ex scientia media, & purificatione conditionis: ergo præcedente scientia media, intelligitur in signo auxilij completa cognoscibilitas conditionati, vt absolutè existentis, quod est determinatum libertatis extremum.

139 Etiam hoc argumentum impugnat, vt bene videtur, non modo præcedentiam scientiæ mediæ ad collationem auxilij; verum, & concomitantiam; quare ab omnibus scientiæ mediæ defensoribus est solvendum, quin excipiatur Arriaga, saltem pro casu, in quo asserit, scientiam mediam debere præcedere; quamvis talis casus non sit necessarius, nec detur defacto ex suppositione scientiæ mediæ. Respondetur præmissa doctrina, quam vt vtilissimam notavit Pater Iunius; ex quo distinguendum est inter obiecta, *quæ à Deo cognoscuntur, quia sunt*; *non verò sunt, quia cognoscuntur*, qualiter se habent omnia obiecta libera, & contingentia, quæquidem, vt communis Patrum sententia conclamat agens de cohærentia divinæ præscientiæ cum nostra libertate: *non ideo sunt, quia cog-*

cognoſcuntur; ſed potius cognoſcuntur, quia ſunt; & obiecta, *quæ æque cognoſcuntur, quia ſunt, & æquè ſunt, quia cognoſcuntur*; qualiter reputari debent ea, quæ cum cognitione ſui identificantur, vt attributa Dei præcipuè neceſſaria abſoluta, & relativa. Deinde advertit, quod cum perfectio divini intellectus talis ſit, vt non patiatur cognoſcere obiectum purè in alio, ſicut intellectus creatus, qui ob ſuam imperfectionem plura cognoſcit per ſpeciē alterius ſine ſpecie propria; inde oritur: ſignum, in quo Deus cognoſcit vnum in alio, non poſſe præſcindere à ſigno, in quo obiectum cognoſcibile eſt in ſe.

140 Quibus præſuppoſitis ſolutio ſit. Signum cognoſcibilitatis obiecti, quod eſt conditionatum ſcientiæ mediæ, non eſſe ſignum cognitionis; aut quia obiectum eſt ex illis, *quæ non ſunt, quia cognoſcuntur; ſed potius cognoſcuntur, quia ſunt*, & ideo cognoſcibilitas obiectiva eſt in ſigno anteriori ad cognoſcibilitatem ſubiectivam ex parte Dei, quæ eſt ſignum cognitionis; aut quia cognoſcibilitas fundata in complexo ſcientiæ mediæ, & purificationis conditionis, eſt cognoſcibilitas conditionati extrinſeca, & pure in alio, quæ ſinè cognoſcibilitate in ſe non poteſt terminare divinam cognitionem, quam, vt terminet, expectat neceſſario ſignum cognoſcibilitatis intrinſecæ, & in ſe quam habet conditionatum; cumque hæc exiſtat poſt ſignum auxilij, & in ſigno exercitij, cognitio divina concluditur exiſtens; non in ſigno poteſtatis; ſed in ſigno obiectivè conſequenti ad exiſtentiam exercitij, quod eſt ſignum poſterius ad libertatis conſtitutionem. Ad formam: nego maiorem. Ad cuius probationem: nego etiam maiorem, ſive loquatur de cognoſcibilitate obiectiva *in ſe*, ſive *in alio*. Nam ſi ſit *in ſe*, debet exercere prioritatem obiectivam reſpectu cognitionis; etſi ſit *in alio*, debet expectare ſignum cognoſcibilitatis obiecti *in ſe*. Nec inde infertur aliqua imperfectio, aut ignorantia in intellectu divino; cum non ſit talis, non cognoſcere obiectum ante ſignum, pro quo tantum poteſt cognoſcibilitas obiectiva terminare, & determinare cognitionem ſui. Ignorantia autem eſſet non cognoſcere obiectum in ſigno, & pro ſigno, quo cognoſcibile eſt: quod Deo ab eſt; ſecus in ſigno, in quo eſt cognoſcibile obiectivè; cum ſignum cognoſcibilitatis obiectivæ debeat in contingentibus antecedere cognitionis ſignum.

141 Replicabis. Deus pro ſigno ſcientiæ mediæ cognoſcit ſcientiam mediam de efficacia v.g; deinde pro ſigno decreti cognoſcit decretum auxilij prævii efficacis per ſcientiam mediam: ergo pro ſigno decreti cognoſcit complexum connexum metaphyſicè cum exiſtentia conditionati; ac per conſequens antè ſignum exiſtentiæ conſenſus, & propriori ad illum videt abſolutè conſenſum extiturum: ergo pro ſigno auxilij poterit ſimiliter cognoſcere conſenſum, vt abſolutè extiturum in vi complexi ſcientiæ mediæ, & purificationis conditionis. Nego vltimam conſequentiam tranſmiſsis reliquis, quę longius petunt examen de modo quo ſcientia *viſionis* poteſt eſſe, aut non eſſe cauſa rerum. Ratio eſt: quia pro ſigno auxilij non poteſt intelligi ſcientia connexa cum conſenſu: quia eſt ſignum poteſtatis indifferentis ad vtrumvis, quæ cum determinatione ad vnum non componitur: vnde permiſſo, quod in ſigno anteriori prævideatur conſenſus abſolute extiturus; non id probat, talem cognitionem exiſtere in ſigno auxilij: ſicut quamvis pro ſigno priori ad exiſtentiam auxilij exiſtat ſcientia media dirigens ad eius collationem, non probat: ſcientiam mediam exiſtere in ſigno auxilij, & libertatis.

DISPVTATIO IV.

Nonnulla dubia ex præcedentibus orta dissolvuntur.

CAPVT I.

Quomodo Deus directus scientia media inefficacia sit beneficus in collatione auxilij inefficacis?

1 CErtum est omnibus Theologis, vno tantum rennuente Basilio Legionensi apud Ripaldam tomo primo de Ente supernaturali disput. 50. sect. 5. numero 27. Auxilium inefficax esse beneficium, cuius propositionis certitudinem doctè firmat Ribadeneyra disput. 7. capite 1. Primo ex Patribus, qui apud Ruiz de Voluntate Dei disput. 27. 37. & 48. vocant quodlibet auxilium actuale supernaturale gratiam Dei, illuminationem, semen, & misericordiam: sed auxilium, quo abutimur, est auxilium actuale supernaturale: ergo gratia, illuminatio, semen, & misericordia Dei: quibus alludere videtur Tridentinum Sessione 6. Canone 19. dicens: *Si quis dixerit; eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: anathema sit*: Vbi indiscriminatim potentiam resurgendi, qualis est constituta per auxilium sufficiens, gratiam vocat. Secundò: quia iuxta Scripturæ morem: *pluere super nos* denotat abundantiam divinæ misericordiæ; at Deus tribuens hominibus auxilia purè sufficientia ad salutem, pluere dicitur super iustos, & iniustos: ergo collatio auxilij purè sufficientis misericordia est, gratia, & beneficium. Minor constat ex Patribus, Ignatio, Prospero, Cypriano, Ambrosio, Bernardo, & Gregorio citatis ab eodem Ribadeneyra. Tertiò: creatio est beneficium reproborum, etsi Deus videat coniungendam cum futura damnatione: ergo auxilium inefficax est beneficium, etsi sit, & Deus videat coniungendum cum peccato. Antecedens continet doctrinam Patrum apud Ruiz disput. 17. de Prædestinatione sectione 1. & 2. Quartò ex eisdem Patribus conclamantibus: quamvis Deus videat homines abusuros suis beneficijs, non ideò ea prætermittere: ergo supponunt etiam cum abusu rationem beneficij retinere.

2 Quintò: quia Divus Anselmus Dialogo de casu Diaboli capite 18. ferè in principio inquit. *Semper debet Deo gratias agere malus Angelus pro beatitudine amissa, quatenus Deus illam constituit in sua potestate*: ergo potestas ad consequendam beatitudinem, licet coniuncta cum amissione illius ex culpa, materia est actionis gratiarum, ac per consequens beneficiū. Sextò: quia reprobi etiam sunt participes redemptionis Christi: sed id quod ex meritis Christi confertur, gratia, & beneficium est: ergo sufficientia in reprobis beneficium est. Septimò ex Concilijs, & Patribus decernentibus contra Pelagiū; naturam non habere sufficientiam ad salutem sine gratia Dei: ergo sufficientia ad illam gratia est, & beneficium. Vltimo ex quærela Domini per Isaiam cap. 5. *Quid est, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* Per quam denotat, homines ingratos abusos fuisse beneficijs, quibus poterant correspondere divinæ benignitati: sed hæc beneficia non fuerunt auxila efficacia: ergo auxilia inefficacia beneficia sunt, de quorum abusu tanquam ingrata correspondentia Deus conqueritur. Propter hæc dubium præsens non est de auxi-

xilio inefficaci in ratione beneficij; ſed de modo explicandi talem rationem, & componendi cum exiſtentia ſcientiæ mediæ in ſigno apto ad retrahendum.

3 Ratio gravis dubitandi eſt: quia ſi Deus confert auxilium inefficax præſciens inefficaciam illius, confert Petro donum coniungendum cum maximo malo, nempè peccato, ſciens talem coniunctionem infallibiliter futuram: qua ratione ergo erit Petri beneficium id, cuius carentia longe melior ei eſſet, vtpotè per quam evitaretur ei peccatum, & damnum ex ſe irreparabile? Confirmatur: conferre aliquid ex ſe bonum, amittit rationem beneficij propter pravas circunſtantias, cum quibus coniungitur: ſic conferre Petro enſem ex ſe illi ad defenſionem convenientem, amittit rationem beneficij, quando fit in circunſtantijs, in quibus is, cui confertur, eſt abuſurus illo in propriam perniciem: ergo ſimiliter, licèt auxilium ex ſe bonum ſit habenti; tamen in circunſtantijs, in quibus coniungendum eſt cum pravo voluntatis vſu, rationem beneficij non habebit.

4 Propter hæc negarunt aliqui præcedentiam, & directionem ſcientiæ mediæ ad collationem auxiliorum, præcipuè inefficacium; verùm non video quomodo huic gravi difficultati præſtetur evaſio per non præcedentiam, & directionem ſcientiæ mediæ. Ratio eſt: nam cum quæſtio hæc non procedat de beneficio purè in affectu donantis; ſed de illo, quod in re ſit tale, & commodum accipienti: Nunc rogo, aut collatio auxilij in circunſtantijs in quibus coniungendum eſt cum peccato ex voluntatis abuſu, verè, & in rigore eſt illi bonum, & melius; quam carentia illius, vel non? Si primum: quare præcedentia, & directio ſcientiæ mediæ, qua cognoſcitur eventus ſub illo dono, auferunt rationem beneficij; cùm non auferant rationem convenientiæ, quam in re habet: ſi ſecundum: ergo auxilium ſufficiens, neque eſt gratia, neque commodum accipientis, quod dici non poteſt: male igitur hæc difficultas contrahitur ad defendentes directionem, & præcedentiam ſcientiæ mediæ, cum omnes videatur comprehendere.

5 His non obſtantibus: Pater Ribadeneyra reputans: totam difficultatem provenire ex præcedentia, & directione ſcientiæ mediæ, qua Deus immediatè ad ſignum collationis inefficacis auxilij ſit potens ſe retrahere per ſcientiam de inefficacia à largitione auxilij inefficacis, quod defacto confert, eam ſolvere tentat, dicendo: Deum pro ſuo arbitrio poſſe reddere ſcientiam mediam ineptam, vt ſit in ſigno apto ad retrahendum immediatè à decreto collativo auxilij inefficacis, quo manebit benevolum decretum collativum auxilij inefficacis: quia ſi aliquid obſtaret, maximè, quod Deus conferret auxilium inefficax, non ſe retrahendo ab inefficacia, cum poſſet immediatè retrahi: ſed poſita libere ineptitudine ſcientiæ mediæ, vt immediatè retrahat à decreto, Deus non confert auxilium inefficax, potens ſe immediatè retrahere: ergo nil eſt, quod obſtet benevolentiæ decreti.

6 Modum autem impediendi ſcientiam mediam *de inefficacia* ab eo, quod *immediatè* poſsit retrahere ſic explicat: decernat Deus potens ſe liberè retrahere per ſcientiam mediam *inefficaciæ* à collatione auxilij, non ſic ſe retrahere decreto habenti hunc modum tendendi: *Nolo retrahi ab inefficacia huius auxilij, quominus illud conferam, quidquid ſit: an alijs de cauſis ſim illud denegaturus, vel non.* Tunc ſic: nulla eſt determinatio, vt conferat Deus auxilium inefficax; cum, adhuc ſuppoſito illo decreto, poſsit Deus libere conferre, & non conferre: ergo cum illo decreto componitur libertas *immediata* donandi, & non donandi auxilium; ſed non libertas conſtituta per ſcientiam mediam, vt potentem *immediatè* retrahere: ergo tunc poſſet *immediatè* libere conferre auxilium inefficax, quin ſcientia media poſsit *immediatè* retrahere. Probat minorem. Non eſt potens *immediatè* ſcientia media ad retrahendum, quando eſt immediata neceſſitas non ſe retrahendi: ſed immediata neceſsitas non ſe retrahendi conſtituta per decretum, quo Deus decernit non ſe retrahere, incluſa eſt in libertate donandi auxilium: ergo *immediata* libertas non eſt conſtituta per ſcientiam mediam, vt potentem *immediatè* retrahere à collatione auxilij. Quod verò res ita defacto diſponantur, probat ex eo, quod defacto Deus eſt beneficus in collatione gratiæ ſufficientis.

7 Hæc cogitatio tanto ingenio digna, etſi acuta, difficultatem non evacuat; verùm in ſua vi relinquit. Impugnatur primo. Nam vt monui;

aut

aut auxilium inefficax secundum se est bonum creaturæ etiam in circunstantijs, in quibus coniungendum est cum peccato, aut non? *Si non est bonum*: ergo quod Deus *immediatè* nequeat dirigi ex scientia media inefficaciæ præcisse conducet, vt Deus sit beneficus *affectivè*, & non *in re*: modo simili illi, qui infert alteri nocumentum, aut id ignorans, aut reputans esse maximum commodum. *Si bonum est habenti*: cognitio coniunctionis cum circunstantijs noxijs operanti sub illo, non impediet rationem beneficij, nisi in quantum cognitio circunstantiarum inferat: conferentem donum esse, causam illarum, quia teneatur eas impedire: quod in Deo non accidit, qui propter suum supremum dominium potest permittere peccata. Secundò Deus per te libere decernit propriori ad collationem auxilij inefficacis; non se retrahere ab inefficacia auxilij: ergo potest omittere tale decretum, & relinquere scientiam mediam in signo apto, vt *immediatè* retrahat. Tunc sic: aut Deus conferens auxilium sub tali *immediata* potestate se retrahendi ex inefficacia, esset beneficus, vel secus? *Si non esset beneficus*: ergo Deus conferens auxilium supernaturale, & sufficientiam ad operandum supernaturaliter, non conferret beneficium: ergo in aliquo casu sufficientia ad operandum supernaturaliter, & prout oportet non esset ex gratia; cum beneficium, & gratia sint termini synonimi: hoc autem dici non posse videtur; siquidem redderentur inefficacia omnia argumenta Patrum contra Pelagium. *Si primum*: ergo Deus conferens auxilium inefficax, etiam sine impotentia *immediata* se retrahendi, potest habere decretum collativum benevolum.

8 Confirmatur hæc ratio. Incredibile apparet Deum, creando Angelos, & homines, ipsosque elevando ad possessionem sui per sufficientiam ipsam, vt vltimum finem acquirendi, non esse beneficum erga creaturam rationalem: sed hæc omia existerent, si Deus crearet homines, & Angelos, constitueretque sufficientes ad obtinendam beatitudinem, potens se *immediatè* retrahere, & non se retrahens per prævisionem lapsus futuri: ergo Deum conferre media, potentem se *immediatè* retrahere à pravo eorum vsu, non aufert rationem beneficij.

9 Si propterea fortè dicas: Deum non posse aliter conferre media purè sufficientia ad salutem, nisi ex prævio illo decreto non se retrahendi ab inefficacia; qualiter actus essentialiter imperatus non potest existere nisi præexistente actu imperante. Contra tamen est: nam inde probatur, tale decretum non esse necessarium, vt Deus sit beneficus in collatione auxilij inefficacis. Probatur assumptum, Deus, posita scientia media *inefficaciæ*, non est liber in habenda libertate, & potestate donandi auxilium purè sufficiens; cum per se sit incapax carendi tali potestate. ergo independenter ab exercitio libero est potens donare, & non donare auxilium: sed per te non aliter est potens donare auxilium, quam vt impotens *immediatè* se retrahere per scientiam mediam: ergo impotentia *immediata* se retrahendi non est exercitium Deo liberum; ac per consequens independenter à decreto non se retrahendi, Deus erit *immediatè* impotens se retrahere ab inefficacia: quod in re est concedere, scientiam mediam *inefficaciæ* per se esse ineptam, vt sit in signo apto retrahendi. Explicatur: Deus sine decreto, quo nolit se retrahere ab inefficacia; aut est necessitatus ad non conferendum auxilium; aut liber? *Si liber*: ergo non existente illo decreto, potest existere auxilium, quod negas. *Si necessitatus*: ergo vt sit liber in conferendo auxilio, indiget decreto, quo nolit se retrahere: sed Deus est necessitatus, vt sit liber in conferendo auxilio, supposita scientia media *inefficaciæ*: ergo supposita scientia media *inefficaciæ*, est Deus necessitatus ad habendum tale decretum, quod chymæra est; cum esset antecedenter necessitatus ad determinatum decretum liberum.

10 Respondebis secundo. Distinguendum esse inter libertatem *remotam* dandi auxilium, & inter libertatem *proximam*; & de prima concedendum: Deum esse necessitatum, vt illa non careat; secus de secunda; quam per exercitium liberum non se retrahendi potest acquirere. Itaque Deus per scientiam mediam *inefficaciæ* constituitur liber, vel ad habendam libertatem *proximam* donandi auxilium, vel ad se necessitandum, vt auxilium non conferat: si ergo potens non habere decretum, quo nolit se retrahere ab inefficacia auxilij, illud habeat; constituit sibi Deus libertatem *proximam* donandi auxilium: si verò per oppositum tale decretum

non habeat, constituit se in necessitate non donandi, ex quo non infertur; aliquid liberum esse determinatè necessarium: quia etsi Deus sit antecedenter necessitatus, vt sit liber aliqua libertate in conferendo auxilio, non est antecedenter necessitatus, vt sit liber *immediate* per potestatem constitutam per tale decretum. Sed contra: nam vel scientia media *inefficaciæ* debet esse impotens retrahendi ab auxilio; qua ratione supervacaneū erit decretum non se retrahendi ab illa; vel dum est potens retrahere, debet relinquere potestatem non se retrahendi, & coniungendi auxilium cum scientia media, vt potente retrahere.

11 Probo sic: Si scientia media non sit impotens retrahere ex se, & per se; quando per carentiam liberam decreti à te assignati relinquitur potens retrahere, debet relinqui potens retrahere cum indifferentia, vt non retrahat: quia non impeditio potestatis retractivæ non immutat naturam, & conditionem virtutis retractivæ, quæ residet in scientia media: sed virtus retractiva, quæ residet in scientia media nō est virtus retrahēdi *necessariò*; sed *indifferenter*, & libere *immediatè*: ergo si scientia media non impotens sit retrahere per carentiam decreti; relinquitur potens retrahere *cum indifferentia*. Probo minorem. Licet scientia media *efficaciæ* iuxta principia Authoris, cum quo agimus, possit impediri ab alliciendo per decretum, quo Deus nolit allici ab efficacia: tamen, omisso hoc decreto, scientia media *efficaciæ* non allicit *necessariò*; sed relinquit potestatem *proximam* Dei indifferentem ad vtrumvis, videlicet ad dandum, & non dandum auxilium: ergo licèt scientia media *inefficaciæ* possit per liberum decretum Dei impediri à retrahendo, seu ab eo, quod sit potens proximè retrahere; hoc non obstanti, quando per liberam omissionem decreti relinquitur potens retrahere, non debet retrahere *necessariò*. Confirmatur: scientia media *efficaciæ*, quia ex se non proponit motivum, ita alliciens ad auxilij collationem, vt rapiat voluntatem divinam in illud; sivè detur, sivè non detur decretum aliud liberum Dei, nunquam allicit *necessariò*: ergo quia scientia media *inefficaciæ* ex se non proponit rationem, ita retrahentem à collatione auxilij, vt rapiat divinam voluntatem in non collationem auxilij; sivè detur, sivè non detur decretum liberum Dei, nunquam retrahet *necessariò* à decreto collativo auxilij.

12 Tertiò. Quod Deus conferat auxilium inefficax, se liberè impediendo ab eo, quod *immediatè* valeat retrahi ab eius efficacia, non tollit Deum conferre auxilium inefficax, potens *absolutè* se retrahere ab inefficacia auxilij: sed hoc per te non impedit in auxilio rationem beneficij: ergo neque, quod Deus conferat auxilium, potens *immediate* se retrahere ab auxilij inefficacia, impediet esse beneficum in collatione illius. Præmissæ constant; aliàs Deus esset omnino antecedenter necessitatus ad non se retrahendum ex inefficacia auxilij. Probatur consequentia. Tota difficultatis ratio, vt Deus sit benefactor in collatione auxilij inefficacis, consistit in eo, quod sciens auxilium non profuturum ad salutem; sed potius per abusum voluntatis creatæ vertendum in nocumentum magnum mortis spiritualis animæ; hoc damnum non avertat potens illud impedire per auxilij denegationem: sed quod Deus sit *immediatè* potens se retrahere ab inefficacia, nil addit illi veritati: *Sciens, & potens impedire malum, cum auxilio coniungendum, non impedit*; neque quod sit *immediate* impotens se retrahere; si est *absolutè* potens se retrahere, aliquid prædictæ veritati detrahit: ergo quod Deus conferat auxilium inefficax cum *immediata* potestate se retrahendi, non impedit rationem beneficij; si *mediata* potestas se retrahendi non impedit.

13 Confirmatur. Patres Ecclesiæ in omnibus illis quæstionibus inquirentibus: *cur Deus creavit mundum, cum vidisset tot mala inde proventia? Cur creavit Angelos, & homines, cum ex illis videret plures, & ex his omnes* (Christo Domino, & Beatissima eius Matre exceptis,) *lapsuros?* Nunquam ad eas resolvendas, & dissonantiam emoliendam Dei, vt minùs benefici, recursum fecere ad id, quod Deus, etsi potens *absolutè* se retrahere à futuris malis, liberè se impedivit per aliquod decretum, constituendo se *immediatè* necessitatum ad non se retrahendum ex illis: ergo quia censuere

fuere idem inconveniens permanere, data in Deo impotentia *immediata* se retrahendi, dummodo hæc impotentia proveniret ex Dei libera determinatione. Vnde ad alias rationes, vel ex dominio Dei, vel ex malorum incaufalitate confugerunt: & iure quidem: nam fi *immediata* impotentia libera fe retrahendi redderetur pro ratione, immediatè reviviſceret quæſtio rogans: *Cur Deus mala futura præſciens ex creatione mundi, Angelorum, & hominum, noluit ſe retrahere ex illis, conſtituendo ſe libere in ſtatu, in quo non retractio eſſet neceſſaria*: ergo ſimiliter, cum inquiritur: *quomodo cum divina beneficentia componatur præbere auxilium, ſciens non profuturum; imò coniungendum cum maximo creaturæ malo?* Non erit ſolutio. Quia Deus decrevit non ſe retrahere ex illius inefficacia, conſtituique impotentem ſe *immediate* retrahendi pro ſigno poteſtatis liberæ conferendi auxilium: nam de hac libera impotentia reddit quæſtio.

14 Quartò ex Patre Herrera. Quoties alicui virtuti opponitur *non ſe retrahere aliquo ex motivo cum poteſtate ſe immediatè retrahendi ab illo*, eodem modo opponitur: *nolle ſe retrahere ex illa ratione, & per talem affectum conſtitui in neceſsitate non ſe retrahendi*: ergo ſi *non ſe retrahere ex ineſficacia auxilij dum poteſt Deus ſe immediate retrahere*, opponitur benevolentiæ decreti collativi auxilij: *ſe conſtituere libere in impotentia immediata ſe retrahendi*, eidem benevolentiæ opponetur. Probatur antecedens. *Non ſe retrahere ex aliquo motivo*, in tantum opponitur alicui virtuti ex parte liberæ operationis; in quantum eſt non retractio cum poteſtate ſe retrahendi: ſed quando *immedita* impotentia provenit à libertate, non retractio eſt cum poteſtate ſe retrahendi: ergo quoties alicui virtuti opponitur *non ſe retrahere ex aliquo motivo, cum poteſtate immediatè ſe ab illo retrahendi*, eodem modo opponitur: *nolle ſe ex illa ratione retrahere, & per talem affectum conſtitui in neceſsitate immediata non ſe trahendi ex illa ratione*. Confirmatur. Quia *furari* opponitur virtuti iuſtitiæ, *ſe conſtituere in neceſsitate furandi* eidem iuſtitiæ opponitur: ergo quia *non ſe retrahere ab ineſficacia auxilij* opponitur virtuti benevolentiæ in collatione auxilij; eidem virtuti opponitur *ſe conſtituere in neceſsitate non ſe retrahendi*.

¶ Quintò. Datis omnibus, quæ intendit Pater Rivadeneyra, adhuc non convincit impotentiam *proximam* ſe retrahendi, niſi ſe conferat ad peculiarem ſententiam defendentem: actum imperantem tollere *immediatam* poteſtatem liberam actui imperato: quo negato, innutilis redditur ad rem præſentem totus diſcurſus. Nam, etſi detur affectus ille, quo Deus nollit ſe retrahere ex ineſficacia auxilij, non tollit *immediatam* libertatem ſe retrahendi, quia eſt impedimentum purè conſequens divinam libertatem; quod non tollit poteſtatem *immediatam* ſe exercendi per retractionem, qua impediatur exiſtentia illius affectus impeditivi retractionis ex ineſficacia.

15 Aliam viam ſolvendi difficultatem aggreſſus eſt Pater Aldrete tractatu de Prædeſtinatione diſputatione 11. ſectione ſeptima, & octava: pro qua ſupponit id quod in tota ſua Theologia eſt illi valdè familiare, vt multas difficultates expediat: ſcilicet ſcientiam mediam de actibus divinis identificari virtualiter cum ſcientia media de actibus creatis; quare per eundem virtualiter actum cognoſcit Deus, quid ſub propriæ libertatis hypotheſi ſit facturus, & quid ſub hypotheſi auxiliorum, & libertatis factura eſt creatura. Inde infert: poteſtatem, & libertatem divinam donandi auxilium inefficax, non poſſe conſtitui per ſcientiam mediam ineffacaciæ. Ratio eſt clara in ſuis principijs: nam ſi ſcientia media inefficaciæ auxilij conſtitueret libertatem illud donandi; cum hæc ſcientia media identificetur etiam virtualiter cum ſcientia, qua cognoſcit Deus, *Quod ſi exiſtat talis divina libertas, exiſtet auxilium*; ſcientia abſolutè connexa cum collatione auxilij inefficacis conſtitueret libertatem divinam: ſiquidem dem ſcientia media inefficaciæ eſſet ſcientia *reflexa* de collatione auxilij ſub poteſtate conſtituta per ſcientiam mediam *directam*: complexum autem ſcientiæ mediæ, & purificationis conditionis connectitur abſolutè cum conditionato; ideòque ſi ſcientia media *directa* de auxilij inefficacia conſtitueret divinam libertatem illud conferendi, ſcientia conſtituens libertatem divinam donandi auxilium, eſſet complexum ſcientiæ mediæ affirmantis, *quod ſi exiſtat ſcientia media directa, exiſtet collatio, & inſuper purificatio conditionis talis ſcientiæ*, quo penitus everteret divina libertas.

16 Nè ergo hoc contingat: dicendum est: scientiam mediam de ineficacia auxilij, non constituere divinam libertatem illud conferendi: neque esse in signo apto retrahendi ab eius collatione: quod si ita est (inquit) manet expeditum, quomodo Deus sit beneficus in collatione auxilij inefficacis: etenim, licèt Deus sit instructus scientia media proponente auxilij inefficaciam; cum tamen scientia media non existat in signo apto ad retrahendum; Deus ita confert auxilium inefficax, vt non possit retrahi ab eius inefficacia; ac per consequens tollitur omne impedimentum divinæ beneficentiæ. Hæc est solutio acutissimi Magistri, quæ, cæteris omissis, ex eo tantum capite mihi displiceret, quia plura habet necesse firmare, quæ sub magna controversia sunt, & pro solutione vnius difficultatis multis alijs ad scientiam, & libertatem divinam spectantibus, se implicare.

¶ Non est substinenda: primò. Nam tota sistit in eo, quod scientia media *inefficaciæ* non dirigat decretum collativum auxilij inefficacis, nec sit in signo apto, vt ab eo valeat retrahere: quod, vt semel, & iterùm monui, præcisse potest conducere ad quandam benevolentiam affectivam ex parte Dei; non vero pro beneficio in re pendenti ab eo, quod id alteri collatum sit ipsi bonum, & commodum in his circunstantijs, in quibus confertur: quod, si ita sit, non nocebit circunstantiarum cognitio respectu conferentis; contra verò, si in re commodum non sit, defectus cognitionis salvabit affectum; sed non effectum beneficij.

17 Secundò: per hanc sententiam penitus destruitur scientiæ mediæ necessitas, vt prædestinationis, & providentiæ constitutivæ; necnon eius directio: quia sicut scientia media *inefficaciæ* non potest constituere libertatem, & providentiam conferendi auxilium inefficax, propter virtualem identitatem cum scientia media actuum divinorum: sic scientia media *efficaciæ* nequibit constituere libertatem divinam donandi auxilium efficax propter similem identitatem cum scientia media repræsentativa sub hypothesi divinæ libertatis conferendi auxilium actus collativi ipsius, quæ semper, ac confertur auxilium efficax, debet existere: vnde corruit etiam specialis beneficentia, quam Deus potest exercere in collatione auxilij efficacis, præ inefficaci. Patet: nam, vt Deus sit beneficus specialiter in collatione auxilij efficacis, opus est: cognitionem specialis beneficentiæ, & efficaciæ, esse in signo apto ad alliciendum, & iuxta plures, quod in re alliciat: ast si scientia media *efficaciæ* non constituat potestatem liberam donandi auxilium, non est in signo apto, vt alliciat efficacia: ergo nec Deus potest esse specialis benefactor in collatione auxilij efficacis; verum impotens erit, vt aliter, quam modo quodam generali, & omnibus æquali per auxiliorum collationem benefaciat.

18 Tertiò. Principium illud assumptum, seu suppositio de scientia media divinorum actuum non est adeò inconcussa, vt princeps nostræ Scholæ Pater Molina eam non negaverit, contendens esse contra scientiæ mediæ conceptum eam admittere: deinde ea admissa, vt communior nostrorum fert sententia, & ratio ipsa videtur convincere, restat non leve dubium inter Recentiores. An possit attingere *suspensivè* hypothesim, quæ defacto existit; quod si non possit, vt plures dicunt cum Patre Iunio, deficit caput, vt excludatur scientia media *inefficaciæ*, quæ defacto datur à constitutione libertatis conferendi auxilium inefficax: nam etsi idētificetur virtualiter cum scientia media divinorum actuum, hæc scientia est de hypothesi non existente. Vnde cessat inconveniens constituendi actum primum liberum per aliquid connexum determinate cum vno libertatis extremo. Ex quo colligitur, quod vt perveniamus ad intentum Authoris, plura sunt devoranda; tum cum difficultate; tum cum inconvenienti in Societatis doctrina; & demum post tot rerum discrimina, venia tanti Magistri, ferè intacta relinquitur difficultas, quam solvere nititur.

19 Vera difficultatis solutio sit. Deum esse beneficum in colatione auxilij inefficacis, quia licet illud conferat creaturæ, prævidens eius abusum ex peccato committendo; Deus non est causa peccati; sed solius sufficientiæ ad illud vitandum, quæ bona est creaturæ in omni circunstantia. Explicatur sub hac forma: Ille est beneficus alteri, qui per suum affectum donat illi, & tribuit rem ex se convenientem, nil mali conferens, aut causans: sed Deus conferens auxilium Petro v.g. præsciens ma-

malum vsſum illius ex peccato, confert illi per affectum, & actum ſuæ voluntatis rem ex ſe convenientem Petro, nihilque mali in ipſo cauſat: ergo Deus conferens auxilium inefficax, etiam ſi ſciat eius inefficaciam, eſt beneficus in collatione illius. Diſcurſus eſt legitimus, & maior apparet certa: nam quis poteſt eſſe alteri beneficus, niſi qui confert illi bonum, & nil mali: nam ſi beneficus reputari debêt, qui plus boni; quàm mali alteri confert, potiori titulo erit beneficus, qui per ſuum affectum, bonum, & nil mali in altero cauſat. Probatur minor. Deus conferens auxilium præſciens eius inefficaciam, præciſſe confert, & cauſat entitatem auxilij ex ſe bonam, & convenientem Petro, vtpotè ſupernaturalem, & continentem ſufficientiam ad obtinendam vitam æternam: ergo præciſſe bonum, & nil mali cauſat. Probatur antecedens. Si aliquid mali Deus in Petro cauſaret, maximè abuſum illius: ſed Deus conferens auxilium inefficax, præſciens eius inefficaciam, non eſt cauſa abuſus illius, & peccati: tum propter ſuum ſupremum dominium, ex quo non tenetur evitare peccata: tum quia ad illud non determinat, nec ponit aliquid ex ſe ordinatum, ſivè *phyſicè*, ſivè *moraliter* ad exiſtentiam illius: ergo Deus conferens auxilium Petro, præſciens malum vſum illius ex peccato, bonum, & nil mali confert in ipſo.

20 Confirmatur. Aut Deus non poterit permittere peccatum, aut ipſum permittens, malum illius non cauſat: ſed Deus conferens auxilium cum præſcientia mali vſus, *purè permiſsivè* ſe habet in malum peccati: ergo Deus conferens auxilium cum præſcientia mali vſus, nullo modo cauſat malum peccati: ſed omne, quod eſt vltra peccatum, bonum eſt creaturæ: ergo Deus conferens auxilium inefficax, nil mali cauſat, & bonum præbet: ſed præbere bonum alteri, & nil mali, eſt benefacere: ergo conferre auxilium inefficax, eſt benefacere.

21 Hinc patet diſparitas ad caſum conferentis alteri enſem, cum ſciat in eis circunſtantijs abuſurum illo in proprium damnum, in quo tribuens gladium non eſt beneficus; quia propter obligationem, quam habet impediendi illud damnum, conſtituitur cauſa illius per non ſubſtractionem enſis. Vnde conferendo illum; plus mali confert; quàm boni; melius eſt enim alteri carere gladio, & conſervare vitam; quàm poſſidendo gladium, eam perdere; Deus vero cum per non impeditionem peccati non conſtituatur cauſa illius, quia propter ſuum ſupremum dominium immunis eſt ab omni obligatione non permittendi peccatum, vnicè cauſat, quod eſt alteri bonum, ſcilicet ſuffiicientiam obtinendi æternam ſalutem; propterea que eſt beneficus in collatione auxilij inefficacis.

22 Nec dicas: ideo dari obligationem non conferendi enſem in circunſtantijs mali vſus, quia per illius donationem ſimul cum cognitione mali vſus conſtituitur cauſa illius: quarè ſi Deus conferat auxilium, præſciens malum vſum futurum, erit cauſa illius, ac proinde habebit ſimiliter obligationem, aut impoſibilitatem conferendi illud. Quia obligatio non præſupponit cauſalitatem mali; ſed potius mali cauſalitas, aut præſupponit, aut conſtituitur per obligationem; quod ab omnibus eſt concedendum in eo, qui præſciens malum aliquod futurum, quod impedire poteſt, ipſum non impedit propter maiora mala, quæ noſcit eventura ex impeditione: qui intantum cenſetur cauſa *purè permiſiva* illius damni minoris, in quantum abeſt ab illo obligatio illud impediendi, quæ non abeſſet, ſi non impeditio circunſtantiarum cum pravo vſu coniungendarum eſſet perſe cauſatio illius mali; cum non ſint facienda mala, vt veniant bona.

23 Replicabis: conferre alteri aliquid ex ſe bonum, & conveniens in circunſtantijs, in quibus eſt coniungendum cum maximo malo illius, non eſt benefacere, etiam ſi conferens non ſit cauſa mali: ergo quod Deus conferat auxilium ex ſe bonum; coniungendum tamen cum malo peccati, etſi ſine influxu aliquo, pluſquam *permiſionis* ex parte Dei, non eſt benefacere. Antecedens probatur in eo, qui invitaret reum ad cenam, cognoſcendo inde capiendum à Iudice ad extremum, & capitale ſuplitium: qui beneficus non eſſet ratione circunſtantiarum, etſi alterum invitare ad cenandum, eique cenam præbere, ſit ex ſe conveniens: ergo conferre alteri aliquid ex ſe bonum in circunſtantijs, in quibus eſt coniungendum cum maximo malo *citra mali cauſationem*, non eſt beneficium. Reſpondeo: dupliciter poſſe intelligi invitationem illam, vnde pro-

ve-

veniat delinquentis aprehensio. *Primo*: ita vt per eam impediatur potestas se liberandi à ludice, & effugiendi captionem. *Secundo*: non auferendo potestatem elabendi; sed potius relinquendo expeditissimum reum, vt extremum illud periculum evitaret. *Si primo modo*: verum est invitantem non esse beneficum; sed quid mirum si constituit invitatum in necessitate mali, quod etsi non causet *imputabiliter ad culpam*; tamen *verè* causat; secus si *secundo modo*: qua ratione se gerit Deus conferendo auxilium, ex quo alter sumit occasionem peccandi, non ex necessitate, & determinatione conferentis; verum ex abusu liberrimo accipientis; qui per tale auxilium potest pro suo nutu se à malo peccati liberare, & bono auxilij bene vti.

24 Objicies primo: Deus conferens auxilium inefficax, est necessitatus, vel ad illud conferendum, vel ad impediendum peccatum: ergo est necessitatus, vel ad conferendum bonum impeditionis peccati, vel ad conferendum bonum auxilij: sed ideo non est beneficus in collatione auxilij: ergo Deus conferens auxilium inefficax., non est beneficus. Probatur minor. Non est beneficus respectu alterius, qui necessitatus ad conferendum alteri bonum, illi confert minus, quod potest: sed ex duobus illis bonis, ad quorum vnum Deus est necessitatus, collatio auxilij est minus bonum, quod potest conferre: ergo non est beneficus in collatione auxilij. Probatur minor. Exitentia peccati est longè maius malum; quam carentia auxilij: ergo exitentia auxilij est longè minus bonum; quam impeditio peccati. Probatur consequentia. Carentia *mediocris mali* est longè minus bonum; quam carentia *maximi mali*: sed exitentia auxilij est defectus carentiæ sui, quæ est *malum mediocre*; & carentia peccati est defectus illius, quod est *maximum malum*: ergo exitentia auxilij est longe minus bonum; quam impeditio peccati, quæ, si Deus non conferret auxilium, daretur.

25 Potest responderi primo. Negando antecedens entimematis positi pro maiore. Quia Deus, vel potest impedire peccatum per carentiam libertatis, vel potest conferre auxilium supernaturale coniungendum cum peccato, vel denique auxilium, & libertatem purè naturalem coniungendam similiter cum peccato; ex quibus minus, quod potest conferre, est vltimum: vndè conferendo auxilium inefficax supernaturale non confert minus, quod potest. Responderi potest secundo, loquendo de casu particulari hominis exitentis in peccato in instanti *A*; quod, etsi Deus sit necessitatus in *B* ad conferendum auxilium inefficax ad pœnitendum de peccato commisso, vel ad impediendam libertatem, qua videt perititurum in eadem voluntate peccaminosa; potest tamen dupliciter libertatem peccandi impedire, vel *aufferendo vitam*, vel *illam conservando*, vt postea pœniteat: in quo casu licet conferre auxilium, sit minus bonum; quàm impedire libertatem, conservando vitam; non vero; quàm impedire libertatem, auferendo vitam, per cuius ablationem æternè damnatur: ergo conferre auxilium, quo possit pœnitere; etsi non sit coniungendum cum pœnitentia, non est conferre minus, quod potest.

26 Responderi potest tertio. Quod licet peccatum sit maius malum; quam carentia auxilij; propterea quod illud sit maius malũ, quam bonũ est existere auxilium sufficiens; at carentia peccati non est, tàm bona; quàm est bona exitentia auxilij, quod constituit potestatem inducendi carentiam peccati, & coniungendi carentiam *maximi mali*, cum carentia *minoris*: sic, licet damnatio ex peccato sit maius malum; quàm carentia Beatitudinis, exitentia huius est maius bonum; quàm pura carentia damnationis: sic etiam peccatum est maius malum; quàm carentia vnionis hypostaticæ, nec ideo vnio hypostatica est minus; sed maius bonum; quàm pura carẽtia peccati. Ex quibus ad vltimum syllogismum. Distinguo maiorem. *Pura* carentia *mali mediocris* est longe minus bonum; quam carentia *maximi mali*: concedo maiorem. Carentia *mali mediocris quæ non est purè talis; sed simul potestas inducendi defectum mali maximi*: nego maiorem. Et distinguo minorem. Exitentia auxilij est defectus carentiæ sui, *& simul potestas excludendi malum peccati*: concedo minorem. Exitentia auxilij est defectus *purus* carentiæ sui: nego minorem, & consequentiam.

27 Objicies secundo. Maximum beneficium est, Deum rapere iustum, quem prævidet lapsurum, si diutius vivat: ex quo commendatur bonitas Dei, & benevolentia erga ipsum iuxta illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*: ergo non est æquale be-

beneficium prorrogare illi vitam, & conferre sufficientiam coniungendam cum futuro lapsu, & damnatione: ergo similiter: maius beneficium erit impedire peccatum alicuius per subtractionem auxilij; quàm conferre sufficientiam cum prævisione pravi vsus illius; alias Deus beneficentius se gereret, conservando vitam Iusti, & conferendo illi potestatem, qua esset lapsurus; quam ipsum è vivis rapiendo: vnde vana redderetur commendatio divinæ beneficentiæ ex iusti raptu.

28 Respondet Pater Herrera. Deum denegare auxilium sufficiens ex intentione impediendi peccatum hominis, quem diligit, esse maius beneficium; quàm conferre illi auxilium sufficiens; & de hoc beneficio loqui Scripturam; at Deum denegare auxilium sufficiens ex alio motivo distincto à peccati impeditione, non esse maius beneficium; quam conferre auxilium sufficiens; quia, licet non sit adeo beneficus, ac esset, si denegaret auxilium ex motivo impediendi peccatum; est tamen magis beneficus, ac esset, si impediret exiitentiam auxilij ex alio motivo; qui modus operandi est vltimus terminus libertatis conferendi auxilium. Solutio hæc mei doctissimi, & venerandi Magistri difficilis redditur.

29 Primo: quia se transfert à beneficio sumpto *ex quantitate doni collati*, ad beneficium sumptum *formaliter ex parte affectus*: quod videtur quæstionem deserere in qua, nisallor, quod inquiritur, est: *an ex parte rei melius sit homini vocari auxilio sufficienti; quam illo carere, & per eius carentiam impediri à peccato?* Pro quo nil facit affectus: nam si in re mihi peius, aut non tàm bonum sit habere auxilium; quàm illo carere, affectus, quem Deus habeat benefaciendi per auxilij collationem, erit chymæricus. Secundo. Quia eodem iure posset dicere: Deum esse beneficum in collatione auxilij inefficacis *comparativè*, non solum ad puram impeditionem auxilij; verum etiam *comparativè* ad collationem auxilij efficacis: cum hoc valeat Deus conferre ex motivo distincto à bono illius, cui confertur. Tertio. Nam eadem doctrina ductus non deberet absolutè proferre: impedire auxilium ex motivo impediendi peccatum, esse, maius beneficium; quàm conferre auxilium sufficiens: nam si hoc conferat, vt de facto confert ex motivo benefaciendi, & impediendi peccatum; nullum erit fundamentum, vt asserat: esse maius beneficium non conferre auxilium ex motivo impediendi peccatum; quam illud conferre ex eodem motivo. Nec recurrat ad voluntatem efficacem boni, quæ in casu subtractionis auxilij datur per impeditionem peccati, & deficit in collatione auxilij coniungendi cum malo: quia etsi deficiat voluntas efficax circa carentiam peccati, exiitit circa bonum auxilij, & potestatis evitandi peccatum; quod iuxta ipsum melius quid est; quam *pura* carentia peccati.

30 Prima huius difficultatis solutio est, quam iam insinuavimus, quamque tradit Pater Iunius, dicens: verum esse; rapere iustum, impediendo illi per subtractionem vitæ, futurum lapsum, esse maximum beneficium, & superius ad conservationem vitæ, & libertatis supernaturalis coniungendæ cum peccato; cæterum hoc non impedire; quod conservatio vitæ, & libertatis supernaturalis sit beneficium *maius comparativè* ad aliud extremum *minus*, quod Deus poterat iusto illi conferre; scilicet *conservationem vitæ, & libertatis purè naturalis cõiungendæ cũ peccato*: neque enim, vt quis sit beneficus, est necessarium conferre maius, quod potest; sed non conferre minus quod potest, & id, cuius quicumque defectus erit convenientior subiecto; quàm exiitentia illius, quod defacto tribuitur; quæ doctrina translata ad auxilium inefficax, probat similiter: Deum esse beneficum in illius collatione *comparativè* ad libertatem purè naturalem, quam poterat dare, etsi non *comparativè* ad impeditionem peccati.

31 Respondendum secundo. Impeditionem peccati aliam esse purè talem; aliam verò, quæ simul *est perseverantia finalis*; quia præsupposita gratia, removet omnem occasionem peccandi, & ponit in statu infallibilis assecutionis Beatitudinis. Impeditio peccati, de qua loquitur Scriptura, est illa, quæ non sistit in *pura* impeditione peccati; sed vltra addit perseverantiam finalem; & hæc impeditio iurè commendatur, vt maximum beneficium excedens in ratione *boni* collationem auxilij sufficientis: quod quidem in causa non est, vt auxilium sufficiens non sit maius beneficium; quàm pura carentia peccati per impeditionem libertatis, & quæ non afferat finalem perseverantiam; vt autem Deus sit beneficus in conferendo auxilio inefficà-

ficaci, non opus est, vt diximus; in tali collatione cotineri maius beneficium, quod facere potest; sed quod contineat maius bonum; quam aliud extremum, quod pro sua libertate posset eligere: scilicet *puram impeditionem peccati per carentiam sufficientiæ ad bene operandum.*

32 Replicabis immediate: ergo Deus non est beneficus conferens auxilium inefficax in vltimo instanti vitæ homini habenti gratiam. Probatur sequella. In eo casu Deus per impeditionem auxilij conferret perseverantiam finalem: deinde non remanet aliud extremum pro libertate Dei elegibile; quam collatio auxilij sufficientis longè distans in bonitate *respectiva* ab impeditione peccati. ergo tunc non erit beneficus, cum non sit talis, qui conferat id, cuius omne non ipsum non sit melius accipienti; quam ipsum. Nego sequellam: nam etsi Deus comferens auxilium purè sufficiens, non sit beneficus in illo casu *respectivè* ad suppositionem gratiæ; ast *absolute* beneficus est; tum quia posset antecedenter impedire peccatum illius instantis per ablationem libertatis impeditione coniuncta cum permissione peccati in instantibus antecedentibus, quo casu, melior est collatio auxilij sufficientis; quam mera impeditio peccati; tum quia Deus poterat in eodem instanti conferre auxilium *naturale* sufficiens ad evitandum peccatum, quamvis non ad merendum, quo certe melius est auxilium *supernaturale* sufficiens: vndè apparet, restare aliud extremum divinæ libertatis minus congruum accipienti; propterea que Deum esse beneficum; cum conferat grotiosè aliquid indebitum accipienti, cuius aliquod oppositum, ad cuius non existentiam ius non habet creatura, quodque deterius ipsi esset, posset existere.

33 Obijcies tertio. Verba illa Christi Domini Mathæi capite 26. in quibus loquens de Iudâ Proditore, dixit: *væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Inquibus clarè videtur asserere: melius, & optabilius illi fuisse carentiam libertatis tradendi suum Magistrum; quàm sufficientiam, vt ei tànquam bonus discipulus inserviret: melius ergo quid est ex assertione Christi Domini, carere peccato; quàm habere sufficientiam ad illud evitandum, & beatitudinem assequendam: igitur beneficium non potest esse collatio auxilij sufficientis. Verba hæc quidem quoad intellectum difficilia: nam quomodo melius potest esse alicui id, quod subiectum, cui sit bonum, non haberet? Si autem Iudas non natus esset, nec Iudas esset: vnde ergo præstantia beneficij Iudæ facti, si Iudas cum beneficio non esset? Propter quod dixerunt aliqui; *etiam si Iudas natus non fuisset, dummodo conciperetur, & animaretur, manere subiectum, cui melius esset non nasci*: Christus autem non dixit melius ei, & convenientius fuisse, si nunquàm extitisset; sed melius, & convenientius, si cum extitisset, non fuisset natus, in quo statu habuisset bona naturalia sine malis; quod sufficiens videtur ad extricandam eam difficultatem, quamvis à magno Interprete Maldonato non probetur, qui in modis loquendi vulgaribus horret tantam Scholasticam subtilitatem.

34 Sit solutio: comparationem factam à Christo Domino non esse inter impeditionem peccati proditionis, & sufficientiam impediendi illud *secundum se* sumptam; sed prout coniunctam cum peccato, qua ratione verissimum est: melius quid esse impeditionem peccati per carentiam libertatis; quam sufficientiam ad illud evitandum: nam sufficientia *reduplicativè*, prout coniuncta cum peccato, est *maximum* malum, id est coniunctum ex ipsa, & peccato includit *maximum* malum: quarè quid mirum, quod carentia, & impeditio *maximi* mali melior sit subiecto ipso malo? At impeditio peccati per carentiam libertatis non est maius bonum; quàm auxilium sufficiens *specificative* acceptum, de quo loquimur, & dicimus, esse beneficium: nec Christus vllo modo vsus est hac comparatione includente ex vna parte impeditionem peccati per carentiam libertatis, & ex alia auxilium sufficiens ad merendum, & evitandum peccatum.

35 Vel dicatur Secundo expeditissimè ex citato Maldonato: verba illa, quibus vsus est Christus Dominus, continere loquutionem *proverbialem*, & sumptam de vulgo, in quibus ad explicandam magnitudinem mali, involvitur aliquid hyperbolicum. Sic apud Iob capite 3. & capite 10. legitur: *quare non in vulva mortuus sum? Egressus ex vtero non statim perij? Quare de vulva eduxisti me? Qui vtinam consumptus essem, nec oculus me videret; fuissem, quasi non essem de vtero translatus ad tumulum.* Et apud Ieremiam capite 20. *Pereat dies, in qua natus sum;* quæ-

qui-

quidem non significant strictam comparationem inter vnum, & aliud malum; cum certum sit, nec Iobo, nec Ieremiæ convenientius fore extinctos esse in vtero Matris; quàm pati, quæ patiebantur; verum significant mali magnitudinem, quæ per exaggerationem meretur explicari: vel si *strictam* comparationem continet, est comparatio facta ex indeliberato iuditio, propter doloris vehementiam: vndè Christus loquens non tantum de Persona; sed in Persona Iudæ, se explicuit; sicut ipse positus in tormentis propter suum execrabile delictum explicandus erat malens sui *esse* defectum; quàm tot crutiatuum perpassionem. Pro quo confirmando, vltimò accutissimè notat: non dixisse Christum absolute *bonum futurum fuisse, vt Iudas non nasceretur; sed bonum futurum fuisse ei*, id est, eius opinione, & perturbato iuditio; quemadmodum multis aduersa patientibus melius, & optabilius est mori; quam viuere; non quia ita absolutè sit; sed quia ipsi ita reputant.

36 Obijcies quarto. Verba satis difficilia Augustini de Gratia Christi capite 8. aientis: *vsque adeo aliud est lex, aliud est gratia, vt lex non solum nil prosit; verum etiam obsit, nisi adiuvetur gratia*: quasi dicat; melius esse carere lege sine peccato; quam habere notitiam legis constituentem potestatem eam obseruandi in circunstatijs in quibus ob defectum gratiæ coniugetur cum violatione legis notitia, quod assertum fundari videtur in verbo Apostoli ad Romanos capite 7. *Vbi non est lex, nec prævaricatio; & concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces*: ergo similiter: auxilium sufficiens, non erit gratia, nec beneficium, quia ipso deficiente, non esset peccatum, & ipso dato, peccatum non deerit.

37 Respondeo: quod quid quid sit de intelligentia verborum Diui Augustini, certum est ex mente ipsius Sanctissimi Doctoris: auxilium sufficiens, non modo esse gratiam, & beneficium; sed maximam gratiam, qualis fuit in Adamo adiutorium: quo fuit donatus ad perseuerandum, quodque ex determinatione arbitrij per peccatum deseruit; consulatur libro de Correptione, & Gratia capite 11. vnde constat iuxta ipsum: non esse paritatem à lege ad gratiam sufficientem, præcipue, cum pura notitia legis non det vires ad obseruationem, sicut auxilium sufficiens ad bene operandum. In explicatione autem verborum Diui Augustini non parum insudarunt alij, quorum explicatio semper manet difficilis: mihi videtur intelligendus, quasi per exagerationem loquutus, volens significare; distare tantum legis notitiam à coniunctione illius cum gratia præbente vires ad obseruationem, vt ipsa sola possit reputari cum ea distantia, quam habet nocivum ab vtili, & proficuo: modo quo in Scriptura explicatur distantia, quæ datur inter bonitatem, & veracitatem diuinam comparatas cum bonitate, & veracitate creatis per terminos *Veracitatis*, & *bonitatis*, & *defectum omnis bonitatis, & veracitatis*. Ideoque dicitur. *Nemo bonus nisi Deus*, & *omnis homo mendax*, non quia non sint alij boni, & veraces præter Deum; sed quia tanta est distantia inter vnam, & aliam bonitatem, inter vnam, & aliam veracitatem, vt per terminos *non bonitatis*, & *veracitatis* ex vna parte, & *bonitatis*, & *veracitatis* ex alia possit explicari.

38 Obijcies quinto. Non potest esse beneficium elargitio rei, cuius carentiam ille, cui confertur, prudentissime malet: sed nemo prudenter anteponeret existentiam auxilij sufficientis carentiæ illius, quin potius in quantum valeret, esset constrictus petere à Deo carentiam illius, & hanc præ illo libentissimè amplecti: ergo beneficium non potest esse collatio auxilij inefficacis; cum sit contra rationem beneficij æstimabiliorem esse secundum prudentiam, & rationem rectam carentiam præ *esse* illius. Dubitat multum Pater Herrera: an qui sciret se abusurum auxilio, prudenter desiderare posset carentiam talis auxilij præ auxilio; ponitque casum, in quo Deus alicui reuelasset, quod si ipsum adeo amaret, vt in terram propter illum descenderet, & alijs signis vsquead subeundam mortem amorem suum ostenderet, decideret in peccatum ingratitudinis, quo tot beneficia parvipenderet, nolens exhibere gratias; videtur rationabilius posse hominem illum petere à Deo, vt sibi conferret tot beneficia, seque amaret, & per talia signa amorem ostenderet; quàm carentiam tàm singularis amoris, & beneficentiæ, quamvis coniungendæ cum illo peccato: sed nihilominus videtur dubium solvendum propter petitionem orationis Dominicæ, in qua quod rationabilius est, petimus, dicendo: *& ne nos inducas intentationem; sed libera nos à malo*:

vbi

vbi sine discrimine videtur anteferri impeditio peccati, quomodocumque sit, permissioni illius.

39 Ad argumentum neganda est maior, ex qua tota difficultatis apparentia descendit: non enim est bona consequentia: *est maius beneficium respectu creaturæ collatio alicuius doni per se causabilis à Deo; quàm carentia illius: ergo illud præ hac potest optari à creatura*: sic licet permissio peccati sit sæpe numero iuxta communem sententiam effectus prædestinationis, & vt talis melior ipsa; quàm non ipsa creaturæ; non ideo est expetibilis ab hac permissio peccati; sed oppositum à Deo petendum. Rationem huius præbuit Izquierdo Tomo 2. de Deo disputatione 43. quæstione 3 propositione 2. Nam creatura obligata est, in quantum possit, ad removendum suum peccatum; non tantum *proximè*; verum etiam *remotè* in occasione quavis, vnde videatur infallibiliter proventurum; cumque auxilium inefficax, & peccati permissio sit occasio, quàm accipiet creatura ad peccandum, & ideo infallibiliter cum peccato coniungendam; tenetur, in quantum possit, ipsam impedire: quod non faceret, si existentiam auxilij sufficientis præ carentia illius à Deo peteret.

40 Dices: hanc rationem non videri firmam ex doctrina, quàm cum Divo Thoma 2. 2. quæstione 1. articulo 9. tenent Sotus, & alij graves Theologi: scilicet ex causa gravi iusta, & honesta licitum esse se exponere periculo proximo peccandi, ex qua doctrina inferunt: posse Catholicum cum periculo pervertionis infideles adire, ne eorum filij sine baptismo decedant, & alia id genus, quæ videri possunt apud Oviedo tractatu 6. de Vitijs, & Peccatis controversia 3. quæstione 9. à numero 154. quod si ita est, poterit quis iustissimè, & honestè se constituere in casu auxilij inefficacis, illud, quatenus est ex se, optando; quamvis videat peccatum suum inde futurum, cohonestante petitionem hanc, & desiderium honestissima causa experiendi in se divinam beneficentiam per collationē maioris beneficij: vnde resurgere videtur scrupulus ille Patris Herrera; ec dicendum: posse quem exoptare, & eligere auxilium sufficiens præ carentia illius: nàm si ipsum periculum proximum peccandi potest licitè amari propter bonum inde sequutum; multo magis auxilium inefficax, quod ex se à peccato avertit, & tantum est coniungendum cum peccato ex voluntatis abusu.

41 Vt in instantia cautè procedamus, revocandæ sunt in memoriam propositiones duæ damnatæ à Sanctissimo D. Innocentio Vndecimo, quæ sunt 62. & 63. quarum prima: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua vtilis, aut honesta non fugiendi occurrit*: secunda: *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi*: ex quibus patet non ita late esse accipiendam licentiam se constituendi in periculo peccandi, vt non egeat multis modificationibus post accuratum examen: quæ appenuntur à prædictis Authoribus, sequentes sunt, in quibus continetur clara disparitatis ratio ad præsentem casum. Dicunt primo. *Bonum spirituale semper, cæteris paribus, esse præferendum.* Secundo. *Bonum spirituale proprium, cæteris paribus, esse anteponendum alieno.* Tertio. *Quod in tantum quis potest se exponere periculo etiam proximo mali spiritualis proprij propter evitationem mali gravis spiritualis, aut temporalis alieni; in quantum malum grave alienum certum sit ex omissione nostræ actionis; & periculum, quod in me datur, non censeatur infallibiliter coniungendum cum malo spirituali proprio: imo ex honestate causæ sperari possint à Deo auxilia tàm valida, quibus periculum ex formali convertatur in materiali.*

42 Quæ omnia dissimilima sunt in casu auxilij sufficientis. *Primò*: quia etsi bonum auxilij præponderet bono carentiæ illius, malum peccati infallibiliter futurum præponderat bono auxilij; ideoque teneor, in quantum possim, illud à me avertere. *Secundo*: quamvis bonum ex auxilio sit certum, malum ex peccato futuro maius est; quam bonum auxilij, & æque certum: vnde mihi debet prævalere evitatio illius damni respectu boni auxilij. *Tertio*. Auxilium sufficiens est ita infallibiliter coniungendum cum peccato, vt nulla sit spes impetrandi à Deo per desiderium obtinendi auxilium inefficax, auxilia alia, quibus peccatum evitetur; tum nequeat prudenter sperari per assecutionem ipsam illius, quod intendo, destructio illius, qualis esset, si auxilium sufficiens converteretur in efficax.

43 Obijcies sexto. Non est beneficus respectu alterius, qui etsi conferat alteri aliquod bonum, per ipsam collationem constituit complexum, ideò

nul-

malum, vt præponderet bonitati doni: sed Deus sic se habet, conferens auxilium inefficax: ergo non est beneficus in collatione illius. Probatur minor. Deus conferendo Petro v. g. auxilium inefficax, constituit complexum, scilicèt *auxilium ineffícax, vt tale*, quod est accipienti magis malum; quam bonum auxilium *specificativè* acceptum: ergo Deus sic se habet in collatione auxilij sufficientis, vt per eius largitionem plus conferat mali; quàm boni. Probatur antecedens. Deus, supposita futuritione conditionata peccati, ponit auxilium, quod est vltima pars complexi auxilij inefficacis, *prout talis*: ergo Deus, conferendo Petro auxilium inefficax, constituit complexum, nimirum *auxilium ineffícax, prout tale*, quod est accipienti magis malum, quam bonum.

44 Respondetur. Non sufficere ad imputationem, & causationem *per se* alicuius complexi, præsupposita vna parte, ponere alteram, quæ vnicè restat ad constitutionem illius, nisi, aut ponatur ex tali intentione, aut sit obligatio impediendi complexum per impeditionem vltimæ partis: sic præexistente peccato Petri, non imputatur mihi ponenti actum charitatis complexum ex illo, & peccato, quod à pravo constitutivo malum est: tùm quia non amo Deum, intendendo constituere complexum malum; tum quia non habeo obligationem omittendi charitatis actum: neutrum igitur ex his invenitur in Deo, dùm confert auxilium sufficiens; quia nec illud confert ex intentione cõplexi resultantis ex auxilio, & futuritione conditionata peccati; sed ex intentione consensus, quem vult, & serio desiderat obtinere à creatura; neque propter supremum dominium tenetur non conferre auxilium, impediendo peccatum: ergo per positionem vltimæ partis complexi non constituitur causa *per se* illius.

45 Objicies septimò. Præviso infallibilis bonorum, quibus erit occasio auxilium efficax, auget illud in ratione beneficij: ergo præviso infallibilis malorum, quorum erit occasio auxiliũ inefficax, minuit ipsum in ratione beneficij: ergo si mala, quæ prævidentur, maximè superent convenientiam auxilij; nõ modo minuent; verumetiam extinguent convenientiam auxilij: at malum peccati, quod certò prævidetur eventurum ex collatione auxilij inefficacis, maximo excessu superat convenientiam auxilij: ergo non modò illam extenuat; sed extinguit, auferendo rationem beneficij. Solutio sit: distinguere inter occasionem *purè conducentem* ad effectum, qui prævidetur infallibiliter futurus, & occasionem *causantem per se* talem effectum: *occasio, quæ ex se non causat malum effectum*, qui sub ipsa prævidetur infallibiliter futurus, quique exiit ex puro abusiu accipientis, si in se bonum contineat, non minuitur in ratione talis per malum eventum infallibiliter futurum; cum ipsi tribui non possit; secùs verò erit, si tale malum causet: quarè elucet diversitas inter auxilium efficax, & sufficiens: illud enim causat per se bonum, quod prævidetur; ideòque augetur in ratione beneficij à bono subsequuto. Ast auxilium inefficax, cum non causet malum peccati, quod tantum permissivè provenit ab auxilio, non minuitur in ratione beneficij, nequè ob malum infallibiliter futurum *secundum se* acceptum, nequè *reduplicativè*, vt prævisum sub existentia auxilij.

46 Dices: si malum peccati non minuit auxilium inefficax in ratione beneficij, tantum beneficium contineret auxilium inefficax, quàm efficax: sed auxilium inefficax non est tantum beneficium, quantum efficax: ergo auxilium inefficax minuitur in ratione beneficij ex malo peccati infallibiliter futuro, & prævisо sub ipso; semel autem, quod minuatur à tali malo in ratione beneficij, non solum minuetur; verum propter excessum mali extinguetur. Respondeo. Auxilium esse considerandum in ratione beneficij *secundum intrinsecum*, & *extrinsecum*: si attendatur *secundum intrinsecum*; æquale beneficium est auxilium inefficax; quam efficax; & sub hac ratione nullo modo minuitur auxilium inefficax à malo peccati certò futuro sub ipso. Si *secundum extrinsecum*; nõ modo minuitur; sed extinguitur; quia cum carentia peccati penitùs auferatur per peccatum; nil boni relinquit impeditionis peccati: cæterùm hoc, quod probat, tantum est: auxilium inefficax, nõ esse tàm bonum subiecto; quàm efficax propter *extrinsecam bonitatem*, quam non participat; non verò, quod non sit bonũ *secundum se*, & melius; quàm pura ipsius carentia; quod sufficit, vt Deus sit beneficus in collatione illius.

47 Objicies octavò. Non est voluntas benevola, volũtas punitiva: sed voluntas collativa auxilij purè sufficientis multotiès est voluntas punitiva; cũ Deus deneget auxiliũ efficax, & conferat purè

sufficiens in peccatorũ pœnã: ergo Deus conferens auxilium inefficax, saltem aliquando non est beneficus. Probatur maior: voluntas punitiva infert malum, vt malum, & disconueniens ei, cui pœna infligitur, quod opponitur cum voluntate benevola tendente in bonum, qua tale, & vt conueniens accipienti: ergo non potest esse voluntas benevola, voluntas punitiva. Distinguo maiorem. Non est voluntas benevola, voluntas punitiva *Per puram carentiam maioris boni*: nego maiorem. Punitiva *per puram inflictionem mali*: concedo maiorem. Et distinguo minorem: voluntas collativa auxilij purè sufficientis, multoties est voluntas punitiva *per puram carentiam maioris boni*: concedo minorem. *Per puram inflictionem mali*: nego minorem, & consequentiam. Ad maioris probationem. Distinguo antecedens. Voluntas punitiva infert malum, vt malum, ei, cui pœna infligitur, quod opponitur cum voluntate benevola *respectu eiusdem termini*: concedo antecedens: *respectu diversi*: nego antecedens: & distinguo consequens: ergo non potest esse voluntas benevola, voluntas punitiva *respectu eiusdem termini*: concedo consequentiam *respectu diversi* nego consequentiam.

48 Doctrina solutionis est. Ad voluntatem benevolam tantùm requiri; per illam conferri maius bonum, quam malum, quod accidit semper, ac conferens tribuit bonum indebitum accipienti, & tantum denegat in pœnam maius bonum, quod conferre poterat: sic accidit in voluntate collativa auxilij inefficacis, quæ, etsi coniungatur, vel sit denegatio auxilij efficacis, quod vt maius bonum Deus poterat præstare, & defacto non præstat in pœnam peccati præcedentis; est tamen collatio auxilij indebiti, & cuius existentia melior est accipienti; quam eius carentia; ideoque simpliciter est voluntas benefica: neque quamvis sit eadem cum voluntate punitiva, includit aliquam repugnantiam; cùm sit *benevola* per collationem auxilij, & *punitiva*, prout respicit alium terminum, nempe carentiam maioris beneficij: qua ratione in eadem voluntate, qua Deus punit reprobos, coniungitur esse punitivam, & misericordem: *punitivam*, qua infligentem malum: *misericordem*, qua omittentem maioris mali inflictionem, quod iuste propter culpam infligi poterat.

49 Obijcies nonò. Conferat Deus, vt potest, & fortè defacto aliquandò contingit, auxilium inefficax consistens in cogitatione, quæ eadem indivisibiliter inclinet voluntatem ad actum bonum, & ad actum malum oppositum ex manifestatione delectabilitatis illius, magisque ad malum, quàm ad bonum ob maiorem vivacitatem propositionis circa delectabilitatem; quàm circa honestatem. Tunc sic: in tali casu Deus non erit beneficus in collatione auxilij talis conditionis: ergo sine discrimine non erit Deus dicendus beneficus in collatione auxilij inefficacis. Probatur minor. Tota bonitas auxilij stat in vtilitate ad bonum: vndè sicut vtilitas ad bonum est bonitas: sic vtilitas ad malum erit malitia: sed maior est vtilitas illius auxilij ad malum; quàm ad bonum propter maiorem inclinationem ad malum, ortam ex vivatiore propositione delectabilitatis: ergo maior est malitia illius auxilij respectivè ad subiectum; quàm bonitas: sed donum, in quo maius est malum; quàm bonum accipienti, non est id, per cuius collationem donans constituatur beneficus: ergo Deus conferens tale auxilium non erit beneficus.

50 Probat argumentum stando terminis ipsius: etiam in collatione auxilij efficacis posse Deum non esse beneficum; quia auxilium sub eisdem prædicatis potest esse efficax, gerens se voluntas sub ipso, sicuti quando resistit gravissimæ tentationi: tunc enim etiam magis inclinaret ad malum, quam ad bonum. Probat insuper, etsi cognitio alliciens, & retrahens distinguantur; Deum in conferenda libertate, quæ ex vivatiore propositione magis propendeat in malum, non esse beneficum, quamvis libertas sit supernaturalis, & sufficiens ad merendam gratiam, & gloriam. Probat denique: Deum posse esse causam *per se* peccati; quia, qui potest esse causa *per se* illius, quod per se inclinat ad turpe, potest esse causa *per se* mali, & turpis; quarè, aut debet distingui cognitio illa, quæ per se inclinat ad malum à cognitione, quæ per se inclinat ad bonum, aut Deus erit causa *per se* non minus cognitionis per se inclinantis ad malum; quàm per se inclinantis ad bonum.

51 Vt præscindamus modo à quæstione difficillima de Cognitionibus retrahentibus à bono, quæ per se inclinant ad malum, & de modo, quo tales cognitiones possunt à Deo causari.

vel

vel non causari, de qua latè Doctores in tractatu de Actibus humanis: vnde non levis resultat scrupulus circa identitatem cognitionis repræsentantis delectabilitatem obiecti prohibiti cum auxilio supernaturali. Respondendum est: bonitatem tàm *absolutam*, quam *respectivam*, sicuti, & malitiam non esse desumendam ex vtilitate ad bonum, aut malum: nam id, quod est in se pessimum tàm *absolutè*, quàm *respectivè* potest esse vtilissimum ad magnum bonum, vt constat in peccato gravi valdè vtili ad intensissimam pœnitentiam, ad quam non est vtilis continuata gratia in se valdè perfecta, & conveniens summè subiecto: & id quod in se est valdè bonū tā *absolutè*, quàm *respectivè* potest esse conducens ad maximum malum, vt anima, & libertas ad peccatum; quin talem habeat conducentiam animæ, & libertatis carentia vacua omni perfectione: aliunde ergo pensanda est bonitas, & excessus illius: scilicèt ex sufficientia ad bonum præter mali causalitatem: cum ergo illa cognitio propter intensiorem propositionem delectabilitatis magis vtilis ad malum; quàm ad bonum sit sufficientia causativa boni, & nullatenus causativa mali pluſquam *permissivè*, non est magis mala; quā bona; sed *simpliciter*, & *adæquatè* bona.

52 Vel aliter. Permisso, quod maior bonitas accipiatur ex maiore vtilitate ad bonum; quam ad malum, negatur: eam cognitionem esse magis vtilem ad malum; quàm ad bonum; quia vtilitas in ordine ad aliquid præcipuè desumi debet ex conducentia causationis, quæ est conducentia per modum dātis *esse*; ideòque, cum illa cognitio, etsi magis, & vivatius proponat delectabilitatem obiecti turpis; quàm honestatem obiecti boni, sit *per se* causativa boni, & tantùm *permissiva* mali; hæc conducentia causationis boni præponderat maiori claritati, qua proponit delectabilitatem mali. Nec confundatur maior expressio delectabilitatis obiecti turpis cum maiore inclinatione ad turpe; cum non sit idē magis exprimere, & magis inclinare, quandò cognitio nec *physicè*, nec *moraliter* ordinatur ex se ad turpe: sed potius vtroque modo ordinetur ad mali evitationem, & liberum consensum boni.

53 Obijcies decimò. Auxiliū inefficax est permissio peccati: sed permissio peccati non est beneficium; aliàs esset gratia per Christum, posseteque dici: Christum esse mortuum, vt nobis permitterētur peccata: ergo auxilium sufficiens non est beneficium, nec Deus in collatione illius beneficus. Argumentum instatur in communi sententia, in qua defenditur: permissionem peccati posse, & defacto esse effectum prædestinationis; qua ratione descendet ex meritis Christi, qui per ipsa est causa nostræ prædestinationis: insuper ab omnibus est solvēdum; cum negari nequeat, peccati permissionem esse *per se* causabilem à Deo, & ex motivo honestissimo eligibilem à Deo: quod, cùm ita sit, erit per se bona, & vt talis, conferibilis in præmium meritorum Christi: nec maior dissonantia erit in hoc; quàm in eo, quod punitio peccatorum possit esse ex meritis Christi: quare sicut respondent, qui dicunt: permissionem peccati esse effectum prædestinationis, dicendam gratiam per Christum; in quantum est occasio ad deletionem eiusdem peccati per pœnitentiam, & texendi seriem ne cessariam vsque ad perseverantiam finalem, & assequutionem beatitudinis per ipsam; sic dicam de permissione peccati, potùt includente sufficientiam ad excludendum peccatum, non vtcumque; sed supernaturalem, & constitutivam potestis operandi, potùt oportet ad gloriæ consequutionem.

CAPVT II.

Qua ratione cum eiusdem scientiæ mediæ necessitate, & præcedentia componatur: Deum consensum serio procurare in dissentiente.

54 SVpponimus: pro nunc esse in Deo voluntatem quandam antecedentem, & communem tàm reprobis; quàm electis, ex qua descendunt media sufficientia ad salutem cū procuratione ardente, & seria voluntate illius iuxta illud Apostoli 1. ad Tymotheum capitè 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: nec non suadere sub quovis medio rectā operationem, vt inquit idem Apostolus ad Corinthios 2. cap. 6. *Hortamur vos nè in vacuū gratiam Dei recipiatis*. & D. Petrus Epist. 2. cap. 1. ibi *Fratres sattagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Ex hac suppositione oritur non levis difficultas, quæ videtur deturbare

scientiam mediam à signo prioritatis *à quo*, vt eam stabilire conati sumus. Nam si scientia media inefficaciæ sit in signo priori, & apto, vt ex prævisa inefficacia retrahatur Deus à collatione auxilij; dum confert auxilium inefficax, nec procedet ex ardente voluntate salutis, quam supponimus; nec cum procuratione seria consensus sub ipso; verum ex imprudente, & fatua.

55 Suadetur id satis apparenter primò. Imprudenter desideratur id, quod evidenter cognoscitur non futurum: sed si Deus regularetur scientia media inefficaciæ, esletque hæc in signo apto ad retrahendum Deum à collatione auxilij; dum confert auxilium inefficax cognosceret infallibiliter coniungendum cum carentia consensus, & bonæ operationis: ergo impotens esset prudenter desiderare coniunctionem auxilij cum consensu, & bona operatione: ergo ne dicatur Deus, aut non desiderare consensum, quem ex Scriptura constat desiderare, aut non desiderare prudenter; fatendum est. pro signo priori ad collationem auxilij inefficacis non cognoscere illius inefficaciam.

56 Secundò. Conatus in assequutionem finis, ex quo descendit positio mediorum in ordine ad illum coniunctus cum cognitione frustrationis ex infallibili non existentia finis, qui intenditur, est conatus irritus frustraneus, & Deo indignus: sed Deus conferens auxilium inefficax cum cognitione infallibili non futuritionis consensus sub ipso, coniungeret conatum circa consensum, ex quo descenderet positio medij in ordine ad illum, cum infallibili præscientia non futuritionis consensus, quem intendit: ergo haberet conatum in consensum irritum, frustraneum, & Deo indignum.

57 Pari iure suadetur imprudentia, & fatuitas suadendi coniunctionem consensus cum auxilio. Nam, qui videt infallibiliter non futuram coniunctionem consensus cum auxilio, videt tam defuturam coniunctionem consensus, existenti auxilio, quàm non existenti: sed insanè tantùm, & imprudenter potest suaderi coniunctio consensus sub auxilio, quando infallibiliter cognoscitur tàm non extituram coniunc-iunctionem sub auxilio; quàm sub carentia auxilij: ergo si Deus prævidens infallibiliter defuturam coniunctionem consensus sub auxilio illam suaderet, non nisi imprudenter se gereret. Confirmatur proposita imprudentia, tàm in conatu, quàm in suasione consensus, qui cognoscitur infallibiliter non futurus, à paritate orationis, quæ cordarè fundi non potest pro eventu, qui præscitur certò nò futurus: quod, vt inquit Herrera, compro bat experientia ipsa; cùm videamus nemi nem ausum orare pro salute illius, quem certò scit esse damnatum: in cuius subsidium accedit authoritas Divi Augustini lib. 12. de Civit. Dei cap. 24. propè medium dicentis. *Si de aliquibus ita certa Ecclesia esset, vt, qui sint illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti; tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo; tàm pro eis non oraret, quàm neque pro ipso*: & quod plus est Scripturę tum Ieremię cap. 7. tom. 1. Regum cap. 16. vbi interdicitur oratio ex infallibilitate non assequutionis, Deo dicente Ieremiæ: *Tu noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi, quia non exaudiã te*: & Samueli, *vsquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum*? Ergo similiter infallibilitas defectus rei intentæ, & suasæ desiderium, & suasionem reddit tam fatua, & imprudentia; quàm inutilia.

58 Hæc est difficultas, quæ sicut, & præcedens non vnicè premit nostram sententiam; sed per omnes Scholas divagatur; ad eam vero declinandam recurrunt Ribadeneyra, & Aldrete ad suam retractionem scientię mediæ à signo priori divinæ libertatis proximæ ad conferendum auxilium, cum ea differentia iam supra insinuata, quod alter dicat: eam impeditionem scientię mediæ à signo priori esse Deo liberam; alter vero: esse Deo necessariam propter identitatem cum scientia media reflexa. Vtrumque modum iam reiecimus, cuius impugnationi nil restat addendum; quare ad quæstionis resolutionem progredior, quę nil exigit prętер solutionem propositarum rationum.

59 Ea non est difficilis, præmissa distinctione; quam tradidit P. Herrera in hoc puncto inter voluntatem *purè inefficacem, efficacem, & mediam inter vtrãque*: voluntas *purè inefficax* ea est circa aliquod obiectum, ex qua, licet aliquomodo quis inclinet in existentiam obiecti; tamen ex tenuitate affectus componibilis est cum nolitione efficaci illius, & cũ defectu mediorum; non tantum, quę previdẽtur efficacia in ordine ad illius consequutionem; verùm, & quæ cognoscuntur purè sufficientia. Voluntas, seu affectus *efficax* dicitur ille, qui adeo arden-

ter

ter tendit in obiectum, vt non sit componibilis, cum nolitione efficaci illius, neque cum exclusione, aut omissione mediorum, quæ cognoscuntur efficacia ad illius assecutionem. Voluntas *media* est, quæ neutrius totum, & cuiusvis aliquid participat: quia intendens in tali gradu affectus fertur in obiecti consecutionem, vt nec sit componibilis cum defectu mediorum sufficientium ad illud obtinendum, vt est voluntas *inefficax purè*; nec sit incomponibilis cum defectu finis ex parte intendentis; ita vt conveniat cum affectu *purè inefficaci* in non connexione cum existentia obiecti; & cum voluntate *efficaci* in connexione cum positione mediorum sufficiẽtium; discrepat verò *à primo*, per determinationem ad mediorum existentiam; & *à secundo*, per non determinationem ad existentiam mediorum efficacium, & per absolutam componibilitatem cum defectu finis etiam ex parte intendentis.

60 Neque est imperceptibilis hæc distinctio, & variatio affectuum, si supra ea, quæ in nobis quotidiana experientia cognoscimus, reflectamus; videmus enim aliquando ita segnitèr ferri in alicuius obiecti assecutionem, vt in vi affectus nil curemus de mediorum electione. Non sic aliquando, cum ita ardenter feramur in obiectum, vt omni mediorum difficultate spreta, ad eorum executionem animum applicemus: in alijs vero occasionibus media via ex parte affectus incedimus, & nec desideramus ita leviter obiectum, vt ad media non procedamus, neque adeò vigorosè, vt à difficultatibus non retardemur, volentes in tantũ finem, in quantum non sit laborioſum assequi; at respuentes, si cum anxietate, & nimia solicitudine sit acquirendus. Nec non in hoc vltimo affectu varios efficaciæ, & inefficaciæ gradus experimur pro maiore intensione difficultatis, iam pertingentes vsque ad difficultatem vt *quatuor*, iam vsque ad *sex*, iam in summa difficultatis remissione sistentes. Ex quo colligitur: non esse rectam illationem in voluntatis affectibus: *Voluntas ita tendit in obiecti assequutionem, vt quatenus est ex parte affectus sit componibilis cum carentia obiecti: ergo in illud aliquo ardore non tendit, neque illud serio procurat; sed purè inefficaciter, & quasi per quandam veleitatem in illud fertur*: quia potest esse affectus medius, qui, quatenus determinat ad mediorum electionem *sufficientium* ad illud obtinendum, est verè procurativus; & quatenus *efficacium* omissionem permittit, non est simpliciter, & absolutè efficax.

61 Præmittendum est secundo: scientiam infallibilem, quam Deus habet non futuritionis consensus sub auxilio, non fundari in imporportione mediorum ad finem; sed in abusu libero creatæ libertatis, quæ abutitur medijs ex se aptissimis ad bonam operationem. Inde, cum sit consequens exercitium liberum, cuius liberam potestatem constituunt media, quæ à Deo exhibentur, vt sit consensus; pro signo mediorum præscinditur ab illa; siquidem pro signo potestatis liberæ non potest esse aliquid connexum determinatè cum vno libertatis extremo, proindeque in signo mediorum verificatur; voluntatem creatam esse expeditissimam ad consensum, potentemque per illum impedire quidquid cum carentia consensus connectatur. Præmittendum est tertio. Deum in distributione auxiliorum sufficientium ad salutem se habere, vt Provisorem generalem, adimplendo per collationem illorum munus *talis*: non aliter; ac præparando concursum omnipotentiæ suæ, vt penès creaturam sit determinatio illius, sivè ad bonum, sivè ad malum, quamvis ex intentione solius boni, & honesti, se habet; vt causa *prima*; & adimplens munus illius. Præmittendum est quartò. Disparitatem intercedere inter Deum operantem ex fine, & propter finem sine assecutione illius, & inter agens creatum similiter operans. Nam Deus in positione mediorum nullam anxietatem, laborem nullum, nullas expensas patitur, quæ statum suum minuant, & deteriorem faciant; non sic agens creatum, cui frequentissimè laborioſum est apponere media in ordine ad finem, quæ si vana reddantur per coniunctionem cum carentia finis, ipsum deterioris conditionis reddunt, & præcedentia commoda minuunt.

62 Ex quibus ad primam difficultatem respondetur: Non esse imprudentiam vllam in Deo desiderare id, quod videt infallibiliter non futurum; tum quia id non desiderat efficacia *affectiva absolutè efficaci*, & quatenus est ex parte affectus inseparabili à consequutione finis; sed affectu *medio* inter *purè inefficacem*, & *efficacem absolutè*, determinanteque

dumtaxat ad positionem mediorum sufficientium ; imprudentia vero foret desiderare id, quod prævidetur infallibiliter non futurum affectu *absolutè efficaci affectivè*, qui in Deo non datur, nec potest dari ; tum, quia non imprudenter desideratur id, quod, quamvis cognoscatur infallibiliter non futurum; per medium tamen, quod ex desiderio descendit, constituitur vera potestas; non tantum ad id, quod desideratur ; sed ad impediendam ipsam infallibilitatem de oppositio : qua ratione se habet Deus conferens auxilium ex desiderio salutis cum prævisione infallibili non futuritionis consensus, qui per auxilium derivatum ex tali desiderio constituit sufficientiam, & expeditam potestatem; non modò ad existentiam consensus ; verùm ad impediendam scientiam, & infallibilitatem de non futuritione consensus.

63 Ad secundam. Quamvis conatus ille non æquatur finem, & quoad hoc sit frustrabilis ; (si licet ita loqui de affectu non affectivè *efficaci* iuxta dicta supra, agentes de providentia,) nō ideò est frustraneus, & Deo indignus; vel quia frustrabilitas affectus solum arguit imperfectionem in affectu *efficaci*, & conatu tendente in fine eo ardore, vt quatenus est ex se, sit à fine inseparabilis ; vel quia ille affectus determinat ad positionem mediorum sufficientium ad finem, determinando Deum ad munus Providoris vniversalis, vt penès ipsum non stet defectus consensus, & operationis conducentis ad salutem ; qualiter non se gerit imprudenter superior, qui, quamvis videat non profuturam correctionem subditi, ex amore boni illius, & vt suum munus obeat, adhibet media opportuna, & ex se conducentia, ne per ipsum stet ruina subditi ; sic etiam Providus Legislator condet leges pro omnibus, quamvis videat à pluribus non esse observandas.

64 Vel denique, quia Deo oneroſſum non est conferre media, quæ videt frustranda ; sicuti solet esse homini, qui quærit finem ex vtilitate augente statum ipsius, & vt per ipsum resarciat impensas mediorum. Ex eisdem capitibus suadetur prudentia consilij, & suasionis, quam mihi efficacissimè probat adductum exemplum Superioris, qui etsi omnino diffidat de subditi emendatione, nihilominus prudentissimè suadet ei, quod expedit. Neque in particularibus certitudo non coniunctionis consilij, & suasionis cum bono consiliato, quamvis eximat ab obligatione charitatis corrigendi proximum; non ideò reddit minus cordata consilium, & suasionem. Præterquàmquod divina suasio, vt explicat Pater Ribadeneyra, consistit in manifestatione complacentiæ Dei in bono opere, & insuper in ostensione vtilitatis bonę operationis in ordine ad gloriam : quæ neque *secundum se*, neque *reduplicativè*, vt prudentissima, aliquam oppositionem ostendunt cum infallibili prescientia non coniunctionis cum opere persuasso.

65 Ad paritatem dicendum : non esse maiorem difficultatem in orando pro eventu infallibiliter non futuro ; quàm in applicando medio pro eventu, qui infallibiliter scitur non fuisse, & nihilominus Christus Dominus applicuit sua merita pro redemptione, & salute omnium hominum, iuxta illud Apostoli ad Tymotheum 1. capite 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: & prima Ioanis capite 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris ; non pro nostris autem tantum ; sed etiam pro totius Mundi*: cuius oppositum iam erat certum de prę terito ex damnatione plurimorum; quare, sicut imprudens non est applicare medium pro eventu certo de præterito non dato, sic non erit imprudens orare pro eventu certo de futuro non dando. Vnde neganda est paritas orationis, cuius falsitatem probat praxis ipsa Ecclesiæ, quæ in Missis defunctorum sic orat: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas Tartarus, nè cadant in obscurum.* Vbi iuxta communem explicationem apud Izquierdo disputatione 42. de Deo quæstione 6. procedit de liberatione à pœnis damnationis, & in Canone Missæ : *In electorum tuorum iubeas grege numerari*, sicut in oratione quadam : *Beatæ prædestinationis liber adscriptā retineat.* Nec deficit Ecclesiæ propriori, & in signo apto ad retrahendum cognitio certa, qua scit plures ex fidelibus esse damnatos, & damnandos. Quarè saltem in communi esse orandum pro omnium salvatione, proponit Suarez tomo 2. de Relig. lib. 1. capite 15. vt innegabile ; & videtur doctrina Apostoli prima ad Tymotheum ex interpretatione Divi Chrisostomi ad illa verba : *Omnes homines vult salvos fieri* dicens : *imitare Deum, si omnes ille vult salvos fieri, pro omnibus*

nibus oportet orare, illius & tu concorda voluntati: non ergo oratio excludenda est tanquam fatua, & imprudens ex eo, quod tendat in id, quod cognoscitur esse non futurum.

66 Ad verba Augustini dicendum ex Herrera, & Iunio: sensum eorum nil continere pro intento nobis contrario; cum ibi loquatur clarissime Sanctus Doctor contra eos, qui putabant; pœnas damnatorum esse finiendas, ex qua persuasione fundebant preces pro acceleratione finis; non secus; ac pro pœnis Purgatorij: quod comprobant verba illa antecedentis capitis: *vnde quia vita æterna Sanctorum sine fine erit, supplitium quoque æternum sine fine erit*; propterea que non excludit *absolutè* orationem pro damnatis; sed illam, cuius materia sit liberatio à pœnis ex damnationis suppositione, quæ non minus impossibilis est damnatis; quàm ipsi Domino. Nec dicas: Divum Augustinum gradum fecisse per illa verba: *Si de aliquibus ita Ecclesia certa esset*, ab interruptione pœnarum ad absolutam illarum impeditionem, quando coniungitur cum certa scientia damnationis. Siquidem extensio facta ab Augustino, non est ab interruptione ad impeditionem; sed à reprobis defunctis ad reprobos, qui in vivis sunt, de quibus inquit, non esse sperandam interruptionem pœnarum, nec pro illa orandum: ex quo constat intra eundem errorem loquutum fuisse, mutatis tantum subiectis.

67 Insistet eundem Augustinum referens libro 11. de Genesi ad litteram. Vbi clarè docet: *Primum Angelum non præscivisse casum suum, quia non posset perseverantiam sperare*, quod idem asserit de primo homine libro de Correptione, & Gratia capite 15. ergo cum præscientia mali futuri non stat procuratio prudens evitationis illius; alias non auferretur potentia sperandi per præscientiam mali infallibiliter obventuri. Respondetur ex Patre Iunio: in locis citatis nullam fieri mentionem de impotentia sperandi; verum tantum asserere: præscientiam futuræ damnationis obesse beatitudini præsenti, quæ vt sit perfecta, exigit continuationem; & insuper Angelum prævisum sui lapsus non habiturum spem; quod cum potentia sperandi bene componitur: sicuti in eo, qui peccat non ideo tollitur potestas benè operandi; & eo sensu, quo dicimus de eo, quem scit Deus peccaturum, infallibiliter in peccato extiturum; quin ideo præscientia Dei auferat illi potestatem non peccandi.

68 Ad illud de prohibitione facta à Deo Ieremiæ, & Samueli dicendum: prohibitam illis fuisse orationem, non tantum ob certitudinem contrarij eventus; sed quia vel iudicantes decretum de punitione Populi, & Saulis non esse absolutum, expetebant non purificationem conditionis, sub qua fiebat comminatio; vel quia, vt alij censent, procedebant ex præiudicio de eo, quod decretum punitivum dependens fuit in *suo concipi* ab oratione illorum; quare Deus, vel vnum ex his erroribus, vel vtrumque detexit, prohibuitque illis orationem, vt ab ipsis fiebat, eam excludendo, non ex generali titulo certitudinis de malo non vitando; sed ex specialibus, qui in Prophetarum orationibus residebant.

69 Replicabis: si certitudo eventus, sivè de præterito, sivè de futuro non impedit orationem ex animo illum impediendi, quid vetat orare nunc pro perseverantia Adami in originali iustitia, & pro perseverantia finali omnium, qui præcesserunt, & mortui sunt, nec non pro salute Antichristi? Respondeo; quod, vt vidimus ex Chrisostomo, hæc omnia aliquomodo, & in genere sub orationem cadunt; ea ratione, qua sub desiderio, & voluntate Dei generali, qua vult omnes homines saluos fieri, & sub quavis libertate evitationem peccati, comprehenduntur; quod autem in particulari non sit sic orandum, aliunde non colligo; quam ex fidelium praxi, quibus cum sit præscriptus modus orandi, non aliud neque diverso modo debent petere, nisi prout in scriptura, & Patribus continetur, & ab his, vt eam intelligentibus, est derivatum. Propterea que id non provenit ex certitudine eventus: quia vt bene dicit Pater Herrera pro eventibus præteritis, etiam si in dubio sit, quales fuerint, nemo orationes fundit: ergo non ex certitudine eventus; sed aliunde id provenit. Aliam solutionem præbet Iunius dicendo: id provenire, quia nemo potest orare, nisi sub prudenti iudicio de eo, quod eventus sit aliquomodo dependens ab oratione, quod nemo formare potest circa eventus præteritos; cum id solum videatur privilegium Christi, & Beatissimæ Virginis. Circa futuros in particulari nil dicit, quod mihi perceptibile sit.

Nam

Nam videtur recurrere, non ad impeditionem orationis ex eo, quod non sit acceptanda; sed ad imperitiam, & ruditatem, qua iudicatur: effectum certo eventurum dependenter à libertate aliena non esse dependentem ab oratione nostra.

70 Dices vltimo. Necessarium est ex lege Dei non peccare mortaliter in vltimo instanti vitæ ad consequendam æternam salutem; vlterius, vt sit peccati impeditio in vltimo instanti, indispensabiliter necessarium est, conferre auxilium in circunstantijs, in quibus non est coniungendum cum peccato: sed propter defectum primi non vult serio salvari, qui peccat in vltimo instanti vitæ: ergo propter defectum secundi non vult serio, procedere ex auxilio rectam operationem, qui confert auxilium in circunstantijs, in quibus infallibiliter videt cum peccato coniungendum: sed Deus ita se gerit conferens auxilium inefficax: ergo non vult serio consensum sub ipso. Respondetur: disparitatem consistere in eo, quod qui ponit peccatum in vltimo instanti vitæ, ponit impedimentum ex se incomponibile cum bona operatione, necessaria simpliciter ad assequutionem salutis in hac ptovidentia; quarè non ponit sufficientiam ad salutem; sed potius eam ex se impedit; quod opponitur cum voluntate seria finis, ex qua non potest descendere, nec cum ipsa stare libera positio impedimenti efficacis finis: at Deus quamvis conferat auxilium in circunstantijs, quibus non est coniungendum cum consensu, nihil ponit ex se impediens bonam operationem; cum per se tantum tribuat sufficientiam ad illam, quæ ex determinatione alterius, cui confertur, non coniungitur cum bona operatione; ex quo nihil est in Deo impediens intentionem seriam, & procurationem *semiefficacem* explicatam.

71 Instabis. Carentia auxilij efficacis est impedimentum incomponibile essentialiter cum perseverantia finali: sed Deus libere ponit carentiam auxilij efficacis: ergo Deus quatenus est ex se, impedit perseverantiam finalem; ac perconsequens ardenter no desiderat, nec procurat consensum, & salutem sub auxilio inefficaci, quod confert in vltimo instanti. Maior est certa. Nàm consensus, in quo consistit perseverantia finalis, esse non potest, nisi cum auxilio efficaci; cùm existentia consensus sit ipsa efficacia auxilij. Probatur minor. Ille libere ponit carentiam auxilij efficacis, qui cum habeat auxilia efficia, quæ possit conferre, ea omnia liberè omittit: sed Deus habens plura auxilia efficacia pro vltimo instanti, ea liberè omittit: ergo Deus libere ponit carentiam auxilij. Concessa maiore. Distinguo minorem. Deus libere ponit carentiam *omnis* auxilij efficacis: nego minorem. *Alicuius*; vel *aliquorum*: concedo minorem, & nego consequentiam. Ad minoris probationem. Distinguo maiorem. Ille liberè ponit carentiam *aliquam* auxilij efficacis, qui, &c. concedo maiorem: carentiam *omnem*: nego maiorem, & permissa, vel concessa minore. Nego consequentiam. Itaque impedimentum incomponibile cum consensu est tantum carentia omnis auxilij efficacis, quia sine aliquo auxilio efficaci non stabit consensus; at non est impedimentum incomponibile cum consensu sub auxilio, quod defacto confertur, carentia aliorum auxiliorum, quæ non conferuntur; sed carentia efficaciæ in auxilio, quod confertur; hanc autem carentiam Deus libere non ponit; sed creatura, quæ habens sufficientiam per auxilium, quo de facto instruitur ad consentiendum, & reddendum auxilium efficax, per liberum dissensum excludit efficaciam auxilij purè consequenter ad suam determinationem, ad quam per auxilium, aut determinationem Dei antecedentem nullam habet necessitatem: vnde Deo respectu auxilij quod confert, non est liberum, illud non esse efficax, quod erat necessarium, vt ex se impediret efficaciam illius impeditione non componibili cum voluntate seria sub tali auxilio.



CA-

CAPVT III.

An ex necessitate Scientiæ mediæ ad prædestinationem inferatur legitimè possibilitas creaturæ adeo protervæ vt sit à Deo inconvertibilis?

72 CVm Scientiæ mediæ ad prædestinationem necessitas per se præsupponat intrinsecam indifferentiam mediorum, quibus Deus vtitur ad prædestinandum, taliter, vt tota prædestinationis securitas, & infallibilitas *subiectiva* ex parte Dei, vel consistat *formaliter*, vel *præsuppositivè* in scientia media, qua Deus dirigitur videns per ipsam, consensum sub medijs infallibiliter futurum, quo dato, finis gloriæ ex parte creaturæ non deficiet: indè nostræ sententiæ Impugatores occasionem arripiunt, vt ex ea hanc deducant sequellam: *ergo possibilis erit aliqua creatura, quam Deus nequeat proximè prædestinare per merita*; quia cum talis potestas proxima Dei essentialiter constituatur per scientiam mediam de consensu libero sub auxilio, quæ essentialiter, & natura sua est impedibilis, & determinabilis per voluntatem creatam, poterit inveniri aliqua voluntas creata adeò perversa, vt omnem scientiam mediam de consensu impediat, sub nulloque auxilio determinato videatur consensura, determinando duntaxat scientias medias de dissensu: quod planè auferet a Deo proximam potestatem eam convertendi, & prædestinandi per merita.

73 Ex hac illatione, quam, vt absurdam adversarij nobis improperant, oritur præsens quæstio, quæ ad duo reducitur capita. *Primum* inquirens: àn hæc illatio sit recta, & legitima, & ex principijs, & doctrina necessitatis scientiæ mediæ ad prædestinationem necessario deducenda? *Secundum*: àn posito, quod legitima sit, absurditatem, & dissonantiam contra perfectissimum Dei dominium, & potestatem contineat.

74 Cuius quæstionis, vt melius sensus percipiatur; varie excogitari potest hæc creatura imprædestinabilis, & inconvertibilis à Deo. Primo *absolute*, & sine ulla restrictione relate ad omnia media tàm libertatis destructiva; quàm constitutiva. Secundo: *relate ad media libertatis constitutiva*; sed quæ tantum sit libertas ad merendum; secus ad demerendum, & peccandum. Tertio: *Relatè ad media indifferentia ad meritum, & demeritum*; & in hoc sensu variè; vel *relate ad aliquod auxilium determinatè sumptum*, vel *relatè ad aliquem cumulum finitum auxiliorum, viginti, quinquaginta, aut centum*, vel *relatè ad totum cumulum auxiliorum*, quæ infinita sunt, & rursus, vel *comparativè ad aliquod instans determinatum*, vel *ad aliquam temporis latitudinem, & diuturnitatem*. Quarto, quæ non sit imprædestinabilis *absolute*; sed tantum *ex suppositione* taliter, vt quamvis Deus non sit impotens ad ipsam præservandam à peccato per merita; tamen sit impotens, vt supposito peccato, ipsam convertat per pœnitentiam. Quinto, quæ *ex se non sit indifferens ad malum, & bonum*; *verum natura sua determinata ad malum, saltem negativè*, vt aliqui admittunt possibilem, dum de creatura impeccabili agunt.

75 Iam non procedit quæstio de creatura imprædestinabili ad gloriam in primo sensu: certum enim est: repugnare creaturam, quæ *absolute* sit imprædestinabilis taliter, vt præscindendo à libertate, Deo non suppetant media ad conferendum ipsi gloriam liberaliter, & independenter a meritis. Neque procedit in secundo. Nam modo præscindimus à veritate, aut falsitate sententiæ asserentis: cum necessitate disiunctiva, vel ad actus æquales, & similes, vel ad inæquales, & dissimiles, vel ad vnum ex infinitis versus intensionem, & remissionem stare laudabilitatem, & meritum: neque licet talis sententia vera esset, quæstioni satisfaceret, cum, vt videbimus, alius sit disputationis scopus. Neque procedit in quinto, & vltimo: quia non disputamus modo: an sit possibilis; creatura essentialiter, & natura sua impeccabilis; sicut à contrario: an sit possibilis determinata ad turpe; sed loquimur de creatura ex se indifferente ad bonum, & malum, & ex se in vnum, & aliud extremum flexibili.

76 Procedit ergo quæstio duntaxat in tertio, & quarto sensu, de creatura scilicet instructa libertate ad meritum, & demeritum, & de hac quæritur: an sit possibilis talis, vt nequeat prædestinari non relate ad aliquod auxi-

lium

lium determinatum, neque ad cumulum finitum auxiliorum; sed respectivè ad totum cumulum auxiliorum infinitorum, quæ Deus potest conferre creaturę; adeo, vt Deus reddatur proxime impotens, vel ad ipsam præservandam à peccato, vel saltem ad ipsam per pœnitentiam convertendam, supposito peccato.

77 Scies vlterius: primo, quod quando insensu explicato inquiritur: an sit possibilis creatura impræ-destinabilis, & omnibus auxilijs simul dissensura, *ly simul* non intelligitur de simultanea existentia, & collatione auxiliorum, quæ Deus potest dare: sic enim aut everteretur libertas ob vehementiam vocationis: sicut lux intensissima, & supra vires potentiæ visivæ tàm distat ab eo, quod sit conditio ad videndum, vt potius vissum obrruat: vel casus erit impossibilis; aut quia repugnat: infinitum cathegorematicum existere; aut propter oppositionem libertatum, quæ in illo cumulo coacerbarentur: intelligitur ergo *ly simul* de simultate prævisionis, & inquiritur: an sit possibilis creatura, quæ simul prævideatur omnibus auxilijs *divisivè* collatis dissensura, nec ne?

78 Scies Secundo. Quæstionem non procedere de possibilitate *morali*; sed de possibilitate *physica*, & *metaphysica*: certum enim est; cum auxilia sint infinita, esse *moraliter* necessarium: plura prævideri efficacia; ac perconsequens esse impossibile *moraliter* creaturam aliquam prævideri omnibus auxilijs dissensuram, & quoad totum cumulum imprædestinabilem; quod comprobant innumeræ Patrum authoritates, quæ dum proferunt: esse Deum potentem ad quamcumque creaturam prædestinandum; darique impotentiam ad oppositum; saltem de hac potentia, & impotentia *morali* debent intelligi.

79 Scies tertio. Licet sub præfixo titulo *creaturæ imprædestinabilis, & inconvertibilis* quæstio exagitetur, difficultatē æque procedere de creatura, quā Deus nequeat deserere, & reprobare propter demerita: casu enim quod sit contra divinum dominium, esse possibilem creaturam, quam nequeat prædestinare per merita; similiter eidem dominio contradicet, esse possibilem creaturam de qua sub nullo auxilio prævideatur fore dissensuram; non minus enim debet esse Deus Dominus convertendi; quam desserendi iuxta illud Pauli ad Romanos 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Proponitur tamen quæstio sub vno titulo: quia quidquid, vel pro repugnantia, vel pro possibilitate dicatur in vno extremo; idem in altero, aut repugnantiam, aut possibilitatem probabit.

80 In hoc puncto ex Theologicis gravissimo vltra adversariorū iudicium reputans vniformiter legitimam illationem, & absurdam, triplex est inter nostros sententia. Prima, & communior concedit: legitimam esse illationem; sed negat esse absurdam. Hanc defendit Eximius Doctor Pater Suarez libro primo de Prædestinatione capite 7. numero 15. mirorque doctissimos Recentiores duo asserere. *Primum*: Suarium loco citato non loquutum fuisse relatè ad totam collectionem auxiliorum dùmodo: *creaturam omnibus posse resistere*; sed tantum relate ad ea auxilia, quibus defacto instruitur. Verum si Suarius attente legatur, videbitur: eam intelligentiam reddere inefficacem rationem illius; propterea que longe distare ab eius mente, & impugnatione, quam ibi proponit. Nam cum retulisset sententiam quorundam, qui advocantes pro se Divum Thomam quæstione 6. de veritate, art. 3. negabant: præscientiam conditionatorum in particulari, esse necessariam ad prædestinationem; imo, nec posse dari, nisi evertendo libertatem; dum postea pervenirent difficultate pressi, ad explicandum modum, quo Deus sine tali scientia providebat electis media ad salutem, dicebant: Deum non providere illis media *definite*, & *determinate*; sed *indeterminate*, & *confusse*; decernendo dare illis medium efficax, & postea in particulari percurrendo media, quoadusque inveniret aliquod efficax, per quod satisfieret efficaciæ intentionis, & electionis ad gloriam.

81 Hac sententia relata post varias impugnationes postea numero 15. sic eam impugnat; quia inde sequeretur: Deum non secure procedere in negotio prædestinationis; etenim, cum omnia auxilia sint indifferentia, voluntas non tantum valet resistere cuivis in particulari; sed toti auxiliorum collectioni: vnde inferretur: Deum eæco modo procedere, & frustrationi expositum. Ecce impugnationem, quæ omnino futilis esset, si tantum procederet de voluntate creata, provt potente resistere collectioni, quam defacto habet; facillimè enim responderent Authores im-

pug-

pugnati: voluntatem posse resistere omnibus auxilijs, quæ defacto habet; sed non *in sensu composito* resistendi omnibus, quæ potest habere; sed *in sensu diviso*: quo verificaretur; nunquam Deum manere expositum frustractioni; cum semper maneret aliquod efficax, per quod fieret satis infrustrabilitati sui decreti: ergo clarum fit; loquutum fuisse Patrem Suarium de tota collectione *Latissimè, & universalissimè accepta*, & non *cum modificatione, & restrictione* adhibita à Recentioribus.

82 *Secundo*, quod miror est: hos Doctissimos Magistros auctos asserere: Doctorem Eximium evidentissimè tenere sententiam contrariam tomo 2. de Gratia libro 5. capite 24. numero 18. cum evidentissimè, prout iudico, oppositum ibi doceat, vel evidentissimè saltem his Authoribus non faveat. Sic ostendo: nam cum ibi Pater Suarez solvat argumenta, & repplicas contra suam sententiam, & vna ex eis esset, posse deveniri ad casum, in quo Deus non haberet auxilium efficax. Respondet sic numero 18. citato. *Ad replicam autem ibi factam; in primis dicimus, quod in ea supponitur; ita esse impossibile, vt nunquam contingat*: sic ille: vbi notanda sunt illa verba: *ita esse impossibile, vt nunquam contingat*: quid clarius pro explicanda impossibilitate *morali*; secus *metaphysica*: si enim de impossibilitate hac loqueretur, ad quid necessarium addere, *vt nunquam contingat*; cum sat esset casum impossibilem affirmare. Accedit; quod in sequenti numero admittit defacto casum, & iuxta talem suppositionem respondet: vbi ergo est illa ponderata evidentia?

83 Quam facilè depulissent animo verso ad ea, quæ tom. 1. in tertiam partem disputatione 5. à sectione 2. docet idem Suarius, vbi loquens de modo, quo Deus decrevit Incarnationis Mysterium, inquit: circa illius substantiam duo interveniisse decreta. Primum, quod habuit pro motivo excellentiam Mysterij, extititque ante absolutam peccati prævisionem. Secundum, quod habuit pro motivo redemptionem peccati. Ex his: primum fuit *absolutè* independès à peccato Adami (attende) quia fuit componibile cum eo, quod prævideretur Adamus nulli auxilio ex tota collectione dissensurus: quo dato, vt potuit, persisteret decretum absque peccato; ex suppositione vero, quod Adamus prævideretur lapsurus sub aliquo, vel sub aliquibus auxilijs, vt de facto prævisus fuit; habuit connexionem cum peccato, illaque deficienti, deficeret. Vide doctrinam ex qua fit manifestè iuxta Authoris iuditium, non repugnare Adamum prævidendum omnibus auxilijs consensurum; ac per consequens omnibus etiam dissensurum; aliter male independentiam primi decreti à peccato Adami protegeret. Hæc de mente Suarij, quo iustè Gloriatur sententia affirmativa, & cui accedunt Aldrete, Arriaga, Albertinus, Quirós, Amicus, Izquierdo tomo 2. de Deo disputatione 41. quæstione 6. & meus Sapientissimus Magister Pater Herrera quæstione 16. de prædestinatione.

84 Et, vt penitus evidentia ista eradicetur, legatur in opusculis lib. 3. ca. 14. numero 16. vbi loquendo de prædicta creatura inconvertibili sibi obiecta, sequentia habet: *Quod si quis mordicùs contendat totam hanc impossibilitatem solum esse moralem, atque adeò non implicare contradictionem quod oppositum accidat; cum simpliciter loquendo ex libertatis vsu pendeat; ideoque simpliciter admittendum esse: posse ita accidere metaphysicè, seu logicè loquendo: respondetur totum hoc verum esse; nullumque inde sequi inconveniens. Nam si per impossibile, scilicet moraliter, admitteremus: aliquam voluntatem futuram fuisse tàm pravam, vt omnibus temporibus, & momentis restitura esset cuicumque vocationi, quamtumvis potentissimæ; inde nil sequitur, contra divinam omnipotentiam; sed solum sequitur: voluntatem vere, ac proprie manere liberam, posita quamcumque Dei vocatione; quod verissimum est. Et consequenter sequitur, data illa hypotesi: Deum non posse talem voluntatem efficaciter, & libere convertere, qua præsupponitur cognovisse restituram semper, si liber vsus ei concedatur; posset tamen illam convertere, quo, vellet impediendo libertatis vsum. Et in hoc divina omnipotentia satis ostenditur.* Quid clarius?

85 Secunda sententia negat illationem, & concedit absurditatem consequentis: ita Tannerus, Antonius Perez, Cardinalis Sforcia, Esparza, Requesens, Puente Hurtado, & Bernal, quibus adhærent Sapientissimi Recentiores; alij controversia 4. de prædestinatione per totam; alij disputatione tertia. Senserunt non nulli tertio: Consequentiam non esse legitimam, nec consequens absurdum; quare iudicant: ex indifferentia auxiliorum non probari possibilitatem creaturæ omnibus auxilijs restituræ, aut consensuræ; verum aliunde

de non repugnare talem creaturam; quia præter illationem ex illa doctrina non convincitur repugnans, vt potest probari ex solutione argumentorum: sic rem componere quosdam non ignobiles. Recentiores audivi. Ad hanc tertiam classem reduci potest cogitatio alia, quam obiter proposuit P. Quiros disputatione vndecima de Prædest. sect. 3. dicens: posse quidem creaturam, metaphysice loquendo, prævideri a Deo dissensuram omnibus auxilijs; at eo ipso fieri à Deo improducibilem propter divinum dominium, cui competit ob suam infinitam perfectionem, ne valeat absque implicatione existere voluntas creata, nisi sub conditione quod prævideatur non restitura omnibus auxilijs: quomodo summæ veracitati eiusdem est debitum quodvis ipsi improducibile, prout opponitur divinis dictis, & promissionibus.

86 Dico primo. Non esse legitimam illationem ab indifferentia auxiliorum, & necessitate scientiæ mediæ ad prædestinationem ad possibilitatem creaturæ, quæ prævideatur omnibus auxilijs dissensura; & hanc aliunde esse possibilem, est quid repugnans. Probatur. Non esse legitimam eam illationem, est, indifferentiam auxiliorum, & necessitatem scientiæ mediæ ad prædestinationem esse compatibiles cum determinatione *subiectivè absoluta*, & *obiectivè vaga* de eo, quod quævis creatura prævideatur consensura vel pluribus, vel infinitis auxilijs: sed data ea componibilitate, repugnans est, non dari talem necessitatem respectu cuiusvis creaturæ: ergo non esse legitimam illationem ab indifferentia auxiliorum, & necessitate scientiæ mediæ ad possibilitatem creaturæ, quæ prævideatur omnibus auxilijs dissensura, & esse aliunde possibilem, est quid repugnans. Probatur minor. Repugnans est, non dari essentialiter eam necessitatem, quæ cum aliunde creatam libertatem non evertat, commendat maximè divinam potentiam, & infinitum dominium Dei per necessariam potestatem proximam convertendi liberè quamcumque creaturam, & flectendi in bonum libertatem creatam: ergo data ea componibilitate, repugnans est, non dari talem necessitatem respectu cuiuscumque creaturæ. Confirmatur. Posse convertere creaturam per libertatem ad meritum, & demeritum, est aliqua extensio divini dominij; sicut opposita impotentia proxima aliqua limitatio: sed amplitudo divini dominij non est coarctanda, inquantum permittant rerum essentiæ: ergo si indifferentia auxiliorū, & necessitas scientiæ mediæ ex se permittunt determinationem, vt Deus sit proxime potens ad convertendam creaturam, ipsi non est deneganda potestas proxima, vt necessario conveniens.

87 Ostendo aliter: implicare in terminis idem assertum: si posse creaturam dissentire cuivis auxilio in particulari, non infert posse resistere cuivis in sensu composito resistendi omnibus, posse resistere cuivis, est compatibile ex se cum necessitate non resistendi omnibus. Iam rogo: vel hæc necessitas possibilis non resistendi est possibilis, vt intrinseca ipsis auxilijs; vel vt intrinseca, & necessaria Deo; vel vt extrinseca auxilijs, & libera Deo: *si vt intrinseca auxilijs*: ergo semper dabitur; siquidem id, quod est possibile, vt pertinens ad essentiam alicuius, eadem necessitate necessarium est, ac essentia illius; ac proinde semper, & respectu omnium creaturarum necessariò dabitur: *si intrinseca, & essentialis Deo*: pari iure erit indefectibilis respectu omnium creaturarum, quin maneat locus, vt aliqua sit exempta ab ea necessitate: *si denique Deo libera, & extrinseca auxilijs*: quæ maior ratio esset poterit, vt respectu alicuius Deus non valeat inducere talem extrinsecam necessitatem; secus respectu aliarum? Igitur, vel concedenda est legitima illatio, vel neganda possibilis creatura, quæ prævideatur omnibus auxilijs dissensura.

88 Non minus repugnans est adiuncta illa subtilitas P. Quiros. Primo: quia Deum posse prævidere creaturam dissensuram omnibus auxilijs simul cum impossibilitate existendi sub tali prævisione, est formalissimè, creaturam inconvertibilem esse impossibilem, vt talem; cum semper verificetur: *talem creaturam, si existat, existere: & non existere*: vnde infertur, prævisionem illam conditionatam de dissensu sub omnibus auxilijs non magis esse possibilem, quam est possibilis prævisio conditionata de dissensu chymæræ: quo ergo sensu ad rem præsentem, dicitur ab hoc Authore: esse possibilem prævisionē conditionatā creaturæ omnibus auxilijs restiturę? Insuper: sicut illa creatura sub conditione prævisionis illius nō potest existere ita taliter, vt si existeret, *existeret & non existeret*; sic etiam quodcumque auxilium prævisum

inef-

inefficax sub conditione illa prævisionis omnium non potest existere ita taliter, vt si existeret, *existeret, & non existeret*: ergo non magis sub quovis auxilio prævideret Deus *extiturum*; quam *non extiturum dissensum*: ac proinde quævis scientia media esset de hypothesi, & conditionato chimæricis.

89 Secundo: si implicat, quod sub possibilitate existendi prævideatur creatura omnibus auxilijs dissensura; non minus implicabit, quod sub possibilitate previsionis prævideatur impossibiliter extitura; cum vtrūque æquè opponatur divino dominio: vnum ex defectu potestatis proximæ in Deo ad conversionem: alterum ex defectu potestatis proximæ eiusdem ad producendum: ergo vel vtrumque implicat, vel neutrum. Explicatur: tam opponitur dominio Dei posse creaturam per suum exercitium liberum conditionatum impedire exercitium producendi; quam exercitium convertendi; cum vtrumque, vel nullum debeat pertinere ad amplitudinem debitam divinę potentię: sed per te vnum opponitur cum divino dominio: ergo & alterum. Vrgetur: quid plus impotentiæ est *non posse proximè convertere, & non posse proximè producere*; quam *non posse tantum convertere*: sed primum non repugnat in Deo ex determinatione libera creaturæ, quæ per te potest determinare prævisionem conditionatam dissensus sub omnibus auxilijs, qua data, nec Deus posset proximè convertere, nec producere: ergo nec secundum: vel si hoc: ergo, & illud.

90 Tertio: quia imperceptibile omnino est ex ipsis terminis quomodo creatura in statu purè conditionato valeat impedire suam existentiam extrahendo se ab statu possibilium per voluntariam translationem ad statum impossibilium; præcipuè cum non auferat constitutivum aliquod potestatis proximæ ad producendum. Denique exemplū adductum veracitatis non favet; tum quia ibi, quod impeditur à productione, impeditur à prævisione; tum etiam quia licet non negemus: esse aliquas impossibilitates consequentes impedientes existentiam rei, restat disparitas dāda ab hoc Authore: cur impossibilitas consequens productionis non opponatur cum divino dominio, existente prævisione; & impossibilitas consequens conversionis opponatur cum eodem dominio, existente.

91 Dico secundo cum Authoribus primæ sententię. Prædicta illatio legitima est ex indifferentia auxiliorum, & necessitate scientiæ mediæ. Probatur. Ea illatio, & consequētia est legitima, cuius consequens est terminus connexionis metaphysicæ antecedentis: sed hoc consequens contentum in proposita illatione: *Possibilis est metaphysice creatura, quæ prævideatur omnibus auxilijs dissensura, vel consensura, & quam Deus nequeat prædestinare, aut deferere per media indifferentia ad meritum, & demeritum*, est terminus connexionis metaphysicę antecedentis cōcessi in his principijs: ergo est legitima. Probo minorē. Antecedens concessum in his principijs est, *voluntatem creatam instructam libertate ad meritum, & demeritum posse resistere, aut consentire cuicumque auxilio divisivè sumpto*: ergo illud consequens est terminus connexionis metaphysicæ antecedentis concessi in eis principijs. Probatur consequentia. Posse resistere, aut consentire cuilibet auxilio *divisivè* sumpto, est posse resistere, aut consentire voluntatem cuilibet auxilio cum potestate plene despotica, & dominativa, vt faciat, & eligat, quod voluerit sub quocumque auxilio: sed taliter posse resistere, est antecedens, cuius terminus connexionis metaphysicæ est hoc consequens: *possibilis est creatura, &c.* ergo illud consequens est terminus connexionis metaphysicæ antecedentis concessi in eis principijs. Probo minorem. Posse resistere, aut consentire cuilibet auxilio *divisivè* sumpto cum potestate plene despotica, & dominativa, est, voluntatē posse resistere cuicumque auxilio *divisivè* cū omnimoda independentia ab exercitio alterius libertatis, & potestatis: ergo posse resistere cuicumque auxilio plenè despoticè, & dominative, est antecedens, cuius terminus connexionis metaphysicæ est illud consequens.

¶ Explicatur hæc ratio. Posse voluntatem resistere, aut consentire cuivis auxilio *divisivè* sumpto cum potestate plenè despotica, & dominativa, est, posse resistere cuivis auxilio *divisivè* cum independentia ab exercitio alterius *à priori, à posteriori*, & *comitanti*: sed hæc est omnis independentia: ergo posse resistere cuicumque auxilio *divisivè*, modo dicto, est, posse resistere cum omnimoda independentia ab exercitio alterius potestatis. Maior quoad independentiam *à priori*, & *à posteriori* præterquamquod conceditur ab adversarijs, sic ostenditur. Quia si voluntas constituta libera per

vnam potestatem, dependenter *à priori* ab exercitio alterius, non esset potestas libera; sed plenè subiecta determinationi alterius, vtpotè, quæ per ipsius exercitium determinaretur: vel si non determinaretur; sed maneret cum plena indifferentia, ficta, & quoad voces tantùm esset dependentia *à priori*. Si *à posteriori*: idem argumentum conficitur respectu alterius potestatis: ergo *à priori*, & *à posteriori* non potest esse dependentia inter distinctas libertates, & potestates. Quoad dependentiam *logicam*, seu *à comitanti*, quam concedunt aduersarij, est difficultas; ideoque maior quoad hanc partem sic probatur.

92 Hæc dependentia *logica*, & *à comitanti* facit metaphysicè veram hanc propositionem: *Si voluntas prævideatur dissensura infinitis auxilijs, prævidebitur cõsensura infinitis, & è contra*: sed hoc non stat cum dominio, & distinctione libertatũ, quę per diuersa auxilia constituuntur: ergo talis independentia *à comitanti* datur. Probo minorem. Si talis propositio est vera, stabit cum dominio distinctarum libertatum, & potestatum talis antypathia inter cumulum auxiliorum efficacium, & inefficaciũ, vt si auxilia cumuli *A* sint efficacia, auxilia cumuli *B* sint ineffica cia, & è contra: sed talis antypathia inter distinctas libertates, & potestates stare nõ potest: ergo neque dependentia *à comitanti*. Probatur minor. Ea oppositio, & antypathia persistere nequit inter duas voluntates liberas: ergo neque inter duas potestates, & libertates eiusdem voluntatis. Probo consequentiam. Ideò non potest stare inter duas voluntates liberas; quia quælibet, prout distincta ab alia, habet potestatem dominativam: sed quælibet potestas libera eiusdem voluntatis, prout distincta ab alia, habet potestatem dominativã, & electivam: ergo si vnum repugnat, repugnat aliud.

93 Confirmatur. Per aduersarios non repugnat inter vnas, & alias libertates eiusdem voluntatis talis concomitantia operationum, vt si potestates vnius cumuli se exerceant per consensũ, facultates alterius se exerceant per dissẽsum: ergo à pari non repugnabit inter duas voluntates, præcipuè inter eas, quarum vna sit maximè subiecta alteri, attẽperatio, & conformitas in operando, vt si vna velit, altera etiam liberè velit: ergo non repugnabit cum libertate creata Deum *comitanter* decernere operationes liberas, taliter, vt Deus liberè velit determinatus *comitanter* à creatura, & creatura libere velit determinata *comitanter* à Deo: quo, vt vides, omnes impugnationes, quæ contra decretum comitans fiunt, plenè ruunt.

94 Respondebis primò: oppositionem illam inter potestates vnius, & alterius cumuli non prouenire ex antypathia; sed ex maxima subiectione, quam Deo habent, & ex perfectione diuini dominij, cui non possunt deficere absque implicatione infinita media ad convertendam, & desserendam creaturam. Sed contra: quia similiter poteris dicere, quod comitans determinatio non prouenit in Deo, & homine ex sympathia; sed ex perfectione diuini dominij, quod postulat, vt nil fiat absquè eius immediata, & libera determinatione, taliter, vt nullum sit auxilium, per quod non possit, si velit, convertere creaturam; imò sumit vires argumentum ex doctrina Aduersariorum: quia per ipsos debet Deo concedi maior perfectio dominij, quæ cum libertate non pugnat: sed maior perfectio dominij est, quod non tantum habeat infinita media ad convertendum, & deserendum; sed quod sit proximè potens ad convertendum quocumque auxilio, & in quibuscumque circunstantijs, sicut etiam ad permittendum peccatum; & aliundè hoc non opponitur libertati, si cum libertatis dominio stet modus discurrendi horum Authorum: ergo euasio non tenet.

95 Respondebis secundo: repugnantiam decreti comitantis non tàm prouenire ex eo, quod hæc mutua comitãs determinatio opponatur libertati; quã ex eo, quod talis determinatio mutua debeat dari ad peccatũ; quo fiet, vt Deus sit causa *per se* peccati; vel quatenus positivè comitanter determinet ad peccatum; vel quatenus comitanter saltem omittat id, quod est indispensabiliter necessarium ad euitandum peccatũ: vnde repugnantia non stat in læsione libertatis; sed in eo, quod arguatur ex tali decreto: Deum esse causam *per se* peccati.

96 Sed contra. Nàm præterquàm quod hoc est magna ex parte deferere argumenta, quæ extra præsentem casum reputantur efficacia ab his Authoribus, etiam non satisfacit absolutè difficultati: quia hæc solutio tantum vrgebit eos, qui asserant: decretũ comitãs debere dari necessariò ex debito subiectionis creaturæ ad Deũ, nõ tantũ in essendo: sed etiam

etiã in operãdo: verùm aliter possunt res componi, & meditari, stante doctrina, quam impugnamus, scilicèt, asserendo: Deum habere in sua manu concurrere ad consensum, vel per decretum comitans, vel sine decreto comitanti; attamèn ex suppositione, quod concurrat per decretum comitans, Deum determinare creaturam ad consensum, & creaturam determinare Deum: quia ex tali suppositione iam non aliter potest existere consensus; quam per decretum comitans: vndè, si voluntas non se determinaret ad consensum, Deus non se determinaret ad decretum; sed inde non infertur: Deum determinare creaturam ad dissensum; quia cum decretum comitans non sit vnicus modus existentiæ consensus; in eo casu, in quo dissentiret creatura, & non daretur decretum comitans, posset voluntas creata ponere consensum sine comitantia ad divinam determinationem. Ecce vitatam absurditatem concursus ad peccatum, & salvum dominium Dei, vt possit creaturam convertere, non tantum per infinita media; sed per quodvis: quod maius, & perfectius dominium est; quàm quod adversarij concedunt: in quibus difficile meo iudicio implicationem invenient, si in illa comitantia operationum diversarũ libertatum persistat.

97 Audivi alios respondentes tertiò: disparitatem esse, quod decretum comitans, & sympathia humanæ, & creatæ voluntatis cum divina, est generaliter respectu omnis operationis creatæ, quod implicat; at dependentiam illam, quæ datur a comitanti inter auxilia, non esse inter auxilium, & auxilium; sed inter cumulum, & cumulum auxiliorum: quod officere nequit libertatibus, & dominijs electivis in particulari acceptis; cum hæc sine respectu ad alia determinate, & in particulari accepta possint se determinare, prout libuerit. Video casuum diversitatem, quam impertinentem iudico, dummodo dependentia libertatum in operando non auferatur: si enim semel concediatur: libertates distinctas, & absquè principio aliquo necessitante constitutas, sivè quoad modum, sivè quoad substantiam posse nihilominus determinare alias, & quasi cogere ad operationem determinatam consensus, vel dissensus; cur vna voluntas libera constituta non poterit determinare aliam *comitanter*, vt idem exercitium liberè faciat mutuo determinando eam, à qua libere *comitanter* determinatur?

98 Probo secundò conclusionem. Si voluntas creata prout dicens ordinem ad cumulum *A* infinitum auxiliorum, sit antecedenter necessitata, vt prævideatur consensura; necessitas disiunctiva, quam adstruunt hi Authores, vt vitent illationem de eo, quod voluntas prævideatur consensura infinitis auxilijs, plane libertatem destruit: sed data ea disiunctiva necessitate voluntas creata Petri v.g. prout dicens ordinem ad cumulum *A* infinitum auxiliorum, esset antecedenter necessitata, vt prævideretur eis consensura: ergo sub tali disiunctiva necessitate destruitur creata libertas. Probo minorem: data disiunctiva necessitate, vt voluntas creata prævideatur consensura infinitis auxilijs, sicut, & dissensura alijs infinitis, hoc consequens: *voluntas creata prævidetur consensura cumulo A*, infertur ex præmissis, quas voluntas non potest impedire, prout dicens ordinem ad cumulum *A* auxiliorum; scilicet, *Si voluntas prævidetur dissensura infinitis auxilijs, prævidetur consensura infinitis: sed voluntas prævidetur dissensura infinitis in cumulo B*, quarum quælibet est inimpedibilis per libertates cumuli *A*: nam prima est omnimodò necessaria ex perfectione divini domini; & secunda quamvis contingens pertinet quoad determinationem, & impeditionem ad libertates distinctas cumuli *B*: sed consequens consensus ortum ex necessitate antecedente, & omnino inimpedibili per libertatem consensus, est antecedenter necessarium: ergo, data ea disiunctiva necessitate, voluntas creata Petri v.g. prout dicens ordinem ad cumulum *A* infinitum auxiliorum esset antecedenter necessitata, vt prævideretur eis consensura.

99 Confirmatur. Non ob aliam rationem in sententia nostræ Scholæ Petrus prædeterminatus ad consensũ, est antecedenter necessitatus ad consentiendum, nisi quia non potest impedire has præmissas: *omnis prædeterminatus ad consensum consentit: Petrus est prædeterminatus ad consensum*, ex quibus legitime infertur hoc consequens: *ergo Petrus consentit*: ergo simiiliter: si voluntas creata, prout dicens ordinem ad cumulũ *A* auxiliorum non potest impedire has præmissas: *si prævidetur dissensura cumulo B, consentiet cumulo A: sed prævidetur dissensura cumulo B*, ex quibus legitimè infertur hoc consequens: *ergo prævidetur consensura cumulo A*, erit antecenter

necessitata, vt prævideatur consensura cumulo *A*.

100 Respondebis primò: præmissam illam minorem, *voluntas prævidetur dissensura cumulo B* esse impedibilem *a comitanti* per voluntatem, prout instructam auxilijs cumuli *A*; quia determinando scientiam mediam de dissensu sub auxilijs cumuli *A* præviderentur efficacia auxilia cumuli *B*; & non subsisteret suppositio de eo, quod voluntas prævideretur dissensura cumulo *B*. Sed contra: quia sub hac solutione iam illa dependentia distinctarum libertatum, quam ante conabaris eludere per vaguitatem, ne in decretum comitans incideres, fit determinata inter cumulum, & cumulum auxiliorum: vnde iterum institam non esse cur similis dependentia non possit consistere inter duas voluntates, quarum vna *comitanter* determinet aliam.

101 Ideò respondebis secundò: præmissas illas esse connexas inevitabiliter cum eo, quod sit cumulus aliquis infinitus auxiliorum *vage* acceptus, cui voluntas prævideatur consensura; non verò cum eo, quod sic se habeat cumulus aliquis determinatè acceptus: inde non valet consequentia a cumulo determinato inefficacium auxiliorum, ad cumulum determinatum auxiliorum efficacium *determinatè* acceptum; sed *vage*; ita vt ex dissensu sub infinitis, inferatur consensus sub infinitis his, vel illis; & è converso ex consensu sub infinitis auxilijs, dissensus sub infinitis auxilijs his, vel illis: quo nunquam pervenitur ad aliquem cumulum auxiliorum, qui sit terminus, sivè necessitatis consentiendi, sivè dissentiendi *determinatè* respectus per ipsam; sed tantùm *vage*: insuperque est falsa illa præmissa maior conditionalis: *Si voluntas prævideatur dissensura infinitis auxilijs, prævidetur consensura infinitis*, quando ex parte conditionati aliter; quam *vage*, & *indeterminatè* accipiatur.

102 Ecce iuxta hanc solutionem iam sumus deducti ad latebras imperceptibiles, & inextricabiles infiniti; nec satis est contrariæ sententiæ esse infinita auxilia, quæ Deus possit largiri creaturæ, nisi vlterius detur infinitum reflexum infinitorum; nè deveniamus ad aliquem terminum, in quo vrgeat necessitas consensus, aut dissensus *determinatè*: sed vt agnoscatur: effugium paratum esse in confusione; sic arguo. Quia potentia Dei est infinita, & possibilia sunt infinita auxilia respectu cuiusque creaturæ, non fit satis divino dominio, nisi habeat ex determinatione sibi essentiali infinita auxilia de consensu, & infinita de dissensu: ergo quia potentia Dei est simpliciter infinita, & supra omne aliud infinitum, & est possibile infinitum infinitorum auxiliorum, non sat erit, si habeat infinita auxilia de consensu, & infinita de dissensu; sed infinitum infinitorum de consensu, & infinitum infinitorum de dissensu: iam rogo: an hæc infinita reflexa sint duo tantùm, aut in ratione talium numeraliter finita; vel sint etiam in ratione talium infinita. *Si primum*: reddit argumentum factum ab vno complexo *directo* ad aliud, transmutatis terminis ad complexa finita *reflexa*. *Si secundum*: ergo Deus, quia infinitè potens, non tantùm exigit habere infinitum infinitorum auxiliorum de consensu, & similiter de dissensu; sed infinitum infiniti infinitorum auxiliorum de consensu, & dissensu: in qua *reflexa* iterum instauro argumentum. Nam vel hæc complexa *reflexa* sunt finita; & taliter non vitatur vis argumenti vrgentis in aliquo *determinatè* accepto; si verò sint etiam infinita, addatur alia reflexio, & reddibit interrogatio, & argumentum, habebimusque quæstionem grauissimam Theologicam his nugis Philosophicis implicatam.

103 Probo Tertio. In cumulo finito auxiliorum v. g. *triginta* recta est consequentia: *Voluntas potest resistere huic, & illi, & sic de reliquis divisivè*: ergo, *& omnibus collectivè*: ergo relatè ad totam collectionem auxiliorum etiam benè valet: *Voluntas potest resistere omnibus divisivè*: ergo, *& omnibus collectivè*. Probo consequentiam. Ideò prima illatio est bona, quia potestates cumuli finiti eo ipso, quod sint distinctæ, sunt omnimodò independentes: sed etiam potestates, & libertates totius collectionis sunt distinctæ: ergo quia tales, sunt omnino independentes. Probatur maior. Quod in numero finito auxiliorum non detur talis necessitas disunctiva postulans: voluntatem non posse resistere cuique auxilio in sensu composito resistendi omnibus, non provenit ex eo, quod sint auxilia finita, & dùm perveniremus ad vltimum, auferretur libertas: nàm modo discurendi contrariæ sententiæ ob-

fer-

servato, facilis se ostendit solutionis via, dicendo: voluntatem per dissensum præsitum vltimo auxilio posse impedire *logicè*, & *comitanter* dissensum sub alio: sicut posito cumulo infinito auxiliorum inefficacium, dum pervenimus ad cumulum infinitum auxiliorum efficacium; respondent: voluntatem per dissensum illi cumulo præsitum posse impedire *logicè*, & *comitanter* dissensum præsitum alteri cumulo: ergo ratio, ob quam tenet illatio in cumulo finito, non est quia finitum est; sed quia potestates, & libertates sunt distinctæ, & independentes.

104 Dices: disparitatem esse: quod potestates, & libertates cumuli finiti non vtcumque sunt independentes; sed independentes omni independentia etiam *à comittanti*: quod non accidit in tota auxiliorum collectione. Ratio huius diversitatis provenit ex perfectione divini dominij, cui iam satisfactum est per dependentiam, quam habent auxilia, & potestates inter se relatè ad totam collectionem: quo posito, iam Deo conceduntur in omni eventu infinita media, vt possit convertere, & deserere creaturam: vnde cum in vi huius dependentiæ iam sit expletum divinum dominiū, non exigit: auxilia finita relate ad cumulum finitum, talem habere dependentiam, talemque admittere necessitatem.

105 Contra tamen: quia si ex terminis formalibus necessitas disiunctiva determinati exercitij non opponitur libertati, disiunctionique potestatum, non salvatur infinita potestas Dei, & infinita perfectio eius dominij in ordine ad convertendum, nisi similis necessitas detur in cumulo finito: ergo tenet illatio in vtroque casu, vel in nullo. Probo antecedens. Non est infinita perfectio, & dominium convertendi creaturam Deo dignum illud, supra quod potest inveniri aliud maius sine creatæ libertatis læsione: sed necessitate disiunctiva determinati exercitij cohærente cum libertatum diversitate, potest inveniri aliud maius: quod patet: quia longe maius dominium est illud, quod non tantum potest convertere creaturam, recurrendo ad totum auxiliorum cumulum; verùm recurrendo ad quamcumque illius partem, etsi minimam: ergo stante tali doctrina, non salvatur in Deo perfectissimum dominium.

106 Confirmatur: non esse Deum ex se, & necessario proximè expeditum ad salvandam creaturam intra cumulum finitum auxiliorum, est aliqua impotentia divini dominij: ergo oppositum est extensio potestatis: sed maior extensio, & amplitudo dominij, & potestatis, quæ sine detrimento libertatis creatæ Deo potest dari, debet dari: ergo si non tenet illatio in casu quæstionis, non tenet in casu instantiæ; vel si tenet illatio in vno, tenet in vtroque. Vrgetur: si perfectio divini dominij est, habere infinita media ad convertendum, & deserendum; maior perfectio divini dominij est, non tantùm habere infinita media; sed esse determinatum, & ex se proximè potens, vt per quodlibet medium infinitiès possit convertere, & deserere, si hoc salva libertate creata, potest subsistere: sed in doctrina nobis adversa, salva libertate creata, potest concedi: ergo non tantùm Deus ex se est determinatus, vt habeat infinita media ad convertendum, & deserendum, & vt habeat media intra quemcumque cumulum fininitum; sed etiam, vt per quodvis auxilium possit convertere, & desserere creaturam in infinitis circumstantijs. Quod, salva libertate, possit concedi hoc vltimum, patet; si recurras ad tuam necessitatem disiunctivam, vi cuius voluntas non possit resistere huic auxilio in his circumstantijs, nisi in sensu composito prævisionis consensus in infinitis alijs, & consentire, nisi in sensu composito prævisionis dissensus sub infinitis.

107 Dices iterùm. Esse aliam disparitatem inter cumulum finitum, & totam collectionem auxiliorum. Nam si in cumulo finito *triginta* v.g. daretur necessitas disiunctiva prævisionis consensus sub aliquo, sicut, & dissensus; vel Deus esset impotens ad præstandum voluntati etiam *divisivè* totum illum cummulū; vel creatura non esset libera *quoad substantiam* ad consentiendum, & dissentiendum: ex suppositione enim decreti collativi totius illius cumuli, necessarium voluntati erat ponere dissensum sub aliquo, & ponere *absolutè* consensum sub aliquo; quod non eveniet *comparativè* ad totam collectionem, vtpotè infinitā, & quæ per successivam distributionem non exhauriretur, manente semper infinitate, in qua esset infinita auxilia prævisa conditionatè efficacia, & conditionate inefficacia.

108 Sed non vrget: tum quia solutio non applicatur cuicumque auxilio, respectu cuius probare intendi, iuxta aduersarios posse, aut debere inferri: Deum habere necessitatem metaphysicam, vt ipsum prævideat efficax in infinitis occasionibus, sicut, & inefficax: tum quia loquendo de complexo finito, ad summum probat, Deum non posse præstare totum illum cumulum; non verò, quod ex capite libertatis nequeat compati necessitas disiunctiva, ex qua voluntas non possit resistere singulis in sensu composito resistendi omnibus: quo Deus redderetur proximè potens ad convertendam creaturam etiam per finita media; quod vt æstimabilius, debent admittere contrarij; quàm quod valeat Deus ponere totam illam collectionem finitam, auxiliorum: sicut æstimabilius iudicant, posse Deum convertere, aut desistere creaturam; quamquod possit relinquere voluntatem creatam plenissimè in manu consilij sui, tùm ad resistendum singulis auxilijs *diuisivè*, tùm omnibus collectivè.

109 Dico tertiò: consequens illationis non est absurdum; sed maximè consonum sanę doctrinę: & quia sententia opposita iactat, habere pro se totum authoritatis pondus, conabor conclusionem authoritate firmare. Probo primò ex illo Ecclesiastici capite 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui... Appojuit tibi aquam, & ignem ad quod volueris, porrige manum tuam.* Ex quibus sic argumentor. Eo modo, & cum ea indifferentia debemus constituere libertatem creatam, quo proponitur in textu Scripturæ Sacrę, ex quo nobis constat per fidem habere libertatem: sed in textu, in quo nobis constat per fidem creaturam habere libertatem, nulla limitatio adijcitur dominio, & indifferentiæ libertatis: ergo libertatem debemus constituere absque aliqua limitatione dominij electivi, & indifferentiæ: at necessitas disiunctiva, vt prævideatur consensura voluntas sub infinitis auxilijs, & dissensura sub infinitis, est aliqua limitatio indifferentiæ, & dominij: ergo ex Scriptura talis necessitas disiunctiva reijcienda est.

110 Insisto. Deus, vt constat ex prędallegato textu appossuit aquā, & ignem, vt ad quod volueris porrigere manum, extendas; volens significare ex se, dum libertatem constituit, nullam inducere creaturæ necessitatem, neque ad bonum, neque ad malum; sed plenissimam electionem penès arbitriū relinquere: at si Deus ex se haberet necessitatem metaphysicam, & antecedentem de consensu, & dissensu sub infinitis medijs, non posset dici, tàm indifferenter offerre creaturæ aquam, & ignem, vt non potius vergeret ad aquam; quàm ad ignem, aut ècontra ad ignem, quam ad aquam: ergo doctrina, quam impugnamus, non congruit indifferentiæ, quam in se Deus nobis proponit, dùm de libertate, qua fungimur, instruit.

111 Secundo ex illo Apocalipsis capite 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & apperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo*: in quo textu, vt notant vnanimiter Interpretes, demonstratur amicabilis Societas gratiæ, qua Deus nos prævenit, & pulsat cor cum indifferentia, & dominio libertatis; quem textum sic pondero: Deus dùm nobis proponitur, vt tribuens gratiæ auxilia ad opera salutaria, proponitur sub metaphora hospitis pulsantis ad domum extraneam, expectantis appertionem ianuæ, vt ingrediatur; quia ex se non habet clavem: sed data doctrina aduersariorum inepta esset hæc metaphora, & similitudo, vt formaremus conceptum de Deo Prouisore, & Largitore auxiliorum: ergo ea doctrina non est tenenda. Probo minorem. In tali sententia Deus ex se est determinatus, vt habeat infinita media, quibus prævideat creaturam consensuram: ergo etiam, vt habeat ex se infinitas claves ad apperiendum cor hominis: sed ex hoc clare infertur: ineptè, & inutiliter se nobis Deum explicare sub metaphora expectantis appertionem ianuæ, & clavem ad ingressum: ergo data tali doctrina, non similitudinem; verum absimilitudinem contineret explicatio ab Scriptura tradita.

112 Dices primo: præsentem textum eiusque intelligentiam recte componi cum necessitate disiunctiva: quia cum, hac suppositā, quodcumque auxilium *diuisivè*, &, vt confertur, sit indifferens ad consensum, & dissensum, semper verificatur cum proprietate; Deum dum pulsat, expectare ianuæ appertionem, scilicet determinationem voluntatis ad rectum, vt per bonam operationem ingrediatur. Sed contra: quia tota hæc libertatis indifferentia sub quocumque auxilio non tollit, iuxta aduer-

sarios

sarios: Deum ex se esse proximè potentem ad ingrediendum: imo tota illa necessitas disiunctiva ad hoc tendit, vt Deum ex se constituat proximè potentem ad ingrediendum cor hominum per conversionem: sed Deus, vt salvetur textus proprietas, proponitur, vt ex se expectans, & impotens proximè ad ingrediendum; alias, quæ proportio esset inter Deum, & illum, qui cum ad ostium pulsat, impotensque sit ad apperiendum, expectat auditionem, & quasi facultatem ad ingressum? Ergo indifferentia illa voluntatis coniuncta cum necessitate disiunctiva ex parte Dei, non salvat textus proprietatem, neque rectam ipsius intelligentiam.

113 Dices secundo: argumentum nimis probare, & iuxta sensum explicatum æque contra nos militare; quia quamvis Deo non concedamus infinita auxilia efficacia respectu cuiusque voluntatis liberæ ex necessitate *metaphysica*; tamen ea concedimus ex necessitate *morali*: ergo dum defacto Deus pulsat per gratiam, & auxilia, non est impotens ad apperiendum; ideoque absque ulla proprietate comparabitur pulsanti, & impotenti ad apperiendum. Sed nulla est instantia: nam, cum *moralis* necessitas non auferat potestatem *physicam*, & *metaphysicam*, ideoque libertatem; semper verificatur: Deum ex se, supposita libertate, esse impotentem ad habendam clavem; & in tantum habere, in quantum ipsi ex se expectanti confertur.

114 Tertio ex illo Ecclesiastici capite 15. iam citato: *non enim necessarij sunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus*: vnde clare constat: Deum nullo modo indigere impijs, & peccatoribus, & nullo modo ex se trahere erroris execramentum, seu peccatum in creatura: sed data necessitate disiunctiva consensus, & dissensus hæ propositiones essent falsæ: ergo & sententia, ex qua falsitas deducitur. Probo minorem. Ex ea necessitate infertur: Deum ex se *metaphysicè*, & *antecedenter* esse determinatum, vt prævideat infinita auxilia inefficacia, quibus sit proximè potens ad desserendum infinitis modis: sed ex hoc infertur falsitas illarum propositionum: ergo tenet intentum. Probatur minor. Ex tali determinatione Dei infertur: ipsum indigere aliquo modo peccatoribus, & ex sua bonitate, & perfectione trahere *execramentum erroris* in creatura: patet: quia infertur: Deum ex se esse determinatum, vt quælibet creatura libertate ad meritum, & demeritum constans, sit conditionatè peccatrix sub infinitis auxilijs: ergo & aliquomodò indigere peccatoribus, nec repellere ex se execramentum erroris: sed indigere, aliquomodo peccatoribus, & aliquomodo non repellere execramentum erroris in creatura, est, esse falsas illas propositiones: *Nullo modo Deus indiget peccatoribus; & omni modo reijcit execramentum erroris*, quæ in propositionibus Scripturæ, vt pote *absolutis*, & *non modificatis*, continentur: ergo adversa sententia reddit falsas propositiones sensui Scripturæ conformes.

115 Quibus adiungi valet illud psalm. 10. v. 18. *Iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*: super quem locum eruditissimus Pater Lorinus, *sensus erit* (inquit); *quod vultu suo Deus aspiciat, vel aspicit, & aspicere solet id, quod rectum est, & favere bonæ causæ iuxta illud Abacuc capite 1. numero 13. mundi sunt oculi tui nè videas malum, & respicere ad iniquitatem nò poteris*: quasi sensus sit: Deum non habere oculos, & scientiam ex se, quæ faveat malæ causæ, id est peccato creaturæ; sed oculos Dei, & scientiam eius ita esse ab omni peccati immunditia liberam, vt nec per vmbram vllo modo peccatis faveat: sed in opposita sententia oculi Dei, & scientia ipsius aliquomodo faverent malæ causæ creaturæ; cum ex se essent determinata, vt sub infinitis auxilijs esset dissensuram: ergo nec mundi ab omni immunditia taliter, vt nec videant malum, nec respicere possint iniquitatem, prædicari valeant. Imo certò modo ex oppositò discursu apparet: posse dici, *Iustus Dominus, & iustitias dilexit; verum iniquitatem vidit vultus eius*; cum iuxta ipsum ex perfectione, & excellentia Dei inferatur talis determinatio, vt videat iniquitatem.

116 Nec valet, si dicas: sensum horum textuum longè esse à nostro intento; quia vt constat ex Interpretibus, respicientia ad malum, & immunditia, quæ à divinis oculis reijcitur, est illa, quæ coniungitur cum approbatione mali: quæ nullo modo infertur, licet Deus sit *metaphysicè* determinatus, vt tantum videat peccatum conditionatè sub his, vel sub illis medijs. Non obstat inquam; quia ex opposita sententia intendo: sequi respicientiam Dei ad malum coniunctam cum aliqua approbatione si non *formali*, saltem *virtuali* consis-

ten-

tente in eo, quod id, quod per essentiam est summe, & infinitè perfectum, & rectum, indigeat peccato, vt existenti saltem conditionate sub infinitis auxilijs: quod tàm alienum iudico ab infinita bonitate, & sanctitate; quam ipsum velle peccatum.

117 Huic nostræ meditationi consonare videntur verba illa Eliu apud Iobum capite 35. vers. 5. & 6. quæ vera censet Divus Gregorius Magnus: *si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? porro si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Ergo si multiplicaverit creatura iniquitates per omnia media, nullo excepto, nil faciet contra Deum, nec ei nocebit; etsi iustè, & bene egerit sub aliquibus medijs, nil ei conferet, quod iure æstimari possit: at si Deus ex se esset determinatus, vt prævideret infinita auxilia inefficacia, & infinita efficacia; si creatura multiplicaret iniquitates per omnia media, faceret contra Deum, & ei noceret per ablationem termini essentialiter exacti, scilicet infinita auxilia efficacia; etsi iustè ageret sub infinitis medijs, aliquid Deo conferret æstimabile per exhibitionem termini essentialiter requisiti: non ergo Deus habet determinationem, vt quævis creatura prævideatur infinitis auxilijs consensura, sicut, & infinitis dissensura.

118 Probatur iam à ratione conclusio. Primo. Illud consequens non est absurdum, quod legitimè infertur ex antecedenti, quod nobis constat per fidem: sed ex fide nobis constat: dari libertatem indifferentiæ ad peccandum, & non peccandum sub quocumque auxilio; quod est antecedens, ex quo legitimè infertur consequens à nobis concessum: ergo tale consequens nullam continet absurditatem. Quod ex illo antecedenti inferatur hoc consequens; constat ex argumentis, quibus conati sumus probare rectitudinem illationis.

119 Secundo. Illud consequens non est absurdum, cuius oppositum continet destructionem divinæ perfectionis: sed oppositum huius consequentis continet destructionem divinæ perfectionis: ergo hoc consequens non est absurdum. Probo minorem. Oppositum huius consequentis facit Deum essentialiter connexum, & dependentem ab infinitis veritatibus contingentibus: sed quod essentialiter facit necessarium dependens à contingenti, destruit necessarium: ergo oppositum huius consequentis destruit divinam, & infinitam perfectionem. Maior est certa, cum oppositum huius consequentis inferat: Deum esse necessitatum, vt non sit in sensu diviso ab infinitis veritatibus de consensu, & de dissensu sub auxilijs, quæ omnes sunt contingentes. Minor etiam facile suadetur. Necessarium, vt necessarium non potest esse dependens ab eo, quod potest deficere: ergo quod facit necessarium essentialiter dependens à contingenti, destruit necessarium. Quod si dicas: Deum dependere ab illis veritatibus contingentibus, non vt contingentibus, sed vt necessariæ sunt, scilicet sub disiunctione; sicut absque imperfectione vlla dependet à disiuncto duplicis contradictorij contingentis. Præterquamquod semper Deum relinquis determinatum, vt sit cum infinitis veritatibus contingentibus, quod contra independentiam est, quam Patres in Deo proclamant; etiam non est minus absurdum facere id, quod *natura sua* est contingens, necessarium, saltem sub disiunctione, quando non est fundamentum; quam facere necessarium *simpliciter* dependens à contingenti.

120 Paritas disiuncti duplicis contradictorij contingentis mihi levis momenti est: tum quia inter contradictoria non datur medium; qualiter invenitur inter consentire infinitis auxilijs, & infinitis alijs dissentire: scilicet, aut *consentire omnibus*, aut *omnibus dissentire*. Tum quia in mea sententia tuente inconnexionem Dei cum possibilibus, & impossibilibus nulla in Deo est dependentia intrinseca, & essentialis à disiuncto duplicis contradictorij contingentis; æque benè Deo se habente quoad intrinseca, vtroque deficienti, aut existenti.

121 Confirmatur primo. Deum ex se, & ex intrinsecis non esse potentem proximè ad producendum, quod producibile est, nec dissonantiam continet, nec cum horrore accipitur; imo potius cum plausu accipitur à nobilissima Theologorum parte: ergo Deum non esse ex se, & ex intrinsecis proximè potentem ad convertendum, quod convertibile est, aut ad deferendum, quod deferibile est, nec dissonantiam continet, nec alienum à divina perfectione debet reputari. Antecedens est certum in sententia inconnexionis pijs auribus, aut animis non aliquorum; sed Scholarum

cm-

omnium minime ingrata sub prætextu independentiæ, quam *esse infinitum Dei* sibi sufficientissimum debet habere. Probatur consequentia. Non minus debet pertinere, aut non pertinere ad divinam perfectionem, & potentiæ infinitatem, posse proximè producere, quod producibile est; quam posse proxime convertere, aut deferere, quod convertibile, aut deseribile est: ergo si primum, nec dissonum, nec repugnans est divinæ perfectioni; neque secundum dissonum, aut repugnans eidem perfectioni, & infinitati est reputandum.

122 Dices: diversitatem esse notam, penetratis tantum terminis vtriusque propositionis. In sententia enim, quæ inconnexionem Dei cum creaturis tuetur; in tantum divina omnipotentia præscindit ex se à potestate proxima producendi ad extra; in quantum ex se præscindit à possibilitate termini producibilis: quod eius independentiæ *in essendo* tribui potest: at in nostra sententia, supposita iam possibilitate consensus, & dissensus liberi, adhuc negatur Deo ex se potestas proxima convertendi, & deserendi: quod quidem non potest tribui independentiæ divinæ perfectionis; sed imbecillitati potentiæ, quæ nostræ assimiletur, cui multa, quæ possibilia sunt *remote, proximè*, & quoad immediatam exequutionem sunt impossibilia.

123 Probat solutio: non modo repugnare Deo impotentiam proximam convertendi, aut deserendi creaturam, attenta omni collectione auxiliorum; verum inspecto quovis auxilio in particulari; sub quo negari non potest: (si sit ex his, quę libertatem constituunt,) esse possibilem consensum, & dissensum: vndè tàm impetit possibilitatem creaturæ inconvertibilis aut indeseribilis; quàm auxilia merè indifferentia per exclusionem physicæ prædeterminationis, aut decretorum efficacium antecedentium. Eam sic impugno. Nam si semel concedatur; Deum ita ex se præscindere à possibilitate termini producibilis, vt per quid extrinsecum *obiectivè* constituatur *proximè* potens ad producendum; in quantum *obiectiva* possibilitas termini inferat cognitionem sui in Deo, qua constituatur proximè potens ad producendum; non est cur sine absurdo; imo consequenter concedi nequeat: Deum ita ex se præscindere à consensu libero, aut dissensu conditionate acceptis, vt per quid extrinsecum *obiectivè* constituatur *proximè* potens, vel ad producendum consensum, vel ad permittendum dissensum; in quantum *obiectiva* futuritio vtriusque inferat cognitionem in Deo, qua constituitur *proximè* potens ad convertendum, & deferendum.

124 Explicatur hæc ratio. Per te dissonum non est: necessarium *obiectivè* creatum ea necessitate, quæ convenit rerum essentijs, & possibilitati, quæ altera à necessitate *notionis*, aut *verificationis* non est, constituere *arguitivè* Deum *proximè* potentem ad producendū: ergo neque dissonum erit: liberum *obiectivè* constituere *arguitivè* Deum *proximè* potentem ad sui productionem. Probatur consequentia. Non est minus subiectum divino dominio, quoad sui productionem necessarium *verificativè*; quam *verificativè* contingens: sed cum subiectione creati ad divinam potentiam stat; Deum ita ex se præscindere à necessario *verificativè*, vt per ipsum *arguitivè* constituatur *proximè* potens producere: ergo cum eadem subiectione stabit; Deum ita ex se præscindere à contingenti *verificativè*, vt per illud *arguitivè* constituatur *proximè* potens ad eius productionem. Nec per hoc convincitur debilitas divinæ potentiæ; sed improportio termini, qui aliter non potest produci: sicut licet in nobis indigentia alterius causæ nobiscū concurrentis ad aliquem effectum sæpè proveniat ex imperfectione potentię; similis indigentia ad Deum translata, vt contingit in actibus vitalibus, quos sinè concursu potentiarum vitalium in communi sententia non potest producere, non arguit debilitatem virtutis in Deo; sed puram improportionem ex parte termini ortam ex natura, & conditione ipsius.

125 Confirmatur secundo, & per absurdum roboratur. Oppositum huius consequentis infert: Deum ex se, & *metaphysicè* esse necessitatum, vt omnes creaturæ liberæ, quoad statum conditionatum sint æquè sanctæ, ac pravæ, & æquè pravæ inter se: sed hoc est absurdum oppositum divinæ perfectioni: ergo oppositum huius consequentis destruit divinam perfectionem. Probo minorem. Absurdum est: divinam perfectionem esse talem, quæ subsistere nequeat, quin omnes creaturæ liberæ intelligantur infinitis modis, & per infinita media conditionate sibi ingratæ, inimicæ, & divinæ Authoritatis, & maiestatis-

tis contemptrices, & quod magis dissonat; quin Beatissima Virgo intelligatur æquè sancta, & æquè perversa; quam Iudas quoad statum conditionatum: sed hoc est absurdum ex proprijs terminis, oppositum divinæ bonitati, & perfectioni: ergo oppositum consenquentis est absurdum, & oppositum divinæ perfectioni.

126 Tertio, & vltimo. Consequens illatum nulli divinę derogat perfectioni: nulla efficaci oppugnatur ratione, & aliunde maxime convenit creatæ libertati ergo consequens illatum nullam continet dissonantiam, neque vllo modo est formidandum; sed oppositum potius, vt nostris principijs adversum reijciendum. Antecedens ex solutione argumentorum, quæ iam propono, & solvo, non obscure constabit.

CAPVT IV.

Diluit adversantia fundamenta contra primam, & secundam propositionem.

127 OBijcies primo contra primam. Quod consequens aliquod non inferatur ex vno antecedenti, non impedit inferri ex alijs, aut ex proprijs terminis non probari repugnans: ergo quod ab indifferentia auxiliorum, & necessitate scientiæ mediæ ad prædestinandum non teneat consequentia ad possibilitatem creaturæ inconvertibilis, aut indeseribilis, non probat deficere aliud antecedens, ex quo legitimè inferatur eius possibilitas; aut, quod hæc ex proprijs terminis non convincatur repugnans. Consequentia apparet legitima, & antecedens comprobatur mille exemplis cuique obvijs, in quibus veritas ex vno antecedenti male probata, ex alijs fundamentis rectè suadetur, ideoque passim videmus Authores convenientes in aliqua conclusione acriter dimicare pro fundamento illius, reijciendo totis viribus fundamentum alienum, & approbantes proprium. Confirmatur. Etsi iuxta plures non inferatur ex indifferentia auxiliorum, & necessitate scientiæ mediæ possibilitas creaturæ indeseribilis a Deo per peccati permissionem; non vetat, quod aliunde dispuntent possibilitatem talis creaturæ, & aliqui concedant possibilem ex non repugnantia creaturæ impeccabilis essentialiter: ergo quod ab auxiliorum indifferentia, & scientiæ mediæ necessitate non probetur possibilis creatura inconvertibilis, no est argumentum, vt aliundè nequeat possibilis concedi talis creatura.

128 Respondeo: verum esse in genere loquendo: ineptitudinem vnius medij ad probandam aliquam conclusionem non semper secum trahere ineptitudinem aliorum ad suasionem illius. Cæterum negari etiam non potest alias conclusiones, ita esse alligatas vni fundamento, vt, si illud deficiat, penitus improbabiles remaneant: sic non probante independentia Dei à creaturis possibilitatem non concurrendi immediate cum ipsis ad omnes effectus, non est aliunde fundamētum reddens suasibile: posse creaturam operari, Deo immediate no concurrēte. Ex his est conclusio modo controversa, cuius probabilitas ita est alligata indifferentię auxiliorum, & necessitati scientiæ mediæ, vt si in his non appareat sufficiens fundamentum desumptum ex naturis rerum, & conditione libertatis; semper vrgeat amplitudo divini dominij ex se non permittentis aliud fundamentum pro possibilitate creaturæ inconvertibilis, nec quod hæc ex proprijs terminis non appareat repugnans, vtpote divinam potentiam minuens. Paritas creaturæ impeccabilis omnino extra rem est per immutationem casus, & libertatis. Nam qui negant possibilitatem creaturæ indeseribilis à Deo ex indifferentia auxiliorum ad meritum, & demeritum, non eam concedunt, manente eadem indifferentia; sed posita determinatione ex parte naturæ; vt non possit ferri, nisi in bonum honestum, aut positivè aut negativè cum incapacitate, vt dirigatur per auxilia indifferentia ad meritum, & demeritum.

129 Obijcies secundo. Vt non sit recta consequentia ab indifferentia auxiliorum ad possibilitatem dissensus pro sensu composito omniū, sufficit, quod ratio generica auxiliorum infinitorum indifferentium ad meritum, & demeritum sit contrahibilis per repugnantiam ad dissensum, & consensum pro sensu composito omnium: deinde, vt sit possibilis creatura inconvertibilis, aut indeseribilis per Deum, sat est, quod eadem ratio generica sit contrahibilis per ea-

capacitatem ad consensum, & dissensum complexivè: sed non repugnat: eandem rationem genericam esse contrahibilem per differentias oppositas, & inter se repugnantes: ergo neque implicat: eam illationem ab indifferentia auxiliorum esse malam, & esse possibilem creaturam inconvertibilem, sicut, & indeficibilem. Explicatur. Vt hæc consequentia sit mala: *est animal: ergo est homo*, sufficit quod ratio generica animalis possit contrahi per differentiam repugnantem rationi hominis: & vt sit verum, *possibile est animal homo*, sufficit quod eadem ratio generica sit contrahibilis per differentiam rationalitatis repugnantem alijs differentijs irrationalium: ergo vt sit mala hæc consequentia: *Est coniunctum auxiliorum indifferentium: ergo potest coniungi, aut cum consensu, aut cum dissensu omnium*, sufficit quod ratio generica coniuncti infinitorum auxiliorum indifferentium sit contrahibilis per repugnantiam ad consensum, & dissensum complexivè; &, vt sit possibilis dissensus, aut consensus sub omnibus, quod eadem ratio sit contrahibilis per capacitatem ad consensum, & dissensum complexivè.

130 Concessis præmissis: nego consequentiam, quæ non tenet, dummodo non ostendatur prædicatum aliquod, per quod contrahatur ratio generica complexi infiniti auxiliorum indifferentium ad meritum, & demeritum ad capacitatem consensus, & dissensus in sensu composito omnium auxiliorum: at si complexum omnium auxiliorum indifferentium pertinentium ad vnam creaturam contrahatur per differentiam repugnantiæ ad consensum, & dissensum in sensu composito omnium; non ostenditur prædicatum aliquod, ex quo complexum pertinens ad aliam creaturam contrahatur per capacitatem ad consensum, & dissensum in sensu composito; imo dato primo, obstat dominium Dei, né sit possibile secundum: ergo si ratio generica complexi infiniti auxiliorum indifferentium compatibilis est cum repugnantia ad consensum, & dissensum in sensu composito, contrahi nequit per capacitatem ad consensum, & dissensum in sensu composito. Exemplum adductũ nobis favet: nam sicut ratio animalis ex se contrahibilis per differentiam repugnantem homini malè diceretur contracta per differentiam hominis constitutivam, illis manentibus, quibus constituitur repugnans: sic ratio coniuncti infinitorum auxiliorum indifferentium improbabiliter dicitur contracta ad capacitatem consensus, & dissensus in sensu composito, illis tantum manentibus, quæ ad talem compositionem dicunt repugnantiam, & locum præbent debito divini dominij convertendi, & deferendi prolibito creaturam.

131 Objicies tertio contra secundam. Non est recta illatio ab indifferentia auxiliorum, & necessitate scientiæ mediæ ad possibilitatem creaturæ inconvertibilis, & indeficibilis, nisi antecedens sit repugnans oppositio illius consequentis: sed antecedens indifferentiæ auxiliorum, & necessitatis scientiæ mediæ non repugnat oppositio illius consequentis: ergo non est legitima illatio ad illud consequens ex illo antecedenti. Probatur minor. Oppositum illius consequentis est necessitas disiunctiva consentiendi, & dissentiendi infinitis auxilijs his, vel illis: sed illud antecedens non repugnat huic necessitati disiunctivæ: ergo non repugnat oppositio consequentis. Probatur minor: Necessitas disiunctiva consensus, & dissensus sub infinitis auxilijs his, vel illis non opponitur cum indifferentia voluntatis ad consentiendum, & dissentiendum sub quocumque determinato auxilio ex capite necessitatis, & indifferentiæ; neque ex capite talis necessitatis, & indifferentiæ; nec denique ex eo, quod toti collectioni auxiliorum concedatur prædicatum, quod non convenit singulis auxilijs divisivè; & distributivè sumptis: ergo non opponitur necessitati disiunctivæ consensus, & dissensus sub infinitis auxilijs his, vel illis.

132 Probatur antecedens per partes. *Non opponitur ex capite necessitatis, & indifferentiæ*; cum necessitas, & indifferentia sint in diversa consideratione: modo quo libertas ad consensum est necessitas disiunctiva de consensu, vel carentia consensus; & tamen quodvis extremum determinatè, & divisivè, sumptum potest non existere: *non ex capite talis necessitatis, & indifferentiæ*; quia, cum ex conceptu suo necessitas disiunctiva ad aliquod extremum, & indifferentia extremorum determinatè, & in se non opponantur, non apparet ex parte libertatis titulus, vt in ea repugnent; præcipue cum sit connexa cum perfectione divinæ omnipotentiæ, quæ extollitur per indefectibilem potestatem convertendi, & deferendi: *non ex vltimo capite*;

Pite; cum pluribus complexis hoc conveniat, vt patet in æternitate impertransibili respectu suarum partium divisivè pertransibilium, & in complexo duplicis contradictorij impossibili; cum quodvis contradictorium sit contingens. & alijs mille huius generis: ergo necessitas disiunctiva nullo ex assignatis titulis repugnat cum auxiliorum indifferentia.

133 Ad argumentum, concessa maiore, nego minorem. Ad cuius probationem nego etiam minorem. Et ad huius probationem nego antecedens quoad secundam partem. Itaque verum est: repugnantiam non provenire titulo necessitatis disiunctivæ, & indifferentiæ determinati extremi; quia vt benè probat argumentum, hæc coniunguntur in quavis libertate; neque provenit ex impotentia, vt coniuncto divisibili conveniat prædicatum, quod non convenit partibus secundum se, & divisive acceptis: quia ex hoc capite nil firmum argui potest: videmus enim plura complexa, in quibus prædicatum, quod de constitutivis divisivè affirmatur, non potest non affirmari de toto: sic prædicatum *entis ab alio*, quod convenit cuique enti creato secundo se, non potest non convenire toti collectioni; sicut, & prædicatum *subsistentiæ* conveniens omnibus partibus constituentibus hominem non potest non convenire homini: & per oppositum, plura sunt complexa, in quibus prædicata illis convenientia non possunt convenire partibus separatim acceptis, neque è contra, vt bene suadent exempla apposita: pro quorum diversitate nulla alia regula assignari potest præter conditionem prædicatorum, & naturam denominationis. Provenit ergo oppositio ex titulo talis necessitatis, & indifferentiæ, scilicet versantis inter distinctas libertates, & independentes: sicut tu dices de voluntatibus distinctis, in quibus oppositio necessitatis disiunctivæ ad determinatam operationem v. g. consensus, & indifferentiæ cuiusvis exercitij liberi determinatè accepti, non provenit titulo generali necessitatis, & indifferentiæ, neque titulo disconvenientiæ in prædicatis; sed ratione talis necessitatis, & indifferentiæ, quæ sint inter voluntates distinctas, & independentes.

134 Insistes: necessitas disiunctiva, & indifferentia determinata compatibiles sunt respectu eiusdem libertatis: ergo etiam respectu diversarum. Isto: necessitas disiunctiva, & indifferentia determinata per te sunt compatibiles respectu diversarum libertatum: ergo etiam respectu diversarum voluntatum, & agentium liberorum. Respondeo: disparitatem stare in eo, quod inter duo contradictoria non datur medium, ac proinde vnum exercitium liberum per se est impeditivum alterius *formaliter*: vnde, nec vtrumque potest deficere, nec vtrumque simul existere: at exercitia diversarum libertatum non sunt contradictoria, neque vnum impeditivum, aut determinativum alterius: quarè quælibet libertas potest operari, prout libuerit sine respectu ad aliam, cuius exercitium, qualecumque sit, non est impeditivum exercitij proprij.

135 Obijcies quarto. Impossibile *moraliter* est: quēcumque hominem liberum ad bonum, & malum sinè speciali privilegio Dei evitare omnia peccata venialia, vt definitum est in concilio Tridentino sessione 6. Canone 23; licèt possibile *moraliter* sit evitare quodcumque peccatum distributivè, & determinatè sumptum: ergo cum indifferentia *morali* ad quodvis stat necessitas *moralis* disiunctiva ad aliquod: ergo nulla potestas determinata evitandi peccatum veniale determinatum, potest se exercere per carentiam peccati venialis, nisi in sensu composito de eo, quod verificetur; aliam potestatem exercendam fore per peccatum veniale: possibilis ergo est *moralis* antypathia inter diversas potestates, & libertates. Vnde à pari possibilis erit sine libertatis dispendio *metaphysica* illa necessitas disiunctiva inter distinctas libertates ad non dissentiendum omnibus auxilijs collectivè sumptis cum indifferentia *physica*, & *metaphysica* ad dissentiendum sub quocumque determinato, & determinate accepto.

136 Respondeo: disparitatem esse sumendam ex natura necessitatis *moralis*, & *metaphysicæ*: nam necessitas *moralis* vincibilis est *physicè*, & *metaphysicè*; ideoque compatibilis cum libertate, & indifferentia ad meritum, & demeritum; at *metaphysica* nullo modo est vincibilis: vnde nulla ex *morali* potest roborari similitudine aut paritate. Nec adversarij verebuntur fateri: longe disparem esse necessitatem *moralem* à *metaphysica*; alias, sicut concedunt; necessitatem *moralem* non modo disiunctivam; sed deter-

terminatam componi cum libertate, vt in casu grauissimæ tentationis concedãt etiam componi necessitatem *metaphysicam* omnino antecedentem. Prætereàque aduertant: paritate, si hoc nomen meretur, etiam premi: nàm necessitas *moralis* disiunctiva non solum potest inueniri inter exercitia diuersarum libertatum eiusdem voluntatis; verum extenditur ad exercitia libera distinctarum voluntatum: vt videre est in necessitate *morali*, quę datur de eo, quod inter mille homines aliquis loquatur verbũ otiosũ, & inter numerũ finitũ extremorum; nec ideò admittũt necessitatẽ disiunctiuã *metaphysicam* inter vnã, & aliam voluntatẽ, aũt inter extrema finitæ collectionis.

137 Aliter respondet Izquierdo disputatione citata, dicendo: ad necessitatem *moralem* vagam alicuius exercitij liberi inter distinctas libertates concedendam, dari fundamentum in ipsis extremis, inter quæ fundatur; scilicet diuersitas ipsa, multitudo, & independẽtia operationum, quæ fundant iudicium imprudens de conformitate omnium inuitatione peccati venialis, sicut iudicium prudens de oppositio per disconformitatem in operando; ad necessitatem verò *metaphysicam* vagam admittendam inter similia exercitia, neque in collectione, neque in extremis diuisiuè acceptis, apparet aliquod prædicatum, in quo radicetur connexio *metaphysica* adhuc vaga, nisi recurratur ad dominium Dei, quod, non esse fundamentum huius connexionis, iam diximus; cum diuinum dominiũ non immutet rerum essentias; sed illis præsuppositis se accommodet.

138 Obijcies quintò. Longe minus est resistere, aut posse resistere cuicumque auxilio *diuisiuè*; quàm resistere, aut posse resistere infinitis *sine termino quoad intensionem, & extensionem*: ergo ex potentia resistendi cuiuis auxilio *diuisiuè* non potest inferri potentia resistendi toti collectioni. Probatur consequentia. Nequit inferri ex potentia infinitè minori potentia infinitè maior: sed potentia resistendi cuicumque *diuisiuè*, est potentia infinitè minor potentia resistendi omnibus *collectiuè*: ergo non potest inferri potentia resistendi omnibus *collectiuè*, quæ est infinitè maior.

139 Instatur argumentum. Longè minus est hoc ens, & illud ens *diuisiuè* sumptum esse ab alio; quam totam collectionem infinitorum entium esse ab alio: ergo ex eo, quod hoc ens, & illud ens *diuisiuè* sumptum, sit ab alio, male infertur: totam collectionem esse ab alio. Item longe plus est totam collectionem substantiarum esse substantiam; quàm *diuisiuè* singulas esse substantias: ergo ex eo, quod quæuis *diuisiuè* accepta sit substantia, malè infertur: totam collectionem esse substantiam: demùm: plus est resistere toti collectioni continenti plura milia milium auxiliorum, etsi indeterminato, & finito numero; quam resistere singulis *diuisim* eiusdem collectionis: ergo tàm mala est consequentia ad resistentiam collectionis finitæ; quam infinitæ. Nego igitur antecedens. Non enim est longe plus posse resistere toti collectioni auxiliorum, etsi numeraliter infinitæ; quàm posse resistere cuiuis *diuisim*; sed ipsissimum, vt probant instantiæ factæ.

CAPVT V.

Reliquas obiectiones contra tertiam propositionem soluit, quæ eo tendunt, vt ostendant consequens omnino dissonum, & absurdum.

140 OBijcies sextò quàm plures authoritates, tum Scripturæ, tum Patrum, quas referunt Izquierdo, & Herrera quæstionibus citatis. *Ex Scriptura*: Proverbiorum 21. *sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*; Mathæi cap. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Habrahæ*: Esther cap. 13. *Domine Rex omnipotẽs in ditione tua cuncta sunt posita, nõ est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.* Pauli ad Romanos cap. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat.* Ad Ephesios cap. 3. *Potens est omnia facere superabundanter; quàm petimus, aut intelligimus.* Ex Epistola Iudę in fine: *Potens est vos cõseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ.*

141 *Ex Patribus*: Augustini in Enchiridio cap. 98. *Quis porro tàm impiè desipiat, vt dicat: malas hominum voluntates, quas voluerit, & vbi voluerit, & quando voluerit, in bonum nõ posse conuertere*: & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. circa mediũ. *Quis audeat dicere; defuisse Deo modũ vocandi, quo etiã Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est:*

& infra: *cum deſſerit, non ſic vocando; quomodo ad fidem moveri poteſt, quis etiam dicat: modum, quo ei perſuaderetur, omnipotenti defeciſſe?* Et libro de Correptione, & Gratia capite 14. *Volenti ſalvum facère, nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nole in volentis, aut nollentis eſt poteſtate, vt divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem:* & libro 14. de Trinitate capite 27. *Quis audeat credere, aut dicere, vt neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe?* Et libro de Gratia Chriſti capite 14. *Intelligant poſſe Deum mirabili, & ineffabili poteſtate operari in cordibus omnium; non ſolum veras revelationes; ſed etiam bonas voluntates:* & libro 11. de Geneſi ad literam capite 10. *Sed poſſet voluntatem ipſorum in bonum convertere, quoniam omnipotens eſt. poſſet plane, cur non fecit?* Conſonat his Sanctus Doctor pluribus in alijs locis, qualiter etiam Hieronymus, Ambroſius, & Proſper, quos apud Ruiz invenies diſputatione 18. de Voluntate ſectione 8.

142 In primis, ſi textus hi accipiantur, vt ſonant, non ſolum probant contra nos; ſed etiam contra adverſarios, qui in noſtra Schola conantur evitare conſequens: quia non minus ex ipſis infertur: Deum ex ſe eſſe potentem ad convertendum creaturam per infinita media; quam per finita; imò & per quodvis. Cur enim ex illo textu Proverbiorū Mathæi, & Eſther, & ex illo Auguſtini: *Quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit,* & ex illo *ſic velle, & nole in volentis, & nolē tis poteſtate eſt,* & alicui ex alio; *ſed poſſet ipſorū voluntate in bonum convertere, quoniam omnipotens eſt,* potius inferunt vnam poteſtatem, quam aliam; præcipuè cum iuxta ſuum procedendi modum ſic appareat perfectior omnipotentia, & rationabilius inducere nomen, & rationem talis? Si igitur huic textuum, & loquutionum Sanctorum Patrum vniverſalitati modificationem, & reſtrictionem quærunt, vt ſuæ ſententiæ accommodent, cur cōtra alienam tàm ſtrictè procedunt? Deinde contra omnes: nam ſi non obſtante perfectione omnipotētiæ, & rigore textuū, & loquutionum, Deus non eſt potens proximè flectere in bonum, complexum aliquod rationale, & liberum, vt eſt cōplexū libertatis creatæ, & qualitatis prędeterminantis ad materiale peccati, neque ex illo lapide facere filium Habrahę; cur contra rigorem eorūdem erit, & cōtra omnipotentiæ perfectionem, quod non ſit Deus proximè potens ad flectendam creatam voluntatem, ſi noluerit?

143 Reſpondeo primò. Hos textus debere intelligi defacto, & iuxta potentiam conſequentem, iuxta quā Patres loquuti, intendebant: Deo non deficere media ad convertendum, & deſerendum: nam cum impoſsibile *moraliter* ſit: voluntatem omnibus auxilijs prævideri reſtituram; ideò prudentiſsimè aſſerebant: Deo non deficere talia media; & conſequenter imprudentiæ, & impietatis damnabant eos, qui aſſererent: defacto deficere, non curantes de potentia antecedenti, quæ ad inrentum non requirebatur. Neque hoc reputandum eſt aliqua Dei imperfectio, aut diminutio potētię: ſicut non reputatur tale, quod Deus non habeat ex ſe potentiam antecedētem ad convertēdum ſub hoc determinato medio, & auxilio, aut ſub carentia prædeterminationis, vel ſub qualitate prędeterminante ad materiale peccati; cum non minus vnum; quàm aliud opponatur indifferentiæ, & dominio divinæ libertatis.

144 Sed contra hanc comunē, & veram nobis ſolutionem inſurgunt Recentiores Sapientiſsimi ex Auguſtino in Enchiridio cap. 96. ſic aiente de Deo: *Cui proculdubio, quam facile eſt, quod vult facere, tàm facile eſt, quod non vult ei ſinere: hoc, niſi credamus, periclitatur noſtræ fidei confeſsionis initium, qua nos in Deum Patrem Omnipotentē credere confitemur, neque enim ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt:* ex quo ſic arguunt intendētes: Div. Auguſtinum non loqui de potentia Dei *conditionata*, & conſequente ad contingentem ſuppoſitionem; ſed de potentia *abſoluta* ad convertendum, omnem contingentē ſuppoſitonem antevertēte: vnde ita procedunt: omnipotentia tàm neceſſario covenit Deo; quam eſſe Deum Patrem: ſed non ob aliud vocatur Deus Omnipotēs, niſi quia, quidquid vult, poteſt: ergo poteſtas faciendi, quod vult, tàm neceſſariò covenit Deo, quam eſſe Deum Patrē: ac perconſequens poteſtas convertendi eū, quem defacto convertit, quia vult, eadē neceſsitate ei convenit: ſed hæc poteſtas convertendi conſtituitur per hanc, vel illam ſcientiam mediam efficaciæ: ergo hæc, vel illa ſcientia media efficaciæ, & poteſtas *abſoluta* cōvertendi tā neceſſariò convenit Deo; quam eſſe Deum Patrem.

145 Inſto argumentū meo iudicio clarè: omnipotētia tam neceſſario convenit Deo; quā eſſe Deum Patrē: ſed nō ob aliud vocatur Deus Omnipotens, niſi quia, quidquid vult, poteſt: ergo poteſtas faciendi, quod vult tàm neceſſariò con-

conveni it Deo; quàm esse Deum Patrem; ac per consequens potestas convertendi eum, quem de facto convertit per auxilium determinatum *A*, quia vult, eadem necessitate ei convenit: sed hæc potestas convertendi per auxilium determinatū constituitur per sciētiam mediam hanc determinatā de efficacia: ergo hæc sciētia determinata efficaciæ, & potestas *absoluta* convertendi per auxilium determinatum tàm necessario convenit Deo; quam esse Deum Patrem. Quo scientiæ mediæ necessitas, & auxiliorum indifferentia destruitur.

146 Ideò solutio ab omnibus nostris tenenda, est: ex sententia Div. Augustini in præsenti textu non reijci potētiam *conditionatā*, & *consequentem*, quàm damus; imò potius clarissimè confirmari. Ait enim tàm necessariam esse Deo omnipotentiam; quàm esse Patrem: insuper Deum esse omnipotentem, consistere in eo, quod, quidquid vult, possit, non quia *velle* sit ratio *à priori* potestatis; sed quia *velle*, si detur, non separabitur à potestate, si efficax sit, nec frustrabitur ex defectu potentiæ: eccè sensum *conditionatum*; nō *absolutum*. At verò, quod Deo tam necessario conveniat potestas ad volendum efficaciter quodcumque, ac esse Patrem; vbi dixit Augustinus, aut dicere potuit? alias nil probaretur Deo impossibile; cū difficilè impossibilitas volendi ostenderetur, quando *velle* esset ratio potestatis proximè exequendi.

147 Replicabis: prædictam solutionem, & interpretationem aliquibus textibus posse adaptari; alijs verò minimè: quia in illis sumitur pro antecedenti *omnipotentia*, & pro consequenti *habere media ad convertendum*, vt in illo Augustini iam citato: *Sed posset ipsorum voluntatem in bonum convertere, quia omnipotens est*: vbi assumit pro antecedenti *omnipotentiam*, & pro consequenti: *posse convertere*: sed antecedens est Deo *simpliciter*, & *metaphysicè* necessarium: ergo & consequens, quod ex illo infertur. Possem cum pluribus respondere ad instantiam: quod si aliquando Patres, vt in præsenti Augustinus, ex omnipotentia inferunt: posse Deum proximè convertere creaturam, eos non loqui de medijs indifferentibus ad bonum, & malum; sed de medijs prædeterminantibus ad bonum sub aliqua disiunctione, quæ locum merito relinqueret: quod expeditum satis est. Verùm hoc omittō: responderi etiam potest: Patres assumere pro antecedenti omnipotentiam ad inferendam potestatem proximam convertendi non *absolutè*; sed *ex suppositione prævisionis conditionatæ consensus sub pluribus auxilijs*, ad quam voluntas creata est *moraliter* necessitata; quamvis non *metaphysicè*: ex qua suppositione arguūt ab omnipotentia, ad posse convertere; quia si ex suppositione, quod veræ essent propositiones conditionales de consensu sub auxilijs; adhuc non posset convertere creaturam, non aliūde posset provenire; quā ex defectu potentiæ ad assequendum id, quod ex se, & proximè erat assequibile.

148 Eodem iure inferunt ex omnipotentia: Deum posse producere quidquid possibile est, & ad alienam libertatem non pertinens: nec ideò loquūtur *absolutè*, & *ex suppositione Deo intrinsecè non contingenti*, qualis non est possibilitas cuiusvis possibilis, quam Deus probabilissimè ex mente Patrum ex se nō affert propter indepēdentiam *infiniti esse*; quod, cùm sibi sit sufficientissimum, nullius essentia à se distincti indiget; sed cum defectu, & repugnantia omniū ex se cōponitur: sufficiat pro omnibus Div. Thom. quæst. 3. de Veritate art. 3. ad 8. dicens: *Quia Deus non potest non esse, non indiget essentia, quæ sit aliud; quàm suum esse*: videndus pro reliquis P. Izquierdo tom. 1. de Deo tractatu 2. disp. 4. sect. 2. id eruditissimè versans; necnon P. Ruiz disp. 8. de Voluntate sectione 4.

149 Respondeo 2: ex doctrina Divi Thomę 1. part. quæst. 15. art. 3. in corpore, vbi loquēdo de impossibilibus Deo, inquit; *Ea verò, quæ contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continētur, quia nō possunt habere possibilium rationem. vndè convenientius dicitur*; (attende) *quod ea non possunt fieri; quàm quod Deus non possit facere ea*: quo sensu accipio alios Patres dùm proferunt; Deum posse convertere quāliber creaturam, quasi id sit de conceptu omnipotentiæ; sed præter intentū; cum nullum aliud ipsis sit; quàm denotare in casu impotētiæ Dei ad proximè convertendū, non tàm dicendū esse: Deum non posse convertere creaturā, quia id sonat defectum ex parte Dei; quàm creaturam non posse coverti à Deo: quod denotat improportionem ex parte creaturæ, per quam fit, quod virtus infinita Dei impediatur ad proximè convertendum.

150 Obijcies septimò. Nil absolute necessarium potest defficere: sed Deum posse proximè convertere creaturam, est absolutè necessarium: ergo nō potest defieere. Maior est certa. Proba-

tur minor. Posse Deum proximè cõvertere creaturam, est conversionem creaturæ esse possibilem, & Deum esse omnipotentem: sed conversionem esse possibilem, & Deum esse omnipotentem, est absolutè necessarium: ergo Deum posse proximè convertere creaturam, est absolutè necessarium. Probatur maior. Si esse aliquid possibile, & Deum esse omnipotentem, nõ esset proxima potestas ad illud, Deus non esset omnipotens: ergo Deum posse proximè convertere creaturam, est conversionem creaturæ esse possibilem, & Deum esse omnipotentẽ. Probatur antecedens: si esse aliquid possibile, & Deum esse omnipotentem, non esset proxima potestas ad illud; Deus, vt omnipotens non posset simpliciter facere quæcumque possibilia sunt; sed præcisse ea, quę potest facere: at posse Deum facere quæcumque potest facere, non est Deum esse omnipotẽtem; cum idem verificetur de quacumque potentia finita: ergo si Deum esse omnipotẽtem, & aliquid esse possibile, non esset proxima potestas ad illud, Deus nõ esset omnipotes.

141 Hæc obiectio non tantũ impugnat possibilitatem creaturę incõvertibilis; quàm indifferentiam auxiliorum, cum eo tẽdat, vt probet: Deum nõ solum posse convertere quamcumque creaturam, attenta tota collectione auxiliorum; verum inspecto quovis auxilio in particulari; cum non tantùm sit possibilis conversio sub tota collectione; sed etiam sub particulari, & determinata libertate. Concessa maiore primi syllogismi: nego minorem. Ad cuius probationem, nego maiorem. Ad probationem huius, nego antecedens. Ad vltimã probationem. Distinguo maiorem. Non posset simpliciter facere, quęcumque possibilia sũt; sed pręcisse ea, quę potest facere *proximè*; concedo maiore. Sed præcisse ea, quę potest facere *remotè*: nego maiorem. Et distinguo minorem. Posse Deum facere, quæcuque potest facere, nõ est Deum esse omnipotentem *ex parte rei*: neg. min. *ex parte modi significandi*: conced. maiorẽ, & nego consequentiam. Itaque incipiendo ab hoc vltimo, dicimus: Deum esse omnipotentem ex parte rei, & obiecti, quia potest facere quidquid potest facere: omnipotentia enim, prout præscindit à nostris conceptibus, nil aliud est quàm potẽtia, quæ tendere potest, sivè proximè, sivè remote in omnia illa, quæ possunt ab illa prodire, & sub ea continentur; at ex parte modi significandi aliter debet explicari, ne cum potentia finita confundatur; modo, quo etsi homo ex parte rei nil aliud sit; quàm homo; cum tamen ipsum volumus discernere ab omni non ipso, non debemus illum ita explicare, vt dicamus: hominẽ esse hominem; sed terminis clarioribus suæ definitionis: scilicet: *homo est animal rationale.*

142 Quomodo ergo explicanda est omnipotentia divina, vt ab omni non ipsa distincta, & vt discreta à quavis alia potentia finita, accipe: omnipotentia est *virtus immediata cuiuscumque possibilis, taliter, vt sine eius immediato influxu, nil possit existere.* Per ly *virtus* convenit cum virtute mediata: per ly *immediata* distinguitur à mediata, & convenit cum omni immediata: per ly *cuiuscumque possibilis taliter, &c.* differt ab omni potentia finita, & limitata; vel quia nulla potentia finita potest se extendere, vt virtus ad omne possibile, etiam si admittatur sententia affirmans: *quodvis posse elevari ad producendum quodvis*: quia non posset esse virtus sui ipsius saltem *quoad primum esse*: vel quia etsi virtus finita posset se extendere ad omne possibile infra Deum, non esset ex debito effectus, qui aliunde; quàm ab ipsa posset existere, in quantum ratio *effectus* comprehendit omne possibile.

143 Nec quamvis divina omnipotentia sit essentialiter virtus proxima cuiuscũque possibilis, ideò essentialiter est potestas proxima productiva cuiusvis: nàm sunt cõceptus diversi, quorũ vnus potest existere sine alio nõ mutuo: sic ignis est virtus proxima per se combustiva ligni, & non est per se potestas proxima combustiva ligni; quia potestas proxima addit supra virtutem proximã expeditionem, quæ consistit in applicatione ad lignũ, sine qua virtus proxima cõbustiva ligni potest existere. Quod autẽ potestas proxima producendi possibile possit Deo deficere, nullã in eo arguit imperfectionẽ: quia si sit ante suppositionem possibiliũ, quam Deus ex se non affert; probat summã Dei independentiam *in essendo*; quæ maxima est perfectio si verò sit post suppositionẽ possibiliũ; arguit improportionẽ termini; non defectũ divinæ virtutis, quæ vniuersaliter non debet esse ex se potestas proxima omnium possibiliũ, vt patet in omnibus illis effectibus, qui à Deo solo nõ possunt procedere; sed à Deo, & alia causa secũda: sicut nec debet esse virtus *per se* causativa omnium; sed aliquorum; aliorum verò tantùm *permissiva*; imò in sententia

Tho-

Thomistarũ non tantum *permissiva* malitiæ formalis possibilis; verum nec *influxiva* in illam sub explicito talis.

154 Hinc scies loquendo de omnipotentia: has propositiones esse veras: *Omnipotentia est essentialiter virtus proxima omnis possibilis*: *Omnipotentia est essentialiter potestas proxima, vel remota omnium possibilium*; falsã verò hãc: *Omnipotentia essentialiter est potentia proxima cuiuscunquè possibilis, seu ex se habet virtutem expeditam ad illud producendum*: vnde patet argumenti solutio; & constat, quomodo, quamvis Deus non sit ex se proximè potens ad convertendam creaturam per media indifferentia; nec ipsi deficiat attributum omnipotentiæ, neque hęc debeat quoad proprium conceptum inexplicata relinqui per terminos, qui præcisse denotent; Deum posse facere quidquid potest facere: quomodo cum potentia limitata confunditur.

155 Replicabis: Div. Thomas in quæstione, & articulo supra citatis immediate explicat divinam omnipotentiam, dicendo: *Relinquitur igitur, quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolutè*: sed posse omnia possibilia *absolutè*, est posse proximè omnia possibilia: ergo de conceptu omnipotentiæ est vltra virtutem proximam, potestas proxima ad illud producendum, per quam constituitur potens *absolutè* respectu omnium possibilium. Respondeo: significationem termini *absolutè* non esse pro libito meditandam; sed ex ipso Angelico Magistro eruendam, qui non aliter eam accipit; quam volendo denotare: omnipotentiam esse virtutem, quę ad omne possibile sine restrictione extenditur; quare ex mente ipsius: *absolutè* contraponitur *restrictè*, aut *cum limitatione*; secus potentiæ *purè remotæ*, de qua non loquitur.

156 Objicies octavò. Si potestas proxima Dei convertendi creaturam, Deo contingenter conveniret, constitueretur per scientiam mediam de consensu: ac per consequens conveniret Deo ex determinatione creaturę: sed implicat potentiam proximam convertendi convenire Deo ex determinatione creaturę: ergo potestas proxima convertendi creaturam non potest contingenter Deo convenire. Probatur minor. Implicat omnipotẽtiam convenire Deo ex determinatione creaturę: ergo implicat potentiam proximam convertendi, convenire Deo ex determinatione creaturæ. Probatur consequentia. Potentia proxima convertendi est omnipotentia: ergo si implicat omnipotentiam convenire Deo ex determinatione creaturæ, implicat potentiam proximam convertendi; convenire Deo ex determinatione creaturæ. Probatur antecedens. Id est potestas proxima convertendi, quo præciso deficiente, & reliquis manentibus, deficit talis potentia proxima: sed præcisè secluso omnipotentia, & reliquis manentibus, deficit in Deo potestas proxima convertendi: ergo potentia proxima convertendi est omnipotentia.

157 Respondeo: potentiã proximam convertendi creaturam, duo dicere, scilicet virtutem immediatè influxivam in consensum, & expeditionem ad illum conferendum, & donandum, per auxilium: ex his primum est omnipotentia; secundum applicatio, seu proximitas illius ad operandum, quod ab omnipotentia distinguitur, & ipsa manẽte, potest deficere: quod autem ex determinatione creaturę convenit Deo, nõ est potentia proxima convertendi secundum, quod claudit *virtutis* ad cõsensum; qua ratione est omnipotentia; sed secundum quod claudit *expeditionis*, & *proximitatis* ad producendum; qua ratione omnipotentia non est: sicut virtus productiva caloris non est applicatio, quamvis per ipsam constituatur proximè potens calorem producere. Hinc ad illud entimema positum in argumento: *potentia proxima convertendi est omnipotentia: ergo si implicat omnipotentiam convenire Deo ex determinatione creaturæ, implicat potentiam proximam convertendi convenire Deo ex determinatione creaturæ*. Distinguendu est anteced. Potentia proxima convertendi est omnipotentia *inadæquatè*: conc. antecedens: *adæquatè*: nego antecedẽs, & similiter distinguendum consequens: ergo si implicat omnipotentiam convenire Deo ex determinatione creaturæ, implicat potẽtiã proximam convertendi *adæquatè sumptam* convenire Deo ex determinatione creaturæ: conc. conseq: *inadæquatè*: subdistinguo *secundum, quod dicit ex parte expeditionis virtutis*: nego conseq. *secundum, quod dicit virtutis*: concedo consequentiam.

158 Objicies nonò. Pro signo necessariorum conversio creaturæ est possibilis: ergo pro signo necessariorum est possibilis, vt proveniens à Deo *proximè*, cũ aliter sine implicatione existere non possit: sed posse provenire à Deo *proximè* pro signo necessariorum est posse Deum *proximè* pro signo necessariorũ

illam ponere: ergo Deum posse *proximè* ponere conversionem creaturæ, indefectibiliter convenit Deo. Probatur minor. In signo, in quo intelligitur aliqua activa, intelligitur passiva illi correspondēs. ergo si in signo necessariorū coversio creaturę potest existere a Deo *proximè*; in signo necessariorū Deus est potens *proximè* illā ponere; ac perconsequēs potētia *proxima* convertendi non est Deo defectibilis. Insto argumentum. Actio proveniens ab igne pro signo necessariorum est possibilis ergo pro signo necessariorū est possibilis, vt proveniens ab igne *immediatè*, cum aliter sine implicatione existere non possit: sed posse provenire ab igne *proximè* pro signo necessariorum, est posse ignem *proximè* pro signo necessariorum illam ponere; quia in signo, in quo intelligitur aliqua activa, intelligi debet passiva illi correspondens: ergo ignem posse *proximè* ponere suam actionem, indefectibiliter convenit igni; quod sine indefectibilitate ignis esse non potest.

159 Respondeo: conversionem creaturæ esse possibilem *intrinsecè* pro signo necessariorum, & non aliter; quam connotando potentiam *proximam* in sua causa; non quidem, vt existentem; quia sic contingens est, & nequit contingens esse connotatum illius, quod existit in signo necessariorum; sed vt possibilem, qua ratione etiam existit in signo necessariorum, & est activa correspondens illi passivæ: *Potest existere à sua causa potente proximè absque vlla contradictione*: quæ explicatur sub his terminis: *possibilis est causa proxima conversionis creaturæ, quia possibile est: Deum constitui proximè potentem ad conversionem.* Alia datur possibilitas conversionis creaturæ, quæ neque est ipsi *intrinseca*, nec connotatur à possibilitate *intrinseca* pro signo necessariorum; qualis est possibilitas *proxima* consistens in existentia causæ non vtcūque; sed prout expedita ad conversionē. Hæc *proxima* possibilitas, neque explicita *passivo* modo ex parte effectus, neque *activo* modo ex parte causæ, est necessaria; sed contingens: nam explicata *passivo* modo sub his terminis: *conversio est proximè possibilis à Deo*, dicit possibilitatem *intrinsecam* necessariam, & expeditionem in causa contingentem: vndè simpliciter est contingens; siquidem coniunctum ex necessario, & contingenti contingens est: & explicata *activo* modo sub his terminis: *causa, seu Deus est potens proximè ad conversionem creaturæ*, dicit expeditionem ex parte Dei supra virtutem *intrinsecam*, & possibilitatem *intrinsecam* conversionis necessariā: quod coniunctum similiter contingens est ab vnā parte. Itaque possibilitas *intrinseca* conversionis, quæ est in signo necessariorum, connotat possibilitatem potentiæ *proximæ*, quæ etiam est in signo necessariorum; & existentia conversionis in signo contingentium connotat existentiam potentiæ *proximæ*, quæ etiam pertinet ad signum contingentium. Ex quibus pro forma argumenti colliges; quam diversa sit illa propositio: *Conversio creaturæ pro signo necessariorum est possibilis, vt proveniens proximè a Deo*, ab hac: *Conversio creaturæ pro signo necessariorum est potens proximè provenire à Deo*; ex quarum prima tantum exigit pro sua veritate vltra *intrinsecam* possibilitatem conversionis, *intrinsecam* possibilitatem potentiæ *proximæ*, quæ sunt in signo necessariorum; ideòque est vera. at secunda vltra possibilitatem *intrinsecam* conversionis requirit existentiam potentiæ *proximæ*, vt talis, quæ complexivè non existunt in signo necessariorum; ideòque est falsa.

160 Objicies decimò. Deum esse contingenter *proximè* potentem ad convertendam creaturam, est, Deum esse contingēter liberum ad eam convertendam: hoc implicat: ergo implicat: Deum non habere ex se, & necessario potestatem *proximam* convertendi. Probatur minor. Deum esse contingenter liberum ad convertendū, est Deum esse liberum ex determinatione libera creaturæ: hoc implicat: ergo, & illud. Probatur minor. Implicat: duas libertates proximas ad invicem se determinare quoad primam sui existentiam; cum sit mutua prioritas quoad *primum esse*. sed si Deus esset liber ad convertendum ex determinatione libera creaturæ, libertas proxima creaturę ad conversionem, determinando scientiam mediam de consensu, determinaret libertatem *proximam* Dei ad convertendum quoad *primum sui esse*; cum talis libertas *proxima* Dei per nos ex scientia media, tamquam ex vltimo constitutivo, & determinativo constituatur; & insuper libertas hæc *proxima* Dei per collationem auxilij determinaret libertatem proximam creaturæ ad se cōvertendum: ergo Deum esse liberum ad convertendum ex determinatione libera creaturæ implicatorium est.

161 Sit solutio: verum esse da

ri

ri hanc mutuam prioritatem inter libertatem divinam & creatam, quoad *primum esse* illarum; cæterum non esse implicatoriam; cum sit in diverso genere, scilicet *obiectivo*, & *physico*: etenim libertas creata non aliter determinat divinam libertatem quoad *primum esse*; quam quia per suum exercitium conditionatè acceptum, determinat, vt veritas *obiectiva conditionalis*, scientiam mediam de consensu, ad quam divinus intellectus propter suam infinitam scientiam est determinatus ex suppositione veritatis *obiectivæ*: libertas autem divina determinat libertatem creatam quoad *primum esse*, *physicè* producendo omnia illius constitutiva; in qua mutua prioritate nulla est difficultas, quæ non sit ab omnibus concedenda inter quemcumque finem, & media: namque finis, vt cognitus, & *obiectivè* se habens, dat *primum esse* medijs, quæ ex intentione illius apponuntur ab intendente; & media dant *physicè* primum *esse* fini: non ergo repugnat mutua prioritas quoad *primum esse*, dummodo sit *obiectiva*, & *physica*; ac proinde ex mutuæ prioritatis capite non repugnabit: libertatem creatam determinare libertatem divinam quoad *primum esse*, & hanc similiter determinare libertatem creatam, quoad *primum esse*.

162 Replicabis primo: ergo libertas creata existet saltem *remotè*, & *mediate* ex libera determinatione sui: quod quid absurdius? Probatur sequella. Libertas creata *proximè*, & *immediatè* existit ex libertate divina: sed libertas divina *proximè*, & *immediatè* existit ex determinatione libertatis creatæ: ergo hæc saltem *mediatè*, & *remotè* existit ex libera determinatione sui. Confirmatur: quia consensus existit ex determinatione libertatis creatæ, & hæc existit ex determinatione libertatis divinæ, existit consensus *mediatè*, & *remotè* ex libera determinatione Dei: ergo quia libertas creata existit *immediatè* ex determinatione libertatis divinæ, & hæc existit *immediatè* ex determinatione libertatis creatæ, hæc determinabit *mediatè*, & *remotè* existentiam sui.

163 Rogo: an libertas creata existat saltem *remotè*, & *mediatè* ex libera determinatione sui, vt possibili; an finis existat saltem *mediate*, & *remotè* ex influxu sui; Quia libertas creata per suam determinationem liberam, vt possibilem, determinat libertatem divinam donandi auxilium, in quantum determinat *obiectivè* scientiam *simplicis intelligentiæ*, quæ potius est, quia operatio libertatis est possibilis; quam hæc possibilis, quia vt talis cognoscitur: & finis media cognitione sui influit in electionem mediorum, à quibus *immediatè physicè* existit? Vnde, vel neganda est sequella propter diversum modum determinandi, quem habet libertas creata respectu libertatis divinæ, & hæc respectu libertatis creatæ: nam libertas creata determinat divinam *purè obiectivè*: & hæc determinat creatam, eam *liberè physicè producendo*: ex quo infertur: influxum illum *obiectivum* pure sistere in determinanda libertate divina, & per diversum modum, quem ista habet determinandi libertatem creatam, infringi, vt non se extendat ad determinandam *remote* se ipsam. Quod bene explicat Pater Herrera exemplo Matris Regis, quæ licèt præcedat *causalitate* Regem præcedentem reliquos *dignitate*; non ideo vllo modo præcedit reliquos, neque immediate, neque mediate *causaliter*: sicut Rex, etsi præcedat *dignitate* suam Matrem, quæ *physicè causaliter* præcedit ipsum, non ideo præcedit se ipsum *dignitate*.

164 Iuxta quam solutionem disparitas est clara ad confirmationem: nam determinat Deus *mediate* nostrum consensum *immediatè* determinatum à libertate creata; quia vtraque determinatio est in eodem genere physico, in quo Deus *physicè* causat libertatem consentientem, eam libere producendo; & hæc *physicè* causat *immediate* consensum, eum liberè determinando: datur ergo ratio, vt Deus dicatur determinare *remotè* nostrum consensum liberum, quæ deficit, vt libertas creata sit ex determinatione libera sui, saltem *remote*, & *mediatè*.

165 Vel concedenda, de determinatione *pure obiectiva*, & *intentionali* ad se ipsam *physicè* sumptam, in qua nullum est absurdum: sicut non est in eo, quod finis *obiectivè*, & *intentionaliter*, media cognitione sui, influat per media in suum primum *esse physice* sumptum; & quod res, vt possibilis, influat media cognitione sui in se ipsam, *vt primo physicè* existentem. Inquo respondendi modo confirmatio non vrget; cum libenter amplectamur, quod intendit. Cæterum semper observari debet diversus modus, quo Deus determinat *remote* consensum liberum creatum, &

liber-

libertas creata *remotè*, & *mediatè* determinat se ipsam: Deus enim libere determinat *mediatè* consensum, libere producendo, & causando libertatem creatam, à qua *immediatè* determinatur consensus; at libertas creata non determinat *mediatè* se ipsam, quia *immediatè physicè* causet, aut producat aliquid libertatis divinæ, quæ incausabilis est; sed *purè obiectivè* determinando scientiam mediam constitutivam divinæ libertatis.

166 Replicabis secundo inferendo aliud consequens ex nostra doctrina minimè devorandum: scilicet Deum teneri ad gratias agendas voluntati, & libertati creatæ pro libertate, quam ipse habet ad determinandam existentiam libertatis creatæ: ideò enim libertas creata tenetur gratias agere Deo pro sua existentia, quia exiit ex determinatione divinæ libertatis: sed libertas Dei exiit ex determinatione libertatis creatæ: ergo pariter tenebitur gratias agere liberrati creatæ pro existentia propriæ libertatis, quam ex determinatione illius possidet. Ante solutionem inquiro etiam: an in sententia inconnexionis Dei cum possibilibus reportet Deus aliquod commodum ex eo, quod necessitate *purè extrinseca* sit determinatus ad cognitionem possibilium, per quàm constituitur *proximè* potens ad producendum, vel non? *Si hoc vltimum*: ergo neque ex eo, quod per libertatem creatam habet *determinativè* Deus propriam libertatem convertendi, reportat aliquod commodum; ideoque non tenebitur ad agendas gratias: nam beneficium vltra libertatem in conferente requirit accipientem crescere in bonis per illius receptionem. *Si primum*: ergo Deus potest ex se accipere aliquod commodum *intrinsecum* ex re creata: quo supposito, non erit absurdum, quod subiectum capax augmenti in bonis *intrinsecis*, quæ ex se non habet, teneatur gratias agere propter bonum, quod libere ab alio potest recipere.

167 Absolutè neganda est consequentia: tum quia Deus non accipit libertatem *proximam* convertendi creaturam *physicè* per determinationem libertatis creatæ; *sed pure obiectivè*, & tanquàm à conditione, sub qua Deus est determinatus ad habendam à se talem libertatem; ea ratione, qua intellectus eius infinitus est determinatus ad cognoscendam ex se quamcumque veritatem *obiectivam* eo modo, quo sit cognoscibilis: nec quamvis in ratione talis habeat aliquam anterioritatem *obiectivam* ad divinam scientiam, in qua fundatur illud vulgare axioma Patrum, *res cognoscuntur à Deo, quia sunt; non vero sunt, quia cognoscuntur*, potest inferri contra ipsos Patres; Deum debere agere gratias libertati creatæ pro scientia *visionis* actus liberi sub ea consideratione, sub qua potius est scientia, quia est actus liber; quàm actus liber, quia est scientia: tùm quia libertas convertendi talis est, sine qua propter summam suam independentiam, Deus æquè benè se habet, ac cum ipsa; neque enim quis tenetur gratias reddere propter illud, cuius defectus tàm bonus ipsi est; quàm existentia.

168 Aliter res se habent in creatura, quæ tenetur gratias agere pro libertate, quàm à Deo accipit propter oppositas rationes: nam in primis à Deo libertatem per veram, & strictam causalitatē *physicā* accipit, neque ex se habet libertatē, requisita tantum determinatione ex parte Dei, vt conditione, sub qua *esse* voluntatis creatæ se explicet in denominationem *liberæ* ad consensum: deinde accipit bonum, quo melior, & fælicior redditur taliter, vt status libertatis sit ipsi convenientior, & appetibilior; quam defectus illius: vnde per libertatem collatam crescit in bonis taliter, vt augmentum illorum sit in divinam libertatem referendum. Proposui simul omnia argumenta, quibus doctissimus Magister Palancus conatur impugnare nostram sententiam, quæ æquè militant contra possibilitatem creaturæ inconvertibilis, & auxiliorum indifferentiam: an vtrumque: an aliquid convincant, alij censeant.

169 Obijcies vndecimo. Potentia convertendi, & emoliendi hominum corda, est potentia propria Dei: sed potentia propria Dei est indefectibilis: ergo potentia convertendi, & emoliendi hominum corda est Deo indefectibilis, & necessaria. Minor apparet certa: nam id solum est proprium Dei, sine quo Deus non potest intelligi: sed id, sine quo Deus non potest intelligi, est Deo indefectibile: ergo potentia propria Dei est indefectibilis. Probatur maior primi syllogismi. Illa potentia est propria Dei, quæ, vt maximè ostendens divinam perfectionem, proponitur in Scriptura: sed potentia convertendi, & emoliendi hominum cor-

corda sic proponitur in Scriptura iuxta illud proverbiorum capite 21. *sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quòcumque voluerit, inclinabit illud*: ergo potentia convertendi, & emoliendi hominum corda est potentia propria Dei.

170 Distingo maiorem. Potentia convertendi, & emoliendi hominum corda *subiectivè absolute, & terminativè conditionatè* est potentia propria Dei: concedo maiorem. *Subiectivè, & terminativè absolutè* est potentia propria Dei: subdistinguo: est propria, id est *essentialis*: nego maiorem: est propria, id est *ei intrinseca, & non disconveniens, quamvis accidentalis*: concedo maiorem. Et distinguo minorem. Potentia propria Dei *essentialiter*, est indefectibilis: concedo minorem. Propria, id est *intrinseca*, aut *non disconveniens*: nego minorem; & distinguo consequens: ergo potentia convertendi, & emoliendi hominum corda *subiectivè absolute, & terminativè conditionate*, est Deo indefectibilis: concedo consequentiam: *subiectivè*, & *terminativè absolutè*: nego consequentiam. Ad maioris probationem. Distinguo maiorem. Illa potentia est propria Dei *sive absolute, sive ex suppositione*, quæ vt maximè ostendens divinam perfectionem proponitur in Scriptura: concedo maiorem: *determinate absolutè*: nego maiorem. Et concessa minore nego consequentiam.

171 Explico solutionis terminos. Potentia convertendi, quæ est Deo propria proprietate *essentiali*, ea tantum reputari debet, qua est determinatus ex se, vt si sint media apta proximè ad convertendum, contineantur sub eius activitate, & pro suo arbitrio possit ea dare, vel non dare: quod est habere Deum ex se potentiam convertendi *subiectivè absolute, & terminativè conditionatè*: at potentia proxima convertendi, quæ est potentia convertendi, tàm *subiectivè*, quàm *terminativè* absoluta, & per scientiam mediam de consensu constituitur, non est Deo propria proprietate *essentiali*; sed *ex suppositione*: ea ratione, qua est Deo propria scientia visionis eventuum contingentium per cuius existentiam maximè commendatur divina perfectio, nec ideo est propria Dei proprietate *essentiali absoluta*: vnde constat iure commendari in Scriptura potentiam proximam Dei convertendi corda hominum, quin inde liceat arguere talem potentiam esse Deo indefectibilem.

172 Obijcies duodecimo. Potentia vincibilis per potestatem finitam est potentia limitata, & quæ in Deo inveniri non potest: sed potentia convertendi, quæ non sit *ex se* proxima, est potentia vincibilis per potestatem finitam: ergo est potentia, quæ in Deo inveniri non potest. Maior videtur certa. Nam potentia vincibilis per potestatem finitam debilior est potentia finita; ac perconsequens Deo indigna, cuius potentia, vel nulla, vel infinita est. Probatur minor. Potentia convertendi, quæ non sit *ex se* proxima, est talis, quæ per potestatem libertatis creatæ potest impediri ab actu: sed potentia, quæ per aliam finitam potest impediri à suo actu, est potentia vincibilis per potestatem finitam: ergo potentia convertendi, quæ non sit *ex se* proxima, est vincibilis per potestatem finitam. Probat obiectio: potentiam, quam Deus habet convertendi creaturam, aut per auxilia finita, aut per determinatum medium esse imperfectam; cum possit impediri ab exercitio convertendi per libertatem creatam, finitam, & limitatam. Deinde instatur multipliciter. Primo in sententia inconnexionis, in qua virtus *subiectivè* absoluta, quam Deus habet ad producendū impossibilile, impeditur ab exercitio per impossibilis essentiam, qua ex se imporportionatur ad productionem. Secundo in potentia intellectiva videndi res contingentes, & liberas, quæ impediri potest ab exercitio per non existentiam illarum. Tertio in potentia proxima producendi actus vitales, & quamcumque actionē provenientem à Deo, & creatura, quæ se sola non potest ponere, neque actus vitales, neque tales actiones: quod si imperfectio est, potentiam Dei posse impediri ab exercitio per potestatem finitam; imperfectio similiter erit, non posse ad suum exercitium reduci sine consortio, & cooperatione potestatis finitæ.

173 Respondeo: concessa maiore. Negando minorem. Ad cuius probationem: concessa etiam maiore. Nego minorem. Itaque potentia vna tantum dicitur vincibilis ab alia per impeditionem proprij exercitij, in quantum potestas impediendi, aut est perfectior in *esse*, aut in activitate, quia se extendit ad effectum perfectiorem, quem alia potentia titulo inferioritatis in perfectione non potest pertingere; aut quando non dependet ab alia *in-*

exis-

existendo; aut demum, si per impeditionem non relinquat expeditam alteram potentiam eiusdem agentis æquè illi convenientem, & cum cuius exercitio tam bene se habet, ac cum exercitio alterius. Et ratio est: quia quando potestas impeditiva non provenit ab vllo ex his capitibus; imo cum oppositis complexivè invenitur; potestas impediendi non provenit ex maioritate, & excellentia virtutis; sed ex conditione termini aliter non producibilis; & ex independentia alterius virtutis *in existendo*: ergo si voluntas creata non potest impedire exercitium conversionis potestatis divinæ, nec quia perfectior in *esse*, nec quia perfectior in activitate, nec quia independens *in existendo*; insuperque per impiditionem conversionis expedit in Deo potentiam aliam deferendi æque convenientem Deo, cum cuius exercitio tàm benè se habet, ac cum opposito; licet valeat impedire divinam potentiam, hæc non erit vincibilis per potentiam finitam, & limitatam.

174 Solutionem confirmo ex doctrina Divi Thomæ in quæstione 25. supra citata, vbi advertit: dari aliquas impotentias, quæ potentiam potius perficiunt; quàm minuunt: sicut ab opposito aliquas potentias, quæ subiectum, in quo sunt, imperfectum reddunt, & quoad rem plus impotentiæ, quam potentiæ participant. Sic impotentia Dei ad peccandum, & deficiendum tàm *physicè*; quàm *moraliter*, potentiam Dei auget, & liberam ab imperfectione reddit; potentia vero peccandi, & deficiendi in creatura tantum distat ab augendo potentiam illius, vt hæc ex talis potestatis consortio vilescat. Ad quem modum defectus potestatis, quem Deus habet ad se constituendum *determinativè* proximè potentem convertere creaturam, non est defectus, qui potentiam minuat; imo sine tali defectu potentia Dei esset repugnans; quia per se reddens chymæricam libertatem creatam.

175 Replicabis: Potentia Dei ad convertendum, vt sit qualis enti infinito competere potest, debet esse infinitæ efficaciæ. sed non est potentia infinitæ efficaciæ ea, cui possunt deficere media efficacia conversionis: ergo si Deo possit deficere potentia proxima convertendi, potentia convertendi, quam Deo concedimus, non est qualis in Deo inveniri potest. Respondeo dupliciter. Primo: quod vt potentia convertendi sit infinitæ efficaciæ, non est necessarium in quavis linea, & suppositione habere ex se media efficacia ad convertendum; sed sufficere habere ex se infinita media convertendi creaturam per necessitatem disiunctivam ad actus honestos; quamvis ea non habeat sub plenissima indifferentia auxiliorum. Secundo. Potentiam Dei ad convertendum tantum petere efficaciam infinitam *entitativè*; secus *in ratione efficaciæ*: qualiter inclinatio, quæ in Deo residet miserendi, aut puniendi est infinita *entitativè*; sed non *in ratione inclinationis*; alias vel Deus non posset punire, vel non posset misereri.

176 Obijcies decimotertio. Absurdum est ex terminis: voluntatem creatam robustiorem esse ad se indurandam sub libertate indifferenti ad meritum, & demeritum; quam Deus ad ipsam sub tali libertate convertendam: ergo nè hoc dicatur, fatendum est: Deo non posse deficere infinita media, quibus possit ad se trahere quamcumque creaturam sub indifferentia ad meritum, & demeritum. Absurdum, si tale est, bene videtur comprehendere non modo possibilitatem creaturæ inconvertibilis per totam auxiliorum collectionem; verum sub quovis determinato auxilio. Ideo pro omnibus sit solutio: concedendo absurditatem consequentis, & negando illationem illius: nàm potestas se obdurandi non est *in re* vera potestas; sed potius defectus potestatis: vnde excessus in illa potius est dicendus debilitas; quàm robur; potentia vero, quæ in Deo datur ad convertendum, vera potentia est orta ex divina perfectione, & non ex defectibilitate, sicut oritur potentia se obdurandi: quare cessat comparatio; cum fiat ab excessu impotentiæ ad gradum perfectæ potentiæ, qualis est potentia Dei: non secus ac si apud Thomistas quis diceret creaturam esse tàm causam *primam* in linea *deficientis*; quam Deus in linea *primi operantis rectè*: riderent quidem comparationem; cum ly *deficientis* alienet rationem causæ *primæ*, & constituat creaturam maximè causam *secundam*: quod si aliam comparationem non rident; sed plaudunt, accipiant saltem benigne nostram solutionem, vt erutam ex suis principijs.

177 Sed dices: quid si comparatio fiat modo inverso? Erit ne crea-

creatura potentior ad se convertendum; quam Deus ad illam indurandam? In quo casu vti non possumus solutione data, cum potentia ad conversionem vera potentia sit. Respondeo: etiam negandam propositionem: propterea quod potestas, quam creatura habet ex se ad conversionem, præcisse est potestas determinandi *obiectivè* potentiam proximam Dei, vt illam convertat per collationem potestatis *proximæ*, qua se convertat; & simul verificare hanc propositionem: *si mihi conferatur talis potestas proxima, convertar*: Deus autem ex se habet potentiam proximam donandi *physicè* creaturæ potestatem *proximam*, per cuius exercitium *obiectivè* determinetur potestas *proxima* Dei ad indurandum; insuperque verificare hanc propositionem: *si detur in me talis potestas proxima, indurabo*: in quibus iam cognoscitur excessus ex parte potentiæ Dei ad indurandum; in quantum *physicè* potest determinare potentiam *proximam* creaturæ, qua se induret; & solum *obiectivè* determinatur à creatura, vt habeat potentiam *proximam* convertendi.

178 Obijcies decimoquarto nonnulla alia absurda, quæ congerunt Recentiores. Primum. Possibile esse *metaphysicè*, omnem creaturam liberam dissensuram prævideri omnibus auxilijs; ac perconsequens Deum esse potentem *proximè* ad indurandum; non vero ad faciendam obedientem creaturam, saltem vnam, suis præceptis. Secundum: nullam esse creaturam, cuius Deus posset *proximè* misereri. Tertium: creaturas illas in tali casu, quæ non deberent, esse conscias suæ obstinationis futuræ, posse prudenter, & cordate petere à Deo observantiam præceptorum, & cum Ierem. Trenorum 3. clamare: *converte nos Domine ad te, & convertemur*; Deumque non posse earum orationibus annuere; sed tantum respondere: *non habeo modum præstandi, quod petitis*; cuius oppositum constat ex verbis Pauli ad Ephesios capite 3. *Potens est Deus omnia facere superabundanter; quam petimus, & intelligimus*: vnde concludunt: fugiendam esse sententiam, quæ hæc omnia non sine horrore Doctorum, & piorum tenetur devorare.

179 Respondeo: has illationes esse legitimas, si de auxilijs plenè indifferentibus loquamur; falsas vero, si potentia Dei in omni sua latitudine attendatur; & prout comprehendit media libera ad bonum determinata: nam sub his posset quamcumque rebellem ad se trahere. Quod autem in illa suppositione creaturæ possent propter ignorantiam suæ proteruiæ petere à Deo conversionem, non est absurdum: nec impotentia illa proxima Dei ad annuendum est contra Apostolum loquentem de facto, & provt modo res contingunt; secus in omni suppositione. Quapropter deductiones istæ ex nostra sententia dissonæ non possunt esse viro Theologo, & qui naturam nostræ libertatis penetret: qua suppositâ, Deum non posse facere, quod intendunt, non maiorem horrorem possunt incutere; quàm quod Deus suppositâ essentia hominis, & equi, non possit facere hominem equum.

DISP

DISPVTATIO V.

De primo prætextu ad evitandam neceſsitatem ſcientiæ mediæ in providentia prædeſtinativa

PRopoſiti aſſumpti dignitati, non modo controverſia vna; ſed longiſsimæ diſputationes debebantur, quæ integrum tractatum de gratia auxiliante explerent, vbi à noſtris Doctoribus ſolide, & copioſe diſſeritur; nos vero ex occaſione tractantes, & vt licet iuxta Pontificum decreta; ea ſolum, quæ ſtatutam neceſsitatem ſcientiæ mediæ aliquo modo illuſtrent, & firment, breviter, & vt dicunt primis labris attacta, dabimus, præcipuè attendendo his, quæ ingenioſsi Recentiores opponunt.

CAPVT I.

Primus prætextus ex efficacia intrinſeca mediorum deſumptus proponitur, & authoritate reijcitur.

1 NOviores Thomiſtæ poſt graviſsimum Magiſtrum Dominicum Bañez 1. parte quæſtione 14. art. 13. & quæſtione 23. art. 3. nonnullis exceptis, inter quos Magiſter Ioannes Vincentius apud Suarez tomo 2. de Gratia libro 5. capite 10. Illuſtriſsimus Araujo tomo 2. in primam ſecundæ quæſtione 3. articulo 5. dub. 6. numero 435. vnde Magiſter Ioannes Gonzalez Albelda in primam partem Divi Thomæ diſputatione 58. ſectione 1. 2. & 3. necnon duo alij celebres Dominicani Magiſtri, ſcilicet Campanella, & Veta; ille toto tractatu de prædeſtinatione, & reprobatione; hic in opere de proprio, & *perſe* principio, vnde provenit peccatum in actionibus voluntarijs, tractatu de primo movente, & alij videndi apud Paulum Leonardum in libro reſponſionum ad expoſtulationes contra ſcientiam mediam, & Henaum tomo de ſcientia media hiſtorice propugnata; firmiter contra noſtros Doctores tuentur: media, quæ Deus providet prædeſtinatis, eſſe ab intrinſeco efficacia, & ex ſe cum conſenſu metaphyſicè, & eſſentialiter connexa; non vtcumque; verum vt quid prævium præcedens, & prærrequiſitum ad libertatis creatæ determinationem: vnde ea vocant auxilia phyſicè prædeterminantia, quibus poſitis, infallibiliter conſenſus erit; & quibus deficientibus, infallibiliter conſenſus deerit, quamvis non poteſtas ad illum cum prædeterminatione ponendum. Inde ſcientiam mediam, vt neceſſariam ad prædeſtinationem reijciunt; cum, vt Deus ſecuriſsimè in prædeſtinando procedat, ſufficiat ſcientia *naturalis*, qua cognoſcit naturam medij efficacis prædeterminantis, quod tale eſt, vt ipſo poſito, per nullam potentiam conſenſus ſit defecturus; & hoc quidem ſinè creatæ libertatis diſpendio: vel quia tale medium non ſe tenet ex parte actus primi, quem indifferentem & compatibilem cum vtroque libertatis extremo relinquit; ſed interiacens actum primum, & ſecundum per modum applicationis ad iſtum: vel quia etſi compleat actum primum, vt alij intendunt, datur à Deo, vt libertatem ſervet, ita taliter, vt non modo ſit prædeterminatio ſubſtantiæ actus; verum modi libertatis illius. Hæc autem vocatur prædeterminatio intrinſeca, & in qualitate conſiſtens, ad diſtinctionem prædeterminationis conſiſtentis in decreto Dei an-

antecedenti omnem determinationem creaturæ, quæ extrinseca denominatur; de qua pòst erit nobis sermo.

2 Titulum istum excludendi scientiam mediam, authoritate, & ratione convellere curabimus: authoritate in hoc capite: rationis fundamentis in sequenti. Impugnatur *primo ex Scriptura*: Ecclesiastici capite 15. Iam supra memorato vbi, vt creatæ libertatis dominium, sicut, & constitutio nobis constet, dicitur: *Non dixeris per Deum abest, quæ enim odit ne feceris. Non dicas ille me implanavit: non enim necessarij sunt ei homines impij... Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: adiecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata servare conservabunt te. Appposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita, & mors: bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi, quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.* Ex quo sic: libertas taliter nobis ex Scriptura proponitur, vt determinatio indifferentiæ illius vnicè sit primariò per determinationem arbitrij creati tãquam per rationem vnicam servandi divina præcepta: neque ex parte Dei aliud adijciatur pro libera determinatione; quam mandata, & præcepta ex se indifferentia, & inconnexa cum observatione: insuper, vt male operans non possit sibi excusationem parare in eo, quod per Deum absit id, quod necessarium essentialiter est ad bene operandum: & denique, quod placitum voluntatis creatæ sit vnica ratio experiendi, aut bonum præmij; aut malum suplicij significata per vitam, & mortem, per aquam, & ignem: sed cum his non cohæret efficacia intrinseca gratiæ in qualitate physicè præmovente, & prædeterminante consistens: ergo efficacia intrinseca gratiæ libertati creatæ, prout per Scripturam propositæ, opponitur.

3 Prob. min. *Non permittit hominem relinqui in manu consilij sui*, id, quod determinationem hominis prævenit, ipsũ prædeterminando irresistibiliter ad id, quod post elicit: *Non sinit esse vnicam rationem primariò determinativam observationis præceptorum liberam voluntatis electionem*, id, quod voluntati creatæ est anticipata ratio determinativa observationis: *non vitat creaturam posse excusari, & conqueri, dicendo: abesse per Deum legis adimpletionem*; id, quod vt essentialiter prærequisitum ab bene operandum ex libera Dei determinatione deficit, quando voluntas creata deviat à lege, nec per vllum exercitium sui potest acquirere: *Excludit placitum creati arbitrij esse vnicam rationem experiendi bonum præmij, aut malum pœnæ*, id, quod antecedenter ad omne placitum liberum creatum adigit hominem, vel ad præmium, vel ad suplicium: sed hæc omnia facit gratia prædeterminans, seù ab intrinseco efficax: ergo cum his, quæ de libertate creata in scriptura prædicantur, non coheret efficacia intrinseca gratiæ per qualitatem *physice* præmoventem.

4 Explicatur: quis seriò acciperet Superiorem loquentem cum subdito, aut Ducem cum milite, proponendo præmium ingens ob aliquam actionem, & dirum suplicium ob defectum illius, committentemque electionem, & determinationem arbitrio ipsius, vt per factum, præmium accipiat; per omissionem verò pœnas luat; si postea adderet: scias, velim, te, ita pro tuo arbitrio electurum, vt antequam eligas, præcedat mea electio, & determinatio, quam volens nolens debes sequi; at si non elegeris rectè, punieris graviter, & si tunc tibi deficiat ex me, & pro mea libertate aliquid ad operandum meritoriè necessarium, quod in tua manu non est acquirere? Nullus quidem, cum per vnum medium destruatur id, quod per aliud adstrui videtur: sed Deus constituens homines liberos, ita se gereret, si gratia ad benè operandum requisita sit ab intrinseco efficax, & prædeterminans: ergo si seriò, vt debet, ea, quæ Scriptura Sacra de dominio electivo creaturis concessio sunt intelligenda, gratia non est ab intrinseco efficax, & prædeterminans.

5 Vrgetur primo: aliter Deus reliquit voluntatem hominis in manu consilij sui; quàm habitus supernaturales elevantes tamquam virtutes ad supernaturales actus: ergo aliter debet voluntas determinare suos actus; quam habitus supernaturales eos, ad quos sunt destinati: sed data gratia ab intrinseco efficaci, & prædeterminante, actus supernaturales non essent magis pro determinatione

voluntatis ; quàm pro habituum determinatione : ergo ne hoc dicatur, & habitus æquè liberi in determinando, ac voluntas, concedantur ; neganda est efficacia intrinseca gratiæ prædeterminantis. Probatur minor. Data efficacia intrinseca gratiæ prædeterminantis, habitus æquè, ac voluntas sunt indifferentes in actu primo ad operationem, quam possunt elicere : deinde prævie ad operationem in actu secundo æque similiter sunt præmoti, & prædeterminati ad exercitium in actu secundo : vltimo pòst signum gratiæ prædeterminantis indivisibiliter idem operantur ; imò in sententia Thomistarum habitus concurrunt, *vt adæquata virtus, & totalis ratio agendi* : ergo data gratia intrinseca efficaci, & prædeterminanti non est maior ratio, vt actus procedat *determinativè* à voluntate ; quam ab habitu ; ideòque tam erit in manu voluntatis ; quàm habitus.

6 Vrgetur secundo : incredibile est : Deum volentem nos monere ex proposito dominij libertatis, & arbitrij cum debita subiectione ad se, vt libertatis Dominum, determinationem, sivè ad aquam, sivè ad ignem per quę libertatis extrema designantur, vnice in nostrum libitum refudisse immemorem proprij, nisi tantum pro libertatis constitutione, & oblatione rationum alliciẽtium, & retrahentium ; si ante nostram electionem intercederet divina determinatio, & electio, vt nostram prędeterminans : sed Deus suam præelectionem, & determinationem, prout distinctam à libertatis constitutione reticuit : ergo quia talis prędelectio, & determinatio nõ datur, nec bene cum nostro dominio electivo componitur.

7 Apocalipsis capite 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso ; si quis audierit vocem meã, & apperuerit ianuam, intrabo ad illũ, &c.* ergo dum Deus pulsat corda hominum per gratiam prævenientem, & excitantem adumbratam *in pulsatione ostij* nil refert ex parte ipsius præter expectare determinationem creaturæ significatam *in apertione ianuæ* : sed si vltra gratiam excitantem ; & prævenientem cum indifferentia esset necessaria alia gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans determinationem ipsam liberam creaturæ, Deus libertate constituta, non expectaret creaturam ; sed potius hæc expectaret Deum, qui, vt habens Regiam clavem, ostium aliundè obseratum apperiret : ergo quia vltra gratiam prævenientem non datur alia, quæ sit ab intrinseco efficax, & prædeterminans. Idem suadet, quod per Isaiam Prophetam protulit Dominus loquens ad Populum ingratum, & male vtentem beneficijs acceptis, quibus Deus conabatur eum dirigere in rectum : vbi post proposita beneficia sub metaphora culturæ adhibitæ vineæ, vt fructum copiosum ederet ; inquit : *Expectavi, vt faceret vbas, & fecit labruscas* : sed quid expectasset, si præcipuam culturam gratiæ prædeterminantis non adhibuisset, sinè qua bonum fructum sperare inane est ? Ne igitur quærela hæc Dei sit redarguibilis à creatura ; fatendum est : ad fructum boni operis tantum defuisse, quod ipsa, posita cultura beneficiorum, poterat proprio labore exequi, & nolens omisit, quod gratiæ intrinsece efficaci nequit accommodari.

8 Petri Epistola 2. capite 1. *Fratres satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Pauli 2. ad Corinthios capite 6. *Hortamur vos nè in vacuum gratiam Dei recipiatis* : sed exhortatio hæc fatua, & inutilis foret, si daretur gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans : ergo ex mente vtriusque Apostoli non componitur cum libertate talis gratia. Probatur minor. Vel exhortatio hæc tendit ad non reddendam vacuam, & incertam gratiam ab intrinseco efficacem, vt vult Magister Ferre ; vel gratiam excitantem, & sufficientem, quæ se tenet ex parte actus primi, vt vult Sapientissimus Doctor D. Didacus Castel huius Vniversitatis celebris, & dignissimus Theologiæ Primarius nuper ob eximia merita ad vnam ex primioribus Hispaniæ Abbatialibus dignitatibus evectus ? Si *primum* : exhortatio erit ad vitandum impossibile, scilicet *non assentire gratiæ ab intrinseco efficaci, & connexæ cum consensu*, quod fatuum, & innane est ; cum nemo seriò, & vtiliter exhortari valeat ad necessarium : si *secundum* : vel exhortatio est ad non evacuandam gratiam *immediate post signum gratiæ sufficientis*, & hoc est necessarium, quia ante divinam determinationem, quæ *immediatè* subsequitur gratiam sufficientem, aut comitanter cum illa, necessarium est non esse dissensum, sicut neque consensum ; vel *post signum determinationis divinæ*

vinæ, & hac ratione, vel est necessarium, vel impossibile non recipere in vanum gratiam sufficientem: *necessarium quidem*; si præcedat gratia efficax prædeterminans ad consensum; *impossibile verò*; si deficiat talis gratia, & determinatio divina *negativa* detur ad consensum, vel *positiva* ad entitatem dissensus: ergo si gratia sit ab intrinseco efficax, & prædeterminans, exhortatio hæc fatua, & inutilis foret.

9 His, & alijs authoritatibus, quæ adduci possent, communis ab Adversarijs aptatur solutio, dicendo: gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem componi cum sufficientia, & indifferentia ad vtrumvis per potestatem constitutam ex gratia sufficiente, qua prædeterminatus est potens ad carentiam actus pro sensu diviso prædeterminationis; & impræ-determinatus est potens ad actum pro sensu diviso carentiæ prædeterminationis ad illum, & prædeterminationis ad oppositum actus, & pro sensu composito prædeterminationis ad talem actum: qua sufficientia data, verum est: *hominem relictum esse in manu consilij sui; posse ad quodcumque voluerit se determinare*; & manere locum ad exhortationem adiungendi bonum opus sufficientiæ ad illud, sicuti ad obiurgationem coniunctionis carentiæ operis debiti, & sufficientiæ ad executionem illius.

10 Sed contra: nam sufficientia ista, quæ datur, aut sine gratia prædeterminante, aut propriori ad illam, est sufficientia, quæ nec habet *formaliter*, nec secum affert omnia necessaria ad actum; sed constituitur præcisè per virtutem ex se impeditam ad illum, nisi adsit gratia efficax, quam nullo modo determinare, aut acquirere potest: vnde est sufficientia quædam impedita, & se in terminis sufficientiæ implicans, similis illi, quæ datur in igne ad comburendum lignum positum extra sphæram, cui combustio non deficit ex capite *virtutis*; sed ex defectu *applicationis*: nihilominus quis dicat: ignem esse sufficientissimum ad comburendum lignum, quod intra sphæram suæ activitatis non continet? Aut quis cordatus magis æstimaret ignem, vt sibi sufficientissimum ad expellendum frigus; quam lignum, quando ignis est apud Indos v.g. & subiectum calefaciendum est Compluti? Vana ergo est ista sufficientia, & in solis vocibus consistens.

11 Contra secundo. Hæc sufficientia non est secundum ea, quæ requiruntur *ex parte effectus*: deinde non est sufficientia *ex parte virtutis*: ergo non est vera sufficientia. Probatur secunda pars: nam prima libenter admittitur. Non est sufficientia in aliquo *ex parte virtutis*, quando indiget virtute alterius, & virtus hæc non est alteri applicata: ratio in promptu est: nam virtus intrinseca agenti in tantū fit propria illius, in quantum est ei applicata: sed virtus requisita ad actum liberum, est virtus non solum voluntatis; sed omnipotentiæ, & hæc propriori ad decretum collativum gratiæ prædeterminantis non est applicata voluntati ad operandum: ergo propriori non est virtus voluntatis, nec sufficiētia, ex qua agens liberum creatum valeat dici *ex parte virtutis* sufficiens ad ponendum actum prædeterminatum.

12 Contra tertiò. Per te, Deus non posset dici potens, & sufficiēs ad consensum liberum creaturæ, si antè exercitium obtinendi consensum esset expediendus per aliquid non pertinens ad virtutem donandi consensum; dependens tamē à libertate creata, & hoc quidem etiam si id, quod determinatur à libertate creata, non sit connexum cum exercitio divino: ergo multo minus agens liberum creatum poterit dici sufficiens, & potens ad consensum v. g. si ante exercitium determinandi consensum, debet intercedere applicatio divina, non vtcumque; sed connexa cum determinatione creaturæ, & cui resistibiliter debet conformari. Nec dicas: illud repugnare, non quia Deus non esset potens ad consensum; sed quia esset potens potentia subordinata, quæ Deo repugnat, secus creaturæ: nam semel quod sine sufficientia ad actum intelligatur vera sufficiētia *ex parte virtutis* ad illum: sic cum dependentia in actu, concipiam independentiam virtutis: ideoque vera erit hæc propositio: *Deus ex se, verè est potens ad consensum liberum creaturæ per potentiam, & sufficientiam omnino independentem à creatura, quam vis pro exercitio donandi consensum dependeat aliquomodo expeditivè à determinatione libera creaturæ*: quo bene componentur, & Independentia *primæ* causæ, & dependentia *secundæ* per virtutem acceptam ab illa.

13 Contra quartò. Sufficientia, quæ in agente libero debet dari

ad legis obſervationem, eſt illa ex qua iugum legis debet eſſe ſuave iuxta illud Mathæi capite 11. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*: nec mandatum *ſupra nos ſit, nec procul poſitum, nec in Cœlo ſitum, vt poſsimus dicere: quis noſtrum valet ad Cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus.* Deuteronomij capite 30: ſed ſufficientia, quæ pro obſervatione requireret alteram gratiam ab intrinſeco efficacem, & prædeterminantem, ſic non ſe haberet: ergo vel abſolute ſufficientia non eſt, vel ſaltem ſufficientia, quæ defacto datur. Probatur minor. Quod iugum durius, aut onus intolerabilius legis; quam illud, quod me facit reum non obſervationis, etiam quando non habeo, nec poſſum vlla potentia acquirere neceſſaria ad obſervationem? Quod mandatum à me remotius, ſupra me poſitum, & in Cœlo conquirendum; quàm illud, quod mea ſufficientia, quæ intra me eſt, pertingere non poteſt, niſi de Cœlo veniat obſervatio immediatè me determinando abſque vlla ſecuritate obtinendi? Sed hæc eſſet ſufficientia dependens in operando ab altera gratia prædeterminante: ergo ſufficientia, quæ pro obſervatione requireret alteram gratiam prædeterminantem, & efficacem ab intrinſeco, & ſuavitatem legis deſtrueret, & præceptum omnino ſupra nos collocaret.

14 *Secundo ex Concilijs* Tridentino, & Senonenſi: quorum primum definiens voluntatem noſtram libere conſentire Deo ſic ait ſeſsione 6. capite 5. *Vt qui per peccata à Deo averſi erant per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippè, qui illam, & abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſsit*: abijcibilitatem iſtam gratiæ explicat Canone 4. per poteſtatem diſſentiendi tali gratiæ, & faciendi ſenſum compoſitum cum illa dicens: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, neque poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.* Secundum Canone 15. fidei poſtquam contra Pelagium neceſsitatem gratiæ docuit, ſubdit contra Lutherum, & Calvinum: *nec tamen tanta gratiæ neceſsitas libero præiudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu, &c. nec denique tale ſit eiuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſsit.* Nec replices immediate: Concilium hoc Senonenſe fuiſſe tantum Provinciale: vnde videtur eius authoritas labefactari: quia etſi Provinciale tantum? adeò invaluit, vt teſte Patre Suarez prologomeno 6. de Gratia capite 5. ei abſque temeritate refragari non poſſet. De quo videndus etiam R. Pater Tyrſus tomo 1. Selectarum diſputatione 17.

15 Ex quibus validiſsimam ſumpſerunt noſtri Authores probationem contra gratiam ab intrinſeco efficacem, & prædeterminantem ſub hac forma. Gratia, cui reſiſti poteſt, quæque per diſſenſum abijci valet, non eſt gratia ab intrinſeco efficax, vtpotè, quæ eſt eſſentialiter inconiungibilis cum carentia conſenſus: ſed gratia, qua defacto Deus in actu ſecundo nos trahit ad iuſtificationem, eſt gratia efficax, cui ex præallegatis Concilijs reſiſti poteſt, eam per diſſenſum abiciendo, vacuamque reddendo per diſſenſum compoſitum cum ipſa: ergo gratia efficax, qua Deus ad ſe nos trahit, non eſt gratia ab intrinſeco efficax, & prædeterminans. Maior eſt doctrina adverſariorum. Minor qua parte continet acceptionem gratiæ efficacis etiam eſt certa; quoad alteram verò de reſiſtibilitate, & abijcibilitate ex Conciliorum mente probatur. De ea gratia dicunt eſſe reſiſtibilem, & abijcibilem, qua diſponimur in actu ſecundo ad iuſtificationem; & inſuper de qua affirmabant Lutherus, & Calvinus libertatem auferre: ſed gratia, qua diſponimur ad iuſtificationem; & de qua Lutherus, & Calvinus affirmabant libertatem tollere, eſt gratia, qua à Deo trahimur in actu ſecundo: ergo gratia, quæ ex præallegatis Concilijs abijci, & vacua per diſſenſum reddi poteſt, eſt gratia efficax. Quo manent excluſa aliquorum ſolutio deſumpta ex Magiſtro Bañez dicenti: Concilia procedere de ſola gratia ſufficienti; ſecus de efficaci.

16 Quare aliter vim argumenti conatur illudere citatus

Pri-

Primarius Complutensis Doctissimus Castell inquiens : aliud esse, quod Concilia loquantur de Gratia efficaci ; aliud quod loquantur de sola gratia efficaci; nam vt constat ex Concilio Tridentino in illis verbis *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum* duæ includuntur gratiæ : vna *excitans*, & altera *movens*, quarum prima est sufficiens, & constitutiva libertatis cum indifferentia ; secunda est efficax ab intrinseco, & prædeterminans : hic quando Concilium definit:posse hominem per liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum libere dissentire, si velit, licet faciat sensum compositum excitationis, & motionis cum potestate se tenente ex parte subiecti ad dissentiendum ; non tamen reddere sensum compositum adhuc possibiliter termini potestatis,seù dissensus cum excitatione, & motione; sed cum sola excitatione ; quæ gratia sufficiens est, & non efficax: quod confirmari potest ex ipso Concilio, quod, cum prius loquendo de tota gratia ad dispositionem iustificationis necessaria, mentionem fecisset de Deo excitante, atque movente;post, dum potestatem dissentiendi explicat, non meminit Dei moventis ; verùm solius excitantis, atque vocantis.

17 Hæc est summa solutionis,quæ etsi doctè excogitata ab hoc Sapientissimo Doctore, mihi videtur omnino aliena à mente Conciliorum: in qua assequimur primò: non posse aptari Concilio Senonensi, in quo deficiunt illi termini *excitantis, atque moventis*, & vnice continetur dari potestatem ad resistendum auxilio indifferimiuatim sumpto, quo à Deo trahimur. Secundo : quia absque fundamento vllo solido, nisi tantum parandi sibi pro libitò difficultatis effugium, *motionem, & excitationem* duabus gratijs applicat ; cum sint ex se termini synonimi eiusdem ; dum Concilium motionem ad *physicam* non contrahat, vt non facit: quare manente motione in ratione *moralis*, non est cur cum excitatione non confundatur : qui enim alium ad aliquam actionem excitat ; aut medio consilio, aut media illustratione per ostensionem motivorum allicientium propriissime dicitur *excitare, & movere, excitare, & adiuvare* : vnde ergo tam libere colligitur : gratiam *excitantem*, de qua loquitur, esse distinctam à *gratia movente, & adiuvante*, nisi ex pura indigentia protegendi ex Tridentino propriam sententiam de gratia physicè præmovente?

18 Tertio : quia per te gratia, cui assentitur, est gratia *excitans*: sed gratia, cui assentitur, est gratia,cui per consensum cooperamur, quæquidem gratia per te etiam est gratia *movens*, & *adiuvans* : ergo iuxta Concilium gratia *excitans* non est distincta à *movente*, & *adiuvante* ; sed vna, & eadem.Probatur minor.Ex verbis Tridentini capite 5.vbi proposita gratia *excitante*, atque *adiuvante*,postea subdit,*eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur* : si enim, vt distinctas vsurpasset gratiam *excitantem*, & *adiuvantem*, seu *moventem*; non eidem gratiæ *in singulari* ; verum eisdem *in plurali* assentiri, & cooperari, vt locus esset distributioni accòmodæ, dixisset : quod idem constat ex Canone 4.in quo continetur explicatio cap. 5.& definitur : consentientem per consensum liberum cooperari Deo excitanti, atque vocanti : sed gratia, cui per consensum cooperamur, est per te gratia *adiuvans*, & *movens* : ergo gratia, qua Deus excitat, & vocat, est gratia, qua iuxta Concilium adiuvat, & movet:vndè manet sine vi confirmatio illa adducta ex eo, quod dum meminit Concilium potestatis dissentiendi, tantum retulit gratiam *excitantem*, cum antea proposuisset *excitantem*; & *moventem*:in quo non est aliud mysterium, quam quod eadem reputatur à Concilio gratia *excitans*, *movens*, & *adiuvans*, quam abijcere, & cui per dissensum resistere, si velimus, possumus.

19 Quarto : Concilium assumit pro medio ad ostendendam nostram libertatem, potentiam resistendi gratiæ : ergo ex ipso omni gratiæ, qua à Deo excitamur, & movemur, possumus resistere, & dissentire. Antecedens est certum. Probo consequentiam. Si *posse dissentire, & resistere gratiæ* est medium assumptum à Concilio ad probandam libertatem, ideò est, quia iudicat : *non posse resistere gratiæ*, esse necessitari à gratia, & per id libertatem everti : ergo posse resistere vni; seu sensus alteri gratiæ, esset ex mente Concilij necessitari ab vna, quamvis non ab altera : sed necessitatus ex vno capite irresistibiliter ad consentiendum non est liber ; quamvis ex alio capite necessitas non proveniat : ergo si potentia resistendi,& dissentiendi gratiæ

assumitur à Concilio, vt medium statuendi nostram libertatem; ex eo omni gratiæ, qua à Deo excitamur, & movemur, possemus resistere, & dissentire. Explicatur. Esse antecedenter necessitatum ex vno capite, & non ex alio, non est esse liberum ex aliquo capite; sed non esse necessitatum antecedenter quantum necessitari poterat: ast gratiam *moventem* esse antecedenter irresistibilem; secus gratiam *excitantem* est, consentientem necessitari antecedenter à gratia *movente*, licet non ab *excitante*: ergo posse resistere gratiæ *excitanti*; secus *moventi*, non est consentientem esse liberum per gratiam *excitantem*; sed per hanc non necessitatum.

20 Quintò: quia de illa gratia, de qua dixit *libere ei assentiri, & cooperari* poitea subdit: *neque tamen* (homo scilicet) *sine gratia Dei movere se ad iustitiam libera sua voltutate possit*: sed si gratia illa includeret gratiam *excitantem*, & *moventem physice*, vt intendunt Adversarij, falsum diceret in vniversum, & indistinctè; sine illa non posse se movere; cū sine grati à *movente physice*, & prædeterminate stet potestas se movēdi: ergo quia gratia illa, cui liberè assentimur, & cooperamur non implexa ex *excitante*, & *movente physice*; verùm incomplexa, & indivisa, qua ratione *excitans*, & *movens pure moraliter* est, à Concilio iudicatur.

21 Sextò. Nam si intentum Concilij esset duas gratias distinguere, vnam *excitantem*, & alteram *physice moventem*, in re dogmatica satis confusè processisset, non exprimendo clarè, cui ex illis posset dissentire; cui verò cooperari tantum; non autem dissentire: insuper cum motionis conceptus comprehendat *physicam*, & *moralem*, si *physicam* adeò distantem à motione gratiæ excitantis intellexisset, explicationem valdè necessariam omissam faceret: demùm non tantùm confusè; sed minus cautè in explicanda gratiæ necessitate se gessisset, iam dando prioritatem gratiæ *excitanti* respectu *adiuvantis*, & *moventis*, vt capite 5. ibi. *Per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam*: iam anteponendo gratiam *moventem* gratiæ *excitanti*, vt Canone 4. in illis verbis: *Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, &c.* quæ omnia facilimè vitantur, dicendo: apud Concilium eandem reputari gratiam *excitantem*, & *moventem*, ideoque non curasse prius eam exprimere *excitantem*; quàm *moventem moraliter*, vel è contra; prius sic *moventem*, quàm *excitantem*.

22 *Tertio ex Patribus*, ex quibus tres tantum brevitatis causa proponam. Primus sit Divus Augustinus, quem Patronum egregium contra efficaciam intrinsecam gratiæ reputavit Societatis Schola, qui libro 3. de Libero Arbitrio capite 18. regulam tradit vniversalem, ex qua cognoscatur, quid libertati obsit, dicens: *si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene: quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei cedit; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabit.* Sed gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans, causa est voluntatis *in actu secundo*; cui resisti non potest: ergo gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans iuxta Augustini regulam libertatem creatam destruit; sicut, & quælibet alia prædeterminatio, quamvis *extrinseca* sit, & in sola Dei voluntate consistens.

23 Respondebis: hoc argumentum æque contra nos militare, qui concedimus prædefinitionem efficacem consensus scientia media regulatam, quæ est causa consensus, cui resisti non potest per dissensum; neque ideò per nos libertatem creatam evertit: ergo vel regula hæc Divi Augustini non est sine interpretatione accipienda, vel tam prædefinitio; quam gratia prædeterminans, & ab intrinseco efficax libertati obsistent. Sed contra: quia ly *resistere*, potest accipi, vel *positivè*, vel *negativè*. *Positivè*, denotat sensum compositum; *negativè*, sensum divisum. Intentum Augustini est causam illam auferre libertatem, cui aliquo ex his modis potest resisti; non verò requirit determinate resistentiam *positivam*, & ratio est: quia illam solam resistibilitatem requirit, quæ auferat necessitatem operationis, quæ quidem tollitur, non minus per impeditionem causæ necessitantis; quàm per componibilitatem causæ cum carentia operationis. Vnde patet diversitas inter nostram prædefinitionem, & prædeterminationem Thomisticam; hæc enim nec *positivè*, nec *negativè* est resistibilis, cum non possit impediri a creatura; ast illa est resistibilis *negativè*, vtpotè dependens à scientia media per creatam libertatem impedibili.

24 Idem libro 2. de Peccatorum meritis, & remissione capite

18.

18. *Non sic defendamus gratiam, vt Liberum Arbitrium auferre videamur: rursus nec liberum sic asseramus Arbitrium, vt superba impietate ingrati Dei Gratiæ iudicemur*: sed si gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem defenderet, sic gratiam defenderet, vt Liberum Arbitrium auferre videretur: ergo talem gratiam non defendit. Probo minorem. Nam si defendere gratiam taliter, vt dum est in agente libero, ei, vt provenienti ab aliena voluntate resisti non possit, & dum non est in agente libero per solam voluntatem alienam, quamvis ad actum essentialiter necessariam, non possit acquiri, non sit defendere gratiam, quæ Liberum Arbitrium destruere videatur, quis modus defendendi gratiam talis erit? Nullus quidem: statututo enim: hoc principium: *Habere propriori ad determinationem liberam aliquid per alterius libertatem impressum, & ad actum determinans, & carere per alterius libertatem eo, quod necessarium est ad actum, quodque acquiri non potest libertatem adimit*, esse falsum; idem dicam de quocumque connexo, aut de defectu cuiusvis necessarij.

25 Quod, vt videas. Pone Divum Augustinum dixisse: gratiam *excitantem*, & quam sufficientem vocas, esse connexam cum consensu: ex tuis prædeterminantibus principijs defenderem: per hanc non videri destrui liberum arbitrium creatum: etenim non destrueret, *quia connexa, antecedens, & in impedibilis*; cum hæc omnia prædicata inveniantur in gratia *movente, & prædeterminante* sine læsione libertatis per te: *non quia constituens actum primum*: nam si gratia *prædeterminans*; quamvis influat, & antecedat, non se tenet ex parte *actus primi* constituens sufficientiam; nec gratia *excitans*, provt influens; & antecedens *actum primum* constituet; sed vtraque tanquam applicatio ad operandum se habebit, constituta sufficientia per voluntatem creatam, & Deum, vt Authorem supernaturalem potentem se applicare per gratiam ad operandum cum creatura supernaturaliter, & provt ad salutem oportet: non igitur est alius modus defendendi gratiam cum libertatis nocumento, si defensio gratiæ prædeterminantis tale non affert.

26 Deinde apud Sanctum Doctorem invenitur tum libro 1. ad Simplicianum quæstione 2. *Quod quamvis multi vno modo vocati sint, quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui illi capiendæ reperiuntur idonei.* Tum libro 12. de civitate Dei capite 6. *Si eadem tentatione ambo tententur, & vnus ei cedat, atque consentiat; alter vero idem qui fuerat, perseveret, quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Quæ maxime distant à gratia intrinsecè efficaci, & prædeterminante. Probatur assumptum: si talis gratia esset de mente Augustini frustra in multis vno modo vocatis pro diversitate sequendi vocationem recurreret ad diversitatem idoneitatis ex parte ipsorum; cū omnes sint ex se æquè idonei ad gratiam intrinsecè efficacem, & prædeterminantem: falsoque assereret in duobus æqualiter tentatis, & affectis vno dissentiente; altero consentiente nil aliud pro diversitate operandi apparere; quàm *velle*, & *nolle*; cum maxima diversitas, quæ in vno, & altero appareret, esset gratia *prædeterminans*, & *intrinsece efficax* in vno, & gratia *purè sufficiens* in alio: ergo maximè distat mens Augustini à gratia intrinsecè efficaci, & predeterminante.

27 Vltimo: expendo locum celebrem, & difficilimum eiusdem Sancti Doctoris libro de Correptione, & Gratia capite 11. qui, quidquid ponderent alij, etsi doctissimè in contrariam partem, mihi non leviter probat exclusionem gratiæ intrinsecè efficacis; & prædeterminantis. Intentum sic suadeo. Explicat magnus Parens in hoc capite disparitatem, quæ intervenit inter gratiam collatam Adamo in statu innocentiæ ad perseverandum in bono, & gratiam, quæ necessaria est, tum ad amplectendum bonum, tum ad perseverandum in illo post peccatum Adami, & in statu naturæ lapsæ, quam sic proponit. *Nec ipsum*, (id est Adamum) *Deus ex se voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero Arbitrio: quoniam Liberum Arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono: quod adiutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, vt vellet: hæc est prima gratia quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, vt habeat homo iustitiam, si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, vt velit, & tantum velit tantoque ardore diligat, vt carnis voluptatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat*: addit: adiutorium hoc, quo fit, vt velimus, & in Adamo non fuit

tale

tale esse, *vt ille* (id est Adam) *eo opus non haberet, cum in bonis esset*, in quibus non sunt, qui post lapsum implorantes dicunt: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: & etiam loquendo de eadem gratia, qua pro hoc statu indigemus: *Est quippe in nobis per hanc Dei Gratiam in bono percipiendo, & perseveranter tenendo non solum posse, quod volumus; verum etiam velle, quod possumus.*

28 Ecce diversitates, quas tradit Augustinus inter gratiam, qua Adamus potuit perseverare si vellet; non tamen voluit; & gratiam, quæ in nobis amplectentibus bonum, & in illo perseverantibus, invenitur, qua non solum nobis datur *posse perseverare*, si velimus; sed *ipsum perseverare*, & *velle*. Ex quibus assumptum suadeo. Adiutorium hoc, quo nobis datur non tantum *posse perseverare*, & *bonum amplecti*, si velimus; verum *ipsum perseverare*, & *velle*, quod in phrasi Magni Parentis est adiutorium *quo*, prout contradistinguitur ab alio vocatum *sine quo*, est gratia efficax ad bonum amplectendum, & in ipso perseverandum: sed hoc adiutorium ex mente Augustini non est ab intrinseco efficax: ergo ex mente eiusdem gratia efficax non est ab intrinseco talis. Maior est certa. Nam illud adiutorium gratiæ est gratia efficax, quod cum effectu assequutionis boni, & perseverantiæ in illo coniungitur, & quo Deus ad se nos trahit. Probo minorem, in qua est difficultas.

29 Adiutorium hoc ex mente Augustini est, quo non egut Adamus, vt in bono perseveraret: quod est potentius, & validius in nobis; quam in Adamo: & per quod est in nobis non solum *velle, quod possumus*; sed *posse, quod volumus*: sed hæc pugnant cum efficacia intrinseca: ergo hoc adiutorium ex mente Sancti Augustini non est ab intrinseco efficax. Maior constat ex verbis allegatis. Probatur minor. Non cohærent cum efficacia intrinseca, *esse adiutorium necessarium in vno ad amplectendum bonum, & perseverandum in illo, & non esse necessarium in alio*: quia sicut in omnibus ad amplectendum bonum, & perseverandum in illo est necessaria gratia efficax; sic, si efficacia adiutorij, & gratiæ est intrinseca, erit necessaria in omnibus: *esse potentius in vno; quàm in alio*; quia in eo quod ab intrinseco connectitur essentialiter cum alio non est magis, aut minus efficaciæ; sed æqualitas pro æqualitate connexionis: *esse id, per quod non solum datur nobis velle quod possumus; sed posse, quod volumus*: nam gratia ab intrinseco efficax non dat *posse*, quod vnice per gratiam indifferentem constituitur etiam apud adversarios (exceptis Salmanticensibus) quorum sententia communiter reijcitur à reliquis Thomistis, vt summe difficilis, pro tuenda libertate creata supra difficultates, quas secum imbibit gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans: ergo dicta pugnant cum efficacia intrinseca gratiæ, & adiutorij *quo*.

30 Confirmo, & simul explico mentem Divi Augustini provt pro mea tenuitate eam possum pertingere. Adamus, quia in bonis erat ante peccatum, id est sine pugna passionum, in qua caro concupiscit adversus Spiritum, non egut tanto adiutorio gratiæ, id est tanta gratiæ intensione, qua posset perseverare in bono, si per ipsum non stetisset: cæterum hoc adiutorium non accepit à Deo in circunstantijs, in quibus prævideretur coniungendum cum perseverantia; vnde mansit intra limites adiutorij *sine quo*, & non suscepit denominationem adiutorij *quo*, quam suscepisset, si prout potuit, Adamus in bono perseverasset. In nobis vero, qui post peccatum Adami in malis sumus ingemiscentes sub passionum iugo, & clamantes cum Apostolo ad Galatas capite 5. *Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* non sufficit adiutorium gratiæ simile adiutorio Adami in remissione: nam pro augmento resistentiæ, & pugnæ necessarium est in nobis augmentum intensionis gratiæ excitantis, sine quo *moraliter* non possemus resistere appetitui rebelli vehementer impellenti: hoc igitur augmentum gratiæ supra gratiam Adami nobis post lapsum confertur ex meritis Christi, quod Adamo non fuit collatum, quia eo non indiguit: & vlterius Sanctis, & iustis confertur in circunstantijs, in quibus coniungendum est cum perseverantia, qualiter non collatum fuit Adamo: ideo nostra gratia excedit Adami gratiam; tum in intensione, quia illa non fuit necessaria in Adamo; tum in ratione beneficij, quod negatum fuit Adamo, vt inde cognosceretur, quid posset arbitrium. Itaque adiutorium, quod *specificative* erat adiutorium *sine quo* tam in Adamo; quàm in nobis, factum est sub maiore intensione adiutorium *quo* in

no-

nobis. Quid hæc cum efficacia intrinseca, & gratia prædeterminante? Alij iudicent.

31 Sit secundus Divus Anselmus nostræ Scholæ Antesignanus, qui in libro 2. *cur Deus homo* capite 18. distinguens inter necessitatem *antecedentem*, quæ cogit ad operandum; & liberam determinationem voluntatis impedit; & *consequentem*, quæ cum libertate componitur; quia ad actionem non cogit: eas sic explicat: *Est namque necessitas antecedens, seu præcedens, quæ causa est, vt sit res, & est necessitas sequens, quam res facit. Præcedens, & efficiens necessitas est, cum dicitur Cœlum volvi, quia necesse est, vt volvatur; sequens vero, quæ nil efficit; sed sic est, cum dico te ex necessitate loqui, quia loqueris, non quod aliquid te cogat ad loquendum: nìm violentia naturalis conditionis cogit Cælum volvi; te vero nulla necessitas facit loqui:* infero: necessitas cogens, & libertatem adimens iuxta Anselmum, est necessitas, quam res non facit, id est, non causatur, aut non est in causa, vt sit, res: sed gratia efficax ab intrinseco connexa cum consensu, est necessitas ita causans consensum, vt hic non sit in causa, vt illa sit, cum per voluntatis creatæ determinationem, nec possit determinari, aut impediri: ergo gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans est necessitas simpliciter consensus, cogens ad illum, & libertatem adimens.

32 Consonat in concordia capite 1. vbi componens Liberum Arbitrium creatum cum divina prædestinatione infallibili, & certa, inquit: *Dei scientiam, & providentiam esse necessitatem consequentem, quia necessitas consequens descendit de libera voluntate*, & addit: *sola voluntas determinat ibi quid teneat, neque aliquid fit vi necessitatis, vbi operatur sola electio voluntatis*: ergo infallibilitas divinæ providentiæ in tantum bene componitur cum nostra libertate, in quantum est quid descendens à libera nostra voluntate: sed infallibilitas prædestinationis desumpta ab efficacia intrinseca mediorum prædeterminantium non est necessitas descendens ex nostra libera voluntate; sed potius antevertens exercitium illius: ergo non est necessitas *consequens*, & quæ cum libertate componatur; imo potius simpliciter *antecedens*, & Liberum Arbitrium destruens.

33 Redargues: scientia media de consensu est necessitas consensus posita, & purificata hypothesi auxilij, quia cum illo connectitur metaphysicè; deinde facit consensum, influendo in ipsum medio auxilio, ad quod dirigit; & tamen non est necessitas *antecedens*; verum *consequens*. Insuper prædefinitio efficax consensus scientia media regulata efficit consensum liberum per modum intentionis determinantis ad electionem medij efficacis, nec fit à libera voluntate; quia etsi voluntas per dissensum possit impedire prædefinitionem; secus eam determinare; etenim datur, & existit ex sola divina determinatione: nihilominus est necessitas *consequens* consensus: ergo neque est *antecedens* necessitas, quæ rem facit, neque vnice est necessitas *consequens*, quæ ex libera voluntate descendit: igitur tàm adversum; quàm propitium habemus Divum Anselmum.

34 Respondeo: Divum Anselmum explicantem necessitatem *antecedenter* per terminos *causandi rem*, non tàm attendere influxum; quàm modum influendi, & determinandi, id est, cum independentia *à priori* in existendo à re, quam facit: sicut necessitatem *consequentem* per terminos *non causandi rem* non excludere influxum necessitatis in rem; sed principalissimè includere influxum rei in necessitatem, ex quo descendat necessitatis influxus, ita vt verificetur: *existere influxum necessitatis ex determinatione liberæ voluntatis*: inde quamvis scientia media de consensu sit cum illo connexa, & influat *mediate* in ipsum, hoc non obstanti, est necessitas *consequens* iuxta mentem Anselmi: quia ipsa in existendo, & influendo, descendit ex libero consensu determinante *obiectivè* scientiam mediam sui impedibilem per dissensum, si libere loco consensus determinaretur. Intelligentiam hanc colligo ex ipso Doctore probante, vt vidimus, arbitrium componi cum providentia prædestinativa, quia hæc est *consequens* necessitas, & propterea talis est, quia descendit ex libera voluntate: ergo iuxta ipsum ly *necessitatem consequentem rem non facere* idem est, ac descendere ex re ipsa, & ly *necessitatem antecedentem rem facere* idem, ac ex re, quam facit, non descendere.

35 Quo præmisso facilis est solutio ad id, quod additur de prædefinitione, quæquidem ideo est necessitas *consequens*, quia licet non descendat ex libera voluntate *positivè*, in quantum voluntas creata per suum exercitium pos-

posſit determinare Deum, vt habeat præ definitionem ; at descendit *permissivè*: quia voluntas per liberam determinationem dissensus est potens impedire scientiam mediam de consensu essentialiter constituentem libertatem divinam prædefiniendi consensum liberum: quod sufficit, vt necessitas prædefinitionis dicatur descendere ex nostra libera voluntate, & esse *consequens*: nam quis reputabit impedimentum *antecedenter* necessitans, & cogens voluntatem, illud, à quo potest se expedire, si velit, & quod pro nutu ipsius in vi potestatis immediatæ, quam habet, potest non existere.

36 Respondent Recentiores Thomistæ, sicut ante responderat Magister Gonet Tractatu de Prædestinatione disputatione 6. articulo 7: Divum Anselmum intellexisse per necessitatem *antecedentem* libertati oppositam, eam, quæ oritur ex aliqua causa *secunda extrinseca* operanti, & per modum naturæ necessitante ad vnum : & per necessitatem *consequentem*, eam, quæ descendit ex libera arbitrij creati determinatione, vel quæ fundatur in determinatione *primæ* causæ liberæ, cui *secunda* debet esse subiecta. Sed contra : nam si sic verba Doctorum accomodantur propriæ sententiæ ; potius erit nostrum iudicium regula intelligendi dicta Sanctorum ; quam dicta ab ipsis, mensura nostri discursus. Neque ad refellendam interpretationem datam alio opus est; quàm percurrere verba, & intentum Sancti Anselmi. Intentum enim ipsius est, *solvere nodum difficilem divinæ prædestinationis cohærentis cum arbitrio nostro*: pro quo dicit, prædestinationem non officere arbitrio ; quia etsi sit necessitas nostræ liberæ operationis, est necessitas *consequens*, & descendens ex libera voluntate: ergo de determinatione *primæ* causæ, vt prædestinantis, inquit, libertatem servare ; quia est determinatio descendens à libera voluntate ; qualiter si non esset, libertatem destrueret : sed si pro necessitate *consequente* intelligeret eam, quæ non provenit ab agente *extrinseco creato*, impertinens omnino esset, quod descenderet, aut non descenderet prædestinationis necessitas à libera voluntate ; cum clarius, & verius dici posset; *quia est necessitas à prima causa, & non à secunda*: ergo interpretatio data, aliena est à mente Divi Anselmi.

37 Vlterius ; quid ineptius, vt ita dicam, pro solutione gravissimæ difficultatis, in qua rogatur : *quomodo providentia prædestinativa, quæ à Deo est, & non à causa secunda, non necessitet ad operationem creatam cum qua connectitur?* Quàm respondere ; *quia est prædestinatio proveniens à prima causa* ? Hoc enim non esset difficultatem solvere; sed intactam relinquere : modo quo si ego difficultate pressus rogarem Thomistam : *Quomodo prædeterminatio non tollit libertatem creatam, si est antecedens, connexa, & inimpedibilis* ? Respondens *propter hoc ipsum, quia est antecedens, connexa, & inimpedibilis*; difficultatem non solveret ; sed implicaret. Demùm: quia tota difficultas nititur in prædicatis *necessitatis, & connexionis* cum libera operatione : sed quod proveniat à *prima*, vel *secunda* causa non immutat, aut temperat prædicatum *necessitatis, & connexionis* : ergo quod descendat à *prima* causa ; non à *secunda*, difficultatem non evacuat.

38 Tertius Divus Thomas docens in secundo distinctione 25. quæstione 1. articulo 1. ad tertium, qua ratione Deus operetur in agente libero, & necessario, idque tradens per hæc verba : *dicendum : quod Deus operatur in nobis; ita tamen, quod in vnoquoque secundum eius conditionem. Vnde in rebus naturalibus operatur, sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In Libero autem Arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agenti ipsi ministret, & ipso operante, Liberum Arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate Liberi Arbitrij constituitur. Vnde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti* : infero: Deus solummodo operatur in agente libero, tribuendo ipsi virtutem, vt penes ipsum sit determinatio finis, & actionis: sed gratia prædeterminans non pertinet ad virtutem agentis liberi per te ; cum sit quædam applicatio medians inter virtutem, & actionem, prævie determinãs: ergo iuxta Divum Thomam Deus non operatur in agente libero media gratia intrinseca efficaci, & prædeterminante.

39 Addit distinctione 39. quæstione 1. articulo 1. *Ipsa potentia voluntatis quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante; sed ab ipsa voluntate:* & post in articulo 2. *hoc dominium est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, neque ad aliquid eorum determinatur, nisi ex se ipsa*: censet ergo

go Angelicus Magister omnem determinationem, quæ non sit ab ipsa voluntate; sed ab alio determinante, dominium libertatis impedire. At determinatio prævia gratiæ intrinsece efficacis, & prædeterminantis non est à voluntate; sed ab alio, scilicet Deo determinante: ergo gratia intrinsece efficax, & prædeterminans indifferentiam propriam dominij libertatis aufert, antevertens determinationem voluntatis, & non sinendo, quod penes ipsam sit vnice determinare actionem, & finem.

40 Iterum recurrunt ad determinationem provenientem ab agente creato, & causa secunda, & hanc dicunt tãtum voluisse excludere Divum Thomam per ly *non est ab alio determinante*; sed præterquamquod hæc solutio non potest convenire primo textui, in quo dicitur: Deum tantum operari in agente libero, tribuendo ipsi virtutem, vt ex se determinetur; quod non faceret, si vltra virtutem, aliam qualitatem determinantem imprimeret; alijs etiam locis non est congrua; tum quia restringit, & modificat vniversalitatem propositionis Divi Thomæ, qui absque distinctione vlla inter agens *creatum*, & *increatum* excludit in arbitrio creato determinationem ab alio provenientem, & illam determinationem conatur excludere in agente *libero*, quæ vt proveniens a *prima* causa, invenitur in agente *necessario*; tum principalius, quia si determinatio prævia alterius agentis ex suo conceptu non opponitur cum libertatis dominio; quod hæc determinatio sit ab vno, vel ab altero agente, non erit in causa, vt libertatem adimat: quidquid sit: an ex alijs capitibus repugnet: id enim quod ex suo conceptu aliquid non habet, aut aliquid affert; à quocumque existat, cum eisdem prædicatis semper existit: aliter posset dici: quod albedo posita à causa *secunda*, dealbat; at posita à *prima*, vel talem effectum suspendit, vel tribuit oppositum, aut econtra: ergo si determinatio prævia, quæ à voluntate non sit, cum arbitrio creato bene componitur; quod sit ab agẽte *primo*, vel *secundo*; conceptum determinationis prævię cum libertate compatibilis non immutabit.

41 Confirmatur, & explicatur. Determinatio prævia ad determinationem voluntatis non opponitur cum arbitrio ipsius; nec quia determinatio est antecedens, nec quia determinatio antecedens alterius agentis liberi; alias determinatio proveniens à Deo libertatem creatam destrueret: deinde non opponitur, quia sit operatio talis agentis, scilicet *secundi*: ergo vel determinatio *primi* agentis cum libertate non componitur, vel determinatio *secundi* agentis cum ea est compatibilis. Probo vltimam partem. Quod determinatio prævia sit ab agente *secundo*, præcisse facit: libertatem esse subiectam agenti *secundo*: sed libertatem esse subiectam agenti *secundo* non destruit libertatẽ; sed eã facit depẽdentẽ ab agẽte *secundo*, quod libertatem non destruit, dum non ostendas: agens *secundum* facere aliquid, quod ex suo conceptu libertatem destruat: ergo quod determinatio sit ab agente *secundo*, non probat impedire libertatem, si conceptus prævię determinationis alterius agentis libertatem non impedit.

42 Quod, vt clarius conspiciatur. Pone me dicere: determinationem *moralem* ad vnum libertatis extremum, quæ in præcepto consistit, libertatem creatam non lædere; quando à *prima* causa immediate provenit, vt sunt præcepta divina; at determinationem *moralem* provenientem à causa secunda, vt sunt præcepta humana, cum arbitrio creato, & libera determinatione ipsius non componi. Quo igitur medio vtereris, vt me convinceres ad iudicandum præcepta humana libertati non nocere? Diceres enim: determinationem *moralem* ex se esse compatibilem cum vtroque extremo, nec amittere hanc compatibilitatem; quamvis ponatur à *prima*, vel *secunda* causa, quia est sola variatio extrinseca. Quod si ego insisterem: id provenire à conditione determinantis *moraliter*, replicares: quid diversitas in determinante, quando nulla est variatio in modo determinandi? Bene quidem, modo iudices contra te efficax argumentum, quod contra me in hac suppositione validum censes.

43 Aliter confirmo ex his, quæ contra Doctissimum Magistrum Palancum arguunt prædeterminantes *intrinsecè*, & per qualitatem: inquit ille: prædeterminationem *intrinsecam*, & in qualitate consistentem libertatem creatam evertere; secus autem prædeterminationem *extrinsecam*, & per actionem puram immanentem Dei: arguunt inquam contra ipsum: semel quod determinatio connexa, antecedens, &

in-

inimpedibilis ex conceptu talis propter subiectionem, quam libertas creata dicit ad divinam, cum arbitrio creato sit componibilis, quid ly *intrinsecè*, aut *extrinsece* pro immutanda natura prædeterminationis, quoad læsionem, vel non læsionem libertatis? Etenim si ex aliquo capite prædeterminatio libertatem læderet, maximè, quia antecedens, connexa, & inevitabilis; non quia *intrinseca*: ergo impertinens est recurrere ad *extrinsecum* pro libertate servanda, & *intrinsecum* tanquam libertatis nocivum reijcere. Vnde arguo ab oppositò: Divus Thomas, vt servet creatum dominium, determinationem antecedentem alterius agentis repellit, & insolidum voluntati committit: ergo ne vtramque determinationem alterius agentis *primi*, & *secundi* ex defectu variationis *intrinsecæ*, *determinationis*, *antecedentis*, & *inevitabilis* teneatur admittere, neutram cum dominio libertatis iudicat componibilem.

44 Et vt clarius adhuc appareat mens Angelici Magistri prorsus distans à prædeterminatione *intrinseca* proponam ad extremum verba eiusdem in quæstione 6. de Veritate articulo 3. vbi loquens de certitudine prædestinationis, quam habet ex medijs collatis prædestinato inquit: *Liberum enim arbitrium deficere potest à salute; tamen in eo, quem, Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat: sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem.* Notetur ly *tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel si cadat*: vnde infero: ergo media, & adminicula omnia etiam includendo adminiculum gratiæ absque vlla restrictione talia sunt, quibus coniungi potest *casus*, & *non casus*: sed media coniungibilia cum *casu*, & *non casu* sunt media ex se indifferentia, & nullo modo physicè prædeterminantia: ergo ex mente Divi Thomæ non sunt media intrinseca physicè prædeterminantia. Hęc per se considerata satis me movent, vt iudicem Divum Thomam alienum à Prædeterminatoribus; sed vehementius in hanc cogitationem me impellunt, dum video in eodem sensu doctissimum Dominicanum, & Illustrissimum Araujo Segoviensem Episcopum, cui adeò clara visa sunt adducta verba, vt non dubitaverit ex mente Sancti Thomæ *physicas* prædeterminationes abijcere, & ad *morales* deflectere: legatur ipse vbi supra, Pagina 467. ibi: *ego plane non video, qua cum probabilitate possit affirmari B. Augustinum de physica, & non de morali voluntatis humanæ prædeterminatione in his locis sermonem fecisse* subiungens immediate: vnde crediderim me in hac sententia Augustinum sequi. Neque verò puto me à Sancti Thomæ doctrina recedere. Nam quæstione 6. de veritate articulo 3. ita dicit; *Liberum Arbitrium &c.* Et post relata verba concludit. *Hæc Sancti Doctoris verba manifesta sunt pro morali determinatione tuenda*: sic Sapientissimus Magister in Schola, & doctrina Divi Thomæ versatissimus.

CAPVT II.

Fundamenta rationis pro exclusione prædeterminationis physicæ, & intrinsecæ.

45 PRimum desumitur ex definitione potentiæ *liberæ, vt talis*, & provt contradistinctæ à potentia *necessaria*, quæ ex consensu antiquorum omnium Theologorum, & Patrum, quibus consentiunt ferè omnes Moderni, sic se habet: *Potentia libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari*: dixi *apud ferè omnes*: quia in contrarium reclamant apud Izquierdo, Albarez, Cabezudo, & Ledesma dicentes: talem definitionem non inveniri, nec apud Aristotelem, Magistrum, & Sanctum Thomam, neque apud aliquem Theologorum antiquum, quos mira eruditione convincit Pater Ripalda tomo 3. contra Baianos disputatione 15 sectione 12. percurrens omnes in quibus clarissime invenitur: ex illis vnum solum adducam Sanctum Thomam de veritate, quæstione 24. articulo 2. ad 7. ibi: *in potestate hominum est, vt eisdem rebus firmiter repræsentatis, sivè sint præcepta, & prohibitiones, sivè sint beneficia, & flagella, eligant, vel fugiant iudicio rationis; sed in brutis est iudicium naturale determinatum ad hoc, quod id, quod vno modo proponitur, vel occurrit, eodem modo accipiatur, vel fugiatur*; quæ explicatio in idem recidit, vt sentit Capreolus in primo distinctione 6. quæstione vnica articulo 3, ac, *illud agens dicitur liberum, quod eodem modo omnibus po-*

si-

situs, ita vt possit agere, non necessario agit; sed in potestate eius est, vt agat, & non agat.

46 Dices: si non positis omnibus requisitis ad operandum, detur potentia expedita ad operandum, & non operandum ex propria determinatione, hæc erit potentia libera: sed hæc non comprehenditur sub definitione data, quæ tantum comprehendit potentiam illam, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest sic, vel aliter operari: ergo data definitio non est recta, cùm non comprehendat omnem potentiam liberam. Negabis consequentiam, donec purificetur conditio maioris propositionis: sed facile purificatur, & traditur consequentiæ probatio. Defacto vnum ex requisitis ad consensum est scientia media consensus; vlterius vnum ex requisitis ad dissensum est carentia decreti connexi cum consensu, aut prædefinitionis efficacis illius: sed defacto voluntas dissentiens est potens consentire, & voluntas consentiens est potens dissentire sub defectu talium requisitorum: ergo defacto datur potentia, quæ, deficientibus requisitis ad operādū, est expedita, & libera ad operandum, & non operādum.

47 Respondeo: quod quando dicitur potentia libera *ea, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest sic, vel aliter operari*, intelligeddum est de omnibus positis *in re*, vel *virtualiter* in potentia ea acquirendi, taliter, vt requisita inacquiribilia per potentiam liberam debeant existere *in re*, vt existat talis potentia; cætera vero, quæ acquiribilia sunt, existant tantum *in virtute ea obtinendi*: ratio discriminis est: nàm requisita, quæ acquiri non possunt, si aliunde non intelligantur, impediunt potentiam irresistibiliter per suum defectum; at quæ acquiri possunt, etsi deficiant, relinquunt potentiam expeditam ad operandum, quamvis defacto non existant: vnde illa propositio, quę continetur in vltima consequentia. *Defacto datur potentia, quæ deficientibus requisitis ad operandum, est expedita, & libera ad operandum, & non operandum* est distinguenda: quæ deficientibus *tam formaliter; quam virtualiter*: nego consequentiam: quæ deficientibus *formaliter tantùm*: subdistinguo, *si sint acquiribilia*: concedo consequentiam: *si inacquiribilia*: nego consequentiam.

48 Quo supposito, sic argumentor. Posita gratia ab intrinseco efficaci, & prædeterminante requisita ad consensum Petrus consentiens non potest dissentire: ergo posita gratia ab intrinseco efficaci, & prædeterminante requisita ad consensum, Petrus consentiēs non est liber. Consequentia est legitima: nam si posita gratia ab intrinseco efficaci, & prædeterminante, quæ est vnum è requisitis ad consensum, Petrus non potest consentire, & non consentire, iam positis omnibus requisitis ad operandum, non poterit sic, vel aliter operari; ac per consequens non erit liber. Probatur antecedens. Posita gratia ab intrinseco efficaci, & prædeterminante requisita ad consensum, impossibilis est cum ipsa carentia consēsus: sed ad impossibile nulla datur in Petro consentiente vera potestas: ergo posita gratia prædeterminante, & ab intrinseco efficaci, Petrus consentiens non potest dissentire. Confirmatur. Eo modo, quo posita gratia, est impossibilis carentia consensus, est necessaria existentia consensus: ergo si, posita gratia ab intrinseco efficaci, est impossibilis carentia consensus, posita ea gratia, est necessarius consensus: sed eo modo, quo aliquid est necessàrium sub vno extremo, non datur indifferentia, vt sit, vel non sit sub tali extremo: ergo posita gratia ab intrinseco efficaci, & prædeterminante requisita ad consensum, non est vlla indifferentia ad consensum, & carentiam consensus.

49 Respondebis primò. Vt potentia libera sit talis, non est necessàrium, quod, positis omnibus requisitis ad operandum, possit operari, & non operari, componendo *operari, & non operari* cum omnibus requisitis ad operandum; sed vel quod possit componere, vel quod possit dividere non operationem a requisitis ad operandum: sic in nostra sententia: Petrus consentiens libe rè non est potens, posita scientia media de consensu, ad non operandum, *coniungendo dissensum cum scientia media de consensu*; sed ad non operandum, *dividendo dissensum à scientia media de consensu*: ideòque cum omnibus requisitis ad operandum debet facere potentia libera sensum cōpositum potestatis non operandi; secus sensum compositum exercitij talis potentiæ non operativæ.

50 Rectè quidem: sed instauro argumentum. Per te potentia libera ea est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari,

& non operari, vel *componendo non operari cum requisitis*, vel *dividendo non operationem à requisitis*: sed Petrus consentiens per gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem requisitam ad consensum, nec potest non consentire, *coniungendo carentiam consensus cum gratia prædeterminante metaphysice connexa cum consensu*, nec potest non consentire, *dividendo carentiam consensus à gratia prædeterminante ad consensum*: quia, qui absque libertate possidet formam aliquam, non potest pro sua determinatione ab illa se dividere: ergo Petrus consentiens per gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem non est liber. Confirmatur. Qui absque libertate habet impedimentum non operationis, absque libertate est impeditus à non operatione: sed qui absque libertate est impeditus à non operatione, non est potens per non operationem liberam se dividere ab impedimento illius: ergo qui absque libertate habet prædeterminationem, quæ est impedimentum non operationis, non potest per non operationem liberam se dividere à prædeterminatione; sed aliunde non potest per te componere non operationem cum prædeterminatione: ergo neque potest non operari *componendo non operationem cum prædeterminatione*, nec *dividendo non operationem à prædeterminatione*.

51 Respondebis secundo: neque esse necessarium, quod potestas libera, non operando, possit se dividere à requisito operationis incomponibili cum non operatione; sed quod possit non operari *in sensu diviso* talis requisiti incomponibilis, quod valde diversum est. Nam primum denotat posse, non operando, auferre impedimentum, quod non est necessarium pro libertate: secundum: posse non operari ablato impedimento: quod sufficit pro expeditione potentiæ expeditæ ad vtrumvis. Sed contra: nam posse non operari *in sensu diviso* talis requisiti ad operationem, *formaliter* nil aliud est; quam posse se dividere à tali requisito: sic posse voluntatem libere ponere consensum *in sensu diviso dissensus*, est posse se dividere per consensum à dissensu, & è contra: posse ponere dissensum liberè *in sensu diviso consensus*, est posse per dissensum se dividere à consensu: aliàs verificaretur: voluntatem esse potentē non operari libere in sensu diviso, quando sensus divisus est ipsi impossibilis: ac per consequens sensus compositus requisiti ad consensum, & consensus est ipsi antecedenter necessarius: ergo si consentiens per gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem potest libere non consentire *in sensu diviso talis gratiæ*, potest se dividere ab illa.

52 Vrgetur. Per tē Petrō consentienti est antecedenter impossibilis divisio sui à gratia efficaci, & prædeterminante: ergo est antecedenter necessaria compositiō sui cum gratia efficaci, & prædeterminante: sed cui est antecedenter necessaria compositio sui cum tali gratia, non est antecedenter possibilis non operatio *in vero sensu diviso*, qui divisionem essentialiter importat à tali gratia: ergo Petro consentienti per gratiam intrinsece efficacem, & prædeterminantem non est possibilis non operatio consensus *in sensu diviso*.

53 Respondebis tertio: sensum divisum dupliciter intelligi posse: scilicet *positivum*, & *præcisivum*. Potentia ad non operandum in sensu diviso *positivo* alicuius formæ, est potentia ad impediendam formam oppositam omissioni alicuius exercitij, vel ad componendam omissionem exercitij cum carentia formæ; potentia ad non operandum in sensu diviso *præcisivo* formæ, est potentia, quæ respicit omissionem secundum se, & non est potentia impediendi formam, nec componendi omissionem cum carentia formæ oppositæ cum tali omissione: ex his; potentia, quę datur in consentiente ad omittendum consensum *in sensu diviso*, est potentia in sensu diviso *præcisivo*; sed non *positivo*; nec alia potentia videtur necessaria ad omittendum libebere, dum adest impedimentum omittendi; siquidem est vera potestas omittendi: nam si propter aliquam rationem ita non esset, maximè quia est potestas ad omittendum libere, præscindens à potestate coniungendi omissionem, aut cum prædeterminatione, aut cum carentia prædeterminationis, à quo disiuncto non potest præscindere ipsa omissio: quæ ratio nulla est: quia meus consensus liber non potest existere in rerum natura, quin componatur cum consensu Petri, vel eius carentia, & tamen est in me potestas ad meum consensum, quin possit illum coniungere determi-

nate

natè cum consensu Petri, vel eius carentia; propterea quod non sit in me potestas ad faciendum, quod Petrus consentiat, vel omittat consensum: ergo similiter poterit esse in prædeterminato ad consensum vera potestas omittendi, quin sit potestas ad coiungendam omissionem cum gratia efficaci pendente à libertate Dei, nec cum carentia eiusdem gratiæ, quæ etiam est exercitium diuinæ libertatis: ita Illustrissimus Godoy de Impeccabilitate Christi sect. 8. num. 188.

54 Hæc solutio, quæ tantùm primo aspectu placere potuit, vel ipsis Thomistis, efficacissimè impugnatur sub hac forma. Omnis vera potestas libera omittendi debet esse ad exercitium possibile omittendi eo modo, quo intrinsece possibile est; sed exercitium omittēdi vnice intrinsece possibile est, vt *positivè* diuisum à prædeterminatione consensus: ergo Petrus consentiens prædeterminatus ad consensum, vel debet esse potens ad omittendum in sensu diviso *positivo* prædeterminationis ad consensum, vel nulla vera potentia potest omittere. Maior est certa: cum vera potentia debeat respicere terminum verū, & possibilem. Probatur minor. Exercitium omittendi vnice intrinsece possibile est, vt repugnans coniunctioni cum prædeterminatione ad consensum: sed exercitium vnice intrinsece possibile, vt repugnans coniunctioni cum prædeterminatione consensus, est exercitium omittendi vnice intrinsecè possibile, vt *positivè* diuisum à prædeterminatione: ergo exercitium omittendi vnice intrinsecè possibile est, vt *positivè* diuisum à prædeterminatione consensus. Probatur maior. Exercitium omittendi vnicè intrinsece possibile est, vt exclusivum *formale* cōsensus essentialiter exacti à prædeterminatione tanquam termini metaphysicæ cōnexionis: sed exercitiū omittendi, quod vnice possibile est intrinsece, vt exclusivum *formale* termini connexionis metaphysicæ, vnice intrinsecè possibile est, vt repugnans coniunctioni cum fundamento talis metaphysicæ connexionis: ergo exercitium omittendi vnicè intrinsecè possibile est, vt repugnans coniunctioni cum prædeterminatione ad consensum.

55 Vrgetur. Omissio consensus, vt possibilis non potest, quando existit, præscindere ab eo, quod sit exclusivum *formale* consensus: ergo neque ab eo, quod est necessarium, vt sit *formale* exclusivum consensus: sed vt sit *formale* exclusivum consensus metaphysicè est necessaria carentia prædeterminationis: ergo omissio, vt possibilis, non potest, quando existit, præscindere à carentia prædeterminationis. Probatur minor. Vt sit in actu secundo *formale* exclusivum consensus, indiget metaphysicè defectu illius, quo dato, non potest deficere consensus: sed carentia prædeterminationis est carentia illius, quo dato, non potest deficere consensus: ergo vt omissio sit *formale* exclusivum consensus metaphysice est necessaria carentia prædeterminationis. Inde colligitur: exemplum adductum, esse diversissimum à re præsenti: nam meus consensus liber, etsi non possit præscindere à consensu libero alterius, vel carentia illius, quia non potest præscindere à duplici contradictorio; at potest præscindere tam à consensu libero alterius; quam à carentia illius *determinatè acceptis*: quia cum nec opponatur cum consensu libero in altero, nec cum defectu illius, nullum extremum alienæ libertatis *determinatè* exigit: Imò inde sumit argumentum vires in contrarium. Nam sicut meus consensus liber non potest præscindere à disiuncto exercitij liberi alterius libertatis, quia cum defectu duplicis contradictorij non componitur; sic mea omissio libera non potest præscindere à carentia prædeterminationis, quia cum prædeterminatione ad consensum est incomponibilis.

56 Propter hæc: solutio aliquando plausibilis deserta est à novioribus Thomistis fatentibus iam: potentiam liberam omittendi debere esse ad omissionem in sensu diviso *positivo*. Cæterum dicunt: potentiam ad omissionem in sensu diuiso *positivo* non esse potentiam, vt voluntas possit per dissensum, seu non consensum se dividere à gratia efficaci prædeterminante; sed tantùm, vt possit non operari, aut dissentire *diviſim* à prædeterminatione, hoc est per exercitium diuisum ab illa, faciente Deo diuisionem; pro cuius nutu tantum existit, & deficit gratia efficax prædeterminans: vnde voluntas potest ponere omissionem *positivè* diuisam; quod pro libertate sufficit, quamvis non possit facere diuisionem, quæ ad solam libertatem supremam spectat: sic cum alijs Castell tomo 2. de Liberta-

te quæstione 6. sectione 6. numero 83.

57 Modus hic respondendi, quamvis diversus, non est facilior præcedente; sed gravibus difficultatibus implicatus: eas propono. Potentia ad omittendum *in sensu diviso* ab impedimento cum operatione connexo, quæ non sit potentia ad se dividendum ab impedimento, est potentia non operandi, qua potentia *libere operans* non discernitur à potentia *necessaria*: sed modus, quo potentia *libera* non discernitur à potentia *necessaria*, est modus impertinens ad explicandam libertatem: ergo potentia ad omittendum *in sensu diviso* impedimenti, quæ non sit potentia ad sensum divisum, seu ad se dividendum ab impedimento, nil conducit pro libertate tuenda. Discursus est legitimus, & minor certa: nàm quid pro libertate modus ille non operandi, quo convenit potentia *libera* cum *necessaria*? Probatur maior. Per illum modum potentiæ ad omittendum, seu non operandum, non discernitur potentia *libera* à *necessaria*, qui eodem modo invenitur in potentia *necessario operante*: sed modus potentiæ ad omittendum *in sensu diviso* ab impedimento absque facultate se dividēdi ab illo, eodem modo invenitur in potentia *necessaria*; quam in *libera*: ergo potentia ad omittendum *in sensu diviso* impedimenti cum operatione connexi, quę non sit potentia ad se dividendum ab impedimēto, est potentia non operandi, qua potētia *libere operans* non discernitur à potentia *necessaria*.

58 Minor constat inductione facta per causas *necessarias*: ignis enim comburens lignū potest non comburere remota applicatione, aut præparatione concursus, quam removere non potest: sicut à contrario: ignis Babilonicus non comburens ob defectum præparationis poterat, data applicatione, quā acquirere non poterat, comburere: calor aproximatus subiecto *A* potest illud non calefacere, sublata aproximatione: humanitas Christi D. *necessario* non peccans potest ponere peccatum, impedita vnione hypostatica: ferreis catenis ligatus potest deambulare, aut currere fractis, vel dissolutis catenis, quas frangere, aut dissolvere non potest: homo distans à Cœlo, dum est in terra, potest Cœlum tangere, impedita distantia per aproximationem, quam acquirere non potest, dividendo se à distantia: ergo modus se exercendi sive *positivè*, sive *negativè in sensu diviso* ab impedimento absque facultate se dividendi ab illo, eodem modo invenitur in potentia *necessaria*; quam in *libera*.

59 Respondebis ex eodē: diversitatem consistere in eo, quod in exemplis adductis divisio ab illis impedimentis non solum requiritur, vt ea exercitia existant; sed vt detur potestas proxima ad illa; ideo, deficiente potestate proxima ad illa, non est potens agens, vt sic se exerceat, neque *in sensu composito*, neque *in sensu diviso*; non sic impedimetum prædeterminationis, cuius divisio duntaxat est requisita ad exercitium omittendi; non verò ad potestatem proximā omittendi. Quod amplius explicat tribuendo rationem, ob quam vincula se teneāt ex parte actus primi in eo, qui ad currendum est compedibus impeditus: quia inquit, vincula impediunt potentiā, ne agat, & ideo omne exercitium potētiæ deambulativę impediunt: neque impediunt potentiam, quia illam exerceāt, conferendo aliquod exercitium; sed omne tollunt; motio gratiæ voluntatem non ligat sed exercet, determinando ad aliquod exercitium.

60 Solutionem huius Sapientissimi Doctoris percurro, vt quid in illa præter pura verba sit, ostendam. Dicit primo. *Divisionem illorum impedimentorum non requiri tantum, vt exercitium existat; sed vt existat potentia proxima.* Sed contra. Nam non est alius titulus, vt sint impedimenta *potentiæ proximæ*, nisi quia sunt impedimēta *exercitij*, cū quorum carentia connectitur: sed per te impedimentum *exercitij*, cum cuius carentia connectitur, non est impedimētum *potentiæ*: ergo impedimenta illa non sunt impedimenta *potentiæ*; sed *exercitij*. Cotra dein de: id, quod vt connexum cum vno exercitio, qua ratione est impedimentu exercitij oppositi, est id, quod vt connexum, non constituit potestatem proximam ad exercitium, ad quod determinat: sed id, quod vt connexum cum vno extremo non cōstituit potestatem proximam ad illud, est id, cuius carētia, per te, nō constituit potestatem proximam ad oppositum: ergo impedimentum, quod vt connexum cum vno extremo non constituit potestatem proximam ad illud, est id, quod vt impedimentum exercitij oppositi, non impedit potentiam ad illud: at impedimenta assignata non constituunt potestatem proximam ad exercitium, quod determinant: ergo

&c

& eorum carentia non constituit potestatem proximam ad oppositum.

61 Minor subsumpta probatur. Approximatio, *ignis*, ad comburendum, *caloris*, ad calefaciendum, *hominis*, ad tangendum Cœlum, sunt merè applicationes ad exercitia *comburendi*, *calefaciendi*, & *tangendi*: sed per te applicatio ad exercitium non constituit potentiam proximam ad illud, vt constat in gratia prædeterminante, quæ est applicatio essentialiter exacta ad consentiendum, quin constituat potestatem proximam consentiendi: ergo impedimenta assignata non constituunt potestatem proximam ad exercitium, quod determinant: si autem dicas: applicationem illam prædeterminationis potestatem proximam consentiendi non constituere; secùs alias; libere dices; dùm fundamentum non ostendas: quod non ostendere iam suadeo.

62 Dicit secundo: *Constrictum vinculis nullam habere potestatem ambulandi, aùt currendi adhuc in sensu diviso, propterea quod vincula sint impedimenta se tenentia ex parte actus primi, neque tantum impedientia exercitium; verum potentiam: & hoc quidem, quia non impedimt exercendo potentiam, & conferendo aliquod exercitium; sed auferendo omne, quod est potius impedire potentiam; quam exercitium.* Bene: doctrinam accipio, & infero, ergo quando impedimentum tale est, vt non auferat omne exercitium; sed ad vnum determinet, non aufert veram potentiam ad operandum in sensu diviso: sed vinculorum alligatio non impedit exercitium omne potentiæ locomotivæ; cum potius ipsam determinet ad exercitium producendi præsentiam in vno determinato loco: ergo qui constrictus est vinculis, manet expeditus, vt possit se movere, prout voluerit; nequè habet impedimentum se tenens ex parte *potentiæ*; sed ex parte *exercitij*. Infero insuper: saltem eum, qui fune, aut catena trahitur in locum determinatum, quin possit resistere vi, & impulsui trahentis, posse libere se in alium locum conferre: si quidem impedimentum illud extrinseci impulsus non aufert potentiæ exercitium omne se movendi, applicando illam irresistibiliter, vt gressum moveat ad determinatum terminum. Demùm infero, quod si sit possibilis pura omissio libera, vt est probabilissimum in sententia Thomistarum, non prædeterminatus ad actum erit necessitatus ad omissionem actus: nàm carentia prædeterminationis ad actum, est impedimentum actus non determinans ad aliquod exercitium potentiæ; sed impediens omne exercitium: vnde erit impedimentum *potentiæ*, & non *solius actus*: per consequensque illa omissio erit simul libera, & necessaria.

63 Nec divisio ab impedimento in sententia huius Authoris potest esse constitutiva *potentiæ*, nisi quando, secluſa divisione, non detur sufficiētia *virtutis* ad oppositum, quam vis non detur sufficientia *ad actum*: sed in casib us adductis datur sufficientia *virtutis* ad exercitium impeditum: ergo divisio ab impedimento non constituit potentiam ad illud. Maior est certa: cum dicat: prædeterminatum ad dissensum ideo habere sufficientiam consentiendi, quia etsi non habeat sufficientiam *ad actum*; tamen habet sufficientiam *virtutis* ad illum; quin amplius requiratur ad potentiam proximam, & expeditam consentiendi. Probatur minor, & loquamur de casu difficiliori ex propositis, scilicet de humanitate Christi, in qua nil deficit, post vnionem hypostaticam, sufficientiæ *virtutis* ad peccandum: datur enim natura ipsa humana immutata quoad intrinseca, quæ capax est peccandi, datur etiam cognitio alliciens, & retrahens à peccato: quid ergo restat nisi tantum sufficientia *ad actum peccaminosum* constituta per carentiam vnionis; quæ sufficientia per te non constituit potestatem proximam: dicere autem: hanc esse sufficientiam non solius *exercitij*; sed *potentiæ*; aliam verò *solius exercitij*, est dicere, quod non probas.

64 Amplius explico inutilitatem solutionis per terminos *potentiæ in sensu diviso sine potentia ad sensum divisum*, quoad suadendam in consentiente prædeterminato potentiam proximam dissentiendi. Attende: non rectè suadetur potentia *proxima* dissentiendi per terminos præscindentes à potentia *proxima*, & *remota* dissentiendi: sed termini *potentiæ ad dissensum in sensu diviso, absque potestate ad sensum divisum*, sunt termini præscindentes à potentia *proxima*, & *remota* dissentiendi: ergo inutiles ad explicandam potentiā *proximam* dissentiendi. Probatur minor. Posse ponere dissensum secundum prædicata intrinseca repugnantia compositioni cum prædeterminatione ad consensum, sunt termini præscindentes ex se à po-

testate *proxima*, vel *remota* ponendi dissensum cum talibus prædicatis: sed termini *potentiæ ad dissensum in sensu diviso absque potestate ad sensum divisum*, sunt termini, qui præcisse denotant potentiam ad dissensum secundum prædicata intrinseca repugnantia compositioni cum prę determinatione ad consensum: ergo termini *potentiæ ad dissensum in sensu diviso absque potestate ad sensum divisum* sunt termini præscindentes à potestate *proxima*, & *remota* dissentiendi. Clarius: per te, in tantum potentia, quæ datur in consentiente ad dissentiendum, est potentia *proxima*, & *expedita*, quia est potentia ad dissentiendum in sensu diviso: deindè, propterea est potentia ad dissentiendum *in sensu diviso*, quia est potentia ad dissensum secundum prædicata essentialia repugnantia prædeterminationi consensus: ergo de primo ad vltimum, ideò consentiens est potens *proximè* dissentire, quia est potens ad dissensum secundum prædicata essentialia illius: quod est relinquere inexplicatam potentiam *proximam*, prout distinctam à *remota*: cum vtraque sit potentia ad suum terminum secundum prædicata essentialia illius: necesse igitur est ita posse ponere dissensum *in sensu diviso*, vt possit fieri divisio; qua ratione explicabitur potentia *proxima*, prout distincta à *remota*, quæ etsi possit terminum; non tamen potest tollere impedimentum illius.

65 Secundum fundamentum sumitur ex illo principio: *Quoties antecedens legitimè inferens consequens est necessarium, consequens ex eo illatum, necessarium est*, quod tradidit Aristoteles libro 1. Poster. capite 6. dicens: *Si necessariæ sunt sumptiones, & conclusionem necessariam esse oportet, sicut ex veris nil vnquam, nisi verum efficitur*; quodque sequutus est Divus Thomas prima parte quæstione 14. articulo 13. in argumento 2: ex quo evidenter deducitur, quod si alicui causæ sit necessarium antecedens metaphysicè connexum cum consequenti, necessarium metaphysice erit consequens. Iam sic: Petro v. g. Prædeterminato ad consensum necessarium *simpliciter*, & *antecedenter* est antecedens metaphysicè connexum cum consensu: ergo necessarius *simpliciter*, & *antecedenter* est consensus; ac per consequens gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans ad consensum, libertatem illius adimit. Pro probatione antecedentis sat erat proponere: hanc veritatem, *Petrum esse prædeterminatum ad consensum* metaphysicè connexam cum hac, *Petrus consentit*, nulla potentia evitabilem esse à Petro, pro cuius potestate nullo modo est, aut impedire, aut determinare talem veritatem: ergo Petro prædeterminato ad consensum necessarium *simpliciter*, & *antecedenter* est antecedens metaphysice connexum cum consensu.

66 Sed efficatius fundatur à nostris Authoribus per hunc syllogismum factum in Darij: *Omnis prædeterminatus ad consensum consentit: Petrus est prædeterminatus ad consensum: ergo Petrus consentit*: quo posito, ecce probationem. Petro prædeterminato ad consensum (& sic de reliquis ad agendum prædeterminatis) necessariæ *antecedenter omnino* sunt præmissæ præfacti syllogismi legitimè, & essentialiter inferentes consequens consensus; quia prima continet veritatem *necessariam*, cuius oppositum est *antecedenter* impossibile; & secunda continet veritatem *omnino antecedenter* indeterminabilē, & inimpedibilem per libertatem, & potestatem creatam: ergo Petro v.g. prædeterminato ad cōsensum necessarium *simpliciter*, & *antecedenter* est, quod connectitur metaphysice cum consensu; ac proindè antecedens metaphysicè connexum cum consensu.

67 Ex hac arguendi forma descendunt aliæ, quæ in idem recidunt: prima. Qui non potest impedire id, quod est *formaliter*, *esse consentientem*, non potest impedire *esse consentientem*: sed Petrus prædeterminatus ad consensum, non potest impedire id, quod est *formaliter esse consentientem*: ergo nec potest impedire *esse consentientem*; & ideo erit necessitatus ad consentiendum. Maior videtur certa: nam quomodo poterit impediri aliquod extremum, quin valeat impediri id, quod est *formaliter* tale extremum. Probo minorem. *Esse Petrum consentientem*, *formaliter* est id; quod est realiter Petrus *esse id, quod est prædeterminatum*; & id quod est realiter consentiens *esse id, quod est prædeterminatum*. Nam duo extrema identificari realiter cum vno tertio, est *formaliter* identificari realiter inter se: sed Petrus prædeterminatus ad consensum, nec potest impedire, quod id, quod est *Petrus*, sit id, quod est *prædeterminatum*; neque quod id, quod est *consentiens*, sit id quod est *prædeterminatum*: ergo non potest impedire id, quod est *formaliter*, esse consentientem.

Secun-

68 Secundo. Non est liber ad consentiendum, qui non potest facere ne sit vera hæc propositio, *voluntas consentit*: sed Petrus consentiens prædeterminatus non potest facere, ne sit vera hæc propositio: *voluntas Petri consentit*; ergo Petrus prædeterminatus ad consensum non est liber in consentiendo. Maior est certa: siquidem, qui non potest facere, ne sit vera propositio illa, nec potest facere, ne sit consensus: vnde erit necessitatus ad consensum. Probatur minor. Non potest facere, ne sit vera prædicta propositio, qui non potest facere, ne sit vera aliqua ex præmissis, ex quibus legitime infertur veritas eiusdem propositionis: sed Petrus prædeterminatus ad consensum non potest facere, ne sit vera aliqua ex illis præmissis: *Omnis prædeterminatus ad consensum consentit: Petrus est prædeterminatus*, ex quibus legitime infertur illa veritas: *Petrus, seu voluntas Petri consentit*: ergo Petrus prædeterminatus consentiens, non est potens facere, nè sit vera hæc propositio: *voluntas consentit*. Confirmatur. Qui non potest facere, nè sit vera aliqua ex his præmissis: *si existat actio productiva consensus interni Petri, existit consensus: sed existit actio productiva consensus* non potest facere, nè existat veritas huius propositionis: *existit cõsensus interni Petri*: ergo similiter, qui nequit facere, ne existat veritas illarũ præmissarum, nequibit facere, nè existat vera illa propositio: *voluntas consentit*.

69 Tertia. Id, quod est *antecedenter simpliciter* necessarium, non est liberum: sed consensus in prædeterminato est *antecedenter simpliciter* necessarius: ergo consensus in prædeterminato non est liber. Probatur minor. Id, quod est terminus connexionis necessitatis *antecedentis simpliciter*, est *antecedenter simpliciter* necessarium: sed consensus est terminus connexionis necessitatis *antecedentis simpliciter*: ergo est *antecedenter simpliciter* necessarius. Maior apparet certa: nam quid potest esse *antecedenter simpliciter* necessarium, nisi illud, quod secum trahit infallibiliter necessitas *simpliciter antecedens*. Probatur minor. Id est terminus connexionis necessitatis *antecedentis simpliciter*, quod est terminus connexionis illius, quod est voluntati *antecedenter simpliciter* necessarium: at consensus est terminus connexionis huius, quod est *esse prædeterminatum*, *antecedenter simpliciter* necessariũ voluntati: ergo consensus est terminus connexionis necessitatis *antecedentis simpliciter*. Maior probatur. Id, quod est voluntati *antecedenter simpliciter* necessarium, & vt tale, trahit secum indefectibiliter aliud extremum voluntati, est necessitas *antecedens simpliciter* voluntatis ad tale extremum: ergo id est terminus connexionis necessitatis *simpliciter antecedentis*, quod est terminus connexionis illius, quod est *antecedenter simpliciter* necessarium voluntati.

70 Quarta. Prædeterminationem actu influere in actionem consensus, est *formalissime* actionem consensus esse a parte rei: sed nulla voluntas prædeterminata ad actionem consensus habet potestatem *antecedentem* ad faciendum, ne prædeterminatio actu influat in actionem consensus: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem consensus habet potestatem *antecedentem* ad faciendum, ne actio consensus sit à parte rei. Syllogismus est rectus in secundo modo secundæ figuræ; ideò concessis præmissis, negari non potest consequentia: præmissæ autem videntur innegabiles. *Prima*; quia veritas est *necessaria*; cum influxus actualis prædeterminationis in actionem consensus sit ipsa consensus actio. *Secunda*: quia prædeterminationem actu non influere in actionem consensus, est, vel non existere prædeterminationem, ad consensum, vel data prædeterminatione, non existere actionem consensus: sed in nulla voluntate creata datur potestas *antecedens*, nè existat prædeterminatio ad consensum, vtpote exercitium solius libertatis diuinæ; neque, vt existente prædeterminatione consensus, non sit consensus; namque istud antecedenter impossibile est: ergo in nulla voluntate creata est potestas *antecedens*, ne prædeterminatio actualiter influat in actionem consensus.

71 Quinta. Voluntas creata est per se, & essentialiter determinata, vt vel non existat prædeterminatio ad exercitium, vel existat complexum prædeterminationis, & exercitij; quia dum est complexum *antecedenter* impossibile; disiunctum illius complexi est *antecedenter* necessarium: complexum autem prædeterminationis, & carentiæ exercitij prædeterminati est *antecedenter* impossibile: vnde disiunctum, vel carentiæ prædeterminationis, vel existentiæ exercitij est *antecedenter* necessarium: sed hæc necessitas *antecedens*, vt sit illud dis-

disiunctum, est impotentia *antecedens*, vt posita prædeterminatione, deficiat complexum illius, & exercitij: ergo posita prædeterminatione ad exercitium, est *antecedenter* impotens voluntas creata, vt non sit exercitium: aliunde est *antecedenter* impotens, vt deficiat prædeterminatio: ergo est *antecedenter* necessitata, vt sit coniunctum prædeterminationis, & exercitij. Probatur hæc vltima consequentia. Qui est *antecedenter* impotens, vt vlla pars coniuncti deficiat, est *antecedenter* necessitatus, vt omnis pars coniuncti existat: sed prædeterminatus ad exercitium est *antecedenter* impotens, vt deficiat aliqua pars coniuncti prædeterminationis, & exercitij: ergo est *antecedenter* necessitatus, vt sit coniunctum prædeterminationis, & exercitij.

72 Sexta. Necessitatus *antecedenter* ad conditionalem necessariam de conditionato consensus, & ad purificationem conditionis, est *antecedenter*, necessitatus ad consensum: sed prædeterminatus consentiens est *antecedenter* necessitatus ad hanc conditionalem necessariam de conditionato consensus: *si existat prædeterminatio consensus, existet consensus*, & ad purificationem conditionis, scilicet, *existit prædeterminatio consensus*; cum neutram possit vlla potentia evitare: ergo est *antecedenter* necessitatus ad consensum.

73 Septima. Qui impotens est *antecedenter* non componere consensum cum prædeterminatione, est *antecedenter* necessitatus componere consensum cum prædeterminatione: sed prædeterminatus ad consensum est impotens *antecedenter* non componere consensum cum prædeterminatione: ergo est necessitatus *antecedenter* componere consensum cum prædeterminatione. Maior est certa. Quia impotens *antecedenter* ad vnum contradictorium, est *antecedenter* necessitatus ad aliud. Probatur minor. Ille est *antecedenter* impotens ad non componere consensum cum prædeterminatione, qui omni casu possibili operandi, non potest non componere consensum cum prædeterminatione: sed prædererminatus ad consensum in omni casu possibili operandi non potest non componere consensum cum prædeterminatione: ergo est impotens *antecedenter* non componere consensum cum prædeterminatione. Probatur minor. Omnis casus possibilis operandi est casus consensus, aut non consensus: sed pro casu consensus, est impotens non componere consensum cum prædeterminatione, vt per se patet; & pro casu dissensus est impotens etiam, non componere consensum cum prædeterminatione; quia ante dissensum iam est exclusa compositio consensus cum prædeterminatione per exclusionem prædeterminationis factam à Deo: ergo prædeterminatus ad consensum pro omni casu possibili operandi non potest non componere consensum cum prædeterminatione.

74 Principale nostrum argumentum innixum illi principio: *Quod ex inimpedibili necessariò sequitur, inimpedibile est* Authoritate Divi Thomæ, & Aristotelis firmatum, varijs instantijs conantur ellidere adversarij. Primo in hoc syllogismo: *Omnis, qui salvabitur, est ab æterno prædestinatus: sed Petrus non est ab æterno prædestinatus: ergo Petrus non salvabitur.* In quo, consequens est libere evitabile Petro, in cuius arbitrio est salutem consequi, quin possit impedire vllam ex præmissis. Non quidem maiorem: nàm vel non potest quis salvari absque prædestinatione (vt multi tenent) & sic est *necessariæ* veritatis propositio affirmans: *Omnis, qui salvabitur, est ab æterno prædestinatus*: vel etsi possit salvari absque prædestinatione; quod in hac providentia nullus absque prædestinatione salvetur, vnice pendet à divino arbitrio. Non minorem. Etenim *prædestinare*, est exercitiū divinum liberum: vnde non potest determinari à creatura: quod si determinari non potest per libertatem creatam *prædestinare*; nec poterit per eandem libertatem impediri *non prædestinare*: siquidem impeditio libera vnius contradictorij, non potest stare, quando determinatio alterius contradictorij est impossibilis. Idem contingere videtur in hoc altero syllogismo; *Omnis, qui salvabitur, habet speciale perseverantiæ donum: Ioannes non habet speciale perseverantiæ donum: ergo Ioannes non salvabitur.* In quo, vtraque præmissa pertinet ad libertatem divinam, & consequens est evitabile per voluntatem creatam.

75 His adiungere possent alios, vt sunt: *Omnis non habens efficaciam in actu primo, dissentit: Paulus non habet efficaciam in actu primo: ergo Paulus dissentit. Omnis non habens decretum compatibile cum dissensu, consentit: Petrus non habet decretum compatibile cum dissensu: ergo Petrus consentit. Omnis prædefinitus efficaciter ad consensum præ-*

prædefinitione, sive regulata, sive non regulata scientia media, consentit: hic homo est prædefinitus efficaciter ad consensum prædefinitione non regulata scientia media: ergo hic homo consentit: In quibus omnibus consequens est evitabile, & præmissæ evitabiles non apparent, propterea quod vna est *necessariæ* veritatis, & altera continet id, quod est exercitium divinæ libertatis, vt iudica *Non habere efficaciam in actu primo: non habere decretum indifferens collativum auxilij: & habere prædefinitionem efficacem independentem in suo concipi à scientia media, & tantum scientia naturali regulatam:* quæ omnia respiciunt Deum, vt vnicam causam determinativam.

76 Instat secundum Doctor Castell. Stat in Deo libertas ad impediendum terminum alicuius connexionis sine potestate impediendi fundamentum connexionis: ergo stabit in nobis libertas impediendi terminum connexionis, cum impotentia impediendi fundamentum connexionis. Consequentia est legitima. tum quia id, quod bene stat cum libertate divina perfectiore, non est cur non componatur cum libertate creata imperfectiore: tum quia si non est contra conceptum libertatis termini connexionis impotentia impediendi fundamentum connexionis, iam principium assumptum fallit, neque in vi illius duntaxat poterit intentum nostrum suaderi. Antecedens probat duplici exemplo emendicato ex nostris Autoribus, quamvis id sileat, & quasi de propio invento sibi gratuletur; cum potius nobis esset plaudendum, qui, vt glorioſsior sit pugna, arma, quæ suppeditant militi adeo strenuo contulimus. Primum est in scientia media inefficaciæ auxilij *A*, quæquidem iuxta nos est inimpedibilis à Deo, habensque connexionem cum eo, quod Deus *non det consensum per tale auxilium vnicè sumptum*; & tamen Deus est potens impedire terminum illum: *non donare consensum sub tali auxilio*: cum sit proſsimè potens liberè determinare oppoſitum: *donare consensum sub eo auxilio*; alias creatura non esset proximè potens consentire per consensum proximè donatum à Deo: ergo &c.

77 Secundum. In hoc syllogiſmo: *si datur auxilium B. Petrus peccat in instanti A: sed Petrus non peccat in instanti A: ergo non datur auxilium B.* In quo præmissæ connectuntur cum consequenti. Nam defectus conditionati, simul cum veritate *conditionali* connectuntur cum defectu conditionis, nè veritas *conditionalis* simul sit, & deficiat: sed Deus potest libere impedire consequens, donando auxilium, & nequit impedire vllam ex præmissis; cum maior contineat scientiam mediam, & obiectum illius, quæ non sunt impedibilia à Deo, & minor sit de carentia peccati, quæ similiter non potest impediri à Deo; propterea quod impeditio vnius contradictorij est determinatio alterius; nec Deus potest determinare peccatum: vnde, nec impedire carentiam: ergo Deus potest libere impedire terminum connexionis absque potestate impediendi connexionis fundamentum.

78 Non sunt instantiæ alicuius efficaciæ, nec talium nomen merentur, quando non fiunt in doctrina recepta aduersariorum, quamvis sint aliqua argumenta, quæ in suasionem talis doctrinæ tendant: sic inanis reputabitur à Thomistis instantia Ianseniſtarum contra ipsos intendentium concedere libertatem tantum *à coactione*; secus *indifferentiæ*; & hoc quidem, quia concedunt prædeterminationem, vel *intrinsecam*, vel *extrinsecam*, qua data, sunt argumenta satis difficilia pro incomponibilitate ipsius cum libertate *indifferentiæ*, quæ Thomistæ probabiliter soluunt. Idem invenies in præsenti casu, in quo à nemine Societatis conceditur: cõsequẽs legitimè illatum ex præmissis esse libere evitabile, quin sit evitabilis aliqua ex præmissis, licet pro no evitabilitate præmissa nũ sint aliqua argumenta, quę probabiliſsimè soluunt: instantia ergo esset, si fatentes consequens (in aliquo casu) posse libere evitari, non impedito antecedenti, ex quo necessario deducitur: post argueremus contra Thomistas volentes contra ipsos firmum principium, quod apud nos ipsos esset debile. Quo notato.

79 Ad primum dicimus; quod quidquid sit de illa maiori præmissa: *Omnis, qui salvabitur est ad æterno prædestinatus*: an possit impediri, vel non? Tamen illa minor: *Petrus non est prædestinatus*, potest impediri; non quatenus *absolute* possit proferri, vt notarunt Izquierdo, Fasoltis, & alij *In manu hominis est prædestinari, aut reprobari*, ne sonet cum Semipelagianis: *hominem posse solis suis viribus prædestinationem acquirere, aut excludere*; sed in quantum homo ex suppoſitione gratiæ Dei, qua sine meritis inſtrui-

truitur, & intentionis Dei volentis quemvis salvari, nisi per ipsum fuerit, potest facere talia opera, quæ si dentur, erunt inseparabilia à prædestinatione, & auxilium erit collatum cum præparatione certa, & infallibili assequutionis salutis: quo sensu dixit Divus Petrus Epistola 2. capite 1. *Fratres satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Et Divus Prosper (apud Lessium) ad obiectiones Vincentianas respons. 12. *Quia præsciti sunt cassuri non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in Sanctitate mansuri.* Et ad capitula Gall. responsione 7. *Quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit, ob hoc à filijs perditionis nulla eos prædestinatione discrevit:* clarius adhuc responsione 3. ad caput 7. *Non ex eo necessitatem peremndi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Accedit commune illud effatum, seu Theologorum axioma, quamvis falso tributum Divo Augustino, vt notavit Pater Suarez prima parte tractatu 2. libro 5. capite 8. numero 5 *si non es prædestinatus, fac, vt prædestineris:* est igitur impedibilis illa præmissa.

80 Idem dicendum ad secundum. Si enim ex suppositione collationis gratiæ, & auxiliorum in manu hominis est fieri prædestinatum; eodem iure erit reddere efficax vltimum auxilium, quod in prædestinatione includitur: quod si, quamvis efficacia sit speciale donum Dei, hoc non tollit esse in nostra manu reddere auxilium efficax; neque *perseverantiam esse speciale donum* impediet posse eam acquirere ex suppositione auxilij, reddendo illud efficax; modo, quo apud adversarios verificatur: consensum salutarem esse speciale donum Dei; & posse hominem dissentientem eum sub auxilio sufficienti determinare, & acquirere: quare præmissa illa: *Ioannes non habet speciale donum perseverantiæ* est impedibilis per libertatem eius.

81 Similiter sunt impedibiles præmissæ aliorum syllogismorum: *Paulus non habet efficaciam in actu primo: Petrus non habet decretum compatibile cum dissensu: hic homo est prædefinitus efficaciter ad consensum prædefinitione non regulata scientia media*, non quidem impedibilitate *directa*, vt aliqui ex nostris se explicant; sed *indirecta*: in quantum removet scientiam requisitam ad decretum connexum, sivè *in concipi*, sivè *in exequi*, vel ad inefficaciam *in actu primo*. Vnde Deus manet necessitatus, vel ad non conferendum auxilium, vel ad conferendum, aut sub efficacia *in actu primo*, vel cum decreto compatibili cum dissensu. Quod si non placeat, vt mihi non placet, dicendum est cum alijs; veritates illas esse impedibiles, non à priori *physicè*, aut *obiectivè*; sed *logicè*; quæ omnia magis explicabuntur in proprijs locis, solvendo argumenta, quæ intendunt: hæc omnia cum libertate non componi.

82 Secunda instantia non est maioris roboris. Ad primum exemplum respondetur: verum esse, Deum non posse impedire scientiam mediam inefficaciæ determinati auxilij; verùm, nec potest non existentiam consensus sub tali auxilio, quæ est terminus connexionis illius scientiæ mediæ. Probatio in contrarium nulla est, cum maneat supra, disputatione tertia explicatum, quomodo componatur *esse creaturam proximè potentem ad consensum, non aliter habendum; quam donatum à Deo*; & *Deum non esse proxime potentem ad illum donandum*: Secundum exemplum fallax est, & detecta fallacia nullius momenti: recolo syllogismum: *Si existat auxilium B. Petrus peccat: sed Petrus non peccat: ergo non datur auxilium B*: aut enim illa præmissa minor facit hunc sensum: *Petrus non peccat sub auxilio B. existenti auxilio B*; & sic deficit veritas præmissæ maioris: *si existat auxilium B. Petrus peccat*: patet: nam si existente auxilio *B.* Petrus non peccat, non stat veritas illa: *si existat auxilium B. Petrus peccat*: ideoque non manet syllogismus: verùm hæc propositio duntaxat *Petrus non peccat, existente auxilio B*, quæ minimè infert non existere auxilium *B*: aut facit alium sensum, videlicet, *Petrus non peccat sub auxilio B, quia non existit auxilium B*, qua ratione consequens illatum involvitur in præmissa minori; propterea que, sicut consequens est evitabile à Deo, ita præmissa est etiam evitabilis; quin vllo modo inferatur: peccatum esse determinabile à Deo; sed existentiam auxilij inefficacis, cuius carentia est immediatum exercitium libertatis divinæ *illativè* tantum inferens carentiam *formalem* entitatis peccati: neque, qui potest *mediate* determinare libere aliquod extremum, necesse est, vt possit etiam determinare contradictorium *formale* illius extremi, vt constat in predefinitione efficaci consensus, cuius

carens

carentiam per dissensum possum ego libere *mediate* determinare, impediendo scientiam mediam consensus, quin valeam liberè determinare existentiam prædefinitionis.

83 Nec præterire possum tres alias instantias, quæ vt validiores, in vltimo collocant Adversarij. Priniam adduxit Magister Albarez de auxilijs disputatione 22. Folio 105. his terminis: Dictum Christi de Sancto Petro *ter me negabis* est fundamentum connexionis cum trina Divi Petri negatione; Christo enim quia veritati, quæ falli, nec fallere potest, repugnat falsum proferre: sed Divus Petrus potuit impedire trinam negationem, seu terminum connexionis, quin in eius potestate fuisset impedire Christi dictum: ergo &c. Nego minorem, quæ falsissima est, & absque probatione vlla manet; nam omne dictum illius, qui nec falli, nec fallere potest, si sit de exercitio mihi libero, est consequens meam libertatem, & per eam impedibile: sic Antichristus non peccando, potest impedire revelationem de suo peccato, & scientiam visionis illius, quæ ideo est, quia existit peccatum; non è contra, quo superabunde ruit instantia.

84 Secundam, quam sibi tribuit Doctor Castell fatens: docte fuisse prosequutam à Magistro Palanco de providentia quæstione 16. sectione 15. quæ sic instruitur: Divus Petrus habuit in fide *Liberrimam, fortissimam, & perseverantissimam voluntatem, & non aliud rogavit Christus, quando rogavit, ne fides eius deficeret, cuius oratio pro illo inanis esse non posset*, vt inquit Divus Augustinus de correptione, & gratia capite 8. ergo Divus Petrus potuit impedire perseverantiam in fide, quia liberam; & non potuit efficaciam eius orationis impedire; quia eius oratio inanis esse non potest: sed oratio Christi, nè deficiat fides Petri est fundamentum connexionis cum perseverantia in fide: ergo fuit in Divo Petro libertas impediendi terminum connexionis cum impotentia impediendi fundamentum connexionis. Concedo: Divum Petrum per liberam non perseverantiam in fide non potuisse reddere inanem orationem Christi *absolutam*, & *efficacem*.

85 Concedo insuper: non potuisse impedire efficaciam orationis, manente oratione; at nego non potuisse absolute impedire efficaciam orationis, impediendo orationem: sicut est verum: me non posse reddere inanem prædefinitionem efficacem divinam mei consensus, nec impedire efficaciam illius impeditione coniuncta cum existentia prædefinitionis; at falsum: me non posse impedire efficaciam prædefinitionis impediendo prædefinitionem per ablationem scientiæ mediæ efficaciæ constituentis potestatem ad ipsam. Inferes: ergo potestas Christi orandi efficaciter pro perseverantia in fide Divi Petri constituebatur per scientiam conditionalem de eventu sub libertate Divi Petri futuro. Concedo consequentiam, quin me terreant difficultates, quas Author citatus dicit obiecisse cuidam ingenioso Substentanti defendenti: Christum instituisse Sacramenta ductu scientiæ mediæ, quarum memoriam cum in præsenti non renovet; interim, venia ipsius, iudicabo: non fuisse magni momenti: si enim tales fuissent, cum ad rem præsentem faceret, non omisisset. Quod cum semper exclamationes sine causa horruerim, vellem scire à Sapientissimo Doctore, cum Christus habuerit scientiam futurorum conditionalium liberorum; quæ dissonantia esse poterit in eo, quod proprias operationes connexas cum exercitio alterius libertatis tali scientia regulaverit? aut quid specialius est in hac oratione, quod non sit in illa, quam Christus fudit pro prædestinatis *in particulari* iuxta illud Ioannis capite 17. *Non pro mundo rogo; sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*, quæ petitio regulata fuit per scientiam conditionalem perseverantiæ finalis omnium illorum, pro quibus *specialiter* applicuit sua merita, qui si non perseverassent, vt potuerunt, comprehenderentur sub applicatione *generali*, impedita Christi Domini oratione, aut specialitate illius?

86 Tertiam vocat idem Primarius ponderationem sibi gravem: scilicet inter obiecta, quæ Divus Petrus tenebatur credere, aut saltem non discredere, vnum erat, quod Christus Dominus *rogavit pro eo, ne deficeret fides eius*. Si igitur Divus Petrus hoc non crederet, vt potuit, infidelis esset, & fides eius deficeret: sed per hanc infidelitatem non potuit impedire existentiam orationis Christi pro perseverantia ipsius in fide: ergo potuit impedire perseverantiam in fide, cum impotentia impediendi fundamentum connexionis

cum

cum ipsa. Probat minorem, quæ ex terminis (inquit) ipsi constat. Nam si per infidelitatem huius iudicij, *Christus non rogavit pro me*, amitteret fidem, hoc iudicium esset erroneum, & hæreticum: sed si hoc iudicium impediret exiſtentiam orationis Christi, & faceret; Christum nunquam rogatum fuisse pro Petro, hoc iudicium esset verum; cum solum enuntiet hoc ipsum, quod infert, scilicet defectum orationis Christi: ergo implicat, quod Divus Petrus per hoc iudicium sibi possibile, per quod deficeret fides eius, impedire posset exiſtentiam orationis Christi.

87 Non gravem; sed nugatoriam, & viro docto indignam vocarem ego ponderationem factam, quæ contra illius instructorem probat, aut fidem Divi Petri non fuisse liberam, aut cum oratione efficaci Christi posse coniungi infidelitatem Divi Petri: ostenditur evidentissimè. Vt fides Divi Petri circa obiectum assignatum *rogavi pro te &c.* sit libera, est necessarium, quod possit ponere infidelitatem, aut compositam cum oratione Christi, & manifestatione illius facta Petro; aut divisam ab oratione, & manifestatione, licet non per divisionem factam à Divo Petro: si *compositam cum oratione*: vbi efficacia illa orationis Christi, quæ inanis esse non potuit? Si *divisam*: vbi infidelitas, cum per te non stet infidelitas in illo iudicio *non rogavit pro me* deficiente oratione Christi? ergo vel Divus Petrus fuit *antecedenter* necessitatus, vt non esset infidelis quoad illud obiectum ipsi revelatum; vel potuit componere suam infidelitatem cum oratione Christi, quæ tunc casus inanis esset. Ecce gravem tuam ponderationem.

88 Respondendum ergo est ab omnibus solutione, quæ datur vulgari illi argumento, quod fit ad probandum possibilem coniunctionem naturalem gratiæ, & peccati in eodem instanti, desumiturque ex revelatione, qua Deus proponat Petro in instanti *A* sub obligatione credendum, *esse in gratia in illo instanti A*: qua revelatione facta, si libere dissentiret, aut non assentiret revelationi, coniungeret peccatum cum potestate assentiendi, quæ includit revelationem connexam cum gratia; ac per consequens cum gratia: ideo dicendum apparet, vel Petrum non esse liberum in assentiendo, vel posse coniungere gratiam cum peccato. Communis solutio est; quod licet Petrus non possit dissentire illi revelationi; quia *dissentire* dicit sensum compositum dissensus peccaminosi cum revelatione de iustitia, & sanctitate, qui est impossibilis; at potest absolute non consentire in sensu diviso revelationis; aut dissentire revelationi, quæ in existimatione, & iudicio operantis esset existens, quamvis in re non coexisteret peccato; quare tunc esset infidelis *formaliter*; sed non *materialiter*: *formaliter* quidem; quia non assentiret revelationi, quam ipse iudicabat sub obligatione credendam; non *materialiter*; quia in re non esset talis revelatio.

89 Qua doctrina translata ad casum Divi Petri dicendum: quod licet non habuerit potestatem dissentiendi revelationi Christi proponenti orationem factam pro eius perseverantia in fide; adhuc potuit non assentire in sensu diviso, & esse infidelis; quia pro casu non assensus, aut dissensus permaneret in intellectu Divi Petri cognitio proponens ipsi sub obligatione credendam revelationem, quæ in rè non erat, & existimabatur existere, quæ sufficiebat, vt non assentiens, aut dissentiens esset *formaliter* infidelis; quamvis non *materialiter*; cum in re iudicium illud: *Christus pro me non rogavit* esset verum: qualiter infidelis est *formaliter* Rusticus, qui instructus à Parrocho de quaternitate Personarum in divinis discredit; & iudicium illud, *non sunt quatuor Personæ in divinis* verum sit, ideoque non sit *materialiter* infidelis. Replicabis inferendo: ergo sunt aliquæ veritates ab intrinseco innegabiles; quia ab intrinseco inconiungibiles sunt cum dissensu sui. Concedo consequentiam: sicut etiam sunt aliæ ab intrinseco incredibiles per fidem, de quo, Deo volente, copiosè in tractatu de fide.

90 Post instantias videamus argumenti solutionem. Negant rotundè principium assumptum: *Quid quid ex antecedenti inimpedibili nobis necessariò infertur, inimpedibile à nobis est.* Et ad probationem desumptam ex Divo Thoma, & Aristoteli distinguunt inter necessarium *prout opponitur libero*, & *prout opponitur contingenti*; quando autem dixerunt necessarium esse, id quod ex principijs, & sumptionibus necessarijs legitimè infertur; loquuti sunt de principijs necessarijs necessitate, *prout opposita contingenti*, qua ratione verum est; quod

quod quidquid ex necessario sequitur, necessarium est; aliàs ex vero posset non sequi verum, si stante necessitate antecedentis in essendo, aut verificando, consequens legitimè illatum posset esse contingens; non de principijs necessarijs necessitate, *prout opponitur libertati*; quomodo falsissimum est: nam cum impotentia ad carentiam antecedentis legitimè inferentis consequens, stat potestas ad defectum consequentis. Quod confirmare videtur divinæ prædefinitiones nostrorum actuum liberorum, cum quibus datur in nobis potentia impediēdi exercitia libera prædefinita; quin inveniatur apud Divos Augustinum, & Thomam, esse à nobis impedibilia decreta Dei. Vnde ad illum syllogismum formatum in *Darij*, concedunt: præmissas non esse evitabiles per libertatem creatam; at consequens esse evitabile libertate, & potestate subordinata libertati *primæ*, & *divinæ*, cui in determinando subjicitur.

91 Solutionem impugno; inferendo: ergo si ex mente Div. Thomæ, & Aristotelis principium illud accipiatur in tota sua vniversalitate, & prout comprehendit omnem necessitatem tam oppositam *contingentiæ*, quàm *libertati*, qui non potest impedire præmissas legitimè inferentes consequēs consensus, non poterit impedire consensum: sed Divus Thomas, & Aristoteles *vniversaliter* acceperunt principium: ergo cui sunt necessariæ præmissæ legitimè inferentes consensum necessitate *opposita libertati*, necessarium eadem necessitate est consequens consensus. Prob. min. Principium illud accipitur ab Aristoteli, & Divo Thoma taliter, vt faciat hunc sensum: *eo modo, quo antecedens est necessarium, consequens ex antecedenti legitimè deductum, est necessarium*: sed ita acceptum continet vniversalitatem absque vlla restrictione: ergo Divus Thomas, & Aristoteles *vniversaliter* acceperunt principium. Probo maiorem. Principium illud acceperunt per omnimodam comparationem ad aliud, *sicut ex veris nil vnquàm nisi verum efficitur*: sed principium hoc nullam patitur exceptionem, vt per se patet quoad efficiendum verum ex vero. ergo neque illud, quoad deducendum necessarium ex necessario. Confirmatur, & explicatur. Eo modo, quo ex vero non fit nisi verum; eo modo ex necessario non fit, nisi necessarium; aliàs comparatio inter vtrumque principium, limitatione non assignata, non esset recta: sed ex vero, quomodocumque accipiatur, non fit nisi verum: ergo ex necessario, quomodocumque accipiatur, non fit nisi necessarium: ast necessarium quomodocumque acceptum includit necessarium, *prout oppositum contingenti*, & *prout oppositum libero*: ergo ex necessario, sivè *prout oppositum libero*, sive *prout oppositum contingenti* deducitur necessarium.

92 Paritas prædefinitionis efficacis nulla est, quia vt libertatem nostram non auferat, debet esse impedibilis per exercitia libertatis creatæ, vt à nobis conceditur. Nequè nimis hærendum in vocibus *decreti impedibilis*, quæ non inveniantur in Divis Augustino, & Thoma; ne morem geramus Hæreticorū insimulantiū Catholicos de inventione terminorum *gratiæ ex opere operato*: *transubstantiationis*: *consubstantialitatis*, &c. sed attendendum: àn res explicata per vocem inveniatur apud Patres: sint minus ad voces attendentes tantùm, vbi invenient, qui hæc objciunt, vocem *physicæ prædeterminationis*, neque apud Divum Augustinum, neque apud Divum Thomam? Quod si ipsi contenti sunt, quia idem significatum sub alijs terminis inveniunt: ita nos contenti erimus; quia nostrum significatum sub alijs terminis *necessitatis consequentis*: *necessitatis, quæ se accommodat conditioni, & modo operantis*: *necessitatis resistibilis* invenimus: præcipuè, cum ex Anselmo, & alijs Patribus vsus eorum terminorum constet, quem etiam tenent Thomistæ in decreto *punitivo*, & *præmiativo* consequenti ad metitum, & demeritum nostrum, quod per liberam impeditionem meriti, aut demeriti impediri à nobis potest sine præiudicio divinæ perfectionis. Id, quod additur de potestate subordinata ad impediendum consequens, nil iuvat pro libertate servanda, dum non distinguatur à modo, quem habet potentia necessaria ad suspendendam suam operationem, quæ cum subordinatione ad removens impedimentum non operationis, potest non operari.

93 Ad primam arguendi formam deductam ex argumento principali forsan respondebis primò: non semper identitatem extremorum cum tertio esse *formaliter* identitatem

extremorum inter se, vt patet in his syllogismis. *Paternitas in divinis est realiter essentia : Filiatio est realiter essentia : ergo Paternitas est realiter filiatio. Hæc entitas est realiter producta, & prædeterminata a Deo: hoc formale peccati est realiter hæc entitas: ergo hoc formale peccati est realiter productum, & prædeterminatu à Deo.* In quibus præmissæ sunt verissimæ, & continent identitatem extremorum cum vno tertio, & consequens est falsissimum affirmans identitatem eorundem extremorum inter se.

94 Transmissa solutionis doctrina adeo inter Thomistas frequente, qua, vt augeant mysteria suæ doctrinæ, Trinitatis mysterium minuunt passim transferentes ad creata, quæ, sola fide duce, supra captum naturalis rationis ponuntur in divinis; ea tamen non est ad rem in præsenti: nam etsi substineri posset in syllogismis, quibus consequens identitatis extremorum inter se non sit legitimum ex identitate extremorum cum tertio; non sic debet esse in syllogismo rectè concludente identitatem extremorum, vt iste: *Omnis prædeterminatus ad consensum consentit: Petrus est prædeterminatus ad consensum: ergo consentit*, rectè concludens ex identitate Petri cum prædeterminato ad consensum, & ex identitate consentientis cum prædeterminato ad consensum, identitatem Petri, & consentientis inter se.

95 Respondet secundo Magister Palanco quæstione 17. numero 70. Quod quando in præmissis affirmatur identitas extremorum cum tertio; veritas conclusionis, quæ affirmat identitatem extremorum inter se, continetur in obiecto præmissarum, & hoc est: *formaliter* obiectum conclusionis, vt in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* At quando in præmissis tantum affirmatur connexio, & non identitas extremitatum cum tertio, tunc veritas conclusionis non continetur in præmissis, nec harum obiectum est obiectum conclusionis, nisi *illativè*, & *connexivè*, vt in hoc syllogismo: *Omnis actu amans, est actu intelligens: Petrus est actu amans: ergo est actu intelligens.* Video distinctionem inter vnum, & alterum syllogismum, in quorum vno, non modo subiecta denominationum; verum denominationes ipsæ, & formæ illarum identificantur realiter cum vno tertio: vndè concluditur identitas realis subiectorum, & denominationum inter se; in alio vero, etsi affirmetur identitas subiectorum cum vno tertio; secus identitas formarum, & denominationum: ideoque solum concluditur identitas subiectorum, non denominationum; nec formarum inter se. Cæterum videtur mihi impertinens ad probandum distinctionem obiecti præmissarum ab obiecto conclusionis: vel quia, vt rectè concludatur connexio extremorum inter se ex connexione cum vno tertio, est necessarium, quòd tertium sit mutuò connexum cum extremis; *connecti* autem *duo cum tertio mutuò connexo cum ipsis*, est *realiter*, & *formaliter*, *connecti inter se*: sed in præmissis continentur extrema connexa cum vno tertio mutuò cum illis connexo: ergo in præmissis continetur id, quod est *realiter*, & *formaliter*, *extrema esse connexa inter se*: vel quia etsi in præmissis non contineatur identitas denominationum cum vno tertio: vnde non concluditur identitas denominationum *prædeterminati*, & *consentientis* inter se; at continetur identitas subiectorum cum vno tertio, & simul convenientia actualis denominationum *prædeterminati*, & *consentientis*; quod non distinguitur realiter ab identitate subiectorum inter se, & convenientia vnius denominationis *consentientis*, quæ ponitur in conclusione: quare semper obiectum conclusionis includitur in obiecto præmissarum.

96 Respondet tertiò Doctor Cassell. Conclusionem contingentem illatam ex vna præmissa necessaria, & altera contingente, non contineri *identicè* in præmissis; sed tantùm *virtualiter*, & *illativè*. Rationem reddit: quia illa extremitas, quæ erat in propositione necessaria cum medio, non affirmatur, vt exercitè contingenter existens, cuius exercita existentia *formaliter* includatur in veritate conclusionis, vt constat in syllogismo obiecto, in quo illa maior, quæ est necessaria: *Omnis prædeterminatus ad consensum consentit*; non exigit ad sui veritatem, nec existentiam contingentem prædeterminationis, nec existentiam contingentem consensus; quia æqui-

va-

valet propositioni conditionali : in minori verò *Petrus est prædeterminatus*, affirmatur existentia exercita contingens prædeterminationis: in conclusione: *Petrus consentit*, affirmatur existentia exercita contingens consensus; quæ existentia non continetur *identice* in præmissis : *non quidem in maiori*, quæ non exigit existentiam contingentem, nec prædeterminationis, nec consensus: *non in minori*, in qua solum includitur existentia prædeterminationis, quæ realiter distinguitur ab existentia consensus : vnde existentia consensus (concludit) quæ infertur pro conclusione, in nulla ex præmissis est *identicè*; sed tantum *illativè*; ex indeque potest impediri veritas conclusionis, cum impotentia impediendi veritatem præmissarum.

97 In primis hæc solutio subsistineri nequit ea vniversalitate, qua proponitur, vt constat in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: Petrus est actualiter homo : ergo Petrus est actualiter animal*. In quo ex vna præmissa contingenti, & altera necessaria infertur conclusio, cuius veritas continetur *identicè* in præmissis : non ergo est regula generalis : *Conclusio contingens deducitur ex vna præmissa necessaria, & altera contingenti: ergo non continetur identicè in veritate præmissarum veritas conclusionis.* Deinde male arguit à veritate præmissarum *divisim* ad veritatem præmissarum *coniunctim*: quia licet veritas conclusionis non contineatur *identicè* in veritate præmissarum, si *separatim* considerentur ; non sic accidit, si *complexim* considerentur ; quod suadeo ex eodem Authore : nam ipse arguit contra Magistrum Palanco hunc syllogismum: *Omnis prædeterminatus ad consensum, consentit : Petrus est prædeterminatus ad consensum: ergo consentit*, non niti connexione ; sed identitate extremorum cum vno tertio: sed identitas extremorum cum vno tertio non est in conclusione ; verum in præmissis : ergo identitas extremorum cum vno tertio, quæ realiter est identitas extremorum inter se, continetur in præmissis; ac proinde obiectum conclusionis realiter *identicè* continetur in obiecto præmissarum.

98 Explico. Per te hic syllogismus non innititur pura connexione : ergo innititur, vel hoc principio, *quæ sunt realiter vnitertio, sunt realiter inter se*, vel hoc: *dici de omni*: sed *esse eadem realiter vnitertio*, aut *dici de omni*, quod in præmissis, & non in conclusione includitur, est realiter identice *esse eadem inter se*, aut *dici de aliquo*, quod est obiectum conclusionis : ergo id, quod continetur in præmissis is illius syllogismi, est realiter *identicè*, id quod continetur in conclusione. Demùm eadem forma arguendi, & respondendi servata, probarem ego: hùc syllogismum: *Si existat gratia sufficiens in Petro in instanti A, exìstit prædeterminatio ad consensum : sed existit gratia sufficiens in Petro in instanti A : ergo exìstit prædeterminatio ad consensum*, non esse rectum: quia vt syllogismus bene concludat, veritas conclusionis debet contineri in præmissis, vel *identice*, vel *connexivè* : sed veritas huius conclusionis non continetur in præmissis, neque *identicè*, neque *connexivè*: ergo non rectè concludit. Probo minorem. *Non in maiori*, quæ præscindit tàm *identice*, quam *illativè* à purificatione conditionis, & existentia gratiæ efficacis prædeterminantis. *Non in minori* ; siquidem existentia gratiæ sufficientis constituentis potestatem *identicè*, & *connexivè* præscindit ab existentia gratiæ efficacis, & prædeterminantis: ergo veritas conclusionis, neque *identicè*, neque *connexivè* cõtinetur in veritate præmissarum. Quod si respondeas : contineri *complexivè* in præmissis, quamvis non *divisim*, dic idem de identitate, & nulla fit tua solutio.

99 Ad secundam respondent. Eum, qui non potest facere, vt aliqua ex præmissis sit falsa, aut deficiat, non posse facere, quod conclusio sit falsa absque alio impediente veritatem præmissarum; at posse facere, alio impediente veritatem præmissarum : quodquidem (inquiunt) non est impotentia falsificãdi conclusionẽ; sed dependentia in falsificando, quæ non excludit *verum posse*, cum solum probet : *posse verum* esse alteri subordinatum. Egregia sanè doctrina ad probandum : nullam virtutem esse necessitatam ad operandum per determinationem, quam vitare non potest ; aut non operandum per defectum illius, quod acquirere non potest : nam determinatio, aut impedimentum non arguent defectum potestatis, sed dependentiam in operando, quæ cum *posse* componitur : qua etiam ego defenderem : absque gratia excitante per existentiam solam habituum supernaturalium me esse expeditissimum in hac providentia ad eliciendum actum supernaturalem, & prout oportet;

tet ; quia etsi non possim elicere actum supernaturalem sine gratia excitante, hoc non probat deesse potestatem, quæ in virtute supernaturali habitus consistit ; sed virtutem habitus esse dependentem in operando à gratia excitante. Recolantur, quæ diximus in impugnatione sensus divisi, prout exponitur à Thomistis, in quo consistit nervus huius solutionis.

100 Ad tertiam videtur respondendum consequenter ad Thomistarum principia: non esse idē, esse terminum connexionis *necessarij antecedenter*, & esse terminum connexionis *necessitatis antecedentis* ; quia non omne *antecedenter* mihi necessarium, & connexum cum aliquo extremo est mihi necessitas *simpliciter antecedens* illius extremi ; sed solum illud, quod mihi aufert potestatem ad oppositum illius extremi : gratia autem ab intrinseco efficax, & prædeterminans, quamvis sit consentienti *antecedenter simpliciter* necessaria ; non est necessitas *simpliciter antecedens* consensus ; cum relinquat potestatem ad oppositum. In hoc modo respondendi nil invenio, quod non sit petitio principij. Intendit argumentum. Prædeterminationem, *quia necessariam antecedenter, & connexam cum vno libertatis extremo*, non relinquere potestatem expeditam ad oppositum, ac proinde esse necessitatem *simpliciter antecedentem* sui termini ; & respondetur : non esse necessitatem *simpliciter antecedentem* : quia non aufert *potestatem ad oppositum*. Argumentor deinde, solutionem impugnans. Per te necessitas *antecedens simpliciter* alicuius extremi ea est, quæ aufert potestatem ad oppositum ; sed prædeterminatio ita est necessaria *antecedenter simpliciter*, vt auferat potestatem ad oppositum : ergo est necessitas *antecedens simpliciter*. Probo minorem. Id aufert potestatem ad oppositum, quod, etsi relinquat quidquid virtutis est ad terminum, aufert expeditionem virtutis ad illum, vt patet in igne, cui denegetur à Deo concursus ad comburendum : in Christo habente ex parte naturæ humanæ quidquid virtutis requiritur ad peccandum, similiterque in Beato ; sed prædeterminatio ad consensum, etsi relinquat in voluntate quidquid virtutis requiritur ad dissensum, aufert expeditionem ad oppositum per positionem sui tanquam per impedimentum *antecedenter simpliciter* necessarium : ergo ita est *antecedenter simpliciter* necessaria, vt simul sit necessitas *simpliciter antecedens*.

101 Quod si respondeas : in Christo, & Beatis impedimentum illud, quod datur, esse constitutivum potestatis ad vnum extremum, ideoque tollit potestatem ad oppositum. Contra est : quia in principijs Thomistarum non est necessarium ; quod tota libertas sit coniungibilis cum vtroque extremo, vt patet in Christo Domino potente non mori in sensu diviso præcepti, potenteque non obedire *formaliter* in sensu diviso potestatis obediendi *formaliter* constituta per cognitionem præcepti ; & etiam in sententia Recentiorum defendentium : principium connexum cum vno extremo, & libertatis constitutivum, dummodò sit auferibile per oppositum extremi, non auferre libertatem : ergo vel dicendum : prædeterminationem esse necessitatem *antecedentem* consentiendi ; vel illa impedimenta necessitatem *antecedentem* non inducere.

102 Ad quartam respondet Doctor Castell. In prædeterminatione consensus esse distinguendum duplicem influxum, vnum *prævium ad influxum voluntatis in consensum* ; alterum, *indistinctum ab influxu voluntatis prædeterminatæ in consensum* ; quia est ipsissima voluntatis actio ab ea, & prædeterminatione procedens : inde si sermo sit de influxu *prævio* prædeterminationis, falsum est : *prædeterminationem actu influere*, esse formalissime, *actionem consensus existere à parte rei* ; si autem procedat de influxu *simultaneo* prædeterminationis, & voluntatis ; verum est. *prædeterminationem actu influere*, esse formalissimè, *actionem consensus existere à parte rei*. Quo supposito. Distinguenda est illa propositio minor argumenti : sed nulla voluntas prædeterminata ad actionem consensus habet potestatem *antecedentem* ad faciendum, nè prædeterminatio actu influat *influxu prævio* in actionem consensus : conceditur minor. *Influxu simultaneo prædeterminationis, & voluntatis* : negatur minor, & consequentia : quod clarioribus terminis est asserere : nullam esse in voluntate prædeterminata potestatem *antecedentem* ad faciendum, ne sit determinata *prævie* per prædeterminationem ; at esse potestatem *antecedentem* ad faciendum, ne existat actio, & terminus talis *prævie* determinationis.

103 Sed contra ; ergo in po-

potestate *antecedente* voluntatis prædeterminatæ est, vel tollere prædeterminationem, vel coniungere dissensum cum prædeterminatione ad consensum, quod vtrumque negas. Probo consequentiam. Omne id, quod non fit, vel tollere prædeterminationem ad consensum, vel coniungere dissensum cum prædeterminatione, est terminus potestatis *antecedentis*, per quem non fit, ne prædeterminatio influat in consensum influxu *simultaneo* cum voluntate prædeterminata: sed per te in voluntate prædeterminata ad consensum datur potestas *antecedens* ad faciendum, nè prædeterminatio influat influxu *simultaneo* in consensum: ergo in potestate *antecedente* voluntatis est, vel tollere prædeterminationem ad consensum, vel coniungere dissensum cum prædeterminatione consensus. Probo mai. Omne id, quod non fit, vel tollere prædeterminationem ad consensum, vel coniungere dissensum cum prædeterminatione, est terminus potestatis *antecedentis* præsupponentis per carentiam prædeterminationis consensus oblatum influxum *simultaneum* prædeterminationis, & voluntatis in consensum: quia id, quod præsupponit ablatum influens *simultaneè*, præsupponit ablatum influxum *simultaneum*: ergo omne id, quod non fit, vel tollere prædeterminationem ad consensum, vel coniungere dissensum cum tali prædeterminatione, est terminus potestatis *antecedentis*, per quem non fit, ne prædeterminatio influat in consensum influxu *simultaneo* cum voluntate prædeterminata. Antecedens constat. Nàm omne, quod non fit, vel tollere prædeterminationem consensus, vel coniungere dissensum cum tali prædeterminatione, est præcisè ponere dissensum, præsuppositâ aliunde, & per aliam libertatem carentia prædeterminationis ad consensum.

104 Nec dicas: carentiam prædeterminationis ad consensum non esse exclusivum *formale* influxus *simultanei* provenientis à prædeterminatione, & voluntate; verùm *arguitivum*, & *illativum*: vnde manet locus, vt pro posteriori voluntas excludat influxum *simultaneum*; *formaliter*. Nam licet prædeterminatio, & consensus sint in diverso signo; carentia prædeterminationis, & consensus sunt in eodem: sicut quamvis actio, & terminus sint in diversis signis, carentia actionis, & carentia termini sunt in eodem; cum nil sit, quod retardet *formale* exclusivum alterius ad aliud signum. Insuper etsi carentia *formalis* prædeterminationis non sit *formalis* defectus sui influxus *simultanei*; at carentia prædeterminationis est terminus *formalis* determinationis liberæ, nè existat influxus *simultaneus* inferens metaphysicè defectum illius: quando ergo propriori ad aliquod exercitium potentiæ subditæ iam est determinata liberè à potentia superiori carentia alterius, nil restat exequendum per novam determinationem liberam, quia id esset actum agere; sed per puram determinationem *physicam*, & *exequutivam* similem ei, quæ invenitur in potentia deambulativa ad non deambulandum, suppositâ determinatione libera voluntatis non se movendi.

105 Ad quintam respondebis: voluntatem creatam *antecedenter* necessitatam ad disiunctum prædeterminationis consensus, & carentiæ consensus, esse per consequens *antecedenter* impotentem, vt posita prædeterminatione consensus, deficiat consensus; quia est *antecedenter* impotens ad sensum compositum prædeterminationis consensus, & carentiæ consensus: cæterum non est, posita prædeterminatione consensus, *antecedenter* impotens ad carentiam consensus; quod tàm diversum est, ac voluntatem esse *antecedenter* impotentem, vt posito consensu, existat dissensus; & posito consensu, esse *antecedenter* impotentem, vt existat dissensus: ex quibus primum est verum sine nocumento libertatis; & secundum falsum; taliter, vt sine dispendio libertatis non posset esse verum: ex quo solum deducitur; voluntatem creatam, posita prædeterminatione, esse necessitatam *antecedenter* ad complexum illius, & consensus purè *illativè*, & *connexivè*; non verò *formaliter*.

106 Incipio ab hoc vltimo, & infero: voluntas prædeterminata ad consensum, per te est *antecedenter* necessitata *illativè* ad complexum prædeterminationis; & consensus: ergo est *antecedenter* necessitata, vt sit, & nō possit esse sine complexo: quod est non dari libertatem ad consensum.

Probo consequentiam. Esse *antecedenter* necessitatam ad complexum *illativè*, est, esse necessitatam *antecedenter* ad connexionem metaphysicam cum complexo: sed connexio metaphysica vnius cum alio est esse, & non posse esse sine alio, vt constat ex ipsa definitione connexionis: ergo voluntatem prædeterminatam ad consensum esse *antecedenter* necessitatam *illative* ad complexum prædeterminationis, & consensus, est necessitatam *antecedenter* esse, vt sit, & non possit esse sine complexo. Deinde instauro argumentum sub hac forma. Voluntas creata *formaliter*, & non tantùm *illative* est *antecedenter* necessitata, vt sit disiunctum prædeterminationis ad consensum, & carentiæ consensus: ergo est *antecedenter* necessitata *formaliter* ad id, quod ex suppositione sibi *antecedenter* necessaria est vnicus modus non deficiendi disiunctum: sed vnicus modus non deficiendi disiunctum prædeterminationis ad consensum, & carentiæ consensus ex suppositione prædeterminationisad consensum *antecedenter* necessaria voluntati est existentia consensus: ergo voluntas prædeterminata ad consensum *formaliter*, & non tantum *illativè* est *antecedenter* necessitata ad complexum prædeterminationis, & consensus.

107 Ad sextam inquiunt similiter: necessitatum *antecedenter* ad conditionalem necessariam de conditionato consensus, & ad purificationem conditionis esse *antecedenter* necessitatum ad consensum purè *illativè*, & non *formaliter*: sed cum hæc solutio inclusa sit in præcedente, impugnatio, quam ibi dedimus, huic est accommodanda, & in ea amplius non immorandum.

108 Ad septimam respondet Doctor Cattell: impotentiam *antecedentem* vnius contradictorij solum esse necessitatem alterius, quando vtrumque est incomplexum: secus quando vnum est complexum, & resultans ex distinctis realiter constitutivis, vt *compositio prædeterminationis*, & *consensus*; seu *complexum prædeterminationis*, & *consensus*. Nam quando ita est, sufficit, quod illud constitutivum inadæquatum, quod liberè pono, possim libere non ponere; quin ex inde valeam impedire complexum, quod possum ponere: & ratio est; quia libere ponendo constitutivum inadequatum complexi, alio extremo mihi non libero posito, pono complexum non positum; libere tamen impediendo ipsum extremum meæ libertatis, alio mihi non libero iam impedito, non impedio complexum; quia iam impeditum impedire non possum.

109 Plura displicent in solutione. Primum: doctrina generalis, quæ statuitur, veluti principium: scilicet *Inter contradictoria, quorum vnum est extremum complexum, impotentiam antecedentem vnius non esse necessitatem antecedentem alterius.* In quo minus recte confunditur ab hoc Authore exclusivum *formale* rei divisibilis, & contradictorium *formale* illius, quæ sunt diversissima: nam inter rem divisibilem, & eius contradictorium *formale* non datur medium, nec simul possunt existere, nec simul deficere; alias non essent contradictoria: inter exclusivum autem *formale* rei divisibilis, & rem divisibilem datur medium, & possunt ambo simul deficere, vt patet in complexo *Albi*, cuius exclusivum *formale* est defectus albedinis: quia existente albedine sinè vnione ad subiectum, deficit carentia albedinis, & deficit etiam album; quia deficit vnio: vnde simul falsum est: existere album, & dari carentiam albedinis: aliter ergo est discurrendum de exclusivis *formalibus* rei divisibilis, & de *formali* contradictorio illius: nam contradictorium *formale* complexi est disiunctum constitutivorum illius, & inter disiunctum, & complexum non datur medium taliter, vt qui impotens est *antecedenter* ad disiunctum, sit *antecedenter* necessitatus ad complexum, & econtra: ergo sivè in rebus incomplexis, sivè complexis, qui impotens est *antecedenter* ad vnum contradictorium est *antecedenter* necessitatus ad aliud.

110 Secundum. *Voluntatem prædeterminatam posse libere ponere, & determinare complexum prædeterminationis, & consensus, & liberè non posse facere non complexum, seu non compositionem prædeterminationis, & consensus.* Nam licet verum sit, quod qui potest simpliciter impedire vnum complexum, non semper valeat liberè determinare tale complexum, vt patet mille exemplis, & ratio probat: siquidem ad impediendum simpliciter, sufficit auferre vnum constitutivum; ad determinandum vero requiritur existentia vtriusque, quæ non semper est in manu impedientis; at qui simpliciter libere potest determinare complexum eo

vnico

vnico modo, quo determinabile est, eo ipsissimo modo potest illud impedire: cuius ratio est, quia determinare liberè complexum aliquod, includit, vel ponere libere omnia constitutiva illius, vel, reliquis aliunde positis, liberè ponere vnicum, quod restat; qui autem potest ponere liberè omnia constitutiva complexi, potest liberè omnia constitutiva auferre, & qui, positis reliquis, libere ponit vltimum constitutivum; positis reliquis, potest vltimum non ponere, quod vtrumque est formalissimè *complexum non facere*, & *impedire*.

111 Confirmatur: posità prædeterminatione, ponere libere consensum, est, posse ponere contradictorium *formale* illius, quod est essentialiter consensus liber: sed consensus liber est essentialiter compositio sui, & prædeterminationis ad illum; aliter voluntas non libere simpliciter compositionem faceret prædeterminationis, & consensus: ergo ponere consensum liberè, posita prædeterminatione, est posse ponere liberè non compositionem prædeterminationis, & consensus. Probatur consequentia. Contradictorium *formale* compositionis est non compositio, vel assigna contradictorium huius propositionis *compositio existit*: sed existere consensum liberè à voluntate, est, existere à voluntate compositionem simpliciter: ergo posse ponere libere non consensum, est, posse ponere libere non compositionem.

112 Tertium. *Voluntatem prædeterminatam ad consensum non posse libere per non consensum impedire compositionem prædeterminationis, & consensus; quia dum ponitur non consensus, iam est impedita propriori compositio per carentiam prædeterminationis*, quod etsi verum sit, loquendo de impeditione complexi *quoad efficaciam*; nil proficit respondenti pro consequentia doctrinæ. Arguo sic: Per te voluntas non potest libere impedire *quoad efficaciam* complexum, quod propriori ad suum exercitium est libere impeditum à Deo: ergo nec poterit determinare per suum exercitium liberum, complexum, quod propriori ad suam liberam determinationem est libere à Deo determinatum: sed complexum prædeterminationis, & consensus propriori ad determinationem liberam consensus, est libere à Deo determinatum per existentiam prædeterminationis connexam cum consensu: ergo si voluntas non potest per non consensum impedire complexum prædeterminationis, & consensus, nec potest per consensum determinare complexum prædeterminationis, & consensus.

113 Dices: disparitatem esse claram. Nam propriori ad non consensum est impeditum *formaliter* per carentiam prædeterminationis complexum prædeterminationis, & consensus; verum propriori ad determinationem liberam consensus, non est *formaliter* determinatum complexum prædeterminationis, & consensus; sed tantummodo *arguitivè*, qualiter determinatur complexum per positionem vnius partis connexæ cum alia. Differentiam libenter amplector, & subsumo: ergo propriori ad determinationem *formalem* complexi, non est determinatio *formalis* divina eiusdem; sed tantum *illativa*, & *arguitiva*: ergo aliquis modus determinandi libere aliquid à libertate dependens, existit à creatura, quod non est prius determinatum à Deo secundum illum modum, & in eadem linea: ergo secundum illum modum, & in eadem linea non est Deus *primus* determinans; sed creatura est, quæ vnice determinat: igitur non est inconveniens, quod in aliqua linea sit creatura ita determinans; vt aliud determinans non supponat: quo ruit, meo iudicio, totum prædeterminationis robur consistens in subiectione creaturæ ad Deum: nam sicut in tali linea manet subiecta per dependentiam in alia linea: sic in ratione liberæ erit subiecta per dependentiam, quàm habet *in existendo*, & *in operando*, quamvis non *in determinando*; quod nos dicimus.

CAP-

CAPVT III.

Fundamenta reliqua à ratione contra prædeterminationem physicam, & intrinsecam.

114 TErtium fundamentum. Agere liberè ex prævia determinatione alterius, est agere liberè operando ex necessitate, quod implicatio in terminis est: sed agere liberè consensum per gratiam ab intrinseco efficacem, & prævie prædeterminantem, est agere libere ex prævia determinatione Dei: ergo agere liberè consensum ex prævia determinatione gratiæ intrinsecè efficacis, & prædeterminantis, est agere libere operando ex necessitate cum implicatione in terminis. Probo maiorem. Agere liberè ex prævia determinatione alterius, est agere liberè ex proprio beneplacito; non aliter; quam prout alter prius voluerit, & quomodo alter voluerit prius: sed agere liberè ex proprio beneplacito cum impotentia ad agendum non aliter; quam provt alter prius voluerit, & quomodo prius voluerit, est agere liberè operando ex necessitate: ergo agere liberè ex prævia determinatione alterius, est agere liberè operando ex necessitate cum implicatione in terminis.

115 Confirmatur primo. Irrisorium est dominium libertatis sub his terminis constitutum: *fac pro libito, & quomodo volueris, id, quod aliter non facies; quàm prout prius volitum à me fuerit irresistibiliter*; vel sic: *fac, prout volueris, id, quod à me prius tibi præscriptum fuerit irresistibiliter*: sed dominium libertatis creatæ constitutum à Deo cum dependentia à gratia prædeterminante tale est: ergo est dominium libertatis irrisorium. Probo maiorem. Irrisorium est dominium proprietatis constitutum, sivè à Deo, sivè à creatura sub his terminis: *dona pro libito id, quod aliter non facies, quàm donando illi, cui ego prius donaverim, & dominium rei prius contulerim*: vel sic: *dona, prout volueris, id, quod à me prius donatum fuerit irresistibiliter, cui voluero*: ergo irrisorium est dominium libertatis, & electionis sub his terminis constitutum: *fac pro libito, & quomodo volueris, id, quod aliter non facies, quàm prout prius volitum à me fuerit irresistibiliter*. Vel sic: *fac, prout volueris, id, quod à me prius tibi præscriptum fuerit irresistibiliter*.

116 Confirmatur secundo explicando præcedentem confirmationem. Deum liberè conferre dominium *proprietatis* creaturæ per obligationem iustitiæ, (quam possibilem in Deo gravissimi Theologi ex omni schola concedunt, & est frequens sententia Thomistarum,) & ex tali suppositione antè exercitium creaturæ vti re, prout libuerit, per determinationem non impedientem suppositionem obligationis iustitiæ, est dominium chymæricum *proprietatis*, & obligatio iustitiæ non obligans ex iustitia: ergo Deum liberè conferre creaturæ dominium *libertatis*, vt defacto concessit, vt pro suo arbitrio se determinet, & ex tali suppositione antè electionem creaturæ liberè Deum decernere extremum sibi placens per determinationem non impedientem suppositionem libertatis, est dominium chymæricum *libertatis*, & *electionis*. Probatur consequentia. Non minus opponitur dominio *electivo* determinatio donantis ius, præveniens electionem; quam dominio *proprietatis*, seu iuri ex iustitia vsus donantis dominium, præveniens vsum iuris donati: sed propter vsum prævenientem destrueretur dominium *proprietatis*: ergo propter electionem prævenientem destrueretur dominium *electivum*, & *libertatis*.

117 Alijs terminis idem fundamentum satis efficaciter proponitur. Agens liberum se determinare, vt tale, ad suum exercitium, in nullo alio potest stare; quàm in eo, quod, propositis per intellectum rationibus vtrimque invitantibus, & omnino indeterminatus ab alio ponat vnam operationem præ alia, v. g. consensum præ dissensu, potens inversim ponere dissensum præ consensu: sed in hoc conceptu se determinandi excluditur prædeterminatio: ergo operari liberè, & prædeterminari, est repugnans. Probatur maior, Specialis modus determinandi competens causæ *liberæ*, prut distinctæ à *necessaria*, non est aliter assignabilis: cum non sit primò, *se reducere de potentia ad actum*; hoc enim commune est causis ne-

ces-

ceſſarijs. Neque ſecundo: *ſe reducere ad exercendas operationes per modum libertatis; non per modum naturæ*: quia donec explicetur quid ſit *ſe reducere per modum libertatis, prout diſtinctum à modo naturæ*, imperceptibile eſt diſcrimen. Quod ſi vt explices, dicas: talem modum conſiſtere in eo, quod facultas valens ſe diverſis modis exercere, rationibus vtrimque invitantibus potius vno; quàm altero modo exerceatur: non tenet tertio: propterea quod intellectus in opinabilibus ſit potens aſſentire, & non aſſentire; aſſentire, aut diſſentire, propoſitis vtrimque rationibus invitantibus ad aſſenſum, vel ſuſpenſionem illius; cum tamen non liberè ſe reducat de potentia ad actum; verum determinatus ab imperio voluntatis: ergo non reſtat aliud diſcrimen perceptibile præter aſſignatum à nobis: ſcilicet agens liberum ſe determinare, vt tale; *quia propoſita invitatione ex parte intellectus ad diverſa, ſe reducit ad actum omnino prædeterminatus ab alio.*

118 Vniformis Thomiſtarum ſolutio difficultatem propoſitam declinat, dicens: de conceptu agentis *liberi* tantum eſſe ita ſe determinare pro arbitrio, vt excludat omnem aliam determinationem prævenientem, ſeu prædeterminationem agentis *extrinſeci creati*; ſecus *divini*, cui quia arbitrium creatum ſubiectum eſt tamquam *primo* libero, à quo libertatem accipit, eius prædeterminationem non excludit; imo potius in ſuo conceptu *ſecundi* liberi includit. Inde modus diſcernendi inter operationem *liberam*, & *neceſſariam* non conſtituitur per excluſionem omnis prædeterminationis proventis ab agente *creato*. Quapropter determinatio agentis *liberi*, prout diſcreti ab agente *neceſſario* ſic explicanda venit: *reductio ad actum potentiæ ad vtrumque per intellectum invitatæ, & à ſolo Deo ad agendum prædeterminatæ*: qua ratione intellectus non ſe habet, qui etſi ad opinandum vtrimquè invitetur; nō aliter aſſentitur, aut diſſentitur obiecto, quam prædeterminatus per imperium prævium voluntatis creatæ.

119 Modum iſtum reſpondendi ſuprà expendentes authoritatis fundamenta tetigimus, & reiecimus ex eo, quod Deus non immutet rerum conceptus: vnde, ſi prædeterminatio ex ſuo conceptu non opponitur determinationi liberæ; *provenire ab agente creato, aut increato*, prædeterminationis conceptum non immutabit; quam doctrinam paritate ſubiectionis ad determinationem *moralem* roboravimus: videātur ibi dicta, quibus in præſenti addendum: per datam ſolutionem non infringi robur paritatis iuris *proprietatis* ad vſus rei ex libera Dei determinatione communicati creaturæ: in quo ſubiectio huius, vt habentis ius participatum à D eo, non exigit, vt ante exercitium creatum iuris *proprietatis*, præcedat vſus iuris Supremi Domini; imo ſi præcederet, ſuppoſitionem obligationis ex iuſtitia deſtrueret: quare ergo dominium *libertatis*, quia ſecundum, & à Deo acceptum, exiget, vt ſalvetur dependentia, Deum propriori, vt primum liberum, vtī poteſtate liberà, prædecernendo liberè immediatè id, quod creatura determinatura eſt poſtea liberè? Igitur deficit titulus, ob quem determinatio agentis *liberi* non conſtituatur per carentiam prædeterminationis tàm agentis extrinſeci *creati*; quàm *increati*.

120 Inſiſto. Non minus eſt dependens creatura, vt *ſecundum* vivens, à Deo, vt *primo* vivente, quàm vt *ſecundum* liberum, à Deo, vt *primo* libero: ſed dependentia *ſecundi* viventis ſalva manet, quin terminus vitalis potentiæ creatæ, ſit terminus immediatus potentiæ vitalis Dei: aliàs Deus viveret volendo, aut intelligendo per actus creatos: ergo ſecunda dependentia optimè ſtabit, quin terminus potentiæ liberæ creatæ ſit terminus immediatus potentiæ liberæ Dei. Conſequentia videtur firma à paritate rationis; non obſtanti in contrarium ſi dicas: primam dependentiam eſſe impoſsibilem, vtpotè afferentem Deo imperfectionem; ſecundam verò poſsibilem, & maximè congruentem divino dominio, ideoque concedendam: quia pro poſsibilitate alicuius termini, non ſolum eſt attendenda divina perfectio; ſed etiam conceptus eſſentialis rerum, cui talis terminus non repugnet: repugnat autem cum libertatis conceptu *ſi, ante electionem propriam neceſsitari ad eligendum per electionem alienam*: inſuper aſſumere pro medio ad probandam exigentiam prædeterminationis ex parte ſubiectionis creaturæ non repugnantiam prædeterminationis divinæ cum libertate creata; & ad probandam iſtam non repugnantiam iterum redire ad exigentiam,

eſt

est explicare idem per idem, seu potius inexplicatum relinquere, quod desideratur.

121 Vltra dicta accipe aliam formam arguendi pro principali intento. Agens liberum prædeterminatum ad consensum v.g. vel propriori ad prædeterminationem non est potens proximè consentire, vel in eodem instanti liberè consentit, & non consentit: ergo implicat: agens liberum prædeterminari ad sua exercitia. Probo antecedens. Agens liberum prædeterminatum ad consensum; vel propriori ad prædeterminationem non habet omnia constitutiva potestatis proximæ ad consensum; vel pro signo prædeterminationis non consentit: sed non consentire pro signo prædeterminationis, est liberè non consentire: ergo agens liberum prædeterminatum ad consensum; vel propriori ad prædeterminationem non est potens proximè consentire; vel in eodem instanti liberè consentit, & non consentit. Probo minorem. Non consentire pro signo immediato ad potestatem proximam consentiendi, est non consentire, potens proximè consentire: sed non consentire potens proximè consentire, est liberè non consentire: ergo non consentire pro signo prædeterminationis, est liberè non consentire. Maior apparet certa. Siquidem non consentire pro signo immediato ad potestatem proximam consentiendi, est non consentire cum potestate proxima consentiendi. Probo minorem. Non consentire, potens proximè consentire, est non consentire cum indifferentia ad consentiendum: sed non consentire cum indifferentia ad consentiendum, est non consentire liberè: ergo non consentire potens proximè consentire, est liberè non consentire.

122 Dices immediate. Non consentire *privativè* potens proximè consentire, est liberè non consentire; secus non consentire *præcisivè*, in quantum pro signo immediato ad libertatem consentiendi, quod est signum prædeterminationis ad consensum, non intelligitur determinatus consensus: quod componitur cum eo, quod pro eodem signo non intelligatur liberè determinata exclusio consensus; non aliter; ac pro signo ipso libertatis, neque intelligitur determinatus liberè consensus, neque liberè determinatus defectus consensus. Sed contra. Signum immediatum post libertatis constitutionem non potest esse signum suspensionis ab omni exercitio libero: ergo si pro signo immediato ad libertatem constitutam, quod est signum prædeterminationis, non intelligitur liberè determinatus consensus; intelligi debet determinatus liberè defectus; quapropter pro eo signo non dabitur consensus libere, non modo *præcisivè*; verum, & *privativè*. Probo antecedens. Si signum immediatum post libertatis constitutionem posset esse signum suspensionis ab omni exercitio libero, reddensque malam hanc consequentiam: *voluntas non operatur, potens liberè operari: ergo liberè non operatur privativè*; nullum esset fundamentum pro suadenda communi Theologorum omnium sententia contra vnum, vel alterum asserentem: libertatem pro primo instanti, in quo est constituta, non posse se exercere liberè; sed in quadam suspensione exercitij liberi manere vsquead aliud instans.

123 Pro qua nullum aliud est fundamentum, vt efficacissimum receptum: nisi, quod non operari, dum voluntas potest operari, est liberè se exercere in non operando: sed voluntas in eo primo instanti, in quo est libera constituta, non operatur, cum possit liberè operari: ergo in primo instanti libertatis non potest *suspensivè* se habere ad vtrumvis vsquead sequens instans; sed vel liberè operari *positivè*, vel liberè excludere *positivam* operationem: sed hoc fundamentum nullum esset, si pro signo immediato ad libertatis constitutionem esset vere conceptibilis suspensio ab omni exercitio libero: omnis namque solutio, quæ detur pro signo, facile potest applicari ad instans, vt per pendenti constabit: ergo signum immediatum post libertatis constitutionem non potest esse signum *suspensionis*, taliter, vt neque in ipso intelligatur determinatio libera consensus, aut libera huius *privativa* exclusio.

124 Quartum fundamentum ex illo principio, quod vt firmissimum statuit Pater Suarez tomo 2. de Gratia libro 5. capite 23. & quoad rem, debent sequi omnes Societatis Doctores, vno, vel altero quoad vocem tantum excepto, principium sic se habet: *qui non habet, vel actu, & formaliter, vel virtualiter in potestate acquirendi id, quod necessarium est ad determinatum exercitium, im-*

po-

potens proxime est ad tale exercitium ; quod ex mente Divi Augustini videtur desumptum , tum libro de Prædestinatione Sanctorum capite 1. in quo arguens contra Pelagium sic procedit : *vt constat ex Apostolo non sumus sufficientes cogitare ex nobis quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est : ergo non sumus idonei credere à nobis quasi ex nobis* ; quasi dicat : eo sensu, quo non possumus id , quod est necessarium ad credendum , *credere* non possumus: sed *cogitare* est necessarium ad credendum,& id non possumus ex nobis: ergo neque *credere* ex nobis possumus. Tum libro 1. retractationum capite 22. *cum enim hoc sit in potestate, quod,cum volumus facimus* : sicut ; & libri 3. de Libero Arbitrio capite 3. *non enim possum aliud sentire esse in potestate nostra , nisi,quod,cum volumus, facimus* , id est ; id vnice debet reputari, esse in potestate nostra , quod supposita potestate , tantum pendet *à velle* nostro, quæ intelligentia non à nobis , prout placet fabricatur ; sed ex ipso Sancto Doctore colligitur : siquidem ante illa verba retractationum : *Cum enim hoc sit in potestate, quod,cum volumus,facimus* præmisit : *quod non est contra gratiam Dei , quam prædicamus : in potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem : sed ea potestas nulla est , nisi à Deo detur , de quo dictum est Ioannis primo : dedit eis potestatem , filios Dei fieri* : vide quod ad conuincendum gratiæ tantum recurrit ad potestatem datam à Deo ; supposita vero potestate , reliquum committit arbitrio,nolens aliquid aliud esse necessarium,quod *à velle* nostro non dependeat.

125 Aliunde etiam ratio videtur convincere : quippe quod essentialiter requiritur ad actum , & nec *actualiter* , & *formaliter* , neque *virtualiter* in potestate acquirendi illud existit , est id , cuius defectus compatibilis est cum volitione *affectivè* efficaci faciendi actum , quin existat actus in vi talis defectus . sed id , cuius defectus est compatibilis cum volitione *affectivè* efficaci actus , quin existat actus in vi talis defectus , est id , quod constituit potestatem actus ; propterea que si deficiat , deficit potestas actus : ergo qui non habet, vel *actu* , & *formaliter* , vel *virtualiter* in potestate acquirendi id ; quod est necessarium ad actum , & exercitium agentis, impotens proximè est ad tale exercitiũ. Maioris veritatem experientia ipsa ostendit , qua sentimus sæpe efficaciter *affectivè* velle id , quod in re exequi non valemus : ergo etiam poterimus efficaciter *affectivè* velle id , ad quod non habemus essentiale requisitum: quod confirmari etiam potest ex eo , quod Deus absque implicatione vlla potest nobis parare concursum ad actum imperantem, non parato concursu ad actum imperatum : quo casu , datur voluntas *affective* efficax actus imperati coniuncta cum defectu requisiti essentialis ad actum imperatum, vt est præparatio concursus ad illum.

126 Probo iam minorem. Si id, cuius defectus est compatibilis cum volitione *affectivè* efficaci faciendi actum, quin existat actus in vi talis defectus ; non esset constitutivum potestatis ad actum, stante volitione *affectivè* efficaci existentiæ actus , & non existente actu ob defectum requisiti,staret imputabilitas defectus actus, seu omissionis illius ; quæ culpabilis esset , si daretur præceptum actus: patet. Nam, qui potest facere , & non facit , imputabiliter omittit, & non sine culpa , adstante obligatione actus : sed stante volitione *affectivè* efficaci circa existentiam actus, & deficiente actu propter defectum requisiti ad illum , non est imputabilis omissio , nec culpabilis , quàmvis adsit præceptum actus : ergo id , cuius defectus est compatibilis cum volitione *affectivè* efficaci actus ; quin existat actus in vi talis defectus , est id , quod constituit potestatem actus; propreaque si deficiat, deficit potestas actus. Probo minorem. Implicat ex terminis esse imputabilem, aut culpabilem omissionem actus,quando qui omittit , facit quantum in se est, vt existat actus : sed qui omittit actum ob defectum requisiti , stante volitione *affectivè* efficaci actus , facit quantum in se est , vt existat actus : ergo stante volitione *affectivè* efficaci erga existentiam actus , & deficiente actu ob defectum requisiti ad illum , non est imputabilis omissio , nec culpabilis , quamvis adsit præceptum actus.

127 Ex præiacto principio hæ formantur impugnationes gratiæ ab intrinseco efficacis , & prædeterminantis . Prima : contra rationem agentis liberi est,ita operari vnum exercitium , vt si faceret oppositum illius, operaretur necessario , sivè *positivè* , sivè *negativè* : sed consentiens per gratiam intrinsece efficacem , & prædeterminantem ita operatur consensum , vt si loco consensus non consentiret , sivè

po-

positivè, sivè *negativè*; necessario non consentiret: ergo contra rationem agentis liberi est prædeterminari ad suum exercitium. Maior est certa; quippe cum libertas, vt talis, sit ad vtrumvis, si deficiente exercitio, quod de facto ponitur, deficeret libertas, & existeret necessitas; libertas, vt talis, esset determinata ad vnum. Probatur minor. Consentiens per gratiam intrinsecè efficacem, & prædeterminantem, ita operatur consensum, vt si loco consensus non consentiret, sivè *positivè*, sivè *negativè*; deficeret prædeterminatio ad consensum essentialiter exacta ad ipsum, ita vt tali casu, nec *actu* existeret prædeterminatio ad consensum, nec *virtualiter* in potestate acquirendi illam: sed non consentire, deficiente requisito essentialiter ad consensum, tam *actu*, & *formaliter*, quam *virtualiter* in potestate acquirendi illud, est necessario non contire: ergo consentiens per gratiam intrinsece efficacem, & prædeterminantem, ita operatur consensum, vt si loco consensus non consentiret, sivè *positivè*, sivè *negativè*; necessario non consentiret.

128 Confirmatur. Non consentire, potestate ad consentiendum impedita tam *actualiter*, & *formaliter* per carentiam requisiti ad consensum; quam *virtualiter* per defectum potentiæ ad acquirendum requisitum, est non consentire cum defectu potentiæ proximæ ad consensum, quæ per carentiam, sivè *formalem*, sivè *virtualem* impedimenti constituitur: sed non consentire cum defectu potestatis proximæ ad consentiendum, est necessario non consentire: ergo consentiens prædeterminatus, ita consentit, vt si loco consensus non consentiret, necessario non consentiret, sivè *negativè*, sivè *positivè*.

129 Secunda. Omnis non observans præceptum defacto, nec habet, nec potest ex se habere gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem essentialiter, prærrequisitam ad observationem præcepti: ergo omnis non observans præceptum defacto, est impotens ad observationem præcepti; ac per consequens non liber in omissione rei præceptæ. Indè tertia; qui defacto non observat præceptum non est reprehensibilis in non observatione præcepti. Probatur sequella. Non est iustè reprehensibilis in non observatione præcepti, qui nec habet defacto, nec potest habere id, quod est indispensabiliter necessarium ad observationem præcepti: sed omnis, qui defacto non observat præceptum, nec defacto habet, nec potest habere gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem ad observationem præcepti indispensabiliter necessariam: ergo qui defacto non observat præceptum non est reprehensibilis in non observatione præcepti. Confirmatur. Homo constitutus in periculo vitæ, quod aliter non potest evadere; quàm volando, non est iustè reprehensibilis in non evasione periculi; quia etsi habeat ex se potentiam locomotivam, & acquisitivam præsentiæ tàm in terra; quàm in aere, tamen non habet defacto alas, nec potest habere, sine quibus non est expeditus ad ambulandum per aera: ergo homo constitutus in periculo omissionis rei præceptæ, quod aliter evadere nequit; quàm observando prædeterminatus, non est iustè reprehensibilis in non evasione periculi omsionis; quia etsi habeat ex se potentiam ad observandum, tamen defacto non habet, nec potest habere gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem, sine qua non est expeditus ad observandum.

130 Inde quarta. Cui impossibile est necessarium ad observationem præcepti, impossibilis est præcepti observatio: sed illi, qui defacto non observat præceptum impossibilis est gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans ad observationem necessaria; quia nec eam actu habet, nec potestatem habet eam acquirendi: ergo illi, qui defacto non observat præceptum, impossibilis est præcepti observatio: sed ille, cui impossibilis est observatio præcepti, præcepto non tenetur: ergo omnis, qui defacto non observat præceptum, præcepto non tenetur, nec peccat in omissione rei præceptæ: dicendum ergo est: vel Deum præcipere impossibilia, reddendo falsum illud principium lumine naturæ notum. *Ad impossibile nemo tenetur*: vel gratiam non esse ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem.

131 Principium, & argumentum eo innixum, adversarij contendunt retundere per instantiam in nos factam ex auxilio efficaci, cuius efficaciam, etsi *extrinsecam* non habet dissentiens: vnde deficit illi, quod est necessarium ad consensum, & quod aliter habere non potest; quàm liberè donatum

tum à Deo: quomodo ergo tenebitur ad consentiendum? Quomodo etiam erit reprehensibilis in non observatione præcepti? Et denique; qua ratione ei non præcipitur impossibile? Quare, si hæc vim non habent in auxilio efficaci *extrinsecè*; nec vrgebunt in prædeterminatione, & gratia *intrinsecè* efficaci; quo ruit firmitas statuta principij, & incomoda ex illo deducta evanescunt. Vidit hanc instantiam Doctor Castell, & irrito, & vano labore in ea Thomistas procedere, ingenuè fatetur propter disparitatem claram ex parte nostra. Equidem, licet in statu purè conditionato, & ante suppositionem existentiæ absolutæ auxilij non sit in nostra potestate determinare Deum, vt conferat auxilium in circunstantis, in quibus erit congruum, & efficax ab extrinseco, quia id est vnice liberum Deo; attamen ex suppositione collationis auxilij *intrinsecè* indifferētis, & *specificativè* inefficacis in nostra manu est per potestatem consentiendi, acquirere omne illud, quod deficit, vt sit efficax; propterea que semper verificatur in nostra sententia; quod qui potens est libere consentire; vel habet *actu*, & *formaliter* necessarium ad consensum, vel ex illo, quod *actu* habet, potest acquirere quidquid deficiat, & sit ad consensum indispensabiliter requisitum. Laudo Sapientissimi viri ingenuitatem, tamquam benè callentis nostras doctrinas, quas alij cæco impetu, aut nolentes intelligere, vt bene impugnent, solent propulsare.

132 Sed quamvis hoc ita sit. Instantia potest taliter in nostris principijs formari, vt pro intelligentia doctrinæ, & disparitatis inter vnam, & alteram sētentiam, indigeat non inutili explicatione. Pro qua suppono: non posse esse auxilium efficax *in actu secundo* per consensum sibi adiunctum, per liberam determinationem voluntatis operantis sub tali auxilio; quin in eodem præcesserit efficacia *in actu primo* constituta secundum diversam considerationem actus primi *physici*, & *logici*, iam per auxilium, & scientiam mediam de consensu sub ipso, iam per auxilium, & veritatem *obiectivam conditionalem* de consensu sub existentia illius. Et ratio est: quia implicat existere consensum sub auxilio *in actu secundo*, quin præcesserit in Deo scientia media affirmans existentiam consensus sub existentia auxilij, & quin præcesserit veritas *obiectiva conditionalis* de consensu in signo apto ad determinandam eam scientiam, ex quibus, & ex auxilio libere collato à Deo, resultat complexum liberum Deo, existens ante consensum absolutum, & cum illo connexum, quod, prout dicit auxilium, & scientiam mediam, dicitur efficacia in actu primo *physico*; & prout includit auxilium, & veritatem *obiectivam conditionalem* de consensu sub auxilio, vocatur efficacia *in actu primo logico*, sumpta denominatione à forma, aut quasi forma, quę dum est scientia media, *physicè*; dum verò veritas *obiectiva*, *logicè* præcedit ad cōsensum absolutum.

133 Quo supposito, instātiam recupero. Efficacia in actu primo, sivè *logico*, sivè *physico*, est essentialiter necessaria ad consensum: sed dissentiens, nec habet *actu*, & *formaliter* efficaciam in actu primo sivè *physico*, sivè *logico*, nec potest eam determinare, & acquirere: ergo vel dissentiens non potest cosentire; vel qui non habet defacto, nec potest acquirere id, quod est necessarium ad consensum, est potens proximè consentire. Discursus est legitimus, & maior certa, sicut & minor quoad primam partem: nam cum efficacia in actu primo tam *physico*; quam *logicò* sit inseparabilis à consensu absoluto, propterea quod includit veritatem conditionalem de consensu, & purificationem conditionis; implicat dari *actu*, & *formaliter* efficaciam in actu primo, sivè *physico*, sivè *logico*, quando *actu*, & *formaliter* datur carentia cosensus: quoad secundam probatur. Non potest dissentiens acquirere, & determinare pro sua electione id, quod semper ac exitit, vnice est determinabile à Deo, & pro divina libertate eligibile: sed efficacia in actu primo, sivè *logico*, sivè *physico* vnice eligibilis, & determinabilis est à Deo, vt omnes nostri Authores tenent, agentes de discretione prædestinati à reprobo: ergo dissentiens non potest determinare, & acquirere efficaciam in actu *primo*, necessariam ad consensum.

134 Solet respondēri: dissentientem, etsi nequeat absolute determinare, & acquirere efficaciam in actu primo, sivè *physico*, sivè *logico*, quia nequit determinare auxilij existentiam sub scię tia media de consensu, aut sub veritate *obiectiva conditionali* cōsensus sub auxilio; quia dare auxiliū in his, aut illis circunstātijs, sub hac, aut illa prę visione, & scię tia, soli Deo cōpetit; at ex suppositione auxilij, & libertatis in statu absoluto,

bene posse determinare, & acquirere efficaciam in actu primo. Et ratio est: quia ille potest simpliciter determinare, & acquirere pro sua electione id, quod *complexivè* se habet ex duplici parte; qui, posita vna, valet pro sua determinatione, & electione adiungere, & determinare existentiam alterius: sed efficacia in actu primo tam *logico*, quam *physico complexivè* se habet quoad esse ex duplici parte, quarum vna est auxilium; altera, scientia media de consensu, aut veritas *obiectiva conditionalis* illi correspondens: ergo si dissentiens, supposito auxilio, potest per consensum determinare scientiam mediam de efficacia, & veritatem illi correspondentem; ex suppositione auxilij, & libertatis poterit determinare, & acquirere efficaciam in actu primo sivè *physico*, sivè *logico*.

135 Hæc solutio est difficilima, vtpotè destruens id, quod supponere debet: scilicèt semper, ac existat efficacia in actu *secundo*, Deum esse vnicam causam determinativam efficaciæ in actu primo, sivè *logico*, sivè *physico*: sic suadeo. Id destruit pro casu efficaciæ in actu *secundo*, Deum esse vnicam causam determinativam efficaciæ in actu *primo*, quod pro tali casu constituit voluntatem creatam æque liberè determinantem efficaciam in actu *primo*, sivè *logico*, sivè *physico*, ac Deum: sed data solutio id facit: ergo destruit id, quod supponere debet. Probo minorem. Iuxta hanc solutionem, in casu, in quo voluntas creata libere consentit, qui est casus efficaciæ in actu primo, tam *physico*, quam *logico*, voluntas, posito auxilio, quod est vna pars efficaciæ in actu primo *logico*, & *physico* pertinens ad diuinam libertatem, libere determinat aliam, nempe scientiam mediam de consensu, & veritatem *obiectivam conditionalem* de consensu ipsi correspondentem: ergo data solutio constituit voluntatem creatam pro casu efficaciæ in actu *secundo* æquè libere determinantem efficaciam in actu primo, sivè *logico*, sivè *physico*; ac Deum. Probo consequentiam. Id pro tali casu tam libere determinat complexum efficaciæ in actu *primo* sub omni consideratione; ac aliud, quod pro tali casu tantum facit determinativè libere in ordine ad complexum; ac aliud: sed voluntas pro casu efficaciæ in actu *secundo* iuxta datam solutionem tantum facit determinativè libere, ac Deus, quoad existentiam complexi efficaciæ in actu primo: nam Deus, posita scientia media de consensu, & veritate *obiectiva conditionali* ipsi correspondente, libere determinat existentiam auxilij, & voluntas creata, posito auxilio, liberè determinat scientiam mediam de consensu, & veritatem *obiectivam conditionalem* ipsi correspondentem: ergo data solutio constituit voluntatem creatam pro casu efficaciæ in actu *secundo* æquè libere determinantem efficaciam in actu primo, sivè *logico*, sivè *physico*; ac Deum.

136 Hinc se ostendit omnino fictam, potentia, quæ conceditur voluntati ad libere determinandam efficaciam in actu *primo* prò casu auxilij, & ex suppositione auxilij; cum potentia, quæ reducta ad actum liberum determinativum non determinaret efficaciam in actu *primo*, sit potentia omnino ficta, & chymærica: sed potentia, quæ conceditur dissentienti ad libere determinandam efficaciam in actu *primo*, est potentia, quæ reducta ad actum determinativum liberum, scilicèt consensum, libere non determinaret; quia tunc casus auxilium esset efficax, & in casu auxilij efficacis Deus solus per te est vnica causa determinativa libera efficaciæ in actu *primo*: ergo est potentia ad acquirendam, & determinandam libere efficaciam in actu *primo* omnino fictitia, & chymærica. Contra deinde, & simul aufero æquivocationem, ex qua sumit ansam solutio: nam licet verum sit; quod, posita vna parte complexi, liberè ponere aliam, sit liberè determinare complexum; id verum est, quando pars, quæ libere eligitur, & ponitur, determinatur libere pro signo, in quo intelligatur iam altera præsuppositа; secus quando determinatur pro signo, quod antecedit existentiam alterius cum indifferentia ad illam; tunc enim pars determinata præscindit ab existentia alterius tàm *intrinsecè*, quam *extrinsecè*; & nemo determinat complexum determinando partem illius eo modo, quo præscindit ab existentia complexi: sic accidit in præsenti casu, in quo dissentiens potest per consensum determinare scientiam mediam de illo, & veritatē *obiectivam* scientię correspodentē, quę

sunt

sunt partes complexi efficaciæ in actu *primo*; sed pro quo signo rogo? Num pro signo præsupponente auxilium? minime; sed pro signo libertatis divinæ ad dandum, & non dandum auxilium omnino ab existentia auxilij præscindenti: vnde semper relinquitur complexum efficaciæ in actu primo *logico*, & *physico* vnicè determinabile per divinam libertatem.

137 Ideo respondent alij: efficaciam in actu *primo* esse acquiribilem, & determinabilem *à posteriori*, id est, per effectum connexum cum illa; qualis est consensus aliter impotens existere; quam cum efficacia in actu *primo* auxilij; propterea quod sit efficacia in actu *secundo* illius, quæ, vt per se patet, dari non valet sine altera efficacia: vnde inferunt: qui potest liberè determinare fundamentum connexionis cum aliquo termino, libere potest acquirere, & determinare existentiam termini: sed efficacia in actu *secundo* consistens in consensu absoluto connectitur metaphysice cum efficacia in actu *primo*: ergo, qui potest libere consentire absolutè, potest libere acquirere, & determinare existentiam efficaciæ in actu *primo*, qua, dum absolutè dissentit, caret.

138 Implicat in terminis mòdus iste solvendi a primo, vsque ad vltimù verbu; quare mihi videtur omnino improbabilis. Dicit primo: *Efficaciam in actu primo esse determinabilem à posteriori, & per effectum*; quod clarissimè est asserere: non esse verè determinabilem, & acquiribilem: patet: omnis determinatio rei supponens rem aliunde determinatam, & acquisitam non est vera determinatio, & acquisitio rei: sed omnis determinatio, & acquisitio rei, purè *à posteriori*, & *per effectum* præsupponit rem aliunde determinatam, & acquisitam: ergo non est vera determinatio, & acquisitio rei; sed tantùm quid inferens aliunde existere, & præsupponi. Dicit secundo: *Quod qui potest determinare libere fundamentum connexionis, potest libere determinare terminum connexionis*; quod tantum verum est, quando connexio est antecedentis ad consequens, seu à *priori*; cæterùm quando connexio est consequentis ad antecedens, seu *à posteriori*, est falsissimum; aliàs, qui potest libere determinare existentiam actus supernaturalis connexi cum auxilijs, & principijs supernaturalibus, posset libere determinare existentiam illorum; necnon; qui potest libere determinare existentiam actus essentialiter liberi connexi cum hac determinata libertate, posset libere determinare libertatis existentiam. Tertiò: non aliter explicat potestatem libere ponendi consensum, & acquirendi, medio ipso, efficaciam in actu *primo*; quàm explicant Thomistæ potestatem consentiendi liberè in eo, qui caret prædeterminatione ad consensum, in quantum potest ponere consensum, qui si existat, inferet *a posteriori*: prædeterminationem ad illum datam fuisse liberè à Deo *propriori*; quod in re est asserere: eum, qui *actu* non habet, nec potest habere ex se ad consensum necessaria, posse libere consentire.

139 Dices: tam necessaria est ad consensum scientia media de consensu sub auxilio; quam efficacia in actu *primo*: sed dissentiens non aliter potest determinare scientiam mediam de consensu, nisi *à posteriori*, & per consensum, qui, vt effectus, procedit à scientia media: ergo vel dissentiens non potest determinare, & acquirere scientiam mediam de consensu ad illum essentialiter requisitam; vel acquisitio, & determinatio *à posteriori* vera est, & libertati favens. Probatur minor. Consensus absolutus subsequitur *physicè* auxilium, & decretum illius, ad quod præcedit scientia media de consensu sub auxilio: ergo si scientia media est determinabilis, & acquiribilis per consensum absolutum; non aliter, quam per quid subsequutum, & *à posteriori* inferens scientiam mediam præsuppositam, acquiri, & determinari potest. Verùm hæc non favent solutioni datæ: nam licet consensus in ordine *physico* subsequatur scientiam mediam sui sub auxilio; tamen in ordine *obiectivo* præcedit ad illam, vt ipsius determinativum, & vt quid existens pro sola libera determinatione consentientis; neque consensus, vt subsequutus ad scientiam mediam, illam determinat; sed vt præcedēs, quin posterioritas *physica* obstet, vt consensus ratione prioritatis *obiectivæ* sit vera ratio determinandi scientiam mediam: sicut posterioritas *physica*, quam habet finis ad media, non impedit: finem esse rationem determinativam mediorum, & hæc vere existere propter finem: non igitur consensus, vt purè subsequutus, est determinatio, &

acquisitio scientiæ mediæ præcedentis.

140 Tertia aliorum solutio est: efficaciam in actu *primo* esse quidem acquiribilem, & determinabilem *indirectè*, quamvis à solo Deo sit determinabilis *directè*: in quo sensu dicitur: Deum solum esse vnicam causam determinativam liberè efficaciæ in actu *primo*. Determinabilitatem *indirectam* dicunt, consistere in eo, quod dissentiens, potest per consensum impedire scientiam mediam de dissensu, & determinare scientiam mediam de consensu: qua data, vel non est dandum auxilium, vel si detur, necessariò erit efficax in actu *primo*. Neque aliud videtur posse desiderari, vt voluntas dissentiens sit proximè expedita ad cōsentiendum; quàm quod possit facere pro sua libera determinatione, vt auxilium existens ex libera determinatione Dei, non separetur ab efficacia in actu *primo*, quæ cum dissensu *actu*, & *formaliter* non existit.

141 Nisi amplius addatur huic explicationi semper manet difficilis difficultatis solutio: aut enim hæc determinatio *indirecta* efficaciæ in actu *primo* est *à posteriori*, vel *à comitanti*, vel *à priori*? *Si à posteriori*: nil prodest, vt constat ex præcedente impugnatione: si *à comitanti*: gratis permitto: duplicem determinationem liberam posse comitanter se habere, ita vt vna sit determinatio alterius, quod falsum est, nil deinde se ostendit, per quod voluntas creata valeat comitanter determinare efficaciam in actu *primo*: quia *non per consensum posteriorem ad illam*: non *per scientiam mediam efficaciæ determinatam per consensum*; cum scientia media illam præcedat; *non per aliud*; vel assigna: ergo *à comitanti* non potest efficacia in actu *primo* determinari per voluntatem dissentientis. *Non denique à priori*: quippè omne existens propriori ad efficacia in actu *primo*, quod potest voluntas creata determinare, est indifferens ad existentiam, & defectum talis efficaciæ, vtpote constituens divinam libertatem ad dandum, & non dandum auxilium, pro cuius existentia, aut non existentia est, aut non est efficacia in actu *primo*, vt constituit scientia media efficaciæ, quam vnicè potest voluntas determinare, vt priorem ad decretum auxilij: ergo nullo modo potest voluntas creata per determinationem sibi liberam impedire defectum efficaciæ in actu *primo*, & acquirere oppositū, adhuc *indirectè*, vt dicūt

142 Fortè dicet alius quartò: efficaciam in actu *primo* esse acquiribilem *à priori* per liberum exercitium creaturæ; non in quantum possit facere aliquid, quod Deum determinet ad dandam efficaciam in actu *primo*; sed quatenus per suum exercitium potest determinare *obiectivè* scientiam mediam de consensu constitutivam libertatis divinæ in circunstantijs, in quibus est verum, quod si existat talis libertas in Deo, libere se exercebit per efficaciam in actu *primo*: modo simili ei, quem habet Deus in acquirendo consensu creaturæ; non quidem eam determinando ad cōsensum; sed conferendo ipsi libertatem in circunstantijs, in quibus libere se determinabit ad consensum sub tali libertate: ergo si creatura per suum exercitium possit determinare scientiam mediam de consensu, & per eam constituere diuinam libertatem in circunstantijs, in quibus libere se exercebit per efficaciam in actu *primo*, poterit per suum exercitium libere obtinere, quod, quando dissentit, non existit. Ast nil est, quod impediat: voluntatem dissentiētem posse per consensum determinare scientiā mediam efficaciæ: ergo neque quod possit per consensum obtinere a Deo efficaciam in actu *primo*. Confirmatur: quia sicut iuxta vulgare axioma: *id possumus, quod per amicos possumus*, id est, quamvis nō habeamus *actu*, & *formaliter* id, quod ab amico accipere opus est; tamē habemus *virtualiter* per potestatē manifestandi desiderium, aut præcandi: sic, *id possumus, quod per libertatem alterius possumus*, quando in manu nostra est determinare libertatem alterius in circunstantijs, in quibus nobis non deerit, quod ex libertate alterius est necessarium.

143 Quod si immediate instetur: Id tantum sustineri posse, quando per divinam determinationem liberam sit vera hæc conditionalis: *si prævidissem auxilium efficax, darem*; pro cuius verificatione nulla datur necessitas in casu conferendi auxilium inefficax; potest enim tunc contingere: Deum ita conferre auxilium sub prævisione inefficaciæ, vt non esset collaturus sub prævisione efficaciæ, verificando oppositū illius cōditionalis, in qua videtur fūdari doctrina solutionis: quo casu per cōsequēs dissentiēs, nec *actu* haberet, nec posset obtinere efficaciā *in actu primo* in vi de-

determinandi scientiam mediam de efficacia, & libertatem divinam in circunstantijs, quibus sub ipsa esset colaturus auxilium: nàm responderi potest: instantiam vrgere, attento solo statu conditionato consensus, & auxilij; in quo, cum nil aliud intelligatur absolutè, nisi libertas Dei ad dandum, vel non dandum auxilium; per determinationem scientiæ mediæ de consensu non obtineretur efficacia auxilij in actu *primo* nisi stante illa veritate cõditionali de cõditionato Deo libero: *si prævidero auxilium efficax, dabo*; secùs si attendatur existentia absoluta auxilij, & ex suppositione illius procedatur, vt proceditur in casu dissensus. Et ratio est: nàm de conceptu libertatis absolutè existentis est, æquè permansuram sub quocumque extremo sui dominij; aliàs esset determinata ad illud, quo non existenti, deficeret: ergo similiter est determinata; vt detur omne necessarium; vt permaneat sub quocumque suæ electionis extremo: sed vt permaneat sub existentia consensus, est determinata, vt pro tali casu sit efficacia in actu *primo*, & verificetur illa conditionalis, *si prævideatur auxilium efficax, dabitur*: ergo non solum in casu, quo verificetur illa conditionalis indepenedenter à purificatione conditionis; verum in omni casu suppositionis auxilij potest voluntas obtinere efficaciam in actu *primo* per determinationem libertatis in circunstantijs, in quibus sub illa non deficiet talis efficacia. Probabilis quidem, & satis apparens difficultatis solutio.

144 Nihilominùs dicendum: efficaciam in actu *primo* esse verè æquibilem à creatura dependenter à suo exercitio libero, quia etsi non sit determinabilis *positivè* ab alio, quam à Deo; est determinabilis *negativè*; quod pro acquisitione sufficit. Pro quo advertendum: exercitium vnius agentis posse esse libere determinabile ab alio dupliciter: vno modo *positivè*, altero *negativè*. *Positivè* determinatur, quando per id, quod libere fit, necessitatur ad exercitium per ablationem potestatis ad oppositum: modo quo libertas creata per determinationem scientiæ mediæ de inefficacia sub auxilio determinat Deum, tum ad carentiam efficaciæ in actu *primo*, tum ad carentiam prædefinitionis efficacis consensus, impediendo scientiam mediam de consensu constitutivam potestatis proximæ Dei ad decernendam efficaciam in actu *primo*, & prædefiniendum efficaciter consensum; & qualiter etiam Deus potest determinare creaturam ad consentiendum per non præparationem indifferentem concursus ad consentiendum, & non consentiendum.

145 *Negativè* determinatur, quando per id, quod libere fit, quamvis non constituatur in necessitate talis exercitij *absolutè*; constituitur vero in necessitate illius *ex aliqua suppositione* per impeditionem potestatis ad alium modum se exercendi: v.g. determinat Deus creaturam ad amandum determinatione *quoad individuum*, quia creatura est incapax eligendi inter ea, quæ non discernit: & quomodo determinat? Non quidem *positivè*; sed *negativè*; in quantum, licèt Deus non determinet creaturam ad amorem præ non amore, ipsam determinat ad amandum hoc individuo *amore*, casu, quo velit amare, auferendo potestatem ad alium individuum *amorem*, per non præparationem concursus, nisi ad hunc numero determinatum. Quo rectè componitur, & quod creatura sit libera ad amandum, & non amandum hoc individuo *amore*, & quod Deus possit liberè obtinere à crearura, quod amet hoc individuo *amore* potius quam alio, casu, quo amet. Hoc apte satis explicari potest exemplo omnibus claro. Constituatur aliquis iter agens in trino, accedat alius violentè impediens primam, & secundam viam; in tali casu impeditus non necessitatur ad iter agendum, neque impeditur à desistendo in progressu; nihilominus impediens assequitur, quod si impeditus velit progredi, per tertiam viam incedat.

146 Ad hunc ergo modum creatura dissentiens potest obtinere à Deo libere efficaciam in actu *primo*, non quidem determinando ipsum *positivè á priori*, vt conferat auxilium sub provisione scientiæ mediæ de consensu, cum talis scientia media indifferens ex se sit, vt Deus conferat, aut non conferat auxilium; sed *à priori negativè*, impediendo ipsam ex parte potestatis ab eo, quod conferat sub scientia inefficaciæ, & necessitando ad efficaciam; *non absolutè*; verum *ex suppositione*, quod velit conferre auxilium: quod est sufficiens, vt dum intelligitur auxilium in voluntate, ipsi debeatur non aliter existere; quam cum efficacia

in *actu* ; ſicut in exemplo ſupra poſito Deo debetur , facta ſuppoſitione , quod ego amem , me amare hoc individuo *amore* , & non alio diſtincto ; quin mea libertas in amando , vllo modo minuatur quoad *poſitivum* , licet determinetur quoad *negativum*, perſeverante ſemper in voluntate ratione vnice determinantis liberè *poſitivè* exiſtentiam amoris. Ex quibus clare conſtat : nullam eſſe paritatem ab auxilio efficaci in noſtra ſententia ad prædeterminationem: quia imprædeterminatus , nec *poſitivè* , nec *negativè à priori* poteſt determinare Deũ ad prædeterminandum ; auxilium verò effiicax ex ſuppoſitione, quod auxilium, & libertas exiſtat , eſt determinabile *negativè* quoad efficaciam , quæ ideò eſt æquibilis à diſſentiente : quare licet *actu* ,& *formaliter* non exiſtat , relinquit expeditionem ad conſenſum , per cuius exiſtentiam obtineri valet. Hæc pro inſtantia.

147 Argumentum , & principium , ex quo derivatur , enervare tentant Thomiſtæ diſtinctione toties repetita , qua dicunt: principium illud : *Qui nec actu habet, nec virtualiter in poteſtate acquirendi , id,quod eſt neceſſarium ad conſenſum , impotens eſt ad conſenſum*, intelligendum eſſe de impotentia , quæ neget potentiam , & ſufficientiam non ſubordinatam alteri cauſæ ; non de impotentia , quæ excludat potentiam , & ſufficientiam alteri ſubordinatam ; qua ratione impredeterminatus ad conſenſum eſt potens,& ſufficientiſsimus ad illum ponendum, ſcilicèt cum ſubiectione , & dependentia à *prima* cauſa prius determinante , & in determinatione donante conſenſum.

148 Sub ſimili diſtinctione , & doctrina illius poſſet (ni fallor) defendi: vnum hominem eſſe ſufficientiſsimum ad trahendam navem onerariam ad ripam : voluntatem non habentem habitum , nec comprincipium ſupernaturale eſſe ſufficientiſsimam ad actum ſupernaturalem : nam licet in illis non ſit poteſtas , & ſufficientia *independens* ad exercitia trahendi navim , & eliciendi actum ſupernaturalem ; eſt tamen ſufficientia *dependens* , ab exiſtentia ſcilicèt, & concurſu aliorum mille v.g, & ab exiſtentia , & concurſu principij ſupernaturalis : vnde nulla eſſet facultas inſufficientiſsima ad aliquod exercitium , quæ non poſſet dici proximè expedita *cum dependentia*. Et ratio eſt. Quia ſicut ab adverſarijs aſſeritur : ſufficientiam ad actum non conſtitui per exiſtẽtiam , ſivè *formalem* , ſivè *virtualem* omnium , quæ neceſſaria ad actum ſunt: ſic ego dicam: ſufficientiam ad actum, non conſtitui per exiſtentiam ſivè *formalem*, ſivè *virtualem* omnis virtutis neceſſariæ ad actum ; ſed per exiſtentiam virtutis *dependentis ab alia* , vel per exiſtentiam potentiæ *adæquatæ* , & *principij quod*, qualis eſt potẽtia naturalis reſpectu actuum ſupernaturalium. Nec video cur , dato, quod ad poteſtatem expeditam actus non ſit neceſſarium *actu* , aut in *poteſtate* habere quidquid ad actum requiritur; non ſit liberum cuique , ſufficientiam, proximam , vel per virtutem *inadæquatam* , vel per potentiam *adæquatam* conſtituere.

149 Vnde argumentum firmius videtur perſiſtere ſub hac forma : qui ita in operando eſt dependens ab alio , vt nec *actu* , nec *in poteſtate acquirendi* habeat id , quod eſt neceſſarium ad actum, nullam habet veram ſufficiẽtiam proximam ad actum: ſed imprędeterminatus ad conſenſum , ita eſt dependens in operando conſenſu à Deo, vt prædeterminante, vt nec *actu*, nec *virtualiter in poteſtate acquirendi* habeat ,prædeterminationem neceſſariam ad actum: ergo nec *dependenter* , nec *independenter* eſt vere ſufficiens ad conſenſum. Confirmatur: omnis, qui per dependentiam ab alio conſtituitur inſufficiens ad ea , quæ ſunt neceſſaria ad actum, per dependentiam ab alio conſtituitur inſufficiens ad actum : ſed omnis imprædeterminatus per dependentiam à Deo conſtituitur inſufficiens ad prędeterminationem neceſſariam ad actum : ergo conſtituitur per dependentiam à Deo , vt prædeterminante , inſufficiens ad actum. Probatur maior. Sufficientia ad actum ex proprijs terminis eſt non indigẽtia ad actũ: ſed inſufficiẽs ad ea, quæ ſunt neceſſaria ad actũ, eſt indigẽs ad actũ: ergo omnis, qui per dependentiã ab alio conſtituitur inſufficiens ad ea, quæ ſunt neceſſaria ad actum, per eandem dependentiam conſtituitur inſufficiens ad actum.

150 Ad diſcurſum , & modum arguendi Divi Auguſtini reſpondent: rectè proceſiſſe à defectu poteſtatis cogitandi ad defectum poteſtatis credendi ; quia *cogitare* ſe tenet ad credendum ex parte actus *primi* , *poſſe* illius conſtituendo ; ideoque non quomodocumque eſt prærrequiſitum ad

cre-

credendum; sed prærrequisitū, quo obla to, nō remanet *posse*; at prędeterminatio, licèt prærrequiratur ad consensum, non prærrequiritur, vt constituens *posse* consentire, cum sit sola applicatio *posse* ad *agere*, se tenens ex parte actus *secundi*: valet ergo, vt optimè Divus Augustinus: *qui non habet, nec actualiter, nec virtualiter constitutivum potestatis ad exercitium; est impotens ad exercitium*; non vero tenet: *qui non habet nec potest acquirere id, quod est qualitercumquè prærrequisitum ad consensum; non est potens ad consensum* qua ratione non est argumentatus Divus Augustinus.

151 Sed contra: quia dum non assignetur regula cognoscendi; quæ prærrequisita ad exercitium sint constitutiva potestatis; quæ autem applicationes tenentes se ex parte actus *secundi*; nil firmum potest esse in solutione, quæ ex levitate fundamenti ad asserendum: iam vnum requisitum constituere actum *primum*; iam aliud pertinere ad actum *secundum*, se prodit inefficax. Sic insurgo. Non ob aliam rationem *cogitare* constituit *posse* ad *credere*; *cognoscere* ad *amare*; nisi quia nil creditum, quin prævcogitatum; nil volitum, quin prævcognitum: sed etiam nil à voluntate creata determinatum, quin prædeterminatum: ergo non magis pertinet ad potestatem exercitij determinandi prædeterminatio: quàm ad exercitium credendi, & amandi cogitatio, & cognitio. Confirmatur: quia voluntas ex se cæca non potest nisi præeunte cognitione amare; cognitio est prærrequisitum se tenens ex parte potestatis ad amandum: ergo quia voluntas creata ex se est potentia subordinata, & vt talis, non potest se determinare, nisi prædeterminetur; prædeterminatio erit prærrequisitum se tenens ex parte actus *primi*, & potestatis se determinandi.

152 Dices primo: regulam observandam pro dignoscendo vno, & altero prærrequisito, eam esse, vt illud prærrequisitum censeri debeat pertinere ad actum *primum*, & potestatem actus, quod ita prærrequiritur ad actum, vt sit compatibile, tùm cum actu, tùm cum carentia actus; illud vero esse extra actum *primum*, & solam applicationem constituere, inter quod, & actum datur mutua connexio, taliter, vt nec actus possit existere sine prærrequisito, nec prærrequisitum sine actu. Sed contra: nam quod prærrequisitum non sit compatibile cum carentia actus, arguit maiorem determinationem in prærrequisito, vt influat actualiter in extremum, ad quod prærrequiritur: sed maior determinatio ad actualem influxum, non excludit à ratione actus *primi*; cum solum probet esse actum *primum* determinatum ad *secundum*: ergo quod prærrequisitum sit incomponibile cum carentia actus, non probat, esse exclusum à constitutione potestatis, & actus *primi*. Explico. Prærrequisitum si ob aliquam rationem constituit actum *primum*, ideo est, quia ad extremum prærrequiritur; non quia inconnexum; qua ratione præscindit ab influxu actuali: sed omne prærrequisitum, ad extremum prærrequiritur: ergo vel nullum, vel omne constituit actum *primum*. Vrgeo. Omne prærrequisitum ad actum *secundum* præcedit actum *secundum*: sed omne præcedens actum *secundum* pertinet ad actum *primum*; alias liberum esset ponere plura intermedia inter actum *primum*, & *secundum*, vt proximiora, & remotiora pro libito: ergo omne prærrequisitum ad producendum, & determinandum extremum *in actu secundo*, constituit actum *primum*. Vnde colligitur; quod si aliquod extremum prærrequirit aliquod connexum, & inimpedibile, non est dicendum: tale prærrequisitum non pertinere ad actum *primum*, quia extremum est liberum; sed potius extremum non esse liberum; quia prærrequisitum debet constituere actum *primum*.

153 Tradit secundo Doctor Castell distinctionem inter vnum, & alterum prærrequisitum, quam vocat novam, & posteris forsan placituram dicens: prærrequisitum, quod non est virtus activa; sed applicatio causæ, posse esse in dupliei differentia: vnum: quod sit applicatio *causæ ad alteram causam*; alterum; quod sit applicatio *causæ ad actum*. Ex his primum se tenet ex parte actus *primi*, seu potentiæ expeditæ, ita vt sine illo, nec sit actus, nec *posse* ad illum; secundum vero non se tenet ex parte actus *primi*, seu potentiæ expeditæ, taliter, vt sine illo valeat esse *posse* ad actum; quamvis sine illo actus esse non possit. Primi generis inquit: esse applicationes locales, & intentionales; secundi; applicationem physicæ prædeterminationis. Traditam regulam ratione, & exemplis, inquit, confirmari. Ratione quoad primam partem: scilicet, quod prærrequisitum se habens, vt applicatio *causæ ad causam*, constituat vir-

tu-

tutem expeditam, & se teneat ex parte actus *primi*. Nam, cum effectus dependeat in actu primo ab omnibus suis causis, quousque omnes causæ simul sint, non est *posse* expeditum ad effectum; vnde applicatio vnius *causæ ad aliam*, *posse* cõstituit. Quoad secundam, nempe: applicationem, quæ non est *causæ ad causam*; sed *causæ ad effectum*, non constituere *posse*: quia similis applicatio est applicatio potestatis adæquatæ, quæ sola potest reduci ad actum: ergo illam supponit, & non constituit. Deinde exemplis. Actio enim ideo, licet sit exacta ad effectum non constituit *posse* expeditum ad effectum, quia neque exigitur, vt virtus, neque vt applicatio *causæ ad alteram causam* necessariam ad effectum; sed solum vt causalitas, & productio termini: similiter potentia intellectiva habitu perfecta potest expedite intelligere, & non potest ad actum considerationis exire; nisi adsit voluntatis intentio, quæ se habet, vt mera applicatio extra *posse* expeditum intellectus; non quidem ob aliam rationem, nisi quia motio voluntatis non applicat intellectui causam aliquam intellectionis; sed duntaxat potentiam intellectivam ad actum intelligendi.

154 Distinctio hæc, quæ tamquàm principium, dicitur à suo Authore placitura forte futuris, mihi videtur certo non placere præsentibus. Deficit primo: ex eo, quod existentia virtutis & causæ non applicat causam ad causam; sed est mera conditio (in suppositione distinctionis ab essentia) applicans *esse* virtutis, & causæ ad effectum, ipsumque constituens expeditum *in actu primo*. Similiter subsistentia non applicat causam ad causam; sed expedit eandem virtutem, & causam, vt complementum ipsius. Deficit secundo se ipsam falsificans in prædeterminatione, quæ per se, & per decretum tui est applicatio causæ *secundæ* ad *primam*, & huius ad *secundam*, & tamen physica prædeterminatio per te non est prærrequisitum, quod per modum applicationis se teneat ex parte actus *primi*, & vt expediens virtutem prædeterminatam. Deficit tertio, immerito vocans applicationem ad operandum id, quod neque se habet, vt pura conditio, neque vt influxus actualis; sed vt quid prævium ad influxum, & vt comprincipium, à quo simul cum virtute fluit actio productiva effectus, qualis est physica prædeterminatio influens simul cum voluntate in actionem consensus: vnde potius est principium coadiuvans; quam applicatio: ideoque donec intelligatur prædeterminatio, non intelligitur causa adæquata operationis. Neque exemplum actionis, & intellectus aliquid probat: actio enim applicat causam ad effectum, non vt quid prævium ad actualem influxum; sed vt identicè influxus actualis, quiquidem, vt actus *secundus* debet præsupponere actum *primum* expeditum ad influendum *in actu secundo*; aliàs, vel causa ageret antequàm posset agere, vel saltem ipsum *agere* esset in signo potestatis: vnde tolleretur vera prioritas *naturæ*, & *causalitatis*: non sic physica prædeterminatio, quæ non prærrequiritur ad effectum, vt influxus illius, & vt *quo* tantùm concurrens ad effectum; verum vt quid præcedens ad influxum, & vt *quod* simul cum voluntate produccit effectum. Potentia intellectiva in his, in quibus eget voluntatis imperio, per illud constituitur expedita *absolutè*, quàmvis independenter ab imperio possit habere expeditionem *respectivam*, & quatenus est ex se: modo, quo potentia deambulativa, etsi in se habeat impedimentum, quale habet Paralyticus; non ideo est *absolutè* expedita ad motum, donec adsit imperium voluntatis, ipsum determinans ex parte actus *primi* ad motum *in actu secundo*: quarè falsum est, imperium voluntatis non expedire potentiam intellectivam, si de expeditione *absoluta*, & provt comprehendit intrinsecam, & extrinsecam, sit acceptio.

155 Dices tertio ex eodem: aliam regulam posse præscribi ad dignoscenda prærrequisita, & adiutoria, quæ se tenent ex parte actus *primi*, vt constituentia *posse*, & expeditionem illius: nimirum ea omnia, quæ præcisse sunt *sine quibus* actus non fit; alia vero, quæ vltra hoc, quod est esse *sine quibus* non fit actus, addunt esse *quibus* actus fuit, non constituere *posse* ex necessitate; sed aliquando constituere, & esse ad *posse*; aliquando non constituere, & esse ad solum *agere*. Vnde fit: hanc consequentiam esse rectam: *Prærrequisitum, & adiutorium A est, sine quo non fit actus; & non est, quo fit actus: ergo constituit posse*; vt constituunt cognitio ad eligendum, & amandum; applicatio localis ignis ad comburendum; equus ad æquitandum; navis ad navigandum; pecunia ad emendum;

dum ; & alia huiusmodi. Sicut malam alteram : *est adiutorium, aut prærrequisitum, sine quo non fit actus : & quo fit actus : ergo non constituit posse*: quia falsificatur in principio necessitante, & in visione Beatifica quoad amorem beatificum pertinentibus ad *posse*, etsi sint adiutoria, *quibus* fit actus. Nec non : *est adiutorium, sine quo non fit actus, & quo fit actus: ergo constituit posse*: quia hoc antecedens : *est id, sine quo non fit actus, & quo fit actus*, nec infert determinate, non pertinere ad *posse*, nec determinate, ad *posse* pertinere ; sed cum vtroque est componibile : quod sufficit, vt ex ratione prærrequisiti, & adiutorij ad actum, non bene inferatur constituere *posse* illius.

156 Obscura satis explicatio, & vt ita dicam, irregularis regula. Aut enim prærrequisita, & adiutoria, *sine quibus* non existit actus, & per te constituunt *posse*, aut ad illud pertinent ; id habent, quia sunt adiutoria, & prærrequisita *sine quibus* ; aut quia non sunt adiutoria, & prærrequisita *quo*, aut propter coniunctum? *Si primum*: ergo omne adiutorium, & prærrequisitum constituit *posse* : quia omne prærrequisitum ad actum habet prædicatum, ratione cuius *formaliter* pertinet ad *posse*: scilicet esse id sine quo non fit actus, quod est essentiale omni prærrequisito. *Si secundum*: ergo nullum adiutorium *quo* constituit actum *primum*, quod negas ; cum non habeat defectum prædicati, per quem constituitur in ratione pertinentis ad actum *primum*. *Si tertium* : ergo vbi non sit coniunctum illus prædicati *sine quo*, & carentia alterius *quo*, non est ratio *formalis* pertinendi ad *posse*: sed in omni prærrequisito *sine quo*, & *quo* deficit illud coiunctum: ergo nullum prærrequisitum *sine quo*, & *quo* pertinet ad actum *primum* ; sicque destruis id ipsum, quod asseris. Deinde: per te antecedens, in quo ponitur *prærrequisitum, vt sine quo, & quo*, est indifferens. vt determinate inferat *constituere* actum *primum* præ *non constituere*, vel econtra : ergo vt prærrequisitum *sine quo*, & *quo* non pertineat ad actum *primum*, potius ; quàm pertineat ; alia regula per aliud prædicatum debet assignari, quæ dùm non assignetur, præcisse sistitur in eo, quod alia pertinent ; alia non pertinent ; de quo exigitur ratio ; & post longam explicationem tandem devenimus ad id, quod inexplicatum relinquitur.

157 Ad rationem confirmativam veritatis principij respondet Mag. Lezana prima parte disputatone 7. dubio append. & addit Doctor Castell *clarissime*, quod, *qui vult efficaciter exequi, & non exequitur, non potest*, est verum in providentia *regulari*, in qua dum Deus influit in volitionem imperantem influxu prævio, & applicativo, similiter influit in potentiam exequutivam imperio voluntatis subiectam ; at in providentia *irregulari*, & possibili, in qua, posito influxu in volitionem imperantem, Deus non applicaret potentiam exequutivam, non esse verum ; quia tunc *non exequi* non esset, quia homo non vult, nec quia non potest ; sed quia non vult Deus. Miror viro docto, & ingenioso apparuisse clarissimam solutionem, quæ vix subsistineri potest, nisi captivando intellectum in obsequium Authoris: claritatem investigemus.

158 Ex illa deducitur : quod saltem in providentia *irregulari* est falsum, *qui vult efficaciter, quantum in se est extremum aliquod, & illud non facit, non potest* : vnde subinfertur ; falsum etiam esse: *sic se gerentem in providentia irregulari facere quantum, potest* sicuti verum : *talem in eadem providentia iurè esse punibilem : & reprehensibilem, quia volendo efficaciter quantum in se est facere, quod ipsi incumbit, non facit*: dictumque Augustini supra citati : *non enim possum aliud sentire, esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, facimus*, quod absolutissimè prolatum est, esse absque fundamento vllo in verbis Magni Parentis restringendum, & quasi per contradictorium explicandum : *possum sentire aliud esse in potestate nostra ; quam id, quod cum volumus, facimus* : quæ omnia, si clara sunt, & non potius obscurissima, & fere contra rationis lumen, nescio quid erit obscurum, & rationis principijs violentum. Vlterius: quia videtur se implicare in terminis solutio, dum inquit: illud principium : *qui vult efficaciter exequi, & non exequitur, non potest*, esse verum in providentia *regulari*: ostendo sic: implicat esse verum in providentia *regulari* id, quod si verificetur, impedit providentiam *regularem* : sed *velle efficaciter exequi, & non exequi*, semper impedit providentiam *regularem* : ergo in providentia *regulari* non potest esse verum: *velle efficaciter exequi, & non exequi*, esse *non posse*. Probo minorem. In providentia *regulari* per te semper, ac Deus præparat concursum ad volitionem *reflexam*; præparat concursum ad volitionem *directam*,

tam, seu ad actum potentiæ subiectæ voluntatis imperio: sed data præparatione efficaci Dei ad vtrumque, non potest esse vnum sine alio: ergo semper ac verificetur: esse *velle* sine *exequi*, non est providentia *regularis*.

159 Hinc reflecto: propositionem illam: *qui vult efficaciter, & non exequitur, non potest*, non habere sensum verum: quia in providentia *irregulari* per te est falsa: deinde in providentia *regulari*, vt Adversariorum vtar terminis, *clarissime* probatur: non posse habere veritatem: ergo principium illud absolute est falsum: sed Divus Augustinus vsus est illo principio, vt negari non potest: ergo Divus Augustinus ad ostendendā quid erat in nostra potestate, taliter, vt nihil aliud posset sentire, esse in nostra potestate, vsus est principio falso.

160 Impugnationes reliquas ex principio formatas inquiunt noviores Thomistæ se libenter accipere, vtpote quæ suam doctrinam parem faciunt doctrinæ Augustini, & nostram doctrinæ impugnatorum Augustinianæ sententiæ, qualiter videtur constare ex libro de Correptione, & Gratia, in quo Magnus Parens ipsissima argumenta, quæ nos obiecimus Thomistis, contra se proposuit, & solvit; quorum difficultas, etsi gravissima sit, vt negari non potest, tutius est eam cum Augustino pati; quam sinè eo declinare. Vnde concludit Magister Contenson libro 2. dissertatione 4. capite 2. citatus à Castell. *Quàm grandis consolatio opinioni Thomistarum, nullis argumentis pulsari, quibus impetita non fuerit Augustini sententia! Quàm deploranda desolatio, & quam parum tuta eorum sors, qui non alia in Thomisticam sententiam tela vibrant; quàm quæ in Augustinum adversarij olim sui iaculati sunt! Ne eadem est Augustini, & Thomistarum thesis; si eadem contra vtramque militent argumenta?* Sed ii non rationibus; verum exclamationibus est agendum, quæ apud doctos potius risum, quàm æstimationem solent conciliare, forte aliquis intrepidus pro nobis exclamare auderet.

161 Quàm grandis consolatio Iesuitarum doctrinæ nullis argumentis pulsari, quibus impetita non fuerit ab Hæreticis doctrina Catholica Tridentini erga Liberum Arbitrium creatum! Quàm deploranda desolatio, & quam parum tuta eorum sors, qui non alijs vtuntur solutionibus pro suis defensandis Thesibus de concursu Dei in peccatum, de totalitate habituum, quàm eis, quæ passim inveniri videntur apud Lutherum, & Calvinum, nec alia in Iesuiticam sententiam vibrant tela, & dicteria; quàm quæ in Orthodoxos Autores iaculati sunt veritatis impugnatores! Fælix sententia, quàm toto animo abhorrent, qui à vera Ecclesia deficiunt: Infælix illa, in qua idem censent habere patrocinium. Thesis vere amplectenda, de qua dixit doctissimus Cardinalis Peronius apud Eugenium Philadelphum, & Theophilum Rainaudum citatos à Paulo Leonardo parte 1. sectione tertia numero 15, *quod si oppositum assequerentur Societatis adversarij, se facile assequuturum, vt omnes Germaniæ, & Galliæ Sectarij, eis subscriberent, & suis Chirographis illorum iudicium communirent*: non adeo fœlix, nec substinenda, quæ ad revincendos Hetherodoxos huius temporis, arma propria deponit, & Iesuitarum arripit iacula, vt videre est in fere omnibus controversistis: sileant ergo declamatores isti Contenson, & Castell, donec videamus: an aliquem ex Hæreticis per sua scripta reportent Triumphum, debellato in aliquibus, saltem Calvinismo, & Ianseniſmo. Et quod securius est, inter Authores verè pios, & Catholicos, vt sunt Doctissimi Thomistæ, & Iesuitæ depositis improperijs, bellum modestè rationis, & authoritatis pondere geratur. Verum absint à me similia contra Doctissimos, pios, & Catholicos viros, quorum doctrinam veneratione suscipio.

162 Fiant ergo tantùm inimici domestici eorum, & clamitet Magister Campanella Dominicanus in libro de Prædestinatione, & Reprobatione articulo 1. ita scribens: *quoniam ex Divo Thoma Scholasticorum Principe pugnant non nulli has ipsorum* (scilicet prædeterminatorum) *probari sententias, eumque miris lacerant modis, invitumque trahunt: & Calviniſtæ iam gloriantur typisque mandant concordiam inter Divum Thomam, & Calvinum, statuimus ex dictis filius Divi Thomæ, qui ex cunctorum Doctorum alibi processimus; procedere ad inductionem errorum, ac proinde Centonem efficere Thomisticum adversus Pseudo Thomistas* (loquitur de suis defensoribus prædeterminationis) *veluti Sanctissimo D. Papæ Vrbano* VIII. *dum valde anxiaretur, pollicitus eram, ac simul Christianissimæ Maiestatis oratori Comiti de Brassac, qui se aliunde non posse respondere Hugonotis, neque nostratibus,*

(qui

(qui, etiam nolentes, favent Hæreticis) nisi ex opusculo isto &c. & post pauca : *nostratibus quoque satisfaciendum fuit, vt à Sancti Doctoris penu arma subministraremus, vnde hostes sibi auxilium nostrorum in curia pollicentur.* Fateatur Magister F. Iosephus de Vita præclarus etiam Dominicanus in dedicatione sui operis *de propio, & per se principio, vnde provenit peccatum in actionibus voluntarijs Panormi editi anno 1665*, Divis suis tutelaribus Augustino, & Thomæ, miraculosè per Sanctum Augustinum recuperatam salutem, cum iam deploratus esset, & in gratiarum actionem referat eis impugnationem prædeterminationis erutam, vt dicit ex ipsis Sanctis Doctoribus, à quibus valde distant, qui potius Bañistæ; quàm Thomistæ dici debent: neque hæc furtim, vt ita dicam, vulgata; sed cum approbatione laudatoria Sublimium Magistrorum suæ sacræ Familiæ.

163 Arguat insuper, si placet, Eminentissimus Cardinalis Cœlestinus Sfondratus Benedictinus in suo *Nodo prædestinationis ex Sacris litteris, doctrinaque Sanctorum Augustini, & Thomæ, quantum homini licet, dissoluto*, nuper edito, & dicat : *nec nobis, nec alijs quibuscumque rem bene, citraquè affectum, ac privatum in partes studium consideranti, hanc explicandi gratiæ efficacis (scilicet per prædeterminationem) rationem probari posse. Primo enim quæro: an in Sancto Augustino hanc qualitatem prædeterminantem aliquando repererint, aut non reperierint? Si repererunt; locum aliquem Augustini ostendant: at nunquàm ostenderunt, nunquam ostendent. Si vero nunquàm repererunt: quæ rozo fiducia est in explicanda natura gratiæ, scire aliquid melius velle; quàm sciverit Augustinus? Aut velle quærere, & invenire, quod tanto studio, tanto ingenio, tantaque oratione nunquàm Augustinus invenit?* Et post aliqua. *Secundo : qualitas illa prædeterminans tot difficultatibus implicatur, vt facilius Nodum Gordium, quàm illas exsolvas, vt passim apud Theologos videre est. Sicque Ænigma prædestinationis alio Ænigmate non tàm explicant, quàm obscurant. Ænigma enim Ænigmati additum, sicut obscurum obscuro additum, non facit rem clariorem; sed facit magis obscuram, vt taceam alia mille, quæ nec à doctissimis quidèm hactenus intellecta sunt, & nec forsan ab eorum Authoribus.* Hæc Sfondratus.

164 Nos autem ad rem veniamus, & exploremus, quo titulo ostendant, & suam sententiam esse eandem cum Augustini sententia, & nostrum argumentum idem, quod Monachi Perturbatores Monasterij, in quo erat Valentinus, cui Magnus Parens rescribit per libros de Gratia, & Libero Arbitrio, & de Correptione, & Gratia, inculcabant contra Augustini sententiam. Inquiunt. Si Augustini sententia non esset sententia prædeterminantium dicentium : adhuc, posita gratia, & sufficientia ex parte actus *primi*, requiri aliam gratiam prævium ad operationem, & applicatem infallibiliter ad actum vnice provenientem ex libera determinatione Dei, & per voluntatem creatam nullo modo determinabilem; facile sedasset Monachorum perturbationes ortas ex illo principio : *Si charitatem non accepimus, quid corripimur, quasi nos eam dare nobis possimus, & nostro arbitrio dare nolimus*, dicendo : querellam procedere ex falsa suppositione, qua iudicabant; quod dum charitatem non haberent; eam sibi dare non posse, & tamen iustè corripi ob charitatis defectum; quod falsum erat; siquidem ideo corripiebantur, quia posita libertate per sufficientem gratiam constituta, poterant sibi dare charitatem, quam culpabiliter omittebant: sed Divus Augustinus nil de suppositione dixit : ergo quia suppositionem impotentiæ ad obtinendam charitatem ex vnica sua determinatione ex libertatis suppositione admittebat; & ea admissa, adhuc iudicabat iniustam querellam dicentium : non esse reprehensibiles, qui præcepta non adimplebant ex eo quod neque haberent à Deo defacto, neque possent obtinere, quod necessarium erat ad adimplendum : igitur idem argumentum, quod nos facimus, objiciebant adversarij doctrinæ Augustini, & in eadem sententia, in qua sunt Thomistæ, procedebat Augustinus.

165 Hac persuasione fulciti, & quasi innitentes patrocinio Augustini negant, vllum ex illatis absurdis deduci ex efficacia intrinseca gratiæ, & prædeterminationis necessitate. Neque enim inquiunt, imprædeterminatus ad observationem præcepti, ideo est inculpabilis, aut irreprehensibilis; sicut neque Deus non prædeterminans ad observationem præcepti, impossibilia iubens. Ratio est : quia vt quis sit iure reprehensibilis, & culpabilis in non adimplendo præcepto, sufficit non facere, & non observare, cum possit : sed imprædeterminatus præceptum non adimplet, cùm potest; propterea quod prædeterminatus

determinatione non pertinente ad actum *primum*, carentia eius nullum constitutivum potestatis excludit: ergo imprædeterminatus non observando præceptum, culpabilis est, & iure reprehensibilis. Vlterius non præcipit impossibilia, qui præcipit id, ad quod est proxima, & expedita potentia: sed imprædeterminatus per prædeterminationis defectum non caret potentia proxima, & expedita ad observandum præceptum: nã prædeterminatio, etsi sit exacta ad *agere*, non est requisita ad *posse*: ergo non habenti prædeterminationem necessariam ad observationem præcepti non præcipit Deus impossibile; sed potius proxime factibile per liberam sui arbitrij determinationem.

166 Sed mentem Magni Parentis omnino alienam esse à Thomistarum iudicio; nec argumentum obiectum ex eodem medio, quamvis idem absurdum intendens, processisse mihi plusquam probabile, nè dicam evidens est: motiva huius assertionis legenti committo, & iam expendo. Primò: si argumentum obiectum Augustino ex eodem medio, ac nostrum procebat; & respondens, eandem, ac prædeterminantes sententiam tenebat; cur pro scopo solutionis Magnus Parens assumpsit persuadere: benè componi dignitatem ad iustam reprehensionem in omissione præceptorum, & quod charitas, sicut, & obedientia sit donum datum à Deo, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens?* Quod repetit, & multis modis inculcat toto libro de Correptione, & Gratia: id enim extra assumptum, & alta mens Augustini ad non necessaria, nec obiecta distraheretur: nàm in tali suppositione obijciens non impugnaret componibilitatem iustæ reprehensionis in non obsevantia præceptorum cum eo, quod observantia daretur à Deo in auxilio sufficienti, & cum necessitate gratiæ ad bene operandum; sed incomponibilitatem cum tali modo dandi subsequuto ad gratiam sufficientem per præviam determinationem; cui difficultati non fit satis per ostensionem componibilitatis iustæ reprehensionis in omissione illius, quod à Deo, non nisi per gratiam accipitur, in quo arguens conveniebat; cum vltrà opus esset descendere ad modum particularem dandi, de quo Divus Augustinus non loquitur: ergo nec argumẽtùm obiectum procedebat, vt nostrum, nec defensio suscepta erat pro sententia Thomistarum.

167 Confirmo, & simul formam arguendi Thomistarum retorqueo: vnicus modus evadendi argumentum de iniusta increpatione, quod contra prædeterminatores format Societatis Schola, est recurrere ad gratiam sufficientem constitutivam potestatis, qua data, etsi deficiat modus alter dandi observantiam præceptorum per prædeterminationem, nil deficit ex parte potestatis expeditæ ad observandum præceptum potentià *secundà*, & *primæ* subordinatà: deinde distinguere, quę sint constitutiva actus *primi*, quidque ex parte actus *secundi* se teneat, assignare: sed nil horum facit mens illa clarissima, & formalissima Augustini vnice se convertens ad probandum: observantiam præceptorum ita esse nostram, vt per id non excludatur esse donatam à Deo, quod arguens non negaret, concedens necessariam gratiam, per quam Deus constituitur principalior causa nostræ operationis, vt nos concedimus: ergo quia argumentum non tendebat contra gratiam prædeterminantem, vt ponitur à Thomistis, nec similis gratia in mentem veniebat Magno Parenti.

368 Secundo vrgentius: in sententia prædeterminantium pro solutione nostri argumenti ab iniusta correptione non observantis præceptum desumptum, nec recurritur, nec recurri potest ad ostendendum: hominem non observantem habuisse, & accepisse id, ob cuius defectum prætenditur iniusta increpatio, & reprehensio: patet, quia id, ob cuius defectum intendimus iniustam increpationem reprehensionemque non observantis præceptum, est prædeterminatio ad consensum, quam nullo modo habuit, nec accepit violator præcepti: sed Divus Augustinus pro solutione argumenti sibi obiecti recurrit ad ostendendum eos, qui reprehendi nolebant, aliquomodo habuisse, & accepisse id, propter cuius defectum, & non acceptionem reprehensionem iniustam promulgabant: ergo quia nec argumentum gratiam prædeterminantem impugnabat, nec talis gratiæ Divus Augustinus causam agebat.

169 Minoris probationem det ipse Sanctus Doctor, qui postquam in capitibus vsquead sextum libri de

de Correptione, & Gratia proposuisset motivum rescribendi Valentino Monacho, scilicet solvere dubia oborta ex necessitate gratiæ ad bene, & salutariter operandum, quibus cœtus ille religiosus turbabatur; cum essent aliqui, objicientes: gratiæ necessitatem ruinam proprij arbitrij ita secum trahere; vt inutilis redderetur hortatio, iniusta correptio, & inculpabilis rei præceptæ omissio; propterea quod in omittente deficeret consensus, & obedientia; quæ aliunde; quam ex Deo donata haberi non posset; relato adversariorum argumento, & præmisso: in hoc esse maximè reprehensibiles, quod reprehendi nollent; procedit ad respondendum, & sextum caput incipit per hæc verba: *Nec attendunt, si nondum regenerati sunt primam esse causam, cur obiurgati, quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere: quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua Deus eum primitùs fecit, sua mala voluntate decidens pravus effectus est*: & post aliqua, quæ ad correptionem pravitatis originalis pertinent, quibus ostendit non esse iniustam; subdit immediatè: *Si autem iam regeneratus, & iustificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, non accepi, quia acceptam gratiam Dei, suo in malum libero amisit arbitrio... An adhuc, & iste nolens corripi potest dicere: quid ego feci, qui non accepi, quem constat accepisse, & sua culpa, quod acceperat amisisse?*

170 Quid clarius pro intento, & pro manifestando recursu Divi Augustini ad potestionem illius, ob cuius defectum, arguens inferebat iniustam esse correptionem ex non obedientia præceptorum? Cuius solutio sic procedit: tu inquis, non esse reprehendendus, quando opus sub præcepto impositum omittis; quia non est tibi datum necessarium ad illius observationem: sed tibi datum est in vtroque statu, scilicet *regenerati*, & *non regenerati* necessarium, vt in bono perseveralles: ergo ex te ipso convinceris ad fatendam iustam reprehensionem, quando per violationem præcepti devias à bono: vnde liquet; quàm immerito asseratur non esse de mente Sancti Augustini principium in argumento attactum; *qui nec habet formaliter, nec virtualiter in potestate adquirendi necessarium ad actum, nō est potens ad actum*; cum in modo respondendi principium intactum relinquat, & eo supposito, malam applicationem illius per falsam arguentis suppositionem impugnet.

171 Tertio ex his, quæ docet libro de Gratia, & Libero Arbitrio directo etiam ad eundem Valentinum propter dissensiones Monachorum, & ad eas extirpandas, quæ præ reliquis debent vim facere ad cognoscendam mentem Augustini circa gratiam necessariam ad bene operandum, & quæ cum dominio libertatis componitur. Nam cum finis tractatus sit ostendere fœdus amicabile gratiæ, & arbitrij, & id aliter assequi nequeat, nisi proposita natura, & conditione vtriusque; clarum fit: Sanctum Doctorem nil omisisse ex his, quæ conducunt; vel, vt homo de proprio arbitrio non desperet, vel, vt ratione illius non adeò superbiat, vt adiutorio gratiæ Dei locum non relinquat, nolens in Deo, à quo bonam voluntatem accipit; sed in se ipso gloriari. Duce igitur Augustino, procedo. Non est gratia prædeterminans ea, sine qua nil boni agere possumus, neque ea, qua deficiente, & Deo non adiuvante, sine titulo, & causa iuberetur; sicut neque illa, quæ omni, cui iubetur, semper adest: sed gratia, quam agnovit Divus Augustinus, vt necessariam ad salvandam subiectionem liberi arbitrij creati Deo, vt Domino, à quo omne donum perfectum descendit, est gratia, sine qua nil boni facere possumus; qua deficiente, sine causa iuberetur; & quæ omni, cui iubetur, semper adest: ergo gratia, quam agnovit Augustinus, non fuit gratia prædeterminans.

172 Maior est certa ex prædicatis ipsis, quæ tribuunt Thomistæ gratiæ prædeterminanti, quę non constituit *posse*; ac proinde sine ipsa datur *posse* bene operari, quæ deficit infrangente præceptum, permanente adhuc causa, vt ipsi iubeatur, & sit reprehensibilis; quia legem non observat, quę non semper adest in illo, cui iubetur: nàm qui peccat contra præceptum, est ille, cui iubetur; & tamen in illo non est gratia prædeterminans ad opus per præceptum iniunctum. Probo minorem per partes: quoad primam ex capite 4. per hæc verba. *Proinde Charissimi, sicut superioribus testimonijs Scripturarum probavimus Sanctarum ad bene vivendum, & rectè agendum esse in homine liberū voluntatis arbitriū: sic etiam de gratia Dei sine qua nil boni agere possumus, quæ sint divina testimonia videa-*

mus : ergo gratia , quam Divus Augustinus componere cum libero arbitrio curabat , non alia erat ; quàm illa, *sine qua nil boni agere possumus.* Quoad secundam ex eodem capite 4. fine: *Homo ergo gratia iuvatur , nè sine causa voluntati eius iubeatur* : ergo gratia , quæ ex testimonijs Scripturæ iuxta Augustinianum iudicium erui potest ad probandam dependentiam arbitrij, ea est sola, *qua non adiutus homo , sine causa voluntati eius iuberetur.* Quoad tertiam ex capite 15. vbi componit duo Ezechielis dicta : vnum capite 11. *Auferam ab eis cor lapideum ; & dabo eis cor carneum* ; alterum capite 18. *Proijcite à vobis omnes impietates vestras , quas impiè egistis in me, & facite vobis cor novum , & spiritum novum , & facite omnia mandata mea.*

173 Super quæ (inquit) *Meminerimus Deum dicere, proijcite à vobis omnes impietates vestras , cum ipse iustificet impium : meminerimus ipsum dicere: facite vobis cor novum , & spiritum novum , qui dicit dabo vobis cor novum , & Spiritum novum dabo vobis. Quomodo ergo, quod dicit, facite vobis : hoc dicit , dabo bobis ? Quare iubet, si ipse daturus est ? Quare dat , si homo facturus est ; nisi quia dat , quod iubet , & adiuvat , vt faciat , cui iubet ? Semper est autem in nobis voluntas libera ; sed non semper est bona.* Attende; semper Deus ex mente Augustini *dat quod iubet , & adiuvat , vt faciat , cui iubet* : sed si modus dandi , & adiuvandi includeret gratiam prædeterminantem , non semper Deus daret , quod iubet , nec adiuvaret , vt faciat , cui iubet , vt constat in omni , qui cum iubeatur , non adimplet præceptum: ergo gratia , de cuius necessitate , & componibilitate cum arbitrio disputabat Augustinus , erat gratia , quæ omni , cui iubetur , semper adest , & minime gratia prædeterminans. Confirmatur. Eam gratiam solũ volebat Sanctus Doctor cum libertate componere, vt constat ex initio eiusdem capitis , de qua clare constat : per Deum non stare homines non proijcere iniquitates , quas impiè egerunt ; nec facere sibi cor novum per mandatorum observationem , cum Deus nolit mortem peccatoris ; sed quod convertatur , & vivat : sed de sola gratia , quæ semper adest ; non de prædeterminatione , quæ iuxta suos defensores multoties ex parte liberæ diuinæ voluntatis deficit, id verificatur: ergo solam gratiam non prædeterminantem admisit necessariam , vt opera bona sint à Deo nobis donata , & de eius componibilitate cum libero arbitrio tantum egit.

174 Videas iam rogo ex labore suscepto indagandæ mentis Magni Parentis Augustini : an argumentum ipsi obiectum de iniusta increpatione , sit idem , quod nos obijcimus Thomistis ; & an ex eodem capite in libro de Correptione , & gratia illud sumpserit respondendum ? Vtque radicitùs scias , & argumentum, & sententiam eorum , quorum obiecta proponebantur Augustino , vt solveret , lege , si placet , introductionem libri de Gratia , & Libero Arbitrio ad eosdem directum , vbi sic : *Sed quoniam sunt quidam , qui sic gratiam Dei defendunt , vt negent hominis liberum arbitrium : aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium : hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater , & cæteri , qui simul Deo seruitis , compellente mutua charitate , curavit.* Itaque putabant , vt bene notavit Paulus Leonardus parte 2. ad expostulationes contra scientiam mediam sectione 6. quod sicut vaticinari , aut edere miracula non est opus nostræ libertatis ; quia neutrum potestatis nostræ *naturalis* est : sic quidquid à gratia penderet , & media illa , nobis esset a Deo donatum , non opus arbitrij ; sed Dei necessitantis esset censendum : vnde subinferebant iniustam increpationem illius , qui non operabatur rectè; in quo non apprehendebant; quomodo posset esse sufficientia gratiæ sine operatione : quem errorem in vtroque libro eliminare totis viribus conatur Augustinus ; retinens tamen veritatem illius principij : *Quod qui nec actu , nec virtute habet necessaria ad actum , impotens est ad illum* : quo manet præcisus additus Thomistarum solutionibus , quibus salvare nituntur , data gratia ab intrinseco efficaci , & prædeterminante, nec esse iniustam reprehensionem frangentis præceptum , nec Deum præcipere impossibilia.

175 Quintum fundamentum. Id, quod tollit determinationem liberam voluntatis esse à voluntate , vt libera, libertatem voluntatis destruit: sed gratia ab intrinseco efficax , & prædeterminans tollit determinationem liberã voluntatis esse à voluntate, vt libera:

ergo

ergo destruit libertatem. Maior est certa: nam si determinatio liberæ voluntatis non est à voluntate, vt libera, erit à voluntate, vt necessitata, vel vt præscindente à libera, & necessitata: quo fiet, vt libertas, quatenus talis, nullum habeat dominium; cum, vt talis, nullum habeat vsum dominij, qui non distinguitur à libera sua determinatione. Probo minorem: gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans ad consensum v.g, tollit: determinationem liberam voluntatis ad consensum oriri a voluntate, vt indifferente: ergo tollit: determinationem liberam voluntatis esse à voluntate, vt libera. Antecedens constat in doctrina Thomistarum: alius ab indifferente, vt indifferenti, posset oriri determinatio, quod esset falsificare principium ipsis sacrum. Probo consequentiam. Id tollit: determinationem liberam voluntatis esse à voluntate, vt libera, quod determinat veritatem huius consequentis in syllogismo recto: *Voluntas, vt libera non se determinat: sed gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans id facit: ergo tollit: determinationem liberam voluntatis, esse ab ipsa, vt libera.* Probo minorem hoc syllogismo secundi modi primæ figuræ: *Indifferens, vt indifferens, non se liberè determinat: sed voluntas, vt libera, est indifferens, vt indifferens: ergo voluntas, vt libera, non se libere determinat.*

176 Respondebis primo per instantiam in altero syllogismo, in quo, servata eadem forma, non bene concluditur: scilicet: *rationale, vt rationale, non est principium sentiendi: homo, vt homo, est rationale, vt rationale: ergo homo, vt homo, non est principium sentiendi.* Sed contra: nam si in hoc syllogismo non reduplicetur sensus *formalis*; verùm reduplicatio accipiatur in sensu *reali*, bene concluditur, quamvis falsa sit propositio maior. Ideo vt omnis æquivocatio auferatur, sensum reduplicationis explico in primo syllogismo sub his terminis: *Indifferens, vt indifferens realiter, non se libere determinat. sed voluntas, vt realiter libera, est indifferens, vt indifferens realiter: ergo voluntas, vt realiter libera, non se libere determinat.* Respondebis secundo. Syllogismum in eo sensu esse rectum; sed falsam maiorem: nam indifferens, vt indifferens *realiter*, est voluntas, quæ se determinat, & à qua, dum adest libertas, oritur determinatio. Bene: ergo principium illud toties proclamatum: *Ab indifferente, vt indifferente non potest oriri determinatio* in sensu *reali* est falsum, & solum continet veritatem quamdam impertinentem; videlicet: conceptum indifferentiæ ex se non arguere potentiam se determinandi; alias intellectus dum ob defectum motivi, vt accidit in opinabilibus, est indifferens ad vtrumvis, posset se determinare absque imperio voluntatis. Ex quo nil ad propugnandum: libertatem creatam absque prævia determinatione Dei non posse prodire in suum actum; quia ab indifferenti, vt indifferenti non potest oriri determinatio: nàm licèt indifferens ex se non arguat posse determinari; ex contractione ad alia prædicata poterit exigere potentiam se determinandi.

177 Explico, & vrgeo reducendo formam ad syllogismum expositorium. *Hoc indifferens repertum in hac voluntate, vt libera hac determinata libertate, vt indifferens realiter adæquate sumptum, non potest se determinare: hæc voluntas, vt libera adæquatè sumpta hac determinata libertate, est hoc indifferens, vt indifferens realiter adæquatè sumptum: ergo hæc voluntas, vt libera adæquatè sumpta hac determinata libertate, non potest se determinare*; ac proinde neque vt libera: quia inadæquatum voluntatis, vt liberæ, non est voluntas, vt libera; cum partes libertatis non participent libertatis conceptum: sicut constitutiva hominis non participant conceptum hominis *physicè* sumpti, quando *inadequate* tantùm considerantur.

178 Respondebis tertio: ab indifferenti, vt indifferenti tam *intrinsecè*, quàm *extrinsecè* non posse oriri determinationem; bene tamen ab indifferenti, vt indifferenti tantùm *intrinsecè*: idque probant syllogismi facti. Quapropter libertas, vt *intrinsece* indifferens se determinat; secùs vt indifferens *extrinsecè*: quia eget prius determinari à Deo; quæ determinatio est extrinseca libertati, vtpotè non pertinens ad constitutionem illius; sed relinquens actum *primum* plenè indifferentem. Contra tamen: nàm indifferentia propria libertatis, vt talis, est indifferentia *intrinseca*, & *extrinseca*: ergo si libertas, vt libertas est, debet se determinare, ipsa, vt indifferens tam *intrinsecè*; quam *extrinsecè* debet se determinare. Probatur antecedēs: nam si pro libertate, vt tali, non requireretur indif-

ferentia tàm *intrinseca*, quàm *extrinseca*, intellectus in dubijs, & opinabilibus haberet indifferentiam propriam libertatis; cum pro tali casu sit *intrinsece* indifferens, & tantum ab extrinseco per voluntatis imperium determinetur: ergo indifferentia propria libertatis, vt talis, est indifferentia *extrinseca*, & *intrinseca*. Contra deinde: quia si libertas, vt libertas, exigit, vt determinetur determinatione prævia *extrinseca*, ipsa vt libertas est, habet determinationem, vt non aliter se exerceat; quam vt determinata *extrinsecè*: ergo neque, vt *intrinsecè* indifferens, se determinat. Probo consequentiam. Non determinatur, vt *intrinsecè* indifferens, id, quod, quando determinatur, exigit ab intrinseco, & per sui essentialia, esse propriori determinatum; etenim quod ab intrinseco est determinatum ad determinationem, non est indifferens ab intrinseco: sed libertas, vt libertas, exigit ab intrinseco, & per sui essentialia determinationem propriori ad suum exercitium: ergo neque, vt *intrinsecè* indifferens, se determinat.

179 Respondebis quarto: argumentum factum esse contra doctrinam claram, & principium stabilitum à Divo Thoma: vnde eius inefficacia manifestatur. Assumptum constat ex his, quæ docet Sanctus Doctor prima parte quæstione 2. artic. 3. & quæstione 19. articulo 3. ad quintum 1. 2. quæstione 9. articulo 4. in corpore: in quibus iam dicit: *Id quod quandocumque est agens actu, quandoque in potentia, indiget, vt moveatur ab aliquo, quod sit purus actus*: iam, quod *Ab eo, quod se habet ad vtrumvis, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio moveatur*: iam denique *A principio indifferenti, vt tali non esse rationem, cur hoc potius fiat, quàm aliud*: ergo sentit, quod à voluntate, prout indifferente, nisi ab alio præmoveatur non potest esse aliqua determinatio: cuius oppositum argumentum nostrum intendit.

180 Mentem Divi Thomæ circa hoc axioma, quod ipse loco citato primæ partis quæstione 19. fatetur acceptum à Commentatore libro 2. Physicorum, latè versant nostri Doctores: videantur Eximius Suarius tomo 2. de Gratia libro 3. capite 50. numero 1. & 2. Ruiz de voluntate Dei disputatione 49. sectione 1. numero 1. Fasolus prima parte quæstione 14. articulo 13. dub. 17. numero 421. Iosephus Augustinus prima parte quæstione 14. articulo 13. difficultate 3. numero 51. Izquierdo tomo 2. de Deo disputatione 30. quæstione 9. propositione 6. numero 409. Ex quibus alij dicunt cum Scoto 2. distinctione 25: Principium solum tenere in principijs, & potentijs, quæ non habent dominium suæ actionis; secùs verò de potentia perfecta, & habente dominium sui actus: quod alij explicant dicentes: esse verum de indifferentibus indifferentia *incompletionis*, qualem habet intellectus in dubijs, & potentia visiva ex se ad videndum hoc, & illud obiectum, donec accedat, vel imperium voluntatis, vel species determinativa; falsum verò de indifferentibus indifferentia *dominij*. Explicant alij: sensum axiomatis prout à Commentatore non esse: indifferens, vt indifferens non posse determinari, quin ab alio determinetur; sed quin ab alio inclinetur; & ideò Sanctum Thomam non vsum fuisse constanter voce *determinationis*, iam dicendo debere *determinari*, iam *inclinari*, seu *applicari*, quod præparationi omnipotentiæ convenit rectè, quamvis sit indifferens; quisque tamen suam principij expositionem conatur cum intelligentia Divi Thomæ conciliare: quos sensus licet latè impugnet Mag. Fr. Iosephus de Vita Dominicanus; nihilominus in hoc cum nostris convenit asserens ferreo dictamine: longè fuisse à sententia Sancti Thomæ, indifferens, vt indifferens, per physicam prædeterminationem esse determinandum.

181 Duo mihi certa sunt pro vera intelligentia axiomatis ad mentem Divi Thomæ: *vnum*: non excipere ab illo causas liberas; comprehendendo tantùm causas necessarias; sed tàm liberas; quam necessarias comprehendere, & de vtrisque intendere aliquo vero sensu significare, quod ab ipsis, vt indifferentibus non potest oriri aliqua determinatio. *Alterum*: rationem, quare indifferens, vt indifferens, non possit determinari absque prævia alterius determinatione, non esse præcisse ex conceptu indifferentis, vt talis *in genere*; sed ex conceptu *talis* indifferentis, scilicet creati, & contingentis. Vtrumque colligo ex citato textu primę partis quæstione 19. artic. 3. vbi quintum argumentum sic proponit: *Ab eo, quod est ad vtrumlibet non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 2. Physicorum. Si ergo voluntas Dei in*

ali-

aliquibus se habeat ad vtrumlibet, sequitur, quod ab aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habet aliquam causam priorem. Cui argumento respondet. *Ad quintum dicendum, quod causa, quæ est ex se contingens oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Vnde constat primum: nam si Divus Thomas non iudicaret causas liberas, & necessarias esse comprehendendas sub Commentatoris axiomate; minimè redderet disparitatem inter causam *primam* liberam necessariam, & causam *secundam* liberam contingentem; sed absolute diceret: prædictum principium non tenere in causis liberis, solumque comprehendere causas necessarias: hoc non facit: ergo quia sentit solum esse excipiendam *primam* causam liberam.

181 Constat secundum quatenus si conceptus indifferentis, vt talis genericè accepti ferret secum impotentiam se determinandi absque determinatione alterius, nullius indifferentis faceret exceptionem; vtpotè comprehensi sub ratione generica, & vniversali *indifferentis*. Neque insuper recurreret ad contingentiam in existendo, quæ esset quid omnino impertinens, si extra ipsam in sola ratione, & conceptu *indifferentis* inveniretur titulus ad indigendum determinatione alterius: sed Divus Thomas, vt visum est, excipit divinam voluntatem in his, ad quæ indifferenter se habet, & addit: contingentiam causæ quoad se, & in existendo esse necessariam, vt sub tali principio comprehendatur: ergo censet: rationem indifferentiæ *genericè* acceptæ non esse sufficientem ad inferendam impotentiam se determinandi, nisi ab alia causa determinetur; dummodo non contrahatur per aliud prædicatum *contingentiæ in existendo*, per quod constitur in ratione indifferentis *defectibilis*.

183 Censeo insuper ex verbis Divi Thomæ non posse deduci: determinationem, quam reputat necessariam in agente indifferenti creato, esse prædeterminationem intrinsecam; tum quia modum determinationis non explicat; inferens tantum, *quod causa, quæ est ex se contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*: tum quia quæstione 1. de Virtutibus articulo 9. in corpore, eam videtur positivè excludere, inquiens. *Ea, quæ sunt ad vtrumlibet, non habent aliquam formam, ex qua inclinentur ad vnum determinate; sed à proprio movente determinantur ad aliquod vnum*: at si indifferens ad vtrumlibet determinaretur per physicam prædeterminationem; haberet aliquam formam, ex qua inclinaretur ad vnum determinatè: ergo determinatio, quam agnoscit necessariam, vt indifferens se determinet, non est forma intrinseca prædeterminativa.

184 Ex his fit mihi valde suasibile: determinationem, de qua loquitur Divus Thomas, quamque necessariam iudicat, vt causa creata, sivè *libera*, sivè *necessaria*, ea ratione, qua est indifferens inclinetur; & determinetur ab aliquo exteriori ad effectum esse determinationem *quoad individuum* ex vi concursus præparativi omnipotentiæ cum determinatione ad vnum inviduum præ alio. Probatur. De ea determinatione intelligit Divus Thomas axioma Commentatoris, quæ exigitur à causa indifferente etiam, prout completa ex parte sui propter contingentiam sui *esse*; & quia secunda, & creata est; vlteriusque cum libertate benè componitur: sed determinatio *quoad individuum* est quæ exigitur à causa indifferente etiam ex parte sui completa propter contingentiam sui *esse*, & quia secunda, & creata est, & insuper cum libertate bene componitur: ergo determinatio, de qua loquitur Divus Thomas, est determinatio *quoad individuum*. Maior videtur certa quoad vtrãque partem: *quoad primam*: quia sic exprimit Divus Thomas: *quoad secundam*; quia comprehendit sub eo principio causam liberam. Probatur minor. Ea determinatio exigitur à causa indifferente ex se completa contingente, & *secunda*, qua tali, per quam subijcitur *primæ* causæ, in quantum potest sine præiudicio causæ liberæ indifferentis: sed per determinationem *quoad individuum* subijcitur Deo, in quantum potest omnis causa indifferens, etiam ex se completa, contingens, & secunda sine libertatis præiudicio: ergo determinatio *quoad individuum* est quæ exigitur à causa indifferente, etiam ex parte sui completa propter contingentiam sui *esse*, & quia secunda, & creata est; vlteriusque cum libertate bene componitur. Probatur minor. Omnis causa indifferens adhuc

proùt ex se completa, claudit *necessariam*, & *liberam*: sed *necessaria* propter determinationem, quam ex se habet *quoad speciem effectus*, tantùm manet determinabilis extra se *quoad individuum*; & *libera* propter dominium sui actus solum admittit subiectionem ad determinationem alterius componibilem cum electione dominativa proprij exercitij, qualis est determinatio *quoad individuationem*: ergo per determinationem *quoad individuum* subijcitur, Deo in quantum potest omnis causa indifferens contingens, & *secunda* adhuc prout ex se completa sine vllo libertatis præiudicio.

185 Amplius explico, & confirmo. Ea indeterminabilitas debet reputari de conceptu omnis causæ *secundæ* indifferentis, qua talis, quæ invenitur in omni causa *secunda* etiam prout completa ex parte sui, & agentis secundi; & quæ conducit, vt strictius subijciatur *primæ* causæ, non solum quoad *esse*; sed quoad *operari*: at indifferentia, & indeterminabilitas ex se *quoad individuum* invenitur in omni causa *secunda*; & negari non potest conducere, vt strictius subijciatur dominio *primæ* causæ non solum quoad *esse*; sed quoad *operari*: ergo indeterminabilitas ex se *quoad individuum* censenda est ea, quam Divus Thomas admittit in omni causa, intulitque ex conceptu causæ *secundæ*, verificando in ipsa, *Quod ab indifferenti, vt indifferenti, non potest oriri determinatio, nisi ab alio exteriori agenti inclinetur, & determinetur.* Sed quid immoror? Ipse Divus Thomas dubitationem omnem abigat dicens libro 2. contra gentes capite 21. *Omne igitur agens finitum præsupponit ad suam actionem hoc, vnde causatum suum individualiter subsistit.*

186 Replicabis primò. Causa indifferens indifferentia *libertatis*, in tantum non se determinat *quoad individuum*, in quantum non habet cognitionem discretivam inter vnum, & aliud individuum; quod si eam haberet, dum sit ex illis, cui indebita est talis cognitio; aut eam habeat, si ex illis sit, cui debita est talis cognitio; sicut se determinat *quoad speciem*, quam discernit, posset se determinare *quoad individuationem*, proùt indifferens ad illam. Deinde causa *necessaria* non determinatur *quoad individuationem*; quia non habet connexionem cum vno individuo; potius quàm cum alio, nec vnum plus expedit, aut satisfacit exigentiæ, quam habet operandi: ergo quod causa indifferens, vt talis, exigat determinari ab alia causa *quoad individuationem*, non provenit ex conceptu *secundæ*, & subiectione debita *primæ* causæ, in qua fundavit Divus Thomas necessitatem determinationis; verùm ex alijs capitibus. Sed contra. Nam quod attinet ad causam *secundam* indifferentem indifferentia *libertatis*, quamvis defectus cognitionis discretivæ individuorum sit sufficiens titulus, vt ex se nequeat determinari, quin ab altero determinetur; non est vnicus, nec requisitus; propterea quod independenter ab illo sit in causa *secunda* impotentia se taliter determinandi; vt esset in causa, quæ sivè debitè, sivè indebitè discerneret individua, de qua iudico indigere adhuc determinatione Dei, vt vnum individuum præ altero eligeret.

187 Ratio mihi est: quia causa secunda *libera* debet constitui subiecta Deo quoad suam determinationem omni ea subiectione, quæ compatibilis sit cum libertatis dominio, & actionis imputabilitate: sed determinatio *quoad individuum* est subiectio compatibilis cum libertatis dominio, & actionis imputabilitate, vt patet in omni causa, quæ non discernit inter individua: ergo etiam in causa, quæ habeat cognitionem discretivam, etiam est concedenda; non minus, quàm subiectio ad simultaneum concursum Omnipotentiæ, in qua nulla fit exceptio; quia oritur ex conceptu causæ *secundæ*, & subordinatæ. Quod ad causam *necessariam* spectat; verum est: indeterminabilitatem ex se *quoad individuum* provenire ex eo, quod non habeat connexionem cum vno individuo determinatè accepto; cæterum hic defectus connexionis, per quem *formaliter* constituitur indiferens ad plura, provenit ei ex conceptu causæ *secundæ* contingentis quoad *esse*, quæ propter summam subiectionem ad primam in operando repugnat determinationi ex se, & exigit determinationem ab alio *quoad effectus individuationem.*

188 Replicabis secundo. Si determinatio causæ indifferentis ab agente exteriori proveniens intelligenda foret de determinatione *quoad individuum*, causa libera indifferens *quoad speciem* posset determinari per se absque determinatione alterius agentis ad speciem

ciem actus; quod est contra doctrinam Divi Thomæ dicentis: ab indifferenti, vt indifferenti non posse exire determinationem, quin ab alio determinetur ea ratione, qua indifferens est, vt constat ex libro 6. Metaphysicorum lectione 2. ibi. *Contingens ad vtrumlibet non potest esse causa in quantum huiusmodi. Secundum enim quod est ad vtrumlibet habet dispositionem materiæ, quæ est in potentia ad duo opposita*: sed causa libera indifferens non solum est indifferens *quoad individuum*; sed *quoad speciem*: ergo non tantum est determinabilis *quoad individuum*, verum *quoad speciem*: quapropter de alia determinatione, quæ non sit *quoad individuum*, axioma propositum est vsurpandum.

189 Sed contra est: quia, vt indifferens *quoad speciem* non sit determinabilis per se *in quantum huiusmodi*, nisi accedat determinatio alterius; non opus est, quod determinabilitas ab extrinseco sit *in quantum huiusmodi*, id est, *quoad speciem*; sed in alia linea, à qua dependet determinatio *quoad speciem*, quæ non potest existere, nisi contracta ad individuum: ideo mala consequentia est: *Indifferens quoad speciem non potest determinari; nisi ab extrinseco determinetur: ergo determinatio ab extrinseco debet esse quoad speciem.* Non aliter ac est mala consequentia. *Actio formaliter non potest existere sine termino: ergo terminus requiritur, vt quid formaliter pertinens ad actionem.* Optimè igitur dixit Divus Thomas: agens indifferens ad vtrumvis non posse determinari *in quantum huiusmodi*, nisi aliundè determinetur; quod præcisè sonat dependentiam in quacumque linea; quin dixerit: determinationem debere esse *in quantum huiusmodi*; quod vltra dependentiam innuit determinationem eiusdem lineæ.

190 Replicabis tertiò ex Mag. Albarez. Nulla causa ex se indifferens, & sub omni modo, quo est ex se indifferens, potest ex se determinari: ergo omnis indifferentia ex se tam *quoad speciem*, quàm *quoad individuum* exigit extrinsecam determinationem. Probatur antecedens. Esse indifferentem in quacumque linea, & per se determinari, est esse indifferentem sua natura, & sua natura determinatam; quod chymæra est: nàm determinari per naturam, est connecti cum effectu; quod cum indifferentia ex natura non componitur; propterea quod indifferentia, & connexio sint prædicata repugnantia respectu eiusdem, & ad idem comparata. De hac replica iure dixit Pater Izquierdo esse nullius momenti, & quia probat contra divinam libertatem, quæ ex se est indifferens, & à se, & per se determinatur; & quia nimis probat erga libertatem creatam; de qua convincit: nullo modo determinari à se, & perse; ne cogatur concedere determinari ex sua natura, ideoque esse connexam cum sua operatione. Quare pro omnibus est detegenda æquivocatio, quæ latet in illo termino *determinare per naturam, & ex sua naturâ*, qui, si significet determinationem ad vnum similem ei, quam habet ignis ad comburendum, non potest convenire causæ indifferenti indifferentia *libertatis*; at si denotet: voluntatem natura sua esse talem, vt positis reliquis ex parte actus primi indifferentis necessarijs, possit se in vtramque partem flectere, & prout libuerit operari; ita veritatem continet, & nullam repugnantiam cum indifferentia dicit *determinari ex sua natura.*

191 Ne vero determinatio hæc *quoad individuum*, quam concedimus, tam in causa *libera*; quam in *necessaria*, siniistram aliquam intelligentiam pariat minus faventem nostris principijs, quibus gratiam ab intrinseco efficacem, & prædeterminantem impugnamus; sciendum est discrimen intercedens inter determinationem, qua Deus determinat *quoad individuum* causas *liberas*, & *necessarias*: has enim determinat *positivè*; illas vero *negativè* tantùm. Determinatio *negativa* competens causis *liberis* consistit in eo, quod cum Deus præparat concursum suæ omnipotentiæ, nolit esse præparatum ad reliqua individua præter *A.* v. g; non tamen determinando *positivè* esse *A*; sed id relinquendo electioni creaturæ per determinationem *quoad speciem actus*; quæ non potest stare sinè individuo: vnde hæc determinatio reputanda non est *absolutâ* respectu individui *A*; cum non connectatur absolutè cum existentia individui *A*; sed quasi *conditionata*, & tantum habens connexionem cum eo, quod si voluntas determinetur intra illam speciem actus; sit in illo individuo; ideo rectè componitur cum carentia illius individui; quia componitur cum eo, quod voluntas nolit operari intra illam speciem. Determinatio *positiva* causæ *necessariæ* dicitur talis; quia non solum continet exclusionem aliorum individuorum præter *A*; sed *positivam* connexionem

cum

cum exiſtentia ſpeciei effectus in individuo *A* propter inſeparabilitatem ab illo. Et ratio eſt: quia cum cauſa *neceſſaria* ſit determinata ad ſpeciem effectus, & ſpecies nequeat exiſtere niſi in aliquo individuo; per conſequens eſt determinata ad aliquod individuum *vage* ſumptum: qua determinatione *vaga* ſuppoſita, Deum præparare concurſum ſuæ omnipotentiæ cum excluſione aliorum individuorum præpter *A*; eſt *poſitivè* determinare ad *A* per præparationem inſeparabilem ab exiſtentia illius.

192 Sciendum etiam eſt, quare non concludant illi ſyllogimi, qui primo aſpectu videntur recti, & probare contra nos, aut cauſam indifferentem ſe determinare *quoad ſpeciem*, & *individuum*, aut neque *quoad ſpeciem*, neque *quoad individuum* ex ſe habere vllam determinationem: ſcilicet *ſpecies eſt realiter individuum: cauſa indifferens ſe determinat quoad ſpeciem: ergo ſe determinat quoad individuum.* Vel modo inverſo: *ſpecies eſt realiter individuum: cauſa indifferens non ſe determinat quoad individuum: ergo neque quoad ſpeciem*; quorum defectus conſiſtit, vel in eo, quod quoties extremitas vna identificatur, vel repugnat medio non *abſolutè*; ſed *ſecundum aliquam reduplicationem*, extremitates non identificantur, aut repugnant inter ſe, niſi ſub eadem reduplicatione: vt patet in ſequentibus ſyllogiſmis. *Exigentia materiæ primæ eſt realiter capacitas: ſed capacitas materiæ primæ eſt ad plures formas: ergo exigentia materiæ primæ eſt ad plures formas: perfectio duorum hominum eſt realiter ſimilitudo duorum hominum in natura: ſimilitudo duorum hominum in natura eſt æqualis ſimilitudini duorum Angelorum eiuſdem ſpeciei in natura: ergo perfectio duorum hominum eſt æqualis perfectioni duorum Angelorum: Maioritas quantitatis palmaris ad ſemipalmarem eſt realiter minoritas quantitatis ſemipalmaris ad palmarem: ſed maioritas eſt quantitatis palmaris ad ſemipalmarem: ergo minoritas eſt quantitatis palmaris ad ſemipalmarem. Diſiunctio eſt realiter copulatio in hoc actu indiviſibili: Petrus, & Paulus currunt, Ioannes, vel Antonius ſedet: ſed copulatio eſt Petri, & Pauli: ergo diſiunctio eſt Petri, & Pauli.*

193 In quibus omnibus, & alijs, qui formari poſſent, non eſt concluſio deducta de identitate *abſolutâ* extremitatum inter ſe; cum ſub hac conſideratione ſit peſſima illatio; ſed ſub *reduplicatione*, qua vna extremitas identificatur cum medio: vnde ſimiliter in ſyllogiſmis obiectis concluſiones illæ, *ſe determinat quoad individuum: non ſe determinat quoad ſpeciem*, ſunt illegitimæ, ſi *abſolute* intelligantur; tenent vero, ſi *ſub reduplicatione; ſe determinat quoad individuum ſpecifice; non ſe determinat quoad ſpectem individualiter*, intelligantur; quo ſemper manemus intra idem aſſertum, videlicet: cauſas indifferentes ſe determinare *quoad ſpeciem*; non *quoad individuum.*

194 Vel quia ſi explicentur termini: *determinationis quoad ſpeciem: determinationis quoad individuum: non determinationis quoad individuum: non determinationis quoad ſpeciem*: clare apparent quatuor termini in propoſitis ſyllogiſmis. Namque *determinatio quoad ſpeciem*: eſt ponere, vel liberè, vel neceſſario prædicata ſpecifica actus ſine indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliarum ſpecierum: *determinatio quoad individuum* eſt non ſolum ponere, vel liberè, vel neceſſario individuationem actus; ſed ſine indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliorum individuorum: *non determinatio quoad individuum*; eſt ponere individuationem actus, vel libere, vel neceſſario cum indigẽtia excluſionis *extrinſecæ* aliorum individuorum: *non determinatio quoad ſpeciem*: eſt ponere, vel liberè, vel neceſſariò ſpeciem cum indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliarum ſpecierum; eumque indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliorum individuorum intra eandem ſpeciem diſtinguatur realiter ab indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliarum ſpecierum; & non indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliarum ſpecierum, diſtinguatur realiter à non indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliorum individuorum intra eandem ſpeciem; ſemper arguitur ab identitate reali eorum, quæ identificantur, ad identitatem realem eorum, quæ realiter diſtinguntur, vt ſunt indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliarum ſpecierum, & indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliorum individuorum intra eandem ſpeciem: non indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliarum ſpecierum, & non indigentia excluſionis *extrinſecæ* aliorum individuorum intra eandem ſpeciem.

195 Iam vide improportionem ſyllogiſmorum: *ſpecies eſt realiter individuum: cauſa indifferens ponit ſpeciem ſine indigentia excluſionis extrinſecæ aliarum ſpecierum: ergo ponit individuationem ſinè indigentia excluſionis extrinſecæ aliorum individuorum intra eandem ſpeciem.* Vel aliter *ſpecies eſt realiter individuum; cauſa indifferens*

po-

ponit individuationem cum indigentia exclusionis extrinsecæ aliorum individuorum intra eandem speciem: ergo ponit speciem cum indigentia exclusionis extrinsecæ aliarum specierum, qui correspondent, & syllogismo *affirmativo*, & *negativo*, exposita tantum propositione minori, in qua continetur fallatia pro illegitima conclusione, quæ in illis deducitur.

196 Sextum fundamentum ex varijs paritatibus evertentibus rationem contrariæ sententiæ. Prima. Non opponitur cum divino dominio exigentia in re contingenti, & pendente quoad existendum à divina libera determinatione, adeò invincibilis circa terminum contingentem in existendo; vt nullo modo flecti queat in oppositum: ergo neque pugnat in libertate creata, & contingente quoad existendum tale ius erga suam determinationem; vt per solam libertatem divinam flecti in oppositum non valeat. Consequentia apparet legitima: siquidem, id, quod divino dominio opponitur æquè in omni creatura repugnat: quarè si cum subiectione requisita ad divinum dominium componitur exigentia adeò valida in aliqua, vel aliquibus entitatibus; vt Deus suum concursum ipsi accommodet; immerito similis exigentia in libertate opposita divino dominio iudicabitur. Antecedens constat in omni connexione Metaphysica fundamenti creati, & contingentis quoad existendum, cum termino contigenti nullo modo auferibili à Deo, nisi per ablationem fundamenti. Exemplum sit, relictis omnibus entitatibus modalibus inseparabilibus à re, cuius sunt modi, gratia iustificans, & peccatum læthale, quæ in Thomistarum sententia taliter opponuntur; vt posita gratia ex debito essentiali, ipsius; impossibile sit Deo permittere peccatum, & permisso peccato, impossibilis similiter Deo sit conservatio, aut productio gratiæ in eodem subiecto; quarè gratia exigit essentialiter, & invincibiliter carentiam permissionis peccati; & peccatum exigit eodem iure carentiam gratiæ; cum ambo defectus sint contingentes; non secus ac vtraque existentia: non ergo repugnat in entitate creata, & contingente talis exigentia ad terminum contingentem, vt per divinam potentiam flecti nequeat in oppositum.

197 Vnde oritur hæc arguendi forma. Non opponitur cum divino dominio hæc veritas disiunctiva fundata in entitate creata, & contingente: *vel non existit gratia, vel deficit permissio peccati*: sicut hæc: *vel non existit peccatum, vel deficit productio, aut conservatio gratiæ*: ergo neque opponitur cum divino dominio hæc veritas disiunctiva fundata in libertate creata, & contingente: *vel deficit libertas A, vel deficit consensus sub ipsa*: sicut ista: *vel deficit libertas B, vel deficit permissio peccati sub ipsa*: ex quibus infertur: vnicum modum, quem habet Deus impediendi, aut determinandi exercitium liberum libertatis creatæ, esse per impeditionem, aut determinationem existentiæ libertatis, quin, supposita libertate, Deus sit potens immediate determinare, aut impedire exercitium liberum creatæ libertatis per suum liberum exercitium. Probo consequentiam. Ideo primum non opponitur cum divino dominio; quia fundatur in natura, & essentia gratiæ, quam Deus immutare non potest; neque enim Deus per suum dominium potest invertere rerum essentias; sed potius debet illis se accommodare: ergo si secundum sit de essentia libertatis creatæ, neque erit repugnans cum divino dominio; cum vrgeat eadem ratio impotentiæ ex parte Dei ad immutandam libertatis essentiam. Iam procedo, & probo: de essentia libertatis creatæ esse fundare tales veritates disiunctivas: quia ex terminis negari non potest; quod si non adsit impedimentum ex parte dominij divini, melius percipitur expeditio libertatis creatæ ad determinationem pro sua electione, fundata in eius natura, & essentia veritate illa disiunctiva; quàm non fundata: sicut melius consulitur excellentiæ, & perfectioni gratiæ iustificantis, fundata illa alia contingente veritate: sed aliunde nullum adest impedimentum ex parte divini dominij, si talis veritas radicetur in essentia creatæ libertatis; propterea quod non sit diminutio dominij supremi annuere exigentijs essentialibus rerum: ergo si primum non repugnat cum perfectione supremi dominij, neque secundum.

198 Respondebis. Disparitatem esse; quod exigentia fundamenti metaphysicè connexi cum termino contingenti est exigentia essentialis inseparabilis à termino: ideoque decernere Deum fundamentum connexionis, est decernere terminum eo modo,

do,

do, quo à Deo est decernibile: insuper in vi exigentiæ essentialis fundamenti, nunquam Deus est impotens *proximè* ad extremum contingens, & possibile eo modo, quo possibile est *antecedenter*: nam existentia gratiæ solum est possibilis *antecedenter* in sensu *diviso* peccati; & existentia peccati, in sensu *diviso* gratiæ; & carentia gratiæ pro sensu *composito*, & *diviso* peccati; sicut carentia peccati pro sensu *composito*, & *diviso* gratiæ, ad quæ extrema semper Deus est *proximè* potens *antecedenter*; sivè existat gratia; sivè existat peccatum: at ius quod libertati concedimus, non est inseparabile ab exercitio determinato consensus v. g: quia eius defectus est componibilis cum hac determinata libertate: quare Deum determinare libertatem, non est determinare exercitium illius *determinatè* acceptum. Deinde per tale ius redditur Deus *antecedenter* impotens ad exercitium libertatis ea ratione, qua *antecedenter* possibile est: cum in nostra sententia; si creatura consentiat, est Deus impotens *antecedenter* ad complexum libertatis, & dissensus permittendum; etsi dissentiat, ad complexum libertatis, & consensus causandum; cum vtrumque complexum sit *antecedenter* possibile: ergo datur ratio, ob quam prima illa determinatio creaturæ non opponatur divino dominio; & secunda determinatio, quam libertati creatæ concedimus, ei repugnet.

199 Sed contra. Nam quod exigentia sit essentialis, & *determinate* tendens in aliquod extremum, non tollit, quod res creata fundet tale ius erga terminum creatum, & ex se contingentem, vt Deus aliter non sit *proximè* potens ad impeditionem termini, quàm per impeditionem fundamenti: ergo, quod simile ius detur in libertate creata, licet non fundatum in connexione *determinatè* tendente in extremum contingens; sed *vagè*, & *indeterminatè*, non repugnabit divino dominio; cum semper reducatur ad conditionem, & naturam entis creati, quam Deum immutare non posse, minimè est contra divinum dominium: vnde *de materiali* se habebit fundamentum iuris, quando inconveniens, (si aliquod esset contra divinum dominium) consisteret in iure; non in fundamento illius, quod sivè hoc, sivè illud semper remanet intra terminos creati. Quod si Deus determinando libere fundamentum connexionis metaphysicæ, liberè determinat terminum connexionis, id non est *formaliter*; sed *virtualiter* tantum: qua ratione etiam per collationem libertatis determinat exercitium illius liberè, quod intra sphæram determinationis divinæ continetur, se accommodando conditioni libertatis, & quæ aliam determinationem Dei non permittit: quod monuit Divus Thomas quæstione 3. de malo, articulo 2. in corpore nolens motum primi Agentis esse vniformem respectu omnium; sed commensuratum naturæ cuiusque agentis inferioris; ideo dixit: *sed tamen attendendum, quod motus primi Moventis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus; sed in vnoquoque secundum proprium modum:* & post aliqua subdit: *sic ergo dicendum, quod cum Deus sit primum principium motionis omnium; quædam sic moventur ab ipso; quod etiam ipsa se ipsa moveant: sicut quæ habent Liberum Arbitrium, quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiendam motionem, qua moventur a Deo, sequentur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum tanquàm in causam.*

200 In quibus duo liquet; *vnum*: motionem, & determinationem Dei se attemperare conditioni agentium, & per eam, aut impediri, aut expediri ad aliquos effectus; *alterum*: hanc motionem in causa libera, per quàm Deo tribuuntur actiones rectæ tanquàm causæ moventi, & determinanti esse dependentem à bona dispositione recipientis, taliter, vt per eius malam dispositionem impedire queat eventus bonæ actionis, adhuc posita motione: quod cum motione per præviam determinationem, aut intrinsecam, aut extrinsecam convenire non potest; cum talis motio, vtpote ex se efficacissima, non dependeat ab vlla dispositione recipientis; neque per pravam possit impediri à suo effectu: cum ea posita circa bonum indeclinabiliter secum afferat, Deum esse causam operationis rectæ absque dependentia contingentis; quod sub ipsa sic vel aliter esse possit.

201 Id, quod additur de impotentia *proxima* Dei ad extremum contingens *proxime* possibile creatæ libertati, non addit speciale inconveniens supra hoc, quod est posse dari ius, & exigentiam ex parte creaturæ erga terminum contingentem, quæ sit invincibilis per Dei potentiam; sed talis-

litatem exigentiæ proportionatæ conditioni, & naturæ libertatis, in qua nil invenitur derogans divino dominio; cum non sit *proxima* posibilitas entis contingentis *adæquata*, & *totalis*; verum *inadæquata*, & *insufficiens* ad existentiam termini, dum non associetur cum potentia *proxima* ex parte Dei: in quo accurate evitanda est æquivocatio, quæ latet in his propositionibus: *creatura est potens proximè ad extremum contingens, quin Deus sit potens proximè ad tale extremum: creatura est potens proxime ad extremum contingens ponendum, quin Deus sit potens proximè ad illud*; quarum prima est vera, denotatque independentiam in existendo potestatis *proximæ* creaturæ ad extremum contingens à potestate *proxima* Dei quoad tale extremum; secunda vero falsa, & significans independentiam potestatis *proximæ* creaturæ in operando extremum contingens à potestate *proxima* Dei; quod est diversissimum: non aliter, ac diversum quid est, potestatem proximam consentiendi esse independentem in existendo ab existētia consensus, & esse independentem in operando consensum ab ipso consensu.

202 Secunda paritas: Deum esse Dominum perfectum creaturæ in vna linea, & non posse pro libito suo sic, & aliter operari, conservato iure creaturę in tali linea, no repugnat: ergo esse Deum Dominum perfectum libertatis creatæ, & non posse pro libito suo, sic, & aliter prædecernere, servato libertatis iure, non repugnat. Consequentia tenet à paritate rationis. Probatur antecedens. Stat Deum esse Dominum perfectum creaturæ in linea Authoris *naturalis*, & non posse pro libito ponere, & non ponere aliquid contingens proprium creaturæ in tali linea, conservato iure creaturæ in eadem linea. Exempli gratia: bene componitur Deum esse perfectum Dominum ignis, vt Authorem *naturalem* illius, & non posse pro arbitrio, ponere, & non ponere combustionem, seu calorem, conservato iure ignis in tali linea: ergo Deum esse Dominum perfectum creaturæ in vna linea, & non posse pro libito suo, sic, & aliter operari, conservato iure creaturæ in tali linea, non repugnat. Explico: non minus est Deus Dominus perfectus creaturæ, vt Author iuris *naturalis* illius ad proprium terminum; quam est Dominus iuris *libertatis* ad propriam electionem, vt eam creaturæ tribuens: sed cum dominio Dei, vt Authoris *naturalis*, componitur debere se accommodare iuri *naturali* creaturæ, taliter, vt inviolato tali iure, nequeat pro arbitrio dare, aut non dare terminum talis iuris, seque intra lineam Authoris *naturalis* continere: ergo cum dominio, quod habet, vt Author *libertatis creatæ*, benè stabit non posse pro libito decernere, aut non decernere extremum proprium illius iuris *libertatis*, seque intra lineam conferentis libertatem continere.

203 Clarius: Deus, vt Author *naturalis* sine dispendio sui dominij constituitur in necessitate, vel attemperandi suum concursum conformiter ad rerum creatarum exigentiam; vel operandi in alia linea Authoris *supernaturalis*, & *absolutæ* potentiæ: ergo Deus, vt Author libertatis sine læsione sui dominij constituitur in necessitate; vel attemperandi suum concursum iuri *dominativo*, & *electivo* creatæ libertatis; vel vtendi suo dominio obtinendi per necessitatem à voluntate creata, quidquid divinæ placuerit, & per ipsam est decernibile. Confirmatur. Non debet esse inferioris conditionis potentia rationalis appetitiva *liberè*; quàm potentia quęvis alia *naturaliter*, aut *innatè* appetitiva: sed in hac sine repugnantia ad supremum dominium, verificatur: existente appetitu per divinam determinationem, & causalitatem, Deum potius operari, & velle, quia appetit, & operatur creatura; quàm hanc appetere, & operari, quia vult Deus: ergo, & in illa excellentiore, & nobiliore, absque inconvenienti vllo, verificabitur ex suppositione existentiæ: *potius Deum velle, & decernere, quia vult, & eligit creatura; quàm creaturam velle, & eligere, quia vult, & eligit Deus.*

204 Tertia paritas. Complexum gratiæ ab intrinseco efficacis, seu prædeterminationis intrinsecæ, & libertatis creatæ: ex quo sic: complexum hoc non requirit aliam prædeterminationem ad determinatum libertatis exercitium: ergo neque libertas creata indiget prædeterminatione intrinseca, vt se determinet ad exercitium liberum, quod de facto pro sua electione ponit. Antecedens est certum, aliàs abiremus in infinitum prædeterminationum; cum non magis,

vnaș

vna ; quàm alia exigat , aut non exigat prædeterminationem reflexam . Probatur consequentia. Si complexum prædeterminationis , & libertatis ad consensum , non eget alia prædeterminatione reflexa , iam tota determinatio exercitij liberi refunditur vnicè , & proximè in aliquid adæquatè creatum , habens esse in rebus ex divina determinatione: sed, hoc dato , libertas creata non indiget prædeterminatione intrinseca : ergo libertas creata non indiget prædeterminatione intrinseca, vt se determinet ad exercitium liberum, quod defacto ex electione ponit . Maior est certa: nàm complexum libertatis , & prædeterminationis ad consensum, quid creatum est , determinans exercitium liberum vt quid interiacens inter illud , & divinum decretum ; aliter, si Deus immediate per se determinaret , superflueret intrinseca prædeterminatio.

205 Probatur minor. Tota ratio , vt libertas creata indigeat prædeterminari intrinsecè à Deo , est; nè libertas creata, vtpote divinæ subordinata, refundat *proximè* in se ipsam determinationem liberam , habente se primo libero vt pure donante determinationem liberam in existentia libertatis ; insuperque , ne reddatur inflexibilis divino arbitrio : sed hæc omnia militant contra complexum creatum libertatis, & prædeterminationis intrinsecæ: ergo, datis his , quæ tali complexo inseparabiliter conveniunt , libertas creata non indiget prædeterminatione intrinseca . Probatur minor. Complexum illud refundit *proximè* in se ipsum determinationem liberam : quia inter ipsum , & exercitium non mediat alia determinatio , neque Deus erga ipsum libere se gerit aliter; quàm decernendo existentiam illius: deinde ex sua natura, & essentia redditur omnino inflexibile per divinum arbitrium : neque enim Deus , posito complexo libertatis , & prædeterminationis intrinsecæ ad consensum , potest aliud exercitium obtinere , aut ipsi permittere : sicut neque ab oppositis; in complexo creatæ libertatis , & prædeterminationis intrinsecæ ad materiale peccati rectam operationem potest adipisci : ergo ea omnia, quæ militant contra libertatem creatam prædeterminationis intrinsecæ expertem , militant contra complexum eiusdem libertatis , & prædeterminationis ; si pro hoc , alia prædeterminatio reflexa non requiratur.

206 Confirmatur. Magis opponitur divino dominio complexum , sub quo Deus ex determinatione essentiali ipsius est impotens tàm *proximè* ; quàm *remotè* ad exercitia opposita; quàm complexum, sub quo , licet Deus sit impotens *proximè* ad exercitia opposita ; est tamen potens *remotè* : sed sub complexo prædeterminationis, & libertatis ad consensum , ex intrinseca , & essentiali deteterminatione ipsius Deus est impotens *proximè* , & *remotè* ad exercitia opposita; & sub complexo libertatis creatæ , propter illius determinationem tantum est impotens *proximè* ad exercitia opposita: ergo vel illud complexum repugnat, sicut per te repugnat libertas creata absque aliqua prædeterminatione ; vel non est necessarium ad salvandum perfectissimum Dei dominium. Nec dicas : Deum propter suam infinitam perfectionem secum trahere *arguitive* possibilitatem talis formæ intrinsecæ , ex se essentialiter determinatæ ad vnum : vnde non est contra dominium supremum ea determinatio, & inflexibilitas : quia similiter dicam: Deum propter suam infinitam perfectionem ex se participabilem à creatura, secum trahere *arguitivè* possibilitatem creatæ libertatis cum tali dominio *electivo* imitanti libertatem divinam eligentem cum omnimoda indifferentia: qua determinatione data , conditio libertatis repellētis omnem præviam determinationem alterius , potius est perfectiva ; quàm destructiva supremi dominij.

207 Propter hæc semper iudicavi : cōsequentiùs procedere omnes illos , qui vehementer permoti ex inculcata toties excellentia supremi dominij in *Primo* libero existentis, omnem prædeterminationem intrinsecam repellunt , sistentes in extrinseca per decretum efficax antecedens , quo Deus immediate prędecernit opera nostra libera sine recursu ad aliquid creatum immediate determinans, nè premantur paritate præiacta , & nolint concedere dominio creatæ libertatis id, quod demùm formæ creatæ procedenti ex divina libertate , & causalitate : quam doctrinæ inconsequentiam apud Doctores Thomistas aliter promovere satago.

208 Et sit septimum fun-

da-

damentum. Deus est infinitè perfectus in linea *primi* determinantis, & prout in tali linea essentia Dei est suum *esse*: sed infinitum in *esse primi* determinantis, & cuius essentia in tali linea est suum *esse*, non potest determinare, media qualitate creata, & gratia ab intrinseco efficaci: ergo inconsequenter ad sua principia adstruunt Thomistæ necessitatem physicæ prædeterminationis, & gratiæ ab intrinseco efficacis. Maior est certa. Probatur minor. Per te; quia Deus est infinitus in linea *intelligibilis*, & prout in tali linea essentia ipsius est suum *esse*, non potest reddi intelligibilis *proximè* per aliquid creatum; sed *immediatè* per se ipsum: ergo quia infinitus in linea *primi* determinantis, cuius essentia est suum *esse*, non potest determinare, media qualitate creata, & gratia efficaci ab intrinseco; sed *immediatè* per se ipsum. Antecedens continet doctrinam Adversariorum propter attactam rationem Divi Thomæ, ex qua moventur ad negandam possibilem speciem impressam, & expressam creatam Dei: àn iurè, vel iniurià vidimus tractatu de Visione. Consequentia videtur legitima propter identitatem fundamenti; cum Deus non sit minus *Primum* determinans; quàm *primum* intelligibile, & per essentiam determinari ad *esse*, sic ratio transcendens omnem lineam divinæ perfectionis.

209 Respondebis: Deum esse *proximè intelligibilem*, esse quid pertinens ad Deum, non modo *activè*; verum etiam *passivè*, & quasi in ipso sistens; at *determinare*, esse duntaxat proprium Dei *activè*; non vero *passivè*: quia Deus non determinatur per gratiam intrinsecè efficacem, & qualitatem prædeterminantem; sed creatura, in qua *passivè* sistit determinatio, manens applicata, & determinata à *primo* libero: nil autem creatum potest esse exercitium *passivum* Dei, & quasi forma recepta in ipso: quia hoc est contra excellentiam, & illimitationem *esse* infiniti, quale est, quod Deo competit. Ex quo sine vlla inconsequentia negatur Deo possibilis species creata tàm impressa; quàm expressa, propter primitatem in linea *intelligibilis*; & non negatur possibilis qualitas creata prædeterminans, etsi Deus sit infinitus in hac linea, & *primum* determinans.

210 Sed contra primo. Nam quod attinet ad speciem impressam, videtur nulla disparitas. Propterea quod, sivè his, sivè illis terminis explicetur munus speciei impressæ, vltimo est deveniendum in id, quod sit applicatio quædam potentiæ ad cognoscendum obiectum *activè* procedens ab obiecto; & per quam approximatur in ratione cognoscibilis, expediendo potentiam ad sui cognitionem: ergo; aut æquè sunt possibiles qualitas prædeterminans, & species impressa creata Dei; aut æquè repugnantes. Probo consequentiam. Sicut Deus applicat se in ratione *potentis* per physicam prædeterminationem creatam ad concurrendum cum creatura; sic applicat se in ratione *obiecti* per speciem impressam creatam ad concurrendum cum creatura ad sui cognitionem: sed non opponitur divinæ perfectioni primus modus applicationis, intercedente qualitate creata: ergo neque repugnat secundus modus interventu speciei creatæ; vel ab oppositò: sed repugnat Deum applicari in ratione *obiecti* per speciem; & qualitatem creatam: ergo repugnat applicari in ratione *potentis* per prædeterminationem, & qualitatem creatam. Contra secundo vniversalius: sicut *esse actualiter cognitum*, aut *proximè cognoscibilem* se tenet *passivè* ex parte Dei; sic etiam *proximè esse applicatum*, se tenet *passivè* ex parte Dei: sed quia *esse cognitum*, aut *proximè cognoscibilem*, se tenet *passivè* ex parte Dei, implicat constitui in ratione talis per aliquid creatum: ergo quia *esse proximè applicatum* ad concurrendum, se tenet *passivè* ex parte Dei implicat, quod per creatam prædeterminationem constituatur in ratione talis.

211 Si forte dicas: Deum non constitui *proximè* applicatum ad concurrendum efficienter cum creatura per physicam prædeterminationem, quæ est terminus decreti applicativi; sed per ipsum decretum à Deo non distinctum; quare in ratione *proximè applicati* non constituitur per qualitatem creatam, cuius munus est applicare virtutem creatam ad operandum cum subordinatione ad *primam* causam; secus potètiam supremam, & increatam: omisso, quod id, per quod

Deus *formaliter*, *immediate*, & *proximè* determinat creaturã ad operãdum, eſt id, per quod *formaliter*, *immediatè*, & *proximè* applicat ſuam omnipotentiam ad concurrendum; cum eſſe *formaliter* omnipotentiam applicatam, ſit, eſſe *formaliter* creaturam determinatam; adhuc eva ſio non tenet propter ſimilem diſtinctionem applicandam ſpeciei impreſſæ, de qua dicam: eſſe meram applicationem, & determinationem potentiæ, vel ad ſubſtantiam, & modum cognitionis Dei, prout eſt in ſe, vel ſaltem ad modum extenſionis, & intenſionis illius; & decretum terminatum ad ſpeciem, eſſe id, quo Deus *immediatè* conſtituitur *proximè* cognoſcibilis à potentia creata, ſeu *formaliter* applicatus in ratione *obiecti*, vt ab ipſo, & potentia, iuxta vulgare dictum, pariatur notitia.

212 Octavum fundamentum ab abſurdis, quæ ex gratia intrinſece efficaci, & prædeterminante inferuntur. Infertur primo. Libertatem, vt talem, & prout libertas eſt, quando ſe exercet per conſenſum v. g. eſſe metaphyſicè connexam cum illo; ideoque non poteſtas erit *indifferentiæ*, & *libertatis*; ſed *determinationis*, & *neceſsitatis* ad vnũ. Probatur: data neceſsitate gratiæ ab intrinſeco efficacis, & prædeterminantis ad conſenſum, libertas creata ex ſe, & prout diſtincta ab omni non ipſa, connectitur cum eo, quod ſi exiſtat conſenſus ab ipſa, non aliter exiſtat; quàm prædeterminatus, & per gratiam intrinſecè efficacem: patet: ſiquidem libertas creata connectitur cum eo, quod ſi exiſtat conſenſus ab ipſa, exiſtat modo poſsibili, & cum debita ſubordinatione ad primum liberum; qua ratione includit neceſſario exigentiam metaphyſicam prædeterminationis: ſed connexum *conditionatè* cum aliquo extremo ſub exiſtentia alterius, purificata conditione, connectitur metaphyſicè *abſolutè* cum tali extremo: ergo libertas ex ſe, & prout diſtincta ab omni non ipſa connexa metaphyſicè *conditionatè* cum exiſtentia prædeterminationis ſub exiſtentia conſenſus, purificata conditione per exiſtentiam conſenſus, connectitur metaphyſicè *abſolutè* cum exiſtentia prædeterminationis ad conſenſum. Procedo: omne ex ſe connexum metaphyſicè cum extremo *A* metaphyſicè connexo cum extremo *B*, metaphyſice connectitur cum extremo *B*, quia eſt inſeparabile metaphyſice ab illo: ergo ſi libertas, dum exiſtit conſenſus, metaphyſice connectitur cum prædeterminatione metaphyſicè connexa cum conſenſu, metaphyſice etiam connectitur cum conſenſu: ſed actus *primus*, & libertas, quæ in inſtanti, in quo ſe exercet, metaphyſice connectitur cum exercitio eſt libertas omnino chymærica, & repugnans: ergo neceſsitas prædeterminationis, & gratiæ ab intrinſeco efficacis, non modò actum *medium* inter *primum*, & *ſecundum*; verùm nec actum *primum* relinquit indifferentem ad vtrumvis.

213 Dices primò. Neceſsitatem, & determinationem hanc actus primi, & libertatis ad actum *ſecundum* eſſe purè *conſequentem*, & ſimilem ei, quam habet quælibet res contingens, vt ex ſuppoſitione, quod ſit, neceſſariò ſit; quæ non impedit: rem contingentem ex ſe eſſe indifferentem, vt ſit, & non ſit: nec libertas, quamvis ex ſuppoſitione, quod exiſtat conſenſus, exigat *determinatè* prædeterminationem illius, ex ſe eſt determinata ad talem prædeterminationem; ſed *vagè*, vel ad illam, vel ad aliam exercitij oppoſiti: qualiter in omnium ſententia libertas connectitur *vagè* cum aliquo exercitio libero; ſecus *determinatè*, quàmvis ex ſuppoſitione, quod ſe exerceat per hoc determinatum exercitium ſit inſeparabilis ab illo. Sed contra: quia implicat in terminis neceſsitatem, & connexionem ſe tenere ex parte actus *primi*, & eſſe connexionem, & determinationem purè *conſequentem*: aſſumptum probo. Implicat in terminis, prædeterminationem ex ſuppoſitione conſenſus ſe tenere ex parte actus *primi*, & prædeterminationem eſſe neceſsitatem purè *conſequentem*, actumque *primum* libertatis ex ſe abſolutè præſcindere ab hoc determinato exercitio: ergo implicat in terminis: connexionem *abſolutam* cum determinato libertatis extremo ſe tenere ex parte actus *primi*, & eſſe connexionem, & neceſsitatem purè *conſequentem*. Probatur conſequentia: ſicut prædeterminatio *determinatè* accepta eſt inſeparabilis à determinato exercitio: ſic connexio *abſoluta* cum determinato extremo, eſt inſeparabilis

ab

ab illo : deinde : sicut libertas ex se præscindit ab hac determinata prædeterminatione : sic libertas ex se præscindit ab hac determinata connexione *absoluta* : ergo non minus implicat in terminis connexionem *absolutam* ; quàm prædeterminationem ex suppositione exercitij se tenere ex parte actus *primi*, & necessitatem esse, & connexionem purè *consequentem*.

214 Dices secundo. Idem inconveniens reperiri in nostra sententia, in qua libertas connèctitur metaphysicè cum eo, quod si existat consensus, existat scientia media de consensu connexa *absolute* cum consensu pro casu existentiæ libertatis : vndè purificata conditione per existentiam consensus, connectitur *absolute* metaphysicè cum scientia media *absolutè* connexa metaphysice cum consensu ; ideoque similiter actus *primus*, & libertas, vt talis, erit iuxta nos inseparabilis à determinato exercitio, quod existit. Sed contra ; quia licet verum sit iuxta mea principia alibi statuta : actum primum libertatis esse ex suppositione *absolutè* connexum cum exercitio, quod defacto existit ; hæc tamen connexio, & determinatio est purè *consequens* ; cum sit per ordinem ad scientiam mediam de consensu consequentem *obiectivè* consensum, vt per libertatem exercitum ; non sic in sententia Thomistarum iuxta quam, connexio, quæ in actu *primo* reddet cum exercitio determinato existenti, est per ordinem ad physicam prædeterminationem antecedentem omnino exercitium liberum sine vlla consequutione ; quare est determinatio *antecedens*, & nullo modo *consequens*. Insuper alia intercedit disparitas : nimirum, quod prædeterminatio independenter ab omni suppositione connectitur *absolutè* cum determinato libertatis extremo : at scientia media ex se est componibilis cum carentia absoluta conditionati, licet purificata conditione, illam excludat.

215 Replicabis : ergo saltem non est implicatio interminis dari connexionem determinatam ex parte actus *primi*, & libertatis, vt talis, & esse connexionem, & determinationem *consequentem* libertati non insensam. Distinguo consequens : quando talis connexio, & determinatio absoluta non est per ordinem ad aliquid *simpliciter antecedens* exercitium liberum, vt est gratia intrinsecè efficax, & prædeterminans ; sed per aliquid *obiectivè consequens*, vt est scientia media : concedo consequentiam : quando est per ordinem ad aliquid *simpliciter antecedens*, & nullo modo *consequens* exercitium liberum, vt est gratia prædeterminativa : nego consequentiam. In quo sensu tantùm processit nostrum argumentum fulcitum exemplo, & paritate prædeterminationis tenentis se ex parte actus *primi*, non *absolute* ; sed *ex suppositione*.

216 Secundum absurdum, quod ex tali sententia deducitur, est petitio prudens, & vtilis illius, quod non nisi imprudenter, & inutiliter à Deo exorari potest : ratio est : quia, vt constat ex Divo Augustino de natura, & gratia capite 18. *Quid stultius ; quam orare, vt facias, quod in potestate habes* ? Et ex Sancto Hieronymo libro 2. adversus Pelagianos : *Frustra semper oramus, si in nostro arbitrio est facere, quod nolumus* : ergo data potestate expedita in nobis per gratiam sufficientem ad consensum salutarem ; frustrà, & stultè petimus à Deo consensum salutarem : sed data gratia ab intrinseco efficaci, & prædeterminante, nec frustrà, nec stultè peteremus à Deo consensum salutarem, quem in nostra potestate expedita habemus : ergo vtilis, & prudens esset petitio illius, quod non, nisi inutiliter, & imprudenter potest peti à Deo. Probatur minor. Nec frustrà, nec inutiliter petitur à Deo id, ad quod, suppositâ potestate expedita requiritur aliquid indispensabiliter requisitum, vt existens à Deo, quod neque iam habemus, neque in nostra potestate est acquirere. sed si gratia est ab intrinseco efficax, suppositâ in nobis potestate expedita ad consensum salutarem constituta per gratiam sufficientem, & excitantem, adhuc restat pro consensu gratia efficax indispensabiliter requisita, vt existens à Deo, & quam nec habemus, nec in potestate nostra est acquirere : ergo si gratia est ab intrinseco efficax, & prædeterminans, nec frustra, nec stultè peteremus à Deo consensum salutarem, quem in nostra expedita potestate habemus.

217 Brevius. Non inutiliter petitur à Deo id, ad quod indigemus dono ipsius, quod neque habemus, nec possumus acquirere : sed in sententia prædeterminationis,

quamvis habeamus consensum in nostra potestate expedita per gratiam sufficientem, adhuc egemus ad ipsum dono gratiæ efficacis, quod neque habemus, nec possumus acquirere: ergo id, quod in nostra potestate est expedita, quodque iuxta Augustinum, & Hieronymum non nisi stulte, & inutiliter possumus petere à Deo, prudenter, & vtiliter ab ipso petere possumus, & petimus.

218 Respondet Doctor Castell. Non inutiliter, neque imprudenter peti id, quod ita est in mea potestate, vt adhuc egeam adiutorio alterius; sed id, quod ita est in mea potestate, vt adhuc non egeam adiutorio alterius; in quo secundo sensu processit dictum Augustini, & Hieronymi, vt probari potest ex ipsis. Nam Augustinus de peccatorum meritis capite 6. inquit. *Quis autem optat id, quod in potestate sic habet, vt ad faciendum nullo indigeat adiumento.* Et in Epistola ad Sanctum Hylarium, quæ est 89. *Frustrà rogantes Deum dicimus, ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostra positum est potestate, vt nullo illius adiutorio id valeamus adimplere.* Necnon Hieronymus libro 2. adversus Pelagianos probans contra Pelagium, quod Christus Dominus, ex illius sententia, non debuisset dicere discipulis, *Surgite, & orate, ne intretis in tentationem*; sed potius *quid dormitis? Surgite, & resistite, liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio*: ex quibus hæc omnia contare videntur. *Primum*: rectè componi aliquid esse in nostra potestate, & adhuc indigere auxilio, & adiutorio alterius, quod in nostra potestate non est. *Secundum*; non frustrà, aut inutiliter precibus procurari id, quod ita est in nostra potestate, vt ad eius adimpletionem opus nobis sit adiutorio alterius. *Tertium*: semel nobis concessa à Deo potestate liberi arbitrij ad aliquid fugiendum, vel amplectendum, manere locum orationi; & hanc esse consulendam pro actu *secundo* amplectendi bonum, aut fugiendi malum.

219 Sed contra: quia, vt bene vidit ipse respondens immediatè contra solutionem sibi instans, habere aliquid in potestate, & sufficientia adæquata, indigereque adiutorio alterius, quod in nostra potestate non sit, ingens chymæra est: vnde respondere: non stulte, & inutiliter peti id, quod in nostra potestate adæquata est; quia est in nostra potestate adæquata cum dependentia ab adiutorio alterius, est se implicare in terminis. Nec Patres, quando orationem consulunt, pro eo, quod in nostra est potestate, loquuntur de potestate plena, & adæquata, qualis est potestas *libertatis*, & *arbitrij*; sed de potestate semiplena, & incompleta, quæque absolutam sufficientiam non constituit; qualis est ea, quam ego habeo ad movendum ingens pondus meis viribus improportionatum: cuius sublevatio in mea est potestate dependenter ab adiutorio aliorum, quos orare possum, vt me adiuvent; & quam ipse Sapientissimus Doctor habet, vt sit Summus Pontifex dependenter à suffragijs Sacri Collegij, quæ in sua potestate non sunt.

220 Id comprobat (ni fallor) argumentum, quod contra Pelagium instruxerunt Magni Parentes Augustinus, & Hieronymus. Dicebat ille, posita lege, & doctrina, naturam ex se habere sufficientiam, & potestatem expeditam ad opera salutaria. Ex quo arguebant Patres: frustrà, & inutiliter nos orare, ne inferamur in tentationem iuxta illud orationis Dominicæ, *& nè nos inducas intentationem*: nam *quid stultius*, (vt inquit Augustinus) *quam orare, vt facias, quod in potestate habes?* Ergo censebant, quod à potestate adæquata, & expedita ad exercitium voluntatis bene valet ad frustraneitatem, & inutilitatem orationis pro obtinendo illo, quod in potestate expedita habetur; neque locum esse distinctioni potestatis *dependentis*, & *independentis* ab adiutorio alterius: alias redargui possent ad hominem per Pelagium, qui negando consequentiam invtilitatis orationis, se protegeret doctrinà arguentium sub hac forma. Per vos cum potentia adæquata, & expedita ad exercitium adhuc est locus orationi vtili, & prudenti pro obtentione illius, quod in nostra est potestate, etsi constituta per gratiam excitantem, supernaturalem, & indebitam: ergo quamvis apud me sit statutum: naturam, supposita lege, & doctrina, habere ex se potestatem adæquatam, & expeditam ad opera salutaria; mala erit consequentia ad inutilitatem orationis pro exercitio libero, & actu salutari exequēdo. Propterea que argumētū Patrum ex *vi formæ* esset inefficax, & vt ex *vi materiæ* contra Pelagium conclu-

de-

deret, aliquid aliùd esset addendum ex parte antecedentis, quo fieret recta consequentis illatio.

221 Inde apparet, quà ratione verum teneant illa tria, quæ ex Patrum sententia deducebantur: senserunt ergo primo bene componi aliquid esse in nostra potestate, & adhuc indigere auxilio alterius, loquentes de potestate *incompleta*, & minimè *expedita* ad id, quod sub potestate est: non de potestate *completa*, & expedita, qualem concedunt Thomistæ per solam gratiam excitantem constituta. Senserunt secundo: non frustra, & inutiliter peti id, quod in nostra est potestate, accepta potestate in eodem sensu, id est *incompletè*, & *inexpeditè*. Senserunt tertiò: semel concessa nobis à Deo potestate liberi arbitrij, sivè ad fugiendum, sivè ad amplectendum obiectum, manere locum orationi, & hanc esse consulendam pro exequutione illius, quod in nostra est potestate, arguendo ad hominem, & de Libero arbitrio *constituto ex sententia Pelagij*, qui per solas vires naturales potentiam expeditam ad opera salutaria componebat: secus de arbitrio *prout in re est*, & per gratiam, & adiutorium Dei constituitur: quasi dicentes; non obstante ea expeditione, quam concedis naturæ, orandum est: vnde arguitur: eam, quam vocas potestatem arbitrij, esse impotentiam in re ad operandum, prout oportet ad assecutionem salutis.

222 Insistit nihilominus, probans: suppositâ libertate plenè constituta per gratiam sufficientem, nos iustè, & vtiliter exorare Deum opus salutare; vt inde appareat: Deum adhuc postquam donavit libertatem novo dono determinare consensum. Primo ex Scriptura: siquidem Paulus ad Romanos capite 7. ait: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*: in quibus se ornatum gratia sufficienti agnoscit, vt asseruit Divus Augustinus contra secundam Epistolam Pelagianam capite 10. *Non video quomodo diceret homo sub lege constitutus: condelector legi Domini, &c. Cum ipsa delectatio boni non nisi gratiæ deputanda sit.* Prosequitur Apostolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: per quæ denotat, quod, dum concupiscentiæ pugnam sentiebat, erat plenè liber ad eam superandam delectatione boni, *non nisi gratiæ deputanda*: sed in sensu composito huius plenæ, & perfectæ libertatis constitutæ per gratiam flebili sermone orabat: *Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IesumChristum Dominum nostrum*; & orabat; *quia laborabat, ne peccaret*, vt dixit Augustinus libro 6. contra Iulianum capite 1. vel vt alibi libro 5. contra Iulianum capite 6. *Vt conflictu non vinceretur*: ergo in sensu composito libertatis plenæ constitutæ per gratiam rectè oramus Deum; ne peccemus, cum tentatione laboramus; & nè conflictu concupiscentiæ vincamur.

223 Secundo ex effato Summi Pontificis Cœlestini primi scribentis ad Episcopos Galiæ: *Quod ergo tempus intervenit, quo eius, (id est Dei) non egeamus auxilio? In omnibus igitur actionibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor, & protector orandus est*: vnde sic. Pontifex decernit nullum esse tempus, quo non egeamus auxilio Dei, & non sit Deus orandus: sed si, posita libertate constituta per gratiam sufficientem, cum qua possumus vitare peccatum, & nulla adest non peccandi securitas; imo potius peccatum imminet; quia sumus in peccandi periculo, non restaret aliud donum à Deo obtinendum; Deus tempore libertatis, non esset exorandus: ergo si omni tempore Deus protector, & adiutor est orandus, ideo est; quia, posita libertate, aliquid restat obtinendum, quod in nostra non est potestate.

224 Tertiò ex Divo Augustino, cuius plurimis (inquit) omissis, duo selecta testimonia expendenda sunt: *Non enim multis opus est; sed efficacibus. Primum*, dùm ita ait: *Agendæ sunt Deo gratiæ: quia data est potestas, & adhuc orandum, ne succumbat infirmitas*: sed dum gratias agimus pro potestate, seu libertate, ipsa adest: ergo postquam data est libertas, adhuc orandum est, ne succumbat infirmitas: vnde concludit: non potuit clarius Divus Augustinus nos edocere vtilitatem orationis, suppositâ libertate; quàm coniungendo actionem gratiarum pro datâ potestate cum oratione pro recto potestatis vsu: neque dixit: orandum esse Deum, vt hanc, aut illam libertatem donet; sed postquam pro suo libito libertatem donavit, pro qua gratias reddimus, exorandum esse Deum; vt sub ea libertate infirmitas non succumbat: est ergo in dominio determinativo Dei postquam data est

poteſtas, ne ſuccumbat infirmitas. *Alterum*: ſerm. 13. de Verbis Apoſtoli poſt medium ibi. *Hæc eſt actio noſtra, hæc eſt militia noſtra* (id eſt actiones carnis ſpiritu mortificare) *in hoc agone, cum confligimus, Deum habemus ſpectatorem, in hoc agone, cum laboramus, Deum poſcimus Adiutorem*: ergo ex mente Auguſtini in conflictu, & pugna carnis, & ſpiritus, Deum habemus Spectatorem, & Deum poſcimus Adiutorem: ſed dum Deus ſpectat, cum confligimus, liberi ſumus: quid enim expectaret in pugna ab impotente victoriam obtinere? Ergo cum liberi ſumus in carnis certamine, *Deum tuſtè, & vtiliter petimus Adiutorem, vt det nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

225 Ante impugnationem horum, quæ ad verbum tranſcripſi, vt in ipſis adverſarius vim, & efficaciam non deſideret, monere non deſinam: minus cautè proceſiſſe, & quaſi aviditate ſcribendi, & impugnandi arreptum Sapientiſsimum hunc Doctorem. Tum quia in prima ponderatione, verba illa, quæ citantur Divi Auguſtini libro 6. & 5. contra Iulianum, ibi non inveniuntur: tum maximè; quia in tertia præcipuum illum textum, *Ageade ſunt Deo gratiæ, &c.* incognitum relinquit, non deſignans, vbi talia verba inveniantur: quæ omnia ſuſpecta poſſent reddere teſtimonia adducta, vt minus accuratè inveſtigata, & tantum bona fide ex alijs tranſcripta: ſed abſit omnis falſitatis ſuſpicio in tam diligente perſcrutatore operum Divi Auguſtini, vt in caſu ſimili provocet noſtrum eruditum Ortega ad latum campum Auguſtinianæ mentis: ſciat tamen ex experientia: *aliquando bonum dormitare Homerum*, libenterque admiſsis citatis locis, nil probare in ſuum favorem, ſeque ſui oblitum, dum non multa; ſed efficacia quærit; *multis; ſed non efficacibus interdum vti.*

226 Primi fundamenti, ad intentum, quo proponitur, ineficaciam oſtendat nobis, non alius; quam ipſe Divus Auguſtinus, qui libro primo contra duas Epiſtolas Pelagianorum capite 1. petitionem illam Divi Pauli: *Infœlix homo, &c.* Sic explicat: *Liberari a corpore mortis, eſt, omni ſanato languore concupiſcentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus; ſed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberabuntur vnquam, quibus in reſurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur.* Itaque oppreſſus Paulus concupiſcentiæ pugnâ, qua in corpore corruptibili afflictabatur, exoptabat corpus corruptioni non expoſitum induere per reſurrectionem ad gloriam, quam ſperabat aſſequi ex gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Vide quid gratia reſurrectionis in corpore non obnoxio pugnæ paſsionum, cum gratia prædeterminante ad victoriam pugnæ, ſuppoſita libertate? Nec pro recognoſcendo Apoſtoli animo, alio opus eſt, quam litteram textus percurrere; ex qua facile inoteſcit: deſiderium Apoſtoli tendere, non tàm ad victoriam, quàm ad evitationem pugnæ cum domeſticis inimicis ex lege carnis repugnante legi mentis: vnde concludit Pater Cornelius à Lapide in præſenti: *Eſt hoc ardens Apoſtoli ex hoc miſero, & mortali corpore ad beatam, & Cœleſtem vitam anhelantis ſuſpirium.*

227 In ſecundo. Vniverſalitas illa propoſitionis Cœleſtini: *In omnibus igitur actionibus, cauſis, cogitationibus, &c.* ab omnibus aliqua limitatione eſt ſuſcipienda: nam pro primo actu orationis non poteſt exorari Deus protector; vtpotè *non per ipſum actum*, quî iam habet Deum protectorem; *non per alium*; quia ſic non eſſet ille primus orationis actus. Deinde peſsima conſequentia eſt: *Deus in omnibus eſt exorandus: ergo poſita libertate, & poteſtate expedita ad actionem, adhuc exorandus eſt pro actione*; cum vt ſit exorandus Deus protector, & adiutor in omnibus, ſufficiat eſſe exorandum pro poteſtate non vtcumque; ſed in circunſtantijs, in quibus prævidet Deus profuturam poteſtatem ex coniunctione cum recta operatione. Vbi notandum, quàm facile, præoccupato iudicio circa aliquam ſententiam, omnia, etſi indifferentia ad oppoſitum, determinentur, vt ſint fundamenta illius. Aliter; quomodo viro docto placùiſſe poterat hæc illatio: *ſuppoſita libertate, non eſt Deus orandus: ergo tempore libertatis non eſt Deus orandus*; cum ſtatim ſe offerat altera: *Suppoſita prædeterminatione non Deus orandus eſt pro conſenſu: ergo tempore prædeterminationis, non eſt Deus orandus pro conſenſu*, quæ inanis reputabitur.

228 In tertio: verba illa prima, in quibus deſideratur citatus Auguſtinus, quæque interim authoritate allegantis creduntur, intelligenda ſunt, vt, *Deus adhuc orandum, ne ſuccumbat infirmitas*, denotet non ſucceſsionem ad actionem gratiarum; ſed neceſsitatem talis

actus

actus vltrà gratiarum actionem ; quasi dicat Augustinus : quamvis, posita potestate per Deum, in nobis ut obtinere consensum ; debemus, non tantum curare de gratijs agendis pro potestate accepta ; verum etiam exorare Deum, nè succumbat infirmitas, petendo ab ipso potestatem, non aliter ; quam coniungendam infallibiliter cum exercitio salutari : quod licet non sit expositum ab Augustino sub terminis *petendi auxilium nobis congruum*; expositum tamen est sub terminis *non succumbendi*, alijs synonomis : quia Deus non aliter nobis donat *ne succumbat infirmitas* ; quàm donando auxilium, quod videt infallibiliter coniungendum cum resistentia tentationis vrgentis. Accipere autem particulam *adhuc* pro *sed etiam*, aut *verum etiam* commune est in frequenti loquutione, quadum alium instruimus de diligentijs, & medijs necessarijs ad aliquid obtinendū v. g. Cathedram, ei dicimus, fac hæc, & illa, & *adhuc* appone aliud reliquis vtilius, & vrgentius ; quin per hoc denotemus successionem illius medij ad alia ; sed necessitatem, & coniunctionem adhibendam illius cum alijs.

229 Verba alia ex sermone 13. de verbis Apostoli, minorem, aut potius nullam difficultatem continent. Componitur namque optime, & Deum habere spectatorem in agone, ipsumque poscere Adiutorem ; quin poscamus Adiutorem post signum libertatis, id est, quin oratio se teneat *subiectivè* pro signo *posteriori* ad constitutionem potestatis plenæ, & adæquatæ; vt enim duo sint in eodem tempore, non est necessarium, quod vnum sit in signo præsupponente aliud : sicut causa, & actio sunt in eodem tempore cum effectu ; non vero neque in eodem signo, neque in signo *posteriori* ad effectum : ergo bene est: nos poscere Deum adiutorem in tempore agonis, & pugnæ, & orationem non esse post signum pugnæ, petendo per novum donum suppositum ad libertatem, tentationis victoriam. Videas iterum ex te, gravissime Doctor, quomodo *ad suadendum, & impugnandum, non multis opus sit ; sed efficacibus.*

230 His ab authoritate propositis adiungit idem Author rationem Theologicam, qua se protegit, & simul nostram sententiam impugnat, tentans suadere vtilitatem orationis post signum libertatis constitutæ, pro qua supponit : Pelagium, Libero Arbitrio in creatione collato ad salutariter, & provt oportet, operandum, legem ; & doctrinam adiecisse, quam ad gratiam pertinere docebat ; volens sub hac specie Patres Concilij Palæstini decipere, & sub nomine falso *gratiæ* sententiam anathematis imminentem declinare, quamvis quoad rem nil de proprio iudicio immutaret ; quo sentiebat : absque vlla vera gratia, naturam pro salutaribus operibus ex se sufficere. Cæterum agnoscentes Patres: dolum in addimento pure verbali Pelagij esse ; vt ostenderent : gratiam ab ipso concessam non esse gratiam, quæ ex scripturis constat ad opera salutaria requiri ; novam explicationem Pelagij damnarunt ex eo, quod *impijs disputationibus dominicam orationem conaretur auferre*: & hanc consequentiam, vt firmissimam statuerunt : *Suppositis donis naturæ, doctrina, & lege ostendentibus viam, per quam ambulare debemus ; recte, & vtiliter oramus Deum, vt dirigat gressus nostros, & salutariter operemur : ergo Deus prævenit salutare opus per gratiam distinctam à doctrina, lege, & donis naturæ.*

231 Itaque apud Patres sic procedit argumentum. Si vltra naturam, legem, & doctrinam, nulla alia gratia ad salutariter operandum esset necessaria; eis suppositis, non esset Deus exorandus director, & Adiutor nostrorum salutarium operum: sed eis suppositis, adhuc est orandum : ergo quia vltra illa concessa aliud donum restat obtinendum, & necessarium pro opere salutari, procedentes ab opposito consequentis legitimè illati ex doctrina Pelagij ad oppositum antecedentis erronei.

232 Quo supposito, arguit. Hæc consequentia : *Ecclesia non solum orat, vt infidelibus nota fiant per doctrinam Dei eloquia ; sed etiam, vt credant : ergo Deus operatur credere per gratiam prævenientem à doctrina distinctam*, est recta : ergo similiter hæc erit recta illatio : *Ecclesia non solum orat, vt infidelibus donetur libertas credendi per sufficientem gratiam ; sed etiam, vt credant : ergo Deus operatur credere per gratiam prævenientem à libertate distinctam* : ast antecedens est verum : cum sæpius audiamus, vt inquit Augustinus, *Sacerdotem Dei ad altare exhortatem Populum Dei, orare pro incredulis ; vt eos Deus convertat ad fidem* : ergo & consequens. Consequentia præmissæ maioris, quæ

in

in entimemate consistit: probatur: quia nullum est principium assignabile, quo innixa sit prima consequentia, quod similiter non inferat legitimitatem secundæ: nam principium, in quo fundatur prima consequentia, solum potest esse; quia *frustra oramus Deum id, quod, cum oramus, in potestate habemus independenter à nova gratia Dei*: quod quidem æquè militat pro secunda illatione; cum non minus probet: frustra Ecclesiam orare Deum; vt infideles, quibus nota est doctrina, credant; si vltra doctrinam non sit necessaria alia gratia præveniens; quàm Ecclesiam frustra orare Deum; vt infideles, quibus donata est libertas, credant; si vltra libertatem alia gratia præveniens non sit necessaria: infertur ergo ex oratione: Deum prævenire *credere* per gratiam distinctam à libertate credendi.

233 Hæc ratio prolixè satis ab Authore extensa nullius roboris apparet ad intentum, detecta æquivocatione, qua laborat per confusionem harum propositionum: *Ecclesia non solum orat, vt infidelibus nota fiant per doctrinam Dei eloquia; sed etiam vt credant: Ecclesia non solum orat, vt infidelibus donetur libertas credendi per sufficientem gratiam; sed etiam, vt credant*, cum his: *Ecclesia supposita doctrina, orat, vt infideles credant: Ecclesia supposita libertate ad credendum per gratiam sufficientem, orat, vt infideles credant*, quæ sunt valde diversæ; & primæ inutiles ad probandam necessitatem distinctæ gratiæ; non sic secundæ. Itaque argumentum Augustini, & Patrum contra Pelagium non sic procedebat: *dum adest doctrina, Ecclesia orat, vt infideles credant: ergo necessaria est gratia distincta à doctrina*: qua ratione plane inefficax est, & posset responderi a Pelagio: *orare*, dum adest donum, non probare necessitatem alterius doni; sed eiusdem non præsuppositi ad orationem: sicut *desiderare id, quod adest*, non probat: desiderium tendere in aliud distinctum ab eo, quod adest; sed desiderium esse in signo, in quo præscinditur ab eo, quod adest cum potestate, vt conferatur; & existat intuitu desiderij, & procurationis illius: quod si non solum petitur, vt sit doctrina; sed vt credatur; id non denotat: ex parte termini esse diversam gratiam excitantem; verum eandem in circumstantijs, in quibus esset coniungenda cum fide.

234 Propterea: vt argumentum esset efficax, & necessitatem gratiæ diversæ à doctrina induceret, arguebant Patres sub hac forma: supposita doctrina, est orandum, vt credatur: ergo alia gratia distincta à doctrina est necessaria ad credendum; patet consequentia: nam si vltra doctrinam, totum, quod restaret, esset in nostra potestate, neque ab ipso actu credendi, qui in nostra est potestate, distingueretur; frustranea, & inutilis esset oratio, *cum frustra oremus Deum id, quod, cum oramus, in potestate habemus*: ex quo argumento non est consequentia ad orationem, qua petit Ecclesia non solum, vt infidelibus concedatur libertas credendi; sed ipsum *credere*: quia hæc oratio non procedit ex suppositione libertatis tendens in id, vt supposita libertate, post donetur actus credendi; sed pro signo potestatis liberæ Dei ad dandam libertatem credēdi per gratiam sufficientem, exigens, vt non solum concedatur libertas per sufficientiam gratiæ ad credendum; sed quod hæc sufficientia sit in circumstantijs, in quibus Deus prævidet coniungendam cum actu credendi: pro quo casu crescit gratia, & beneficium propter effectum salutarem, quem secum trahit in actu secundo; quamvis inter gratiam libertatis, & actum credēdi non mediet aliud donum, quod, supposita libertate, à Deo exoretur.

235 Per quæ tantum distamus ab eo, quod præbeatur ansa Pelagio enervandi argumentum Patrum, vt potius ex Thomistarum doctrina id videatur deduci. Etenim, vt manifestum est omnibus, Augustinus, & reliqui Patres intendebant contra Pelagium statuere necessitatem gratiæ intrinsecæ supernaturalis, non modo *adiuvantis*; verum *excitantis*, per quam actus salutaris constitueretur in potestate non mere naturali; sed supernaturali: ad quod probandum vsi sunt argumento propositio orationis ex suppositione legis, & doctrinæ; cui si sententia Augustini esset Thomistarum sententia, posset Pelagius respondere: orationem, supposita doctrina, tendere ad obtinendam gratiam *adiuvantem* præcisse, & quæ applicatio est ad salutariter operandum; ideoque non probari per tale medium: sufficientiam ad actum salutarem constitui per aliam gratiam distinctam à doctrina: quod si ex necessitate gratiæ *adiuvantis* inconsequentiæ redarguerentur, posset iterum respondere: eam gratiam

tiam non esse intrinsece supernaturalem; sed quoad modum, qualiter gratiam doctrinæ proponebat: in quantum Deus poterat subtrahere applicationem ad actum bonum; sicut poterat subtrahere doctrinæ manifestationem: quibus vellato suo errore, in eodem firmus permaneret. Nec incredibile erit cuique legenti in Concilijs contra Pelagium, technas, & tricas ipsius, vt non se ostenderet adversarium veritatis: quod si gratiam prædeterminantem hanc in Patribus redoluisset, ea vteretur, differens aliquantulum decisivam sententiam, donec, quid diceret, liquidò constaret.

236 Vltimo: postquam refert: se primo tom. de Libero arbitrio disputatione 2. quæstione 3. talia iecisse fundamenta ex oratione Ecclesiæ, & fidelium desumpta ad suadendam gratiam prævenientem à libertate adæquate distinctam; ac proinde prædeterminantem, vt Pater Aranda, qui laborem ea solvendi assumpserit, eorum vim conterere non satis valuisset: iam se convertit ad speciale argumentum in idem assumptum, quod (inquit) prætermittere non posse, licet ibi satis firmatum, illud noviter firmando. Argumentum consistit in vtilitate orationis, qua petimus à Deo, vt *nos liberet à malo omissionis boni præcepti*, & nova vis addita in inquirendo: quodnam sit obiectum huius orationis? Videtur enim, secluſa ex parte obiecti gratia præveniente à libertate distincta adæquatè, non remanere obiectum prudenter, & vtiliter expetibile; cum solum restet, vel liberatio à malo chymærico, vel liberatio à malo possibili facienda ab eo, qui non habet potestatem liberandi; quod vtrumque petere fatuum est.

237 Explicat. Nam vel petimus à Deo liberationem à malo omissionis, dum adest libertas ad bonum præceptum, ita vt obiectum orationis omnia hæc complectatur: *oro Deum, vt me liberet, dum non est in sua electione, & determinatione liberare me*, & hoc quidem est fatuum, & inutile: vel peto liberationem ab eo malo omissionis, dum deficit libertas: qua ratione peto liberationem à malo chymærico, vt est malum *moraliter* sine libertate, quam essentialiter requirit: ergo liberatio mali, quæ sit obiectum orationis prudentis, & seriæ, solum potest esse, cum adest libertas ad bonum; quia adhuc tunc est in electione, & determinatione libera Dei vitatio mali omissionis, & executio boni præcepti.

238 Amplius premit ex oratione, qua quilibet Christianus orat Deum, vt liberet ab omni peccato, seu à malo faciendo: quo sensu orabat Divus Paulus pro Corinthijs, vt ipse testatur epistola 2. capite 13. dicens: *oramus autem ad Dominum, nè quid faciatis mali.* In qua obiectum exoratum nequit esse potentia non peccandi; cum hoc sit obiectum necessarium: siquidem potestas non peccandi, solum potest tolli per necessitatem peccandi, quæ chymærica est, non minus ac peccatum necessarium: vnde, existente voluntate, tantum remanent duo extrema possibilia, scilicet, aut *potestas libera non peccandi*, aut *necessitas non peccandi*, quorum neutrum excludit potestatem non peccandi, quam essentialiter involvit: tunc sic. Id, quod petimus à Deo, dum oramus pro liberatione mali, non est potentia non peccandi, vtpote quæ nobis deficere non potest: ergo, posita expeditione ad non peccandum, aliud petimus pro non faciendo malo, ad quod non faciendum sumus expediti per potentiam non peccandi: ergo supposita expeditione ex parte nostra ad non faciendum malum, aliquid restat exorandum ex parte Dei pro non faciendo malo, quod in nostra potestate non est; ac per consequens inter potestatem non peccandi, & exercitium non peccandi mediat aliquid gratiæ prævenientis donandum à Deo, quod sit materia orationis, vt à malo liberemur.

239 Nil speciale invenio in hac ponderata specialitate arguendi, quæ in limine offendit; si vt iam monui, præ oculis habeatur: Patres Ecclesiæ vsos fuisse argumento orationis ad probandam contra Pelagium gratiam interiorem *excitantem*, & constitutivam libertatis, quam ipse negabat, propugnans libertatem adæquate naturalem: quare si per talia argumenta convincitur existentia, & necessitas gratiæ *excitantis*; videat ipse Sapientissimus Doctor, qualiter teneatur respondere suis iteratis interrogationibus, quoad orationis obiectum. Præterea patitur instantiam meo iudicio claram in suo arguendi modo, quo probatur: libertatem non conducere *in actu secundo* ad observationem præcepti. Aut enim hæc conducentia *in actu secundo* est ad actum præceptum, dum exigit actus præceptus, taliter,

liter, vt hæc conducentia *in actu secundo* ex parte termini hæc omnia complectatur: *conducit libertas in actu secundo ad actum præceptum pro signo, quo non est in manu, & potestate libertatis ipsum determinare?* & sic est inutilis, & ridicula conducentia libertatis *in actu secundo* ad actum præceptum: aut conducit in actu secundo ad actum præceptum, quando non existit *in actu secundo*; sed eius omissio? Et hac ratione chimærica est conducentia libertatis *in actu secundo* ad observationem præcepti: inutilis ergo est libertas ad observandum præceptum: sicut per te inutilis est oratio tendens in liberationem mali omissionis boni præcepti.

240 In primo, quod quærit, mirum est: nolle intelligere, non esse idem petere liberationem à malo omissionis, dum adest libertas, & petere liberationem pro signo supponête libertatem: sicut non est idem imperare motum manus, dum adest talis motus, & imperare motum pro signo subsequuto ad motum. Itaque dum adest libertas, petimus liberationem à malo omissionis: cæterum oratio si in eodem instanti existat, & ad liberationem tendat eiusdem instantis; intelligitur propriori ad collationem libertatis *subiectivè*, qua potest adimplere præceptum; & *obiectivè* ante signum libertatis divinæ ad dandam, & non dandam libertatem creatam coniungendam cum observatione præcepti, tenditque ad movendum Deum, vt non solum donet observationem præcepti *subiectivè*, & quatenus est ex parte sui in auxilio; sed *effectivè* in collatione libertatis, quam prævidet coniungendam in effectu cum observatione præcepti, quæque pro tali casu superaddit beneficium dandi moraliter consentum; & observationem præcepti in entitate auxilij prævisi coniungendi cum tali operatione: propterea que non tendit inutiliter, aut chymæricè ex parte termini.

241 In secundo etiam confunditur potentia non peccandi *vage* accepta, qua ratione indefectibilis, & necessaria est, comprehenditque potentiam non peccandi liberam, & necessariam cum potestate non peccandi *determinate* accepta, vt est potentia libera non peccandi, quæ contingens, & defectibilis est; neque inepta, vt sit materia prudentis orationis: non aliter ac exclusio actualis meæ impossibilitatis est necessaria in disiuncto meæ existentiæ, & carentiæ; verum *determinatè* accepta, quoad existentiam præcarentia, est materia prudentis, & debitæ actionis gratiarum; nec non vtilis, & prudentis orationis pro continuatione ipsius. Petit igitur quivis Christianus per liberationem à malo potentiam liberam non peccandi, non aliter; quàm coniungendam cum observatione omnium præceptorum, quam si Deus conferat, liberabimur ab omni malo peccati. Eccè materiam orationis vtilem, in quam pro salute Spirituali Corinthiorum suas preces dirigebat Apostolus.

242 Eiusdem rationis sunt fundamenta illa ex primo tomo, ad quæ se remittit tamquàm ad propugnaculum inexpugnabile; nè vero eadem recurrere, ecce. Quando ab Ecclesia (inquit) edocti, oramus, *vt liberet nos à malo*: aut oramus pro casu, quo non sit auxilium sufficiens evadendi malum? Et hoc est ridiculum; cum tale malum Chymæricum sit: aut oramus, pro casu, quo fiat præcisio à libertate evadendi tale malum? Et hoc etiam ridiculum; quia malum præscindens ab existentia, vel carentia auxilij etiam Chymæricum est: vel tandem oramus pro casu, quo sit plena potestas evadendi malum? Et hoc est stultum, si adhuc non dependet evasio mali ab exercitio, & libertate illius, ad quem oratio dirigitur: sed si non datur gratia ab intrinseco efficax, & prædeterminans, suppositâ iam plena potestate, non vltra dependet evasio mali à divina libertate, eiusque exercitio; nàm privativè manet sub arbitrio orantis: ergo, vt talis oratio prudens, & vtilis sit, fatenda est necessaria gratia prædeterminans.

243 Promovet difficultatem, & argumenti vim ex Tridentino sessione 6. capite 1. dicente: *In sacris litteris cum dicitur convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis nostræ admonemur: cum respondemus: converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur*: quæ sic ponderat: constituti in libertate per vocationem, qua libertatis nostræ admonemur, possumus respondere, orando, vt nos convertat, & ita convertamur: ergo postquàm liberi sumus *in actu primo* ad conversionem, fructuose oramus, vt Deus donet, & superaddat ipsam conversionem; quod stare non posset, si inter actum *primum*, & *secundum* non intercederet ex necessitate aliquid aliud pro conversione dependen-

dens immediate à Dei libertate: ergo nè frustranea, & inutilis convincatur oratio, quę ex sacris litteris constat, aliud donum dependens immediatè à libertate divina medians inter actum *primũ*, & *secundum* vltra gratiam sufficientem tenentem se ex parte actus primi, est concedendum, quod non aliud potest esse; quàm gratia invincibiliter efficax, & irresistibiliter applicativa voluntatis ad conversionem; ac proinde physicè prædeterminans.

244 Vnico verbo hæc machina suo constructori inconteribilis, facile conteritur, respondendo quæsitis, id, quod semel, & iterum insinuavimus: scilicet, casum orationis, pro quo petimus liberationem à malo, esse casum plenæ potestatis ad ipsum vitandum; sed non per orationem, quæ supponat casum, nec quæ petat liberationem à malo ex suppositione casus; verum quæ petat suppositionem casus, nõ aliter; quàm in circunstantijs, in quibus coniungendus est cum conversione; ex quo modo donandi, & purificandi casum, censetur Deus donare, & potestatem conversionis, & in potestate coniungenda infallibiliter cum conversione ipsam conversionem; pro quo explicando, sit præsens exemplum imperij moventis manum, quod tendit ad motum pro casu motus; licet non præsupponens *subiectivè* motum, nèc *obiectivè* volendo motum ex suppositione motus. Doctrina Tridentini pro confirmatione adducta in id tendit, vt ex clamoribus, & orationibus nostris, quibus Deũ adiuvantem infirmitatem nostram exoramus, probet necessitatem gratiæ contra Pelagium, & ex hortatione divina, vt potestate benè vtamur, acquiescendo gratiæ, qua excitamur, libertatem nostram contra Calvinum, & Lutherum firmet; quod vero clamores nostri sint pro signo subsequuto ad libertatem constitutam per gratiam *excitantem* vbi asserit? Nec asserere potuit, si doctrina Tridentini supra expensa animadvertatur: quarè de suo, Sapientissimus Doctor addidit id, sine quo insulsane agnoscebat probationem ex Sacro Concilio. Hac solutione adhibita identica cum solutione Patris Aranda, quæque consona debet esse omnibus Authoribus Societatis, videat prudens, & non præoccupatus Lector, quid roboris invicti maneat argumentis proclamatis doctissimi Castellij.

245 Tertium absurdum. Ex tali suppositione nulla esset possibilis obligatio creaturæ orta ex contractu, voto, aut iuramento: insuperque nulla esset differentia gravium, & leviũ tentationum. Probatur prima pars loquendo in casu particulari; vnde reliqui innotescent, in quo Ioannes v.g. per promissionem Deo, vel alteri homini factam velit se obligare ad aliquam actionem exequendam: inferimus ergo: stante doctrina adversariorum, non posse sibi per promissionem imponere aliquam obligationem. Probatur. Aut enim talis homo intendit se obligare ad ponendam actionem promissam *absolutè*, vel *conditionatè* sub conditione, quod ei conferatur prædeterminatio eiusdem actionis? *Si absolutè*: vel ad ponendam actionem sinè prædeterminatione essentialiter requisita ad ipsam? Vel cum prædeterminatione essentialiter exacta? Vel cum præcisione à prædeterminatione, & eius defectu? *Si primo, & tertio modo*: obligatio esset ad impossibile, vt est ponere actionem sine prædeterminatione sibi essentialiter necessaria, aut cum præcisione à duplici contradictorio prædeterminationis, & carentiæ; ac per consequens esset obligatio chymærica, & destructiva sui; cum ad impossibile nemo teneatur. *Si secundo modo*: scilicet ad constituendum complexum ex prædeterminatione, & actione etiam obligatio nulla est; quia etsi respiciat terminum *absolutè* possibilem; non tamen promittenti, penes cuius potestatem non est obtinere prædeterminationem constitutivam complexi: vnde cum nemo possit vere obligari ad id, quod in sua potestate non est; obligatio ad complexum esset irrisoria: non ergo valet se obligare *absolutè* ad ponendam actionem promissam.

246 Deinde nec *conditionatè* sub conditione prædeterminationis, ex eo, quod nemo possit serio se obligare ad id, quod est sibi necessarium, & inevitabile, quale est ponere actionem, suppositâ prædeterminatione; aliàs esset in manu creaturæ adiungere carentiam actionis ad prædeterminationem illius, faciendo sensum compositum prædeterminationis, & defectus rei prædeterminatæ. Vlteriusque nullus non adimplẽs promissum esset culpabilis, & reprehensibilis in non adimpletione obligationis. Ratio est; quia obligatio *conditionata*, in tantum obligat; in quan-

quantum purificatur conditio : sed in omni non adimplente promissionem non purificatur conditio prædeterminationis, quæ deficit: ergo dum non adimplet, omittit adimpletionem sine obligatione : at omnis, qui non adimplet promissionem sine obligatione adimplendi, non est culpabilis, nec reprehensibilis in non adimplendo : ergo si obligatio ad rem promissam esset sub conditione prædeterminationis; nullus, qui promissis non staret, esset culpabilis, & reprehensibilis in non exequendo.

247 Respondebis: Obligationem non tendere ad exequendam rem, vt *positivè* divisam à prædeterminatione, neque, vt præscindentem à prædeterminatione, & carentia illius; quia vtroque modo exequutio est impossibilis, vt benè probatum est : esse tamen ad exequendam rem pro sensu composito prædeterminationis, non vtcumque ; sed *potentiâ subordinatâ* ; pro quo non est necessarium posse ponere complexum adæquatè, & quoad vtramque partem ; cum sufficiat posse determinare existentiam complexi per positionem vltimæ partis, aliundè præsupposita alia; sicuti faceret in casu prædeterminationis ad rem promissam, in quo prædeterminationi existenti propriori liberè adiungeret existentiam rei promissæ. Sed contra : quia se obligare ad exequendam rem *potestate subordinata alteri*, formalissimè est se obligare ad exequendam rem, si alter velit: sicut me obligare ad dandum tibi centum *potestate subordinata* alteri donanti mihi centum, nil aliud est ; quàm me obligare ad dandum tibi centum, si alter prius eam quantitatem mihi donaverit : vnde infertur illud iam ponderatum; videlicet me nunquam in non adimplendo promissa, sivè Deo, sivè creaturæ esse culpabilem, & reprehensibilem ; siquidem omnis casus non adimpletionis est casus non purificationis conditionis, sub qua tantum vrget obligatio exequendi.

248 Contra insuper: nam nullum maius signum impotentiæ exequendi aliquam actionem; quàm casus componibilis cum volitione *affectivè* efficaci exequendi sine exequutione: sed omnis casus non adimplendi promissum est casus componibilis cum volitione *affectivè* efficaci adimplendi promissum sine adimpletione promissi; quia potest Deus prædeterminare ad affectum adimplendi sine prædeterminatione ad exequutionem : ergo omnis casus non standi promissis, est casus impotentiæ adimplendi: qualis ergo erit obligatio adimplendi, quæ semper, ac non impleam, sit in casu impotentiæ exequendi?

249 Replicabis. Vt obligatio respiciens terminum exequendum cum dependentia ab alio sit obligatio *absoluta*, & non pure *conditionata*; sufficit, quod detur in promittente potestas expedita ad terminum obligationis, aliter impotentem existere; quàm faciendo sensum compositum cum extremo procedente ab alio, à quo dependet. Sed contra : quia sicut in promissione, quam ego facio alteri donandi centum, quæ aliter habere non possum; quàm prius liberaliter donata ab alio, implicat me habere potentiam expeditam ad donandum, & exequendum promissum; propterea quod in mea potestate non sit, quod alter donet; ideoque obligatio illa non est *absoluta* ; sed *conditionata* : sic, quia id, quod promitto, non possum aliter exequi; quàm prius in prædeterminatione donatum, quam comparare non est in me ; implicabit dari potentiam expeditam ad exequendum id, quod non aliter; quàm pro sensu composito prædeterminationis potest existere, & quod obligatio sit *absoluta*, & non merè *conditionata*. Quod si fiat recursus ad solitam disparitatem agentis *primi*, & *secundi*, etiam recurram ad ea, quibus prædictam disparitatem, vt insufficientem superius impugnavi, iterum inculcans ibi dicta.

250 Probatur iam secunda pars. Differentia gravis tentationis à levi consistit in vehementiore inclinatione, & propensione ad malum ; quàm ad bonum, vi cuius tentatus redditur propinquior ad malum ; quàm ad bonum: sed hæc maior inclinatio, & propinquitas ad malum non datur ex suppositione gratiæ ab intrinseco efficacis, & prædeterminantis : ergo nec distinctio levis, & gravis tentationis. Probo minorem. Tum non datur maior inclinatio, & propinquitas ad malum; quàm ad bonum ; quando datur æqua indifferentia ad methaphysicè necessarium, vt existat consensus tentationis præ resistentia illius : sed in ea suppositione, quavis tentatione existente, æqua indifferentia est ad metaphysicè neces-

sa-

farium, vt existat malum consensus, præ bono resistentiæ: ergo maior inclinatio, & propinquitas ad malum; quàm ad bonum non datur ex suppositione gratiæ ab intrinseco efficacis, & prædeterminātis. Maior apparet certa: nam quomodo erit proximius, & proclivius ad malum; quàm ad bonum id, quod est æquè indifferens ad carentiam, & existentiam extremi necessarij ad existentiam mali: sicut enim implicat esse connexum cum vno extremo, & indifferens ad terminum connexionis illius: sic videtur implicare esse aliquomodo determinatum ad aliquod extremum, & esse omninò indifferens ad terminum connexionis illius. Probatur minor. Omnis tentatio ex parte creaturæ relinquit Deum æquè indifferentem, vt conferat, vel non conferat prædeterminationem ad bonum: ergo relinquit æquè indifferentem, vt se exerceat, vel non se exerceat per carentiam prædeterminationis ad bonum resistentiæ: sed carentia prædeterminationis ad bonum resistentiæ est essentialiter necessaria ad malum consentiendi tentationi: ergo data quavis tentatione, non datur maior inclinatio, & propinquitas ad metaphysicè necessarium, vt existat malum consensus præ bono resistentiæ; sed æqua indifferentia est ad vtrumvis.

251 Vrgetur: quia saltem esset impossibilis tentatio illa gravissima, quæ reddit imprudens iudicium de resistentia, & facit necessarium *moraliter* consensum, vt est illa, quam quis patitur constitutus in occasione proxima peccandi. Et ratio est: quia implicat in vi tentationis esse *moraliter* necessarium ei succumbere, & dari plenam indifferentiam *moralem*; tùm ad carentiam; tum ad existentiam necessarij ad tentationis consensum: sed quavis tentatione supposita, datur plena indifferentia, vt Deus præstet, aut non præstet necessarium metaphysicè ad consentiendum; quia posita quavis tentatione, Deus manet cum plena libertatis indifferentia ad prædeterminandum, aùt non prædeterminandum ad bonum resistentiæ; nequè est ex parte tentationis aliquid, quod potius flectat diuinam libertatem in vnum exercitium; quàm in aliud: aliàs esset vis ex parte rei creatæ ad auferendum aliquam potentiam libertatis in Deo, qualis est potentia *moralis*, quæ per indifferentiam plenam ad libertatis extrema constituitur: quod cum principijs Thomistarum non cohæret: ergo impossibilis redditur tentatio grauissima inducens necessitatem *moralem* lapsus.

252 Quod si dicas immediatè: pro gravitate tentationis fundantis imprudens iudicium resistentiæ, & necessarium *moraliter* lapsum non opus esse inferre Deo aliquam necessitatem *moralem* tribuendi necessaria ad consensum; sed tantùm quòd in hac providentia existente simili tentatione, aùt nunquam, aùt ferè nunquam deficiant necessaria indispensabiliter ad lapsum. Contra est: nàm quoties hæc providentia non sit ex debito tentationis, parum deservit ad explicandam gravitatem tentationis, quæ tantùm est pensanda penès id, quod ex se affert quasi ex debito; non secundum illud, quod ei accidentaliter adiungitur: sin minùs dicere possemus: eum, qui cum minimo tentationis, & magna allicientia ad bonum ex malitia cadit; aùt saltem eum, qui cum libertate in æquilibrio labitur, esse gravius tentatum ex coniunctione cum consensu peccaminoso; quàm alium: qui vehementi allicientia passionum, & motivorum glorioſe resistit. Præterea: iuxtà hanc solutionem possibile Deo fuit taliter providere, vt inverso ordine, vehementi allicientiæ motivorum ad lapsum adiuncta acripugna passionum, ferè semper provideret resistentiam, & victoriam, ea denegata semper, aut ferè semper leviori certamini: in quo casu, quis reputaret graviores tentationes, in quibus erat ruina, eis, in quibus erat victoria? Argumentum ergo est: gravitatem tentationum non esse sumendam ex extrinseco providentiæ; sed potius extrinsecum providentiæ commensurandum cum gravitate tentationum: siquidem Deus in communi providentia se accommodat exigentijs rerum, etiam *physicis*, & *moralibus*.

DISPVTATIO VI.

De decretis efficacibus antecedentibus noſtras operationes liberas, ſeu de ſecundo præ-textu ad excludendam ſcien-tiam mediam.

CAPVT I.

Prædicta decreta impugnantur independenter à concurſu Dei in peccatum.

1 NOn pauci, & graviſsimi Authores ægrè ſatis ferentes: libertatem creatam ſtare poſſe cum efficacia intrinſeca gratiæ, & qualitate prædeterminante in nobis recepta, ad efficaciam extrinſecam conſiſtentem in decreto efficaci libero Dei operationes liberas creaturæ prævenienti, confugerunt; in quo iudicant inconvenientia contra intrinſecam prędeterminationem ponderata temperari, ſalvo libertatis creatæ dominio, cum ſubiectione debita ad ſupremum Dei; penès quod eſt independenter ab omni ſuppoſitione contingẽte ſibi non libera expeditio ad obtinendum conſenſum liberum creaturæ. Inde neceſsitatem ſcientiæ mediæ reijciunt; cùm ſufficiat ſola ſcientia naturalis proponens poteſtatem proximam Dei adiungendi auxilio intrinſeco indifferenti ſuum decretum efficax, & per ipſum obtinendi conſenſum liberum creaturæ, medio quo dirigatur infallibiliter in ſalutem, & finem gloriæ.

2 Hoc decretum reſpiciens immediatè pro obiecto operationem liberam creaturæ, ſine derivatione alterius qualitatis, & applicationis intrinſecæ voluntati; quodque quia efficax, metaphyſicè cum operatione libera, quam pro obiecto habet, connectitur, & ſine quo propter ſubiectionem, quam habet creatura ad Deum, vt *primum* determinantem, nulla operatio libera poteſt exiſtere, tuentur plures Scotiſtæ, inter quos apùd Ribadeneyra diſputatione 9. de prædeſtinatione capite primo; Magiſter Felix varijs in locis primi principij, & Tentativæ Complutenſis, Angelus à Montepiloſo tomo 2. prima parte diſputatione 30. numero 8. & Theodorus Smiſingus tractatu 3. de Deo diſputatione 2. quæſtione 5. quam ſententiam noviſsimè illuſtravit doctiſsimus Magiſter F. Franciſcus Palanco ex Sacro Minimorum Ordine vir non vulgari ingenio, & doctrina præditus, toto integro, & plauſibili tractatu de providentia Dei, cui, vt acerrimo impugnatori qualitatis intrinſecæ prædeterminantis, non poteſt non gratulari Societatis Schola.

3 Vt clarius procedam in impugnatione huius ſententiæ, non omittam eam proponere ipſiſsimis verbis, quibus ſe explicat præcitatus Mag. Palancus inquiens diſputatione 14. §. 1. numero 2. *Dico igitur, quod Deus non movet noſtram voluntatem media qualitate phyſicè prædeterminante; ſed tota phyſica præmotio, ſi ſumatur activè, conſiſtit in actione Dei virtualiter tranſeunte, cuius immediatus effectus eſt noſtrum velle, ſivè ipſe motus liberi arbitrij; ſi verò ſumatur paſsivè, & terminativè, nimirùm quantum ad effectum, quem cauſat intrinſecum in voluntate, quo voluntas intrinſece movetur, & determinatur à*

Deo

Deo ; *importat ipsum velle voluntatis, motumque liberi arbitrij, vt effectum à Deo in ipsa voluntate causatum.* Eccè sententiam doctissimi Magistri, identicam quidem cum sententia Scotistarum, quos retulimus ; sed magna claritate, & Scholastico rigore propositam, quam non minori ingenio propugnat.

4 Modus iste excludendi scientiam mediam impugnatur primò eisdem omnibus fundamentis, quibus prædeterminatio intrinseca, seù qualitas prædeterminans reiecta est, à qua prædeterminatio extrinseca, & quæ in solo decreto consistat in nihilo, quod ad minuendam difficultatem conducat, videtur differre. Ratio est : quia prædeterminatio intrinseca, & in qualitate posita, eo redditur difficilis, vt cum libertate creata componenda ; quia est prærequisita ad determinatum libertatis exercitium, v. g. consensum, connexa cum illo, & inimpedibilis per creatam libertatem : sed hæc omnia prædicata inveniuntur in decreto efficaci, quod est antecedens, & prærequisitum ad operationem liberam, connexum cum determinato exercitio, & per libertatem creatam inacquiribile, & inimpedibile: ergo omnia fundamenta tùm ex authoritate, tùm ex ratione, quæ contra prædeterminationem intrinsecam, & in qualitate constitutam militant ; prædeterminationem extrinsecam, cuius *esse* sit decretum efficax antecedens, & actio Dei *formaliter* immanens, & *virtualiter* trasiens, similiter impugnant.

5 Respondebis primò immediatè : Prædeterminationem extrinsecam esse antecedentem, prærequisitam, connexam, & inimpedibilem, nequè ex hoc solo capite prædeterminationem intrinsecam libertati officere, sed ex modo, quo est antecedens, prærequisita, connexa, & inimpedibilis, scilicèt, vt forma intrinseca ; ex quo modo provenit illi repugnantia, & libertatis eversio. Propterea ; quamvis prædeterminatio extrinseca non sit minus connexa, prærequisita, antecedens, & inimpedibilis ; quàm intrinseca, non eodem modo : ex qua modi diversitate vna servat ; altera evertit libertatem nostram. Sed contra : nam si prædeterminatio, nec quia antecedens, & prærequisita, nequè quia connexa, & inimpedibilis, adhuc *complexivè* quoad omnia, libertatem destruit ; implicatorium est, quod ex modo *intrinsecè itatis* ei repugnet. Assumptum probo. Si prædeterminatio ex se, quia antecedens, &c. libertatem creatam non destruit ; modus superadditus *intrinsecèitatis* præcisè potest facere, voluntatem habere intrinsecè id, quod ex se libertatem non destruit : sed implicatorium est: libertatem voluntatis destrui per intrinsecam habitionem illius, quod libertatem servat: ergo si prædeterminatio propter illa prædicata adhuc *complexivè* sumpta, libertatem non destruit; implicatoriū est, quod ex modo, *quia intrinseca*, ei repugnet.

6 Explico. Omnis forma, aut quasi forma, quæ ex prædicatis alijs distinctis à modo *intrinsecæ* communicationis, aùt non est disconveniens *simpliciter* subiecto, aùt *secundum quid* in ordine ad aliquod munus Villius, per determinationem ad intrinsecam vnionem non immutatur taliter, vt fiat disconveniens subiecto, vel *simpliciter*, vel *secundum quid*: sic quia cognitio titulo repræsentationis intentionalis non est disconveniens obiecto, nèc *simpliciter*, nec *secundum quid* in ordine ad illud denominandum cognitum ; quamvis fiat ei intrinseca per vnionem, remanet eodem modo conveniens, & apta ad denominandum: vt cōstat, quando Angelus, aut homo se cognoscunt; in quo casu cognitio est intrinseca obiecto cognito; quia simul est subiectum cognoscens: similiter; quia virtus indifferens, quę, vt talis, nō habet prædicatum infensum libertati, cum eadem libertate componitur, etiam si sit intrinseca, vti sunt voluntati habitus: sic denique in omnipotentia, quæ quia ex se libertati creatæ non repugnans, vel facta intrinseca, vt in humanitate Christi, vel extrinseca remanens, vt in nobis, eodem modo pro libertate conducit : ergo si prædeterminatio ex se, & secūdùm omnia alia prædicata diversa à modo *intrinsecæ* communicationis non est disconveniens voluntati secundum libertatis modum; nec quàmvis fiat per vnionem intrinseca, suam conditionem libertati benevolam immutabit.

7 Quod vt videas : pone me pro nunc asserere: habitum supernaturalem charitatis esse adæquatam, & talem virtutem agendi, ita vt voluntas adhuc inadæquatè ad actum charitatis non concurrat: & insuper asserere; quod si talis habitus sit intrinsecus voluntati, & cooperationem, & libertatem illius evertere; quia in tali casu merè *passivè* se

haberet; non sic; si extrinsecus foret, & merè assistens: quæ impugnatio tibi supperet, vt me ab hac cogitatione deturbares præter examen prædicatorũ habitus, prout præscindentis à comunicatione *intrinseca*? Vnde argueres: si habitus propter aliquam rationem cum libertate actus non cohæreret; maximè, quia est virtus adæquata, & totalis elicitiva actus, quin voluntas adhùc inadæquate, vt virtus concurrat: sed per te habitus sub hac ratione cum libertate actus non opponitur: ergo nequè quia voluntati intrinsecus. Consequentiam probares. Habitum esse intrinsecum, est habere per inhærentiam id, quod ex se, & propter alia prædicata libertati non nocet: sed habere intrinsecum id, quod propter alia prædicata non nocet libertati, purè, & præcisse est habere intrinsecum id, quod libertati non opponitur, ac proindè voluntatem esse per intrinseca liberam: ergo si habitus sub ratione virtutis adæquatæ, & totalis libertati non opponitur, nèc quia intrinsecus, vllam cum libertate oppositionem exercebit. Idem argumentum in te converto. Si propter aliquam rationem physica prædeterminatio intrinseca libertari creatæ repugnaret; maximè, quia antecedens, prærequisita, conexa, & inimpedibilis: sed propter hęc per te non opponitur: ergo nequè quia intrinseca. Probo consequentiam. Prædeterminationem esse intrinsecam, est habere per inhærentiam id, quod ex se, & per alia prædicata libertati non nocet: sed habere intrinsecum id, quod propter alia prædicata libertati non nocet, est præcisè habere intrinsecum id, quòd libertati non opponitur; ac proindè voluntatem esse per intrinseca liberam: ergo si prædeterminatio sub ratione *antecedentis*, *prærequisitæ*, *connexæ*, & *inimpedibilis* libertati non opponitur; nèc, quia intrinseca, vllam cum libertate oppositionem exercebit.

8 Replicabis. Argumentum nostrum evidenter fallere in modo existendi sic, vel aliter, qui adiunctus rei ex se, & ex suis prædicatis non oppositæ libertati, eam reddit oppositam, & libertatis eversivam: vt videre est in Schola Thomistarum defendentium communiter prædeterminationem intrinsecam, quam existentem intermediam inter actum *primum*, & *secundum* fatentur protectricem libertatis creatæ; existentem verò ex parte actus *primi* respuunt, vt libertati infensam; & etiam in nostra Schola in qua multi tuentur: visionem intuitivam Dei collatam dependenter à potestate peccandi, cum ea sinè implicatione componi; quin obstent prędicata *repræsentationis claræ Dei*; si verò independenter à potestate peccandi existat, censent: cum tali potestate non componi; & aliqui idem sentiunt de vnione hypostatica, saltem pro primo instanti: in quorum sententia non valet; *Prædeterminatio, visio beatifica, & vnio hypostatica ex se, & ex suis prædicatis non sunt incomponibiles, aut cum libertate absolutè, aut cum libertate peccandi: ergo modus existendi sic, vel aliter, præcisè faciet existere sic, vel aliter, quòd libertati non nocet*: quia respondent: modum ipsum existendi inducere cum alijs prædicatis libertatis destructionem: quæ solutio ipsissima est cum ea, quam tradunt Authores prædeterminationis extrinsecæ dicentes; prędeterminationem propter alia prædicata, quæ præscindant à ratione formæ intrinsecæ, nil ostendere libertati oppositum; adiuncto verò modo existendi *intrinsecè*, coniunctum, quod resultat ex alijs prædicatis, & tali modo, iam libertati minimè congruit.

9 Initantia non est tàm efficax, vt fortè alicui minus consideranti videbitur; imò rebus benè vtrimquè perpensis, clare eius inefficacia constat. Etenim modus *existendi propriori*, si de prædeterminatione loquamur, immutat intrinsecè prædicata prædeterminationis, & prædicata libertatis; si verò de visione, & vnione hypostatica, etsi eas intrinsecè non immutet; immutat verò intrinsecè libertatem, & ex indifferentia in determinationem, & necessitatem ad vnum convertit. Accidit primum in prædeterminatione: tùm quia omnia predicata prædeterminationis ex se sunt destinata ad rationem applicationis mediantis inter actum *primum*, & *secundum*; qualiter non esset si actum *primum* constituerent: immutaret etiam intrinsecè libertatem, quæ per se est indifferentia ad vtrumvis; ac per consequens à se excludit connexionem cum vno, quam necessario haberet, si prædeterminatio ex parte actus *primi* indistincti à libertate existeret. Accidit secundum in visione, & vnione hypostatica, quæ, quamvis ex se non habeant essentialiter in tali sententia non

constituere actum *primum*, at sic existentes, immutarent libertatem in ratione potestatis ad peccandum, ex eo quod constituerent actum *primum* essentialiter determinatum, vt non sit peccatum, vtpotè cum illo metaphysice inconiungibile.

10 Videamus nunc: àn simile fundamentum procedat in modo prædeterminationis intrinsecæ? Minimè profectò: nam quod prædeterminatio sit intrinseca, non extrahit ipsam cum prædicatis aliundè per te non nocivis libertati à suo signo; sed in suo signo facit intrinsecam: non aliter, ac modus actionis immanētis non immutat actionem à suo signo medio inter causam, & effectum, eam in alio collocans; quamvis talis modus sit in causa, vt iuxta conditionem sui signi sit intrinseca agenti: neque propter eandem rationem transfert ipsam de conceptu *solius applicationis* ad conceptum, & rationem *actus primi*; quia, vt id faceret, erat necessarium: prædeterminationem immutari quòad signum, & vt vidimus, modus *existendi intrinsecè* in voluntate id non facit, nisi liberè, & arbitrariè asseratur. Est ergo disparitas non levis inter vnum, & alterum modum; propter quam vnus libertati præiudicet; secus alter. Vnde manet impugnatio in sua vi, quæ non desumpta est ex præcisso conceptu *modi*, volentes propugnare: nullum modum adiectum prædicatis ex se non oppositis libertati eam servare illæsam; verum ex conceptu *talis modi; informationis*, aut *inhæsionis*; quem intendant Assertores prædeterminationis extrinsecæ parem facere alijs libertati non consentaneis.

11 Ideo respondet secundo Magister Palancus: prædeterminationem titulo formæ *intrinsecæ* non posse non immutari quoad prædicata purè applicationis tenentis se ex parte actus *secundi*; sed necessario extrahi à signo intermedio ad signum actus *primi*, auferendo indifferentiam illius, & constituendo potestatem determinatam ad vnum cum totali libertatis ruina. Intentum suadere nititur: tùm authoritate, tùm ratione. Authoritate Divi Thomæ dicentis primo contra Gentes capite 68. in fine. *Dominium autem, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius est potestate velle, vel nolle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exterius agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ à qua est ei esse, & operari; & sic remanet causalitas in prima causa, quæ Deus est, respectu voluntatis, vt sic Deus se ipsum cognoscendo huiusmodi cognoscere possit.* En (inquit) apertissimè excludit prædeterminationem intrinsecam, & extrinsecam propugnat Doctor Angelicus. Nam in primis ait: dominium voluntatis excludere determinationem virtutis ad vnum: ergo dominium voluntatis excludit talem physicam qualitatem, &ècontra. Dicit etiam; quod tale dominium non excludit influentiam superioris causæ; nè tamen pro tali influentia intelligatur, vt sæpè intelligunt Authores qualitatis, aliquod receptum in voluntate, eam prædeterminans; subiungit; *Et sic remanet causalitas in causa prima*, per id denotando immanentiam influxus. Demùm; nè illa influentia Dei iudicetur decretum aliquod indifferens, prout censent Iesuitæ, addidit: *Vt sic Deus se ipsum cognoscendo, huiusmodi cognoscere possit*; quasi designando influentiam Dei pro medio *obiectivo* in ipso Deo existenti, in quo possit cognoscere voluntatis motum: quod non esset, si indifferentiam, & non determinationem ad motum voluntatis haberet: ergo de mente Divi Thomæ est concursus prævius prædeterminans physicè; sed non per physicam qualitatem in voluntate receptam.

12 Confirmat ex varijs alijs locis, vt sunt libro 2. contra Gentes capite 47. articulo 4. quæstione 24. de Veritate articulo 1. in corpore, & quæstione 6. de Veritate, quæ est de prædestinatione articulo 3. ad octavum, in quibus Sanctus Doctor iam dicit: *Principium cuiuslibet operationis esse formam, per quam aliquid est in actu, & pro modo formæ esse modum operationis consequentis formam: vnde, quando forma non est ab illo agente, quod per formam operatur; operatio non tribuitur ei; sed illi, à quo forma provenit; quodque ratione formæ habet dominium operationis consequentis formam*: iam: *formas naturales, ex quibus sequuntur motus, & operationes naturales non esse ab ipsis, quorum sunt formæ; sed ab exterioribus agentibus totaliter; propterea-que, quæ moventur naturaliter, non movent se ipsa; verùm generans, quod dedit illis tales formas*: iam: *disparitatem esse inter hominem prædestinatum, & corvum nigrum, vt*

ille posſit in sensu diviso damnari ; secus hic in sensu diviso dealbari : quia nigredo , & albedo sunt quædam formæ existentes in subiecto ; & ideo non potest aliquid attribui subiecto, nec secundum potentiam , nec secundum actum , quod repugnet formæ ; prædestinatio autem non est forma existens in prædestinato ; sed in prædestinante ; & ideo quamtumcumque sit immobiliter in ordine scientiæ ; tamen potest aliquid tribui ei , considerando suam naturam, etiam si repugnet ordini prædestinationis.

13 Sed prædeterminatio, si in qualitate voluntati intrinseca consistat , est forma ; per quam voluntas constituitur in actu , quem immediatè subsequitur operatio voluntatis , neque est forma , quæ sit à voluntate agente per ipsam ; sed adæquate ab agente exteriori , scilicet Deo : vlterius propter eandem rationem est forma modo *naturali* , prout opponitur *libero* in voluntate existens : vltimo est forma intimè existens in voluntate : ergo operatio , quæ ab illa proveniat , & motus voluntatis inde ortum ducens erit motus *naturalis* Deo soli danti formam, non voluntati tributus : neque prædeterminatus ad consensum v.g. poterit adhuc in sensu diviso dissentire: quia sicut corvus est niger per formam in se existentem ; sic taliter prædeterminatus est per formam sibi intrinsecam : vnde sicut ille non potest esse albus adhuc in sensu diviso ; sic iste non potest esse , aut dissentiens , aut non prædeterminatus ad consensum adhuc in sensu diviso , quæ omnia satis ostendunt : prædeterminationem per modum qualitatis voluntati intrinsecam censeri à Divo Thoma libertati creatæ repugnantem.

14 A ratione : primo. Quia qualitas prædeterminans physicè debet constituere voluntatem propriori ad suam electionem physice intrinsecè determinatam ad vnum libertatis extremum : sed hoc impedit : voluntatem pro posteriori libere eligere illud extremum : ergo talis qualitas repugnat cum electione libera voluntatis. Probatur minor. Implicat voluntatem intrinsecè, & physice determinatam ad vnum pro posteriori se determinare intrinsecè ad idem : sed voluntatem eligere vnum libertatis extremum , est *formaliter* ad illud se determinare : ergo implicat voluntatem physicè intrinsecè determinatam propriori à qualitate , pro posteriori immediate libere eligere illud extremum , ad quod vi qualitatis est determinata. Maior probatur. Implicat voluntatem intrinsece determinatam ad vnum pro posteriori immediato, iterum determinari ad idem : sed se determinare , includit essentialiter determinari : ergo implicat voluntatem pro posteriori immediato se determinare ad idem. Probatur maior. Quia solum determinatur indifferens, vt indifferens *passivè* ad immediatam sequentem determinationem : sed impossibile est: voluntatem intrinsecè prædeterminatam per qualitatem comparari , vt indifferentem *passivè* ad immediatam sequentem determinationem : ergo implicat: voluntatem pro posteriori ad prædictam qualitatem , à qua physicè intrinsece determinatur ; iterum intrinsecè determinari.

15 Secundo ex fundamento , quod vocat capitale ; & sub hac forma proponit. Omnis prædeterminatio essentialiter connexa cum actu *secundo* voluntatis constituens actum *primum proximum* , & *proximam* potestatem voluntatis ad ipsum , necessitat voluntatem ad talem actum , tollitque eius libertatem : sed qualitas physicè prædeterminans constituit actum *primum proximum* voluntatis, sivè eius potestatem *proximam* , & essentialiter connectitur cum actu prædeterminato : ergo necessitat voluntatem ad actum prædeterminatum , & tollit eius libertatem. Maiorem , quam latè firmat contra mirabiles , & subtiles præcisiones cursus Carmelitani Salmanticensis , quæ, ni fallor, post multas ambages cocedunt id, quod primo aspectu negare videntur , communiter reliqui Thomistæ , sicut , & nostra Schola tanquam certam libenter admittunt. Ideo probat minorem variè: tum : quia actus voluntatis immediate antecedens ad eius actum secundum comparatur tanquam actus *primus proximus* ad actum *secundum* : sed qualitas physice prædeterminans constituit voluntatem in actu immediate antecedente ad eius actum *secundum* : ergo se tenet ex parte actus *primi proximi*.

16 Tùm : quia talis qualitas physica *physicè* influit in consensum ex parte actus *primi* : ergo se tenet ex parte actus *primi* , illumque constituit. Probatur antecedens : quod influit in actum *secundum* per modum *principij* , & *causæ* , influit , ex parte actus *primi* : sed qualitas prædeterminans influit per modum *principij* , & *causæ* : ergo influit ex

par-

parte actus *primi*. Probatur minor. Talis qualitas non influit per modum *actionis Dei*; cum non sit decretum; nec per modum *actionis creaturæ*; quia ipsam præcedit: sed id, quod influit in aliud, & non per modum *actionis*, influit, vt *principium*, & *causa*: ergo qualitas prædeterminans influit per modum *principij*, & *causæ*. Postremò. Nam, vel talis qualitas influit in genere *causæ primæ*, vel in genere *causæ secundæ*: in genere *primi efficientis*, vel *secundi*: non primum: ergo secundum. Probatur minor. Quidquid influit in genere, sivè in ordine *causæ primæ*, vel est *prima* causa, vel *prima* causalitas: sed talis qualitas non influit, vt *prima* causa; cum Deus non sit; neque influit, vt *prima* causalitas; siquidem *prima* causalitas incausabilis debet esse; alias *prima* causalitas non esset prima actio; sed secunda: ergo talis qualitas non influit in genere *causæ primæ*, aut *primi efficientis*. Subinfert: ergo talis qualitas influit in genere *causæ secundæ*, & *secundi efficientis*: sed non per modum *causalitatis* in tali ordine; cum non sit actio, aut causalitas causæ *secundæ*: ergo influit per modum *causæ secundæ*; quod est formalissimè se tenere ex parte actus *primi*. En rationes, & motiva, quæ hunc doctissimum Magistrum permoverunt, vt à communi Thomistarum sententia se subtraheret, non obstante repetita professione iuratissimi Thomistæ, quam semel, & iterum emittit.

17 Et quod attinet ad mentem Divi Thomæ, deplorabam ego hucusque infælicem ieiuitarum sortem; quorum nobiliores, cum non parum pro assequenda mente Divi Thomæ in controversijs supremi dominij cohærentis cum libertate creata insudaverint; non meruerunt reputari inter legitimos doctrinæ Angelicæ Sectatores, reservata alijs hac gloria, (vt insinuat recens quidam Dominicanus Magister,) propter sinceritatem animi in evolvendis scriptis Sancti Doctoris, quæ deficit nostris Authoribus. Verum adfuit iam Miserorum solatium ex sortis æqualitate partum; etenim habemus Socios (ex mente huius accutissimi indagatoris) tot Sapientissimos, & celebres Magistros, qui post Magistrum Bañez suis scriptis, & litterariam Rempublicam, & suam nunquam satis laudatam Dominicanam Familiam mirificè ornarunt. Iam sumus ergo pares, & veluti Noctuæ ipsa luce doctrinæ Divi Thomæ obcæcati: deviamus omnes ab Scopo, vnus tantum Palaneus fæliciter attingit. Bene sit tibi, dignissime Magister, hæc gloria à Domino scientiæ concessa, qui vt talis, ea, quæ abscondidit ab alijs, doctrinâ maximo; ast religiosæ professionis glorioso cognomine *minimo* revelavit.

18 In locis adductis Divi Thomæ vnum maximè placet, scilicet per ea probari non esse de mente ipsius prædeterminationem intrinsecam, & in qualitate consistentem, vtpote libertati creatæ adversam; cæterum per ea probari prædeterminationem extrinsecam, vt consentaneam sententiæ Angelici Præceptoris, displicet vehementer ob defectum fundamenti ad tale consequens deducendum. Etenim in primo textu ex conceptu dominij electivi, quod habet nostra voluntas in suos actus, excludit Divus Thomas sine restrictione vlla determinationem virtutis ad vnum, sub qua amplitudine æquè comprehenditur determinatio intrinseca, & extrinseca: vnde non nisi expuro libitò vna excluditur, & altera relinquitur; imo potius si aliqua determinatio ad mentem eius posset existere, eligenda foret intrinseca præ extrinseca; cum hæc accedat magis ad violentiam causæ exterius agentis, quam pro libertate tuenda excludit Divus Thomas ibi: *& violentiam causæ exterius agentis*: quod si dicas: Divum Thomam excludere taliter determinationem virtutis ad vnum, vt in causa proxima actus volũtatis nõ possit ipse actus volũtatis determinatè cognosci: per id (vt iudico) convinceris ad negandam prædeterminationem extrinsecam, quam stabilire cogitas: nàm omnipotentia, vt præparata constituit causam proximam determinati actus voluntatis; cum provt talis se teneat propriori ad actum; non, *vt actio* immediata illius; sed *vt quid prævium* ad actionem, ipsam causans: tum etiam; quia virtus impotens ad actum sine iuvamine alterius virtutis, cui in agendo subordinatur, vt est voluntas relatè ad omnipotentiam, non intelligitur proximè potens ad actum, donec intelligatur in consortio alterius virtutis; non vtcumque; sed provt expeditæ ad concurrendum: ideoque cum omnipotentia, provt præscindit à decreto applicativo, non sit magis expedita; quàm impedita ad concurrendum; per tuam prædeterminationem extrinseca

secam, qua applicatur ad concurrendum, constituetur voluntas *proxime* expedita ad operandum.

19 Addit Divus Thomas: dominium voluntatis *non excludere influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari*; sed quid inde pro influentia prædeterminativa extrinseca, quam infers? Inferrem ego potius ex præmisso fundamento Divi Thomæ excludentis in virtute voluntatis determinationem ad vnum, nec intrinsecam, nec extrinsecam prædeterminationem; præcipue, cum in eius verbis nulla fiat mentio, influxus prædeterminantis. Dicis: id colligi; & quia dicit: *sic remanet causalitas in causa prima*; & insuper, *vt sic Deus se ipsum cognoscendo, huiusmodi cognoscere posit*: quæ, & denotant influxum immanentem, & connexum cum motu voluntatis; & alij, quàm prædeterminationi non possunt convenire. Sed falleris, doctissimè Magister; vel quia per immanentiam, influxum, & connexionem non magis probatur decretum *antecedens*, quàm *comitans*, quod sui Patroni ex tuis præmissis inferre possent; vel quia *remanere in Deo causalitatem*, præscindendo ab immanentia, propriè intelligi potest eo sensu, quo dicitur aliquid remanere in aliquo; quod ei convenire, sivè intrinsecè, sivè extrinsecè non excluditur: sic, si Deus excluderet cognitionem omnis cognoscibilis præter vnum, aut Rex benevolentiam suam ab omnibus, vno tantum excepto, iure diceretur. *hoc obiectum manet cognitum: ille homo remanet in benevolentia Regis*; quin esse cognitum, aut esse in Regis benevolentia, sit intrinsecum, & immanens in cognito, & amato.

20 Et etiam; quia deducere ex verbis Sancti Thomæ, decretum prævium prædeterminativum, vt in ipso, tamquam in medio *obiectivo* cognoscat Deus voluntatis motus, est toto cælo distare ab intento capitis citati: cuius assumptum, vt legenti constabit, est ostendere: Deum titulo causæ *primæ*, & *vniversalissimæ*, in qua omnia creata continentur, debere cognoscere in sua essentia omne illud, ad quod se extendit causalitas: vnde concludit; quod sicut causalitas se extendit ad motus voluntatis; sic etiam cognitio in essentia divina ad eos motus debet se extendere: attende: *Secundo amplius: sic Deus cognoscendo suam essentiam, alia cognoscit; sicut per cognitionem causæ cognoscuntur effectus: omnia igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo, ad quæ sua causalitas extenditur; extenditur autem ad operationes intellectus, & voluntatis: cognoscit igitur Deus cogitationes, & affectiones mentis*. In quibus nec verbum est de decreto, vt medio, & ratione *obiectiva* cognoscendi; sed de sola essentia, cui titulo causæ *vniversalis* id competit: si autem roges; quomodo essentia Dei ex se necessaria, & propterea cum nullo contingenti determinatè connexa, valeat esse medium *obiectivum*, in quo Deus cognoscat determinatos voluntatis motus? dicam fusè tractatu de Scientia, & interim breviter: prodire inde; quod licet Deus secundum sua necessaria non connectatur *absolutè* cum determinato contingenti; connectitur tamen cum eo, quod si detur veritas *obiectiva* contingens, determinatè eam cognoscat; alias non esset determinatus ad infinitam scientiam: vnde purificata conditione aptitudinis veritatis *contingentis*, vt cognoscatur, iam exigit *absolutè immediatè* cognitionem veram illius, & *mediatè* existentiam veritatis *contingentis* eo modo, quo per divinam cognitionem repræsentatur: quæ connexio *mediata* cum contingentibus sufficit, vt non solum cognoscat ea in se ipsis; sed in sua essentia, vt inquit Divus Thomas in hoc eodem capite.

21 Haud maioris ponderis sunt reliqua in subsidiū adducta, quę etsi sint sufficientissima ad excludendam prædeterminationem *intrinsecam*, inepta videntur ad firmandam *extrinsecam*. Propterea quod dicere Divum Thomam: operationem necessario subsequutam ad formam, illi soli tribui, qui dat *esse* formæ, non sit dicere, quod quando forma, aut quasi forma sit *extrinseca*; operatio, quam secum annectit, non tribuatur agenti talis formæ. Sicut dicere: Deum posse necessitare voluntatem per aliquid intrinsecū, non vetat, quod similiter possit necessitatem inducere per denegationem concursus merè *extrinsecam*. Imò ratio Angelici Doctoris id videtur innuere, dum absolutè inquit: *pro modo formæ esse modum operationis*; vnde si forma sit ab alio, sivè *intrinsecè*, sivè *extrinsecè* ab alio erit similiter operatio: sed physica prædeterminatio, etsi *extrinseca*, est forma, aut quasi forma constituens voluntatem determinatam ad consensum v. g: ergo Deo soli, cui tribuitur sinè consortio

tio alterius agentis prædeterminatio, tribuetur etiam operatio subsequuta consensus.

22 Eodem modo procedit dum asserit; quod motus subsequuti ad formas naturales tribuuntur generanti; non vero ei, in quo, & cuius forma est: namque per id non excluditur tribui etiam agenti exteriori, quando per formam *extrinsecam* determinat ad operationem; sed tantum asseritur id evenire in tali casu; qualiter qui dicit: *dum non est albedo, non est album*, non ideo affirmat, *quod si sit albedo, erit album*; cum possit deficere, aut subiectum, aut vnio. Quo iure argumentatus est etiam Divus Hieronymus ad caput primum Mathæi in illis verbis: *antequàm convenirent, inventa est in vtero habens de Spiritu Sancto*: in quibus: *antequàm convenirent*: *non sequitur, vt postea convenerint; sed Scriptura, quod factum non sit, ostendit.* Plus adhuc deficit à vero vltima ponderatio ex paritate desumpta, in qua mens Sancti Thomæ fuit ostendere diversitatem inter modum, quo inamissibiliter convenit nigredo corvo, & prædestinatio prædestinato. Nam nigredo est ex illis formis, quæ sunt in subiecto, non vtcumque; sed ex debito naturali illius: vnde nec *consequenter*, nec *antecedenter* sunt impedibiles: nec est locus affirmationi contrariæ formæ, aut pro sensu composito, aut pro sensu diviso; non ita prædestinatio; quæ etsi *consequenter* sit inseparabilis à prædestinato; secus *antecedenter*; cum non sit ex debito prædestinati. Ex his; quid pro prædeterminatione *extrinseca*; aut quid contra *intrinsecam* prædeterminationem? Nil pro hoc secundo; quia prædeterminatio *intrinseca* determinate sumpta non est ex debito prædeterminati; ni velis esse ex mente Sancti Thomæ: quamvis formam subiecto intrinsecam, qua talem, non relinquere potestatem ad oppositum, adhuc pro sensu diviso sui; & sic consentiens, neque in sensu composito, neque in sensu diviso poterit dissentire; cum consensus sit forma intrinseca consentienti. Nil etiam pro primo: etenim, quod prædestinatio non sit inseparabilis à prædestinato ex debito ipsius, non ostendit, quid de alijs pertinentibus ad constitutionem prædestinationis senserit Divus Thomas: an videlicet omnino antecedat operationes nostras liberas, vt tu intendis; an vero subsequatur in prævisione conditionata, vt ego assero.

23 Efficacius forte posset probari contra hunc perdoctum Magistrum sibi habere contrarium Divum Thomam, quem pro viribus sequi studet ex omnibus illis locis, quibus suprà ostendimus contra prædeterminationem *intrinsecam*, reijcere in agentibus liberis omnem aliam determinationem provenientem ab agente exteriori: sed prædeterminatio *extrinseca* est determinatio proveniens ab agente exteriori: ergo est opposita libertatis dominio. Recolantur ibi dicta, quibus addi possunt ea, quæ in disputatione secunda retulimus ex prima parte quæstione 15. articulo 1. ad quartum, & articulo 5. ad primum; vbi probat Divus Thomas dari in Deo speciale attributum omnipotentiæ, si non *re*, *ratione* tamen distinctum ab essentia, & reliquis attributis, à quo actio externa procedit; non aliter; quàm præcedente voluntatis imperio. Vnde fit clarè: dari in Deo actiones transeuntes, quæ existunt imperatæ per actus immanentes divinæ voluntatis; & vlterius dari in Deo potentiam operativam distinctam à voluntate, cuius actus non est voluntatis *formaliter*; sed *præsuppositivè*; aliàs à voluntate, nec secundum rationem distingueretur; cum actus tendentiæ *affectivæ* non nisi à voluntate *formaliter* queat procedere. Hæc formalissimè opponuntur assertis huius Authoris, qui non aliam actionem admittit in Deo, quam *formaliter* immanentem; & ratione termini *virtualiter* transeuntem; siquidem non admittit aliam actionem Dei ad creaturam terminatam, quàm decretum prævium, quod vel *immediatè* ponat terminum, vel *mediatè*; media actione creaturæ, quam *immediatè*, veluti actio Dei producit: ac perconsequens tenetur etiam defendere: non dari in Deo speciale attributum omnipotentiæ distinctum *ratione* à voluntate, & intellectu; ex quibus tantùm provenit omnis actio immanens Dei.

24 Ita fatetur quæstione 16. numero 11. dicens. *pro sequentibus autem nota, quod Suarius nomine concursus Dei intelligit semper ipsam actionem creaturæ, prout ex divino decreto descendentem, quam actionem creaturæ, si velit appellare concursum Dei imperativè, sive actionem imperatam Dei, nobiscum sentiet; si tamen velit actionem creaturæ esse actionem elicitam Dei, eiusvè omnipotentiæ, id negamus: ideoque, vt in sequentibus ab hoc præscindamus litigio; vbi ipse con-*

cur-

cursum Dei ponit, nos locabimus actionem creaturæ : quæ quomodo iuratissimus Thomista cum doctrina Divi Thomæ componat, ipse viderit ; & interim ego non video, qui duntaxat oppositionem immediatam cerno.

25 Primam rationem redarguo. Per te, si voluntas *intrinsece* determinaretur à Deo propriori ad operationem liberam ; non posset se determinare *intrinsecè* pro posteriori: ergo determinatio *intrinseca* libera voluntatis per se essentialiter excludit determinationem aliam *intrinsecam* provenientem ab agente superiori, cui subordinatur ; & hoc quidem ; quin voluntas creata substrahatur in tali linea a divino dominio, aut constituatur *primum* determinans : ergo stabit : voluntatem creatam liberam ex intrinsecis determinationis liberæ per se excludere determinationem liberam immediatam eiusdem actionis ab alio agente libero, cui subijcitur, provenientem ; quin propterea in linea *operantis libere* eximatur à supremo dominio, aut constituatur *primum* liberum. Probo consequentiam. Non minus est dependens voluntas creata in linea *se determinantis intrinsecè*, quàm in linea *se determinantis liberè* ; nec minus Deus est Dominus illius in vna ; quam in altera linea: sed cum hac subiectione voluntatis ad Deum, & cum dominatu perfectissimo Dei in voluntatem in linea *se determinantis intrinsecè* stat per se essentialiter excludere determinationem Dei *intrinsecè* præsuppositam : ergo cum eisdem prædicatis non repugnabit : voluntatem creatam in linea *se determinantis liberè* essentialiter excludere aliam determinationem liberam Dei eiusdem actionis, immediatè præsuppositam.

26 Contra deinde. Aut determinari *à se*, & *per se*, excludit determinari propriori *ab alio* ; aut determinari *intrinsecè à se* non excludit determinari *intrinsecè propriori ab alio* : sed per te non repugnat : voluntatem creatam determinari *à se*, & *per se* pro posteriori, præsupposita determinatione *alterius* proprioris : ergo neque repugnat determinari *à se*, & *per se intrinsecè* pro posteriori, determinatam ab alio *intrinsecè* propriori. Probatur maior. Tam repugnat : modum determinationis voluntatis *à se*, præsupponere modum per determinationem *ab alio* ; quàm determinationem voluntatis *à se quoad substantiam*, præsupponere determinationem *quoad substantiam ab alio* : ergo aut determinari *à se*, & *per se* excludit determinari propriori *ab alio* ; aut determinari *intrinsecè à se*, non excludit determinari *intrinsecè propriori ab alio*. Confirmatur. Sicut *esse intrinsecè*, est modus actus voluntatis ; ita *esse liberè* est modus actus voluntatis : sed *esse liberè* à voluntate, non excludit per te *esse libere immediatè* ab alio propriori, scilicet Deo : ergo *esse liberè intrinsecè* à voluntate, non excludet *esse liberè ab alio* propriori immediato per determinationem *intrinsecam* voluntati.

27 Adhuc premo. Sicut differunt determinari *extrinsece*, & *intrinsecè*, ita differunt determinari *intrinsece ab alio*, & determinari *intrinsecè à se* ; cum sint diversæ determinationes : sed quia differunt determinari *extrinsece*, & *intrinsecè*, rectè componuntur hæ duæ determinationes ; duplexque indifferentia passiva ex parte voluntatis illis correspondet absque vlla repugnantia: ergo quia differunt determinari *intrinsecè ab alio*, & *intrinsecè à se*, recte componentur cum libertate voluntatis hæ duæ determinationes ; duplexque indifferentia passiva sine repugnantia illis respondebit. Vrgeo. Diversitas illa modi *intrinsece*, & *extrinsecè* super eandem determinationem voluntatis permittit in ipsa duplicem indifferentiam passivam sine repugnantia determinabilem : ergo diversitas illa modi *à se*, & *ab alio* supra eandem rationem determinationis intrinsecæ voluntatis permittet in ipsa duplicem indifferentiam passivam sinè repugnantia determinabilem.

28 Secunda ratio, quam capitalem vocat, non est ipsi favorabilior ; quæ quidem ; aut non probat : prædeterminationem *intrinsecam* constituere actum *primum* ; aut contra se probat: prædeterminationem *extrinsecam* ad actum *primum* pertinere. In id me ducit forma arguendi, quam ab ipso libenter accipio, & iucunde repeto. Per te actus voluntatis immediatè antecedens ad eius actum secundum comparatur tamquam actus *primus proximus* ad actum *secundum* : sed prædeterminatio *extrinseca* constituit voluntatem in actu *immediatè* antecedente ad eius actum *secundum* : ergo constituit illam in actu *primo proximo* ad actum *secundum* : ergo se tenet ex parte actus *primi proximi*, illumque constituit. Explico. Ex te prædeterminatio *extrinseca* actuat *formaliter* voluntatem *propriori naturæ* ad actum liberum ipsius:

ergo

ergo est *formaliter* actus prior, quàm actus *secundus* voluntatis; & constituit voluntatem in actu *immediate* priori ante suum actum *secundum*: sed ex terminis per te actus *immediatus* ante actum *secundum*, est actus *primus*: ante *secundum* enim non antecedit, nisi *primum*: ergo constituit voluntatem *formaliter* in actu *primo*.

29 Respondebis: prædeterminationem *extrinsecam* immediatè præcedere ad actum *secundum* voluntatis; cæterum, quia *extrinsecam*, non præcedere, vt actum voluntatis, neque vt quid actuans voluntatem propriori: actus enim voluntatis ipsam *formaliter* actuans, ille solus dicitur, qui se habet, vt forma voluntatis ei intrinsecè inhærens: inde; cum conceptus actus *primi*, vltra præcedentiam ad actum *secundum* includat rationem actus, si prædeterminatio, quia *extrinseca*, non habet rationem actus voluntatis; quamvis habeat præcedentiam ad actum *secundum* illius; non ideo constituet actum *primum*; sicut constituit prædeterminatio *intrinseca*, quæ rationem actus voluntatis participat. Sed contra primo: quia licet formæ *extrinsecæ* non dicantur actus potentiæ, ea proprietate, qua *intrinsecæ*; attamen verè sunt actus illius, in quantum determinant indifferentiam in ordine ad aliquam denominationem, ipsam actualiter denominãdo: sic cognitio dicitur non tantum actus cognoscentis; sed obiecti cogniti, in quantum aufert indifferentiam, vt cognoscatur, & ex vi ipsius suscipit denominationẽ *verè cogniti*: sic etiam existentia alterius dicitur actus mei, vt coexistentis alteri; cum me constituat alteri coexistentem, & determinet indifferentiam, quæ ex parte mei est, vt illi coexistam. Verum nè in hoc aliqua quæstione vocali implicemur, loquamur de actu *primo effectivo* alicuius actionis, ex quo sic.

30 Non omne, quod constituit actum *primum effectivum* alicuius actionis debet esse intrinsecum efficienti: ergo immerito physica prædeterminatio præcedens actum *secundum* voluntatis eximitur, quia *extrinseca*, à ratione *actus primi* eiusdem voluntatis. Probo antecedens in omnibus illis virtutibus, quæ mutuò se adiuvant ad producendum effectum, quem singulæ non possunt producere, nulla intercedente vnione inter ipsas: vt videre est in duobus portantibus lapidem, aut in multis trahentibus navem; in quibus actus *primus*, aut potentia expedita cuiusvis constituitur per virtutem alterius, prout applicatam ad operandum cum ipso, sinè qua tantũ esset in actu *primo remoto* ad productionem effectus: constat etiam in voluntate, provt in actu *primo proximo* ad amandum, quem constituit cognitio bonitatis obiecti; quin sit intrinseca voluntati; sed intellectui, in sententia communi Thomistarum distinguentium potentias ab Anima: nec non in omnipotentia, cuius influxu indigemus ad omnem nostram operationem; proindeque constituimur in actu *primo proximo* ad operandum per existentiam illius; quidquid sit de applicatione, de qua modo non disputo: ergo non omne, quod constituit actum *primum effectivum* alicuius actionis debet esse intrinsecum efficienti.

31 Quoad vltimum, quod de omnipotentia diximus; scio hunc Authorem §. 7. num. 100. quæstionis citatæ cum admiratione suscipere: dixisse Patrem Avendaño, disputatione 17. de prædestinatione capite 2: omnipotentiam, sicut, & decretum applicativum ipsius ad concurrendum cum causis secundis constituere actum *primum proximum* causæ *secundæ*, sivè *liberæ*, sivè *necessariæ*; quasi quid inauditum, aut ex cerebro Patris Avendaño compositum; sed ego admirationem miror; in qua ostendit se vnum legisse Authorem, vt doctrinam Societatis impugnaret. Nam si alios, vt par erat, legisset; in omnibus, quod singulare reputat in vno, velut generale principium, conspiceret: non nè vnquam audivit nostros in publicis disputationibus dicentes: decretum applicativum omnipotentiæ ad concurrendum cum causis *liberis* debere esse indifferens, & compatibile cum vtroque extremo, quod si ex parte actus *primi* non staret, nec libertatem constitueret, parum curarent de eius indifferentia, vtpote, quod per libertatẽ aliunde constitutam iuxta nostra principia posset impediri? Neque etiam ad eius notitiam pervenit: omne prærequisitum immediatum actus, & à nostra potestate independens esse constitutivum potestatis *proximæ* actus; ex quo principio intendimus suadere contra prædeterminantes: eum, cui deficit prædeterminatio ad consensum, esse impotentem *proximè* ad illum? Contrahat ergo hanc doctrinam vniversalem ad

om-

omnipotentiam immediatè prærequisitam ad actum, vt principium *effectivum* illius, & inferet legitimè iuxta nos esse constitutivum actus *primi proximi* cuiusvis potentiæ operantis : ac proinde libertatis, quæ est actus primus *proximus* potentiæ liberè se exercentis.

32 Hoc dicimus, & hoc negari ab aliquo, saltem quoad omnipotentiam iustiùs miramur. Nam virtutem, & potentiam aliquam esse ita dependentem in operando ab alia, vt hac non concurrente, operatio repugnet, est dari actum *primum* impeditum in ipsa ad operandum sine alia : ergo donec intelligatur alia, non intelligitur actus *primus* ipsius expeditus ad operandum: sed id, sinè quo actus *primus* non intelligitur expeditus ad effectum, est id, per cuius existentiam constituitur actus *primus proximus* operandi : ergo per omnipotentiam constituitur actus *primus proximus* causæ *secundæ*, & illius libertas. Quod si hæc ratio fallat ; quid firmum remanet pro constitutione potestatis *proximæ*, & actus *primi* ? Tu dicis : actum *primum* constitui plenissimè, & adæquatè per intrinsecum virtuti, & potentiæ ; & omne aliud, quo secluso, aut non intellecto, non produceet, arguere tantum dependentiam ; non incompletionem. Dicat alius : Actum *primum* causæ creatæ constitui per intrinseca ipsius, non vtcumque ; sed per identitatem ; quid tibi subsidij erit in tua doctrina ad id impugnandum, nisi quod, secluſis intrinsecis per vnionem, est impedita ad operandum; propterea que incompleta ? quod ex te facilimè negabitur, dicendo : id non probare esse incompletam, & impeditam; sed dependentem in operando ab alijs intrinsecis : quod est diversum.

33 Mirabilior adhuc est ratio, quæ perdoctum virum in hanc cogitationem impulit : scilicet : quia Deus minimè complet causam *secundam* in genere causæ *formalis* ; sed solum in genere causæ *efficientis*, dando illi *effectivè* omne complementum requisitum ex parte actus *primi*, & hoc supposito, etiam *effectivè* dat illi vltimum complementum actus *secundi*; quia aliàs ex causa *prima*, & *secunda* integraretur, & constitueretur vna causa *per se* ; quod absurdissimum est : sicut, & quod potestas, & libertas humana non sit adæquatè distincta à potestate divina, & infinitè distans ab illa in perfectione sua. Si tam facile esset absurda probare, quàm proferre ; infælix satis esset omnis sententia, quæ menti huius Theologi non arrideret. Igitur absurdissimum hoc inconveniens, quod ponderat, inquiramus. Indubitatum enim non est: Deum esse causam *per se* omnis actionis honestæ liberæ, & vitalis creaturæ, & omnis actionis, sivè *physicæ*, sivè *moralis*, quæ à Deo, & creatura fluit, & ob turpitudinem eius causalitatem *per se* non subterfugit ? Certum etiam non est apud omnes : Deum se solo non posse causare, & producere actum liberum, vt liberum creaturæ, & apud ipsum, & reliquos Thomistas non posse sinè influxu creaturæ infundere actus vitales intellectus, & voluntatis ; sicut etiam omnes fatemur; actionem proveniētem à Deo, & creatura non posse existere à Deo solo, neque à creatura sola ; sed à coniuncto vtriusque? Non nè etiam certum est : causam *secundam* esse horum omnium causam *per se*? Ergo Deus est causa *per se* actuum liberorum, vt liberorum, actuum vitalium, & omnis actionis, quæ ab ipso, & creatura provenit : Sed non est causa *per se* adæquata ; aliàs qer se sinè consortio alterius posset tales effectus *per se* causare : ergo est causa *per se* inadæquata, quæ simul cum alia causa *per se* inadæquata constituit vnam causam *per se* adæquatam, & totalem.

34 In Christo Domino constituit Personalitas verbi vnam causam *per se* meritoriam merito infinito; & quidem constituendo actum *primum*, non aliter quam per vnionem ad humanitatem operantem ; & in genere causæ *formalis* ; vel quia actiones sunt Suppositorum, vt tenes ; vel quia vt communis fert sententia, dignitas gravificativa meriti debet ad ipsum præcedere, & aliquomodo in ipsum influere. Imo in ipso homo, vt homo *complete* sumptus, non distinguitur adæquate à verbo : quod si homo, vt homo, sine implicatione potest compleri per aliquid divinum ; cur potentia humana, & creata non poterit compleri per potentiam divinam, & ab ipsa adæquatè non distingui, considerata secundum *rectum*, & *obliquum*? Ad modum quo actus *primus* intellectus, & voluntatis naturalium completur per te ex habitibus supernaturalibus ad causandos actus supernaturales : est ergo potestas creata, & humana *complexivè* sumpta finita, & infini-

ni-

nitè distans à Deo; non verò *inadæquatè* considerata; veluti complexum ex Deo, & creatura in communi sententia, & meritum simpliciter infinitum iuxta omnes; cum de ratione meriti, & obsequij sit distingui in ratione talis ab infinito bono in ratione *perfectionis* insuperabili. Quare supprimatur in posterum hoc vocale absurdum, vel retento nomine, si placet, absurdè ab eius constructore devoretur.

35 Post digressionem non inutilem, redeo ad intentum, & solutionem secundò impugno. Prædeterminatio, quàmvis extrinseca, eo modo, quo est prædeterminatio, est actus: sed prædeterminatio eo modo, quo est prædeterminatio, est voluntatis: ergo prædeterminatio, eo modo, quo est prædeterminatio, est actus voluntatis. Syllogismus videtur rectè concludere, si præmissæ constent, quarum maior apparet certa. Nàm prædeterminatio eo modo, quo est prædeterminatio, constituit voluntatem actualiter determinatam: sed nil constituitur actualiter in aliqua linea, nisi per actum pertinentem ad illam lineam: ergo eo modo, quo est prædeterminatio, est actus. Prætereà; sicut indifferentia correspondet potentiæ; sic determinatio indifferentiæ correspondet actui: ergo si voluntas ex se indifferens constituitur determinata per prædeterminationem, per eam sic constituitur, tamquam per actum. Probo minorem. Prædeterminatio, vt talis, illius est, quod per ipsam denominatur prædeterminatum; sicut albedo illius est, quod per ipsam denominatur album, & cognitio illius est, quod per ipsam denominatur cognitum: sed voluntas per prædeterminationem denominatur prædeterminata: ergo prædeterminatio eo modo, quo est prædeterminatio, est voluntatis: sed non est actus *secundus* voluntatis; cum ad hunc præcedat, vt existens pro priori: ergo est actus *primus* voluntatem *formaliter* actuans.

36 Tertio. Id, quod præcedit ad actum *secundum* voluntatis, vt influens in ipsum, est id, quod constituit actum *primum* voluntatis: sed prædeterminatio extrinseca est id, quod præcedit ad actum *secundum* voluntatis, vt influens in ipsum: ergo prædeterminatio extrinseca est id, quod constituit actum *primum* voluntatis. Minor est certa. Probatur maior. Id, quod præcedit ante actum *secundum* voluntatis, est id, quod existit in signo anteriori ad actionem voluntatis: sed signum anterius ad actionem cuiusvis agentis est signum causæ potentis *proximè* operari, seu actus *primi*: ergo id, quod præcedit ad actum *secundum* voluntatis, vt influens in ipsum, est id, quod constituit actum *primum* voluntatis. Probatur minor. In omni genere causandi *efficienter*, non invenitur, nisi triplex signum, *termini*, *actionis*, & *causæ*: ergo in genere causandi *efficaciter*, in quo est voluntas respectu suorum actuum, non invenitur, nisi hoc triplex signum: sed prædeterminatio extrinseca non est in signo *termini* voluntatis; cum ad ipsum præcedat, & sit incausabilis; neque in signo *actionis* propter eandem rationem: ergo in solo signo *causæ*, prout potentis se exercere per actum *secundum*; quod est formalissimè constituere actum *primum*, & existere in signo illius.

37 Confirmatur præoccupando solutionem, quæ adhiberi potest. Id, quod est in signo *actionis* vnius agentis, si prout tale præcedat ad actionem alterius agentis, est in linea actus *secundi* agentis, à quo eggreditur, & in linea actus *primi* agentis, ad quod terminatur: sed prædeterminatio extrinseca, etsi sit in signo *actionis* Dei, prout talis præcedit ad actionem voluntatis: ergo est in linea actus *primi* voluntatis, ad quam terminatur. Explico. Omne quod est comparativè ad aliud, vt efficiens, debet esse in aliquo signo comparativè ad ipsum: sed omne signum comparativè ad voluntatem, vt efficientem, & determinantem suos actus, est signum *effectus actionis*, & *causæ*, neque physica prædeterminatio extrinseca est comparativè ad voluntatem in signo *effectus*, aut *actionis* illius; cùm vtrumquè præcedat: ergo est comparativè ad voluntatem, vt efficientem in signo *causæ*, & *actus primi* ad operationem *in actu secundo*. Suadet id ipsum paritas. Nàm sicut actio productiva causæ ex eo, quod sit actus *secundus* agentis dantis *esse* causæ, non eximitur ab eo, quod sit in actu *primo*, saltem *remoto* effectus causati per causam; ita, quod prædeterminatio extrinseca sit actus *secundus* Dei prænoventis, & causantis *per se* actum voluntatis; non impediet pertinere ad actum *primum proximum* actus *secundi* voluntatis, quem immediatè

præcedit, reddendo voluntatem expeditam, vt pro signo immediatè subsequuto liberè se exerceat per actum secundum.

38 Aliter ex ipso contra ipsum procedo. Per te physica prædeterminatio debet influere, vel in genere *causæ primæ formaliter*, vel *formaliter* in genere *causæ secundæ*: ergo tua prædeterminatio extrinseca in aliquo ex his generibus debet influere: sed in neutro potest influere: ergo tua prædeterminatio influens habet influxum repugnantem. Probo minorem. Non in genere *causæ secundæ*, vt fateris; cùm neque sit causa *secunda*, neque eius causalitas: deindè non in genere *causæ primæ*: ergo in neutro genere. Probo secundam partem antecedentis. Non in genere *causæ primæ*, vt prima causa *formaliter*, vt etiam dicis: sed neque, vt *prima* causalitas, quod probo. *Prima* causalitas non est immediata ad causalitatem; sed ad terminum: ast tua prædeterminatio est ad causalitatem immediatè; cùm immediatè præcedat ad solam actionem creaturæ: ergo tua prædeterminatio non est in genere *primæ causæ*, vt *prima* causalitas. Probo maiorem. *Prima* causalitas est perfectissima in linea *causalitatis*: sed ad perfectionem causalitatis pertinet esse immediatè ad terminum, & non ad causalitatem: ergo *prima* causalitas non est immediatè ad causalitatem; sed ad terminum. Probo minorem. Ad perfectionem causalitatis pertinet esse perfectissimam coniunctionem termini ad causam, hanc *formaliter* determinando, vt in actu secundo sit fecunda circa effectum, quem in se præcontinet, & quem per actionem extra se ponit: sed id non habet causalitas *illa*, quæ sit ad causalitatem; sed quæ sit immediatè ad terminum: ergo ad perfectionem causalitatis pertinet esse immediatè ad terminum, & non ad causalitatem.

39 Confirmatur primò. Non est perfecta causalitas perfectione propria *causalitatis primæ* ea, quæ in ratione talis imperfectior est causalitate *secunda*: sed causalitas terminata immediatè ad causalitatem, & non ad terminum, imperfectior est causalitate *secunda*: ergo causalitas terminata immediatè ad causalitatem non potest esse *prima* causalitas. Probo minorem. Ea causalitas imperfectior est alia in ratione talis, quæ in ratione *exercitij* causæ in effectum est imperfectior: sed causalitas terminata immediatè ad causalitatem, imperfectior est in ratione *exercitij* causæ in effectum; quàm omnis causalitas causæ *secundæ*, quæ immediatè exercet causam in effectum absque terminatione ad aliud exercitium, quod immediatiùs se habeat erga effectum: ergo causalitas immediatè terminata ad causalitatem, & non ad terminum imperfectior est causalitate *secunda*. Confirmatur secundo. *Prima* causalitas debet esse efficacissima in ordine ad terminum; ideo in Scriptura *velle Dei* causativo rerum, quod est *prima* causalitas, immediate adiungitur, non *fieri rerum*; sed *factum esse ipsarum* iuxta illud: *dixit Deus; fiat lux, & facta est lux. Ipse dixit, & facta sunt*: sed non est efficacissima causalitas, quæ per se non sufficit ad ponendum terminum absque interventu alterius causalitatis: ergo non est *prima* causalitas tua prædeterminatio, quam assignas immediatè terminatam ad causalitatem, & non ad terminum.

40 Venio ad illam vltimam propositionem, in qua sistit, & quam inculcat, vt prædeterminationem intrinsecam impugnet, id est: *Omnem causalitatem, quæ est in genere causæ primæ, esse primam causalitatem incausabilem: vnde nulla causalitas secunda est in genere causæ primæ*: qua ingeniosa meditatione ductus, somniare alius posset, ludendo terminis *primi*, & *secundi*; nullum effectum *secundum*, hoc est proveniens à causa *secunda*, esse effectum *primæ* causæ; sed *secundæ*: nullumque terminum creatum esse terminum *primi* principij; sed *secundi*: ideòque terminum actionis *primi* principij esse solum Filium æternum, & Spiritum Sanctum: quod si delirium intolerabile est, *primæ* causæ non designare, nisi *primum* effectum; & *primo* principio, non nisi *primum* terminum; quo fundamento Theologico, & firmo stabiliri poterit: causalitatem *primæ* causæ non esse aliam; quàm *primam* causalitatem, cuius sunt termini causalitatis *secundæ*? ex quibus immediate accipio, & redarguo. Id quod est de linea *causalitatis secundæ*, est per te terminus causalitatis *primæ*, taliter, vt non comparetur ad *primam* causam, vt causalitas ipsius: ergo id, quod est de linea *causalitatis primæ*, erit principium, & non causalitas comparativè ad effectum causæ creatæ; cum non minus pugnet, aut non pugnet ratio *causalitatis* cum ratione *termini*,

quàm

quàm ratio *principij* cum ratione *causalitatis*: quod si nimis hæres vocibus *causalitatis*, vt defendas: tuam prædeterminationem non posse esse principium actionis liberæ, nec constituere actum *primum*, quia est causalitas; hære similiter eisdem vocibus, vt asseras: causalitatem *secundam* nullius causalitatis posse esse terminum, quia est causalitas, & sic fateberis: causalitatem *secundam* esse de linea *causalitatis* primæ causæ.

41 Præter has impugnationes, quas subtiles discursus ingeniosi huius Magistri pepererunt, aliæ occurrunt, quas breviter proponam. Prima. Procedere, vt minùs fidum Assecla Thomistarum, & cum inconsequentia ad eorum principia; ac perconsequens ad sua; in quibus; quia potentia naturalis est intrinsecè improportionata ad actum supernaturalem, non potest proportionari, nisi per virtutem intrinsecam habitus supernaturalis; quin sufficiat extrinseca assistentia divinæ Omnipotentiæ, aut principij creati: vnde sic: sicut requiritur proportio potentiæ naturalis ad actum supernaturalem; ita requiritur prævia determinatio per te ad quemvis effectum causæ *secundæ*, sivè *liberæ*, sivè *necessariæ*: sed quia improportio potentiæ naturalis est intrinseca, non sufficit proportio, quæ intrinseca non sit: ergo quia indifferentia causæ *secundæ* est intrinseca; non sufficiet determinatio, quæ intrinseca non sit: sed tua prædeterminatio extrinseca tantùm est: ergo vel non sufficit, vel deseris tua, & Thomistarum principia.

42 Nec potest esse solutio trita, & vulgaris, quæ in simili solet semper adhiberi per terminos, *sicut, & eodem modo: nego, sicut, & diverso modo concedo.* Nàm argumentum non intendit; quod sicut proportio intrinseca, quam ad actum supernaturalem requiris, correspondet improportioni intrinsecæ potentiæ: sic determinatio correspondeat defectui alicui intrinseco potentiæ in ratione *expeditæ*, neque vt quid se tenens ex parte actus *primi*: permittimus enim pro nunc: prædeterminationem se tenere ex parte actus *secundi*, & esse applicationem quamdam, qua deficiente, adhuc remanet potentia creata expeditissima ad operandum: intendit ergo tantum; quod sicut bonum argumentum à te reputatur: *Improportio est intrinseca, & debet tolli: ergo extrinseca proportio non sufficit; & intrinseca requiritur*, consequenter etiam rectum iudicetur: *Indifferentia est intrinseca, & debet tolli: ergo extrinseca determinatio non sufficit, & intrinseca requiritur.* Probatur consequentia ab vniformitate principiorum, ad vniformitatem conclusionis. Etenim: sicut apud te firmum est principium: *Ab improportionato, vt improportionato non potest oriri actus*: sic firmum etiã est, seu iudicatur: *Ab indifferenti, vt indifferenti non potest oriri determinatio.* ergo si ex illo principio deducis: *improportio est intrinseca: ergo proportio sola intrinseca sufficit, & requiritur.* ex alio debes inferre: *indifferentia, & indeterminatio intrinseca est: ergo determinatio sola intrinseca sufficit, & requiritur.*

43 Vrgetur in potentia *libera*, quæ intrinsecè per suos actus determinatur: ergo cum aliundè sit intrinsecè indifferens; si intrinsecè non prædeterminetur à Deo, habebimus; & quod ab indifferenti, ea ratione, qua indifferens est, valeat oriri determinatio; & insuper: quod voluntas creata in linea determinationis intrinsecæ sit *primum* determinans. Vtraque illatio facile probatur legitima. *Prima*: quia indifferens intrinsecè taliter manens, intrinsecè determinatur absque prævia determinatione intrinseca Dei: ergo qua ratione est indifferens, potest determinari, & determinatur. *Secunda*: quia inea linea, in qua voluntas creata se determinat absquè prævia determinatione Dei est per te *primum* determinans, & supremo dominio, vt debet non subiecta: ergo si in linea *intrinsecæ determinationis* intrinsecã Dei prædeterminationẽ no supponit; in tali linea primò se determinabit, & divinum dominium, vt Thomistæ in simili volunt, subterfugiet: igitur per prædeterminationem extrinsecam exarmantur Thomistarum principia, quæ dùm aliquam patiuntur exceptionem, debilia satis ad reliqua permanebunt.

44 Secunda: videtur incidere in sentẽtiam Durandi, quam in tota sua latitudine nullus Theologorum, quẽ sciã, admisit, & prout contractã ad peccatum, vnus, vel alter tantum est sequutus non sine admiratione reliquorum. Assumptum probo. Dixit Durandus: Deum non influere *immediatè* in effectus causarum secundarum; sed *mediatè*, in quantum dat *esse* causis, & virtutibus *secundis*, quæ immediatè operãtur, & à quibus effectus creati immediatè fluunt: contra quem ægrè ferentes reliqui Theologi singularitatem, ar-

guunt ex immediata dependentia, quam à Deo, vt ſupremo Domino, debet habere omne ens creatum, à quo ſtrictiſſimè, & immediatiſsimè dependet, quoad *eſſe*, *conſervari*, & *operari*, nequè aliter cenſent fieri ſatis ſupremo dominio, cui omnia creata ſunt ſubiecta. Inquit Palancus: nullam dari in Deo actionem tranſeuntem; verùm omnes eſſe immanentes, & in actibus Deo intrinſecis conſiſtentes: inde provenit: nullam actionem, qua cauſa *ſecunda* producit ſuos effectus, procedere immediatè ab omnipotentia; neque eſſe actionem illius; quarè tantùm procedit à Deo per modum termini producti per actionem reflexam immanentem, quæ ſola eſt actio Dei: modo, quo effectus procedit à cauſa *ſecunda* per actionem ſuperadditam, quæ ſola eſt actio creaturæ.

45 Iam vide ex hac ſententia eadem inconvenientia, quæ ex ſententia Durandi, contra ſupremum dominium Dei inferunt Theologi. Ea enim ſunt: tolli ab effectibus creatis immediatam ſubiectionem, & dependentiam à divina omnipotentia, propter mediationem influxus, quem Deus haberet, influendo tantùm medijs cauſis dependentibus in *eſſe*, & *conſervari* ab omnipotentia: ſed ſimilis mediata influentia infertur etiam ex actione immanente *reflexa* productiva actionis *directæ* cauſæ *ſecundæ*, quam reſpicit, vt terminum: affinis ergo eſt ſententiæ Durandi. Probo minorem. Dùm de Deo tantum verificatur: influere in effectum causæ *ſecundæ* influxu, inter quem, & effectum mediat alius influxus, qui ſit purus terminus influxus Dei; Deus tantùm influit *mediatè*, & dependentia, quam habet effectus à Deo, vt *prima* cauſa, eſt ſolum mediata: ſed data actione immanente *reflexa* productiva actionis *directæ* cauſæ *ſecundæ*, quam reſpicit, vt terminum, de Deo tantùm verificatur: influere in effectum cauſæ *ſecundæ* influxu, inter quem, & effectum mediat alius influxus, qui ſit purus terminus influxus Dei: ergo ſimilis mediata influentia infertur etiam ex actione immanente *reflexa* productiva actionis *directæ* cauſæ ſecundæ.

46 Non me latet diſparitas, quæ adhiberi poteſt. Aùt quia Durandus nullum alium influxum conceſſit Deo in effectus cauſæ *ſecundæ* præter *remotum* ex productione cauſæ; nec progredientem immediatè ad actionem, & influxum effectus, qui in altera ſententia non ſolum provenit à Deo ratione influxus in cauſam; ſed *immediatè* ratione ſui, in quantum terminat immediatè influxum, & actionem Dei immanentem: aut quia non poteſt dici influxus *mediatus* vnius cauſæ in effectum alterius ille, qui non ſolum extenditur ad cauſam operantem; verùm ad operationem illius; cùm conſtet: eam cauſam dici immediatam reſpectu alicuius effectus, à qua fluit immediatè actio illius, & non tantùm actio productiva cauſæ; qualiter conceditur in ſententia prædeterminationis extrinſecæ, & negatur in ſententia Durandi: vnde videri poteſt: immeritò confundi vnam cum altera ſententia, quando tàm patens eſt diverſitas.

47 Tamèn eam inſufficientem reputo, & ab intenta comparatione non deſiſto. Nam licèt videam influxum, quem Deo tribuit Durandus remotiorem eſſe influxu, quem concedit hic Magiſter; àſt non ideò excluditur à ratione *remoti*, & *inſufficientis*, vt ſalvetur ea immediatio divini influxus, quam requirunt Theologi, & demonſtrat ſubiectio debita creaturarum ad Deum: quæ cùm conſiſtat in indiviſibili, tantùm videtur peccare, qui per remotum; quàm, qui per remotius, vel minuit, vel in integrum tollit. Diſſonat Durandus in hoc puncto; quia influxum Dei collocat ante influxum creaturæ; & in hoc offendit communi ſententiæ expoſcenti pro dignitate ſupremi dominij immediationem influxus. Dicit altera ſententia: influxum Dei conſiſtere in actione immanenti Dei, quæ influxum, & actionem creaturæ præcedit; ergo concedit: influxũ Dei exiſtere ante influxũ creaturæ, devorato incõvenienti *mediationis*: quo evicto, neſcio: àn differentia illa *materialis* ſiſtendi in cauſa, vel in actione actionis magnifieret à Theologis pro ſententia Durandi.

48 In altero, quod additur de immediatione cauſæ, involuta eſt nõ levis æquivocatio, facile à quovis Philoſophõ detegenda; apud quem non dicitur cauſa *immediata* effectus illa, à qua quomodocùmque fluit actio productiva effectus; ſed à qua fluit actio, vt *immediatum exercitium cauſæ*, ipſamque *immediatè* determinans ad exiſtẽtiam effectus: imò alter modus influẽndi per actionem *reflexã* nulli in mentẽ venit: nã licèt diſputent: àn ſit poſsibilis actionis actio, quam mul-

multi negant, & pauci cōcedunt: hi iudicant: in tantum sub tali reflexione posse existere influxum *immediatum* in effectum, in quantum actio *directa* per modum *exercitij*, & non solùm per modum *termini* proveniat ab eadem causa, a qua provenit actio *reflexa*: sed Deus, quamvis per actionem immanentem influat in actionem *immediatè* productivam termini; non ita concurrit ad effectum, vt actio *immediate* productiva illius procedat ab ipso, tanquam exercitium proprium, & *immediatum* Dei, & *immediata* coniunctio Dei influentis cum existentia effectus: ergo per productionem actionis non probatur causa *immediata*, seù *immediatum* principium influxivum effectus.

49 Confirmatur. Dependentia immediata à Deo requisita in omni ente creato ob suam inferioritatem, & subiectionem, ea debet esse, vicuius Deus per præcisam subtractionem sui concursus *formaliter* auferat, aut impediat existentiam effectus; quin opus sit ei recursu ad ablationem, aut impeditionem alterius distincti à sui influxu: sed hæc immediata dependentia non datur, nisi actio Dei sit ipsa actio creaturæ: ergo nisi actiones creaturæ procedant immediatè à Deo, & non per actionem immanentem *reflexam*, non salvatur immediata dependentia à Deo requisita in omni ente creato ob suam inferioritatem, & subiectionem. Maior constare videtur ex eo, quod immediata dependentia à Deo requisita in omni ente creato ea debeat esse, qua nulla immediatior,, & strictior excogitari possit; qualis est ea, ex qua Deus per immediatam subtractionem sui concursus possit *formaliter* auferre, & impedire existentiam effectus. Probo minorem. Ista dependentia talis non est, dùm Deus per subtractionem sui concursus aufert præcisse *immediatè*, & *formaliter* aliquid intermedium inter suam actionem, & existentiam effectus, cuius defectus infert carentiam effectus: sed si in effectibus provenientibus simùl à Deo, & causa *secunda*, actio nuius non sit ipsissima actio Dei; Deus per subtractionem suæ actionis non potest *immediatè* auferre, & impedire existentiam effectus; verùm *illativè* media impedine, & ablatione actionis creaturæ, quæ est terminus divinæ actionis: ergo, hæc immediata dependentia requisita non datur nisi actio Dei sit ipsissima creaturæ actio.

50 Tertia ex munere actionis, ex quo constat esse concedendas in Deo actiones *formaliter* transeuntes, quæ immediatè per se fluant ab omnipotentia, vt exercitia illius. Pro cuius enodatione advoco ex physosophia in examen titulum, ob quem coacti sunt Philosophi concedere actiones superadditas, & distinctas ab agente, & termino, quæ primo aspectu videntur non necessariæ: nàm sicut actio per se *immediatè* fluit ab agente, sine recursu ad alteram actionem *reflexam*; cur effectus non poterit per se immediatè oriri à causa, nulla intercedente actione superaddita? Cui difficultati occurritur dicendo: quòd cùm *existere effectum hunc determinatum*, & *causam hanc determinatam*, multotiès sit separabile ab hoc, quod est *existere effectum ab hac causa*; quia existere potest ab alia causa: vt cōstat in igne *B* de facto procedente ab igne *A*, qui idem possit similiter existere ab igne *C*, vel deficiente igne *A*, vel existente, & remoto ab illo passo, in quo producitur ignis *B*; ideo necessarium est concedere aliquid distinctum ab vtroque, quod vltimò determinet per se, nè abeamus in infinitum, causam hanc determinatam, vt det *esse* huic determinato effectui, & hunc determinatum effectum, vt *esse* accipiat ab hac determinata causa.

51 Eccè fundamentum, quod movet ad concedendas actiones superadditas causæ, & effectui. Ex quo à contrario infertur: quod quando terminus talis naturæ, & conditionis sit, vt non possit existere in rebus nisi à determinata causa, non indiget actione superaddita; sed ipse per se est actio sui, ac fluxus à sua causa; non secùs ac actio superaddita fluit per se immediatè non indigens alio fluxu, & exercitio superaddito: vnde iam se prodit tamquàm legitima subillatio; quod cùm omne ens creatum non possit existere in rebus, nisi à Deo, & vt procedens à divina omnipotentia, per se est actio illius, & fluxus immediatus à divina virtute nō indigens exercitio superaddito, qua parte procedit à Deo; si verò procedat à Deo, & causa secunda; necessarius est influxus superadditus, qua parte procedit à causa secunda, à qua non exigit determinatè procedere: de quo influxu superaddito idem conficitur argumentum comparativè ad Deum, à quo procedere, est essentialiter determi-

natus ; propterea̅que non indiget influxu ſuperaddito immanente ; ſed per ſe fluit ab omnipotentia tranſeunter.

52 Quo premiſſo, impugnationem propono. Aut omnis effectus creatus, ſicut, & quævis actio ſuperaddita illius, per quam procedit à cauſa *ſecunda* habent determinationem eſſentialem, vt non aliter ; quam ab omnipotentia exiſtant, vel non ? Si *hoc ſecundum* : ergo ens creatum poteſt taliter exiſtere, vt à Deo non procedat ; quod à nullo ſanæ mentis devorari poteſt : ſi *primum* : ergo omne ens creatum, ſivè terminus, ſivè actio, ſivè cauſatum, ſivè cauſalitas eſt per ſe eſſentialiter determinatum, vt ſi exiſtat, exiſtat à Deo : ſed hoc eſt formaliſsimè omne ens creatum eſſe actionem, & cauſalitatem Dei : ergo omne ens creatum ſecùm identificat influxum, & cauſalitatem Dei : at influxus identificatus cum re creata, & finita, non eſt influxus, & cauſalitas Dei immanens ; ſed tranſiens, vt per ſe patet : ergo concedendæ ſunt in Deo actiones *formaliter* tranſeuntes ; quo tota ingenioſa machina contrariæ ſententiæ ab everſione fundamenti ruit.

53 Quarta : ſtando principijs huius Authoris, apparet, vel teneri dicere : in voluntate humana Chriſti Domini nullam eſſe actionem liberam ; vel retractare dicta, & fateri : phyſicam prædeterminationem intrinſecam, qua talem, libertati non nocere. Probatur. Per te connexum antecedes, & inimpedibile per voluntatem creatam aufert eius libertatem, ſi vt quid intrinſecum, exiſtat pro priori ad actionem liberam : ſed in Chriſto Domino decretum prædefinitivum actionum naturæ humanæ, & creatæ voluntatis vnitæ Verbo, eſt connexum antecedens, inimpedibile, & intrinſecum, determinans propriori tales actiones : ergo vel teneris dicere : tale decretum auferre libertatem humanitati Chriſti Domini ; vel aſſerere : connexum, antecedens, inimpedibile, & intrinſecum voluntari creatæ eſſe cum eius libertate componibile. Cætera patent. Probo minorem, ad quam reducitur difficultas. In Chriſto Domino ; naturæ, & voluntati humanæ eſt intrinſecum per vnionem ad verbum quidquid à verbo realiter non diſtinguitur : ſed decretum prædefinitivum actionum humanitatis non diſtinguitur realiter à verbo : ergo eſt humanitati intrinſecum : aliundè eſt antecedens, connexum, & inimpedibile per actiones humanitatis : ergo in Chriſto Domino decretum prædefinitivum actionum naturæ humanæ, & creatæ voluntatis vnitæ verbo, eſt connexum antecedens, inimpedibile, & intrinſecum, determinans propriori tales actiones. Maior, à qua cætera pendent, conſtare videtur ex communi Patrum doctrina relata à Theologis tractatu de Incarnatione ad quæſtionem *de termino aſſumente* dicentium : id omne ex parte Dei aſſumpſiſſe humanitatem per vnionem hypoſtaticam, quod relinquat illæſam propoſitionem affirmantem : *Patrem, & Spiritum Sanctum non fuiſſe incarnatos* : ſed comunicatio intrinſeca decreti prædefinitivi intactam relinquit talem veritatem : ergo decretum prædefinitivum actionum humanitatis ei eſt per vnionem intrinſecum.

54 Si autem fuga huic difficultati paretur per terminos *mediatè*, & *immediatè* frequentes Theologis in quæſtione attacta dicendo : decretum prædefinitivum earum actionum non eſſe intrinſecum humanitati *immediatè*, & ratione ſui ; ſed *mediatè virtualiter* ratione verbi, præter quod hanc diſtinctionem rectè impugnat Pater Munieſa diſputatione ſecunda de Incarnatione ſectione tertia, vt minus conformem loquutionibus Patrum abſolutè proferentium Naturam Dei incarnatam, & vnitam humanitati in Chriſto, vt videre eſt apud Sanctum Auguſtinum, Athanaſium, Cyrilum, Bernardum, & Divum Thomam citatos ab ipſo ; deindè difficultatem non vitat ; vel quia eſſe *mediatè* intrinſecum, non excludit eſſe intrinſecum ; vel quia ijdem, qui his terminis vtuntur, ſe explicant dicendo. *Omne quod non ſit formaliter ſubſiſtentia verbi præter Perſonalitates Patris, & Spiritus Sancti, eſſe realiter immediatè intrinſecum humanitati quamvis non virtualiter* : ergo decretum prædefinitivum actionum humanitatis Chriſti, & eſt verè intrinſecum humanitati, & intrinſecũ immediatione reali. Vnde ſaltem obtinebimus : propoſitionem illam generalem de *intrinſeco auferenti libertatem* eſſe diſtinguendam in intrinſecum *mediatè*, & *immediatè* ; necnon diſparitatem adhibendam inter vnum, & aliud, quam nondum vidimus.

55 Roborari poteſt idem aſſumptum ex eo, quod verbum divinum

num sub conceptu *liberæ terminationis* repræsentantis contingentia, per se procedat ex cognitione contingentium; quam sententiam vocat Illustrissimus Godoy tomo 3. in primam partem tractatu 12. disputatione 91. quæstione 34. § 3. congruentissimam menti Divi Thomæ, qui eam satis insinuat prima parte quæstione 34. articulo 1. ad tertium in illis verbis. *Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius Scientia continentur, concipit Verbum, vt sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura*: vnde colligitur; quod cum verbum *completè*, & *adæquatè* sumptum, provt defacto exititit, humanitatem assumpserit, Verbum provt est Verbum contingentium, humanitati est intrinsecum per vnionem hypostaticam. Tunc sic: Verbum, provt est Verbum contingentium, ac per consequens actuum liberorum humanitatis Christi, est per vnionem intrinsecum naturæ assumptæ: ergo pro priori ad suas operationes liberas est per Verbum *formaliter* determinata ad liberam operationem, quam defacto exercet: sed Verbum provt vnitum humanitati, in quantum Verbum operationis liberæ humanitatis, est quid connexum cum operatione libera antecedens, inimpedibile, & intrinsecum: ergo vel debes dicere; non dari in Christo Domino libertatem ad operationem Theandricam, vel id, quod est antecedens, inimpedibile, intrinsecum, & connexum cum operatione libera voluntatis, libertatem ipsius non destruere; & impugnationes factas contra prædeterminationem intrinsecam reddi inanes.

56 Nec retorqueas argumentum in nostros Authores tuentes eandem sententiam de processione Verbi ex cognitione contingentium, qui videntur in eisdem constitui angustijs pro componenda libertate Christi; in quo Verbum *complete* sumptum, & provt de facto exititit, assumpsit humanitatem; ac per consequens, provt est Verbum operationis liberæ: qua ratione, cum illa connectitur, debet ad illam præcedere; sicut præcedit Verbum, prout vnitum, ad operationes Christi. Quia in principijs Societatis est clara diversitas, & facilis via difficultatem evadendi penes id, quod Verbum contingens determinatæ operationis liberæ Christi, eiusque vnio ad humanitatem est consequens potestatem exercendi talem operationem, & per eam impedibile: vnde facile est ipsum, prout vnitum retrahere; tum a signo potestatis liberæ; tum ab alio signo priori, & intermedio inter signum libertatis, & actum secundum. Non sic in opposita sententia, in qua Verbum contingens determinatæ operationis liberæ non est consequens operationem liberam, nec per eius potestatem impedibile; cum procedat ex Scientia innitente decreto omninò antecedente; quapropter, licet Verbum, provt tale, possit iuxta principia Thomistarum retrahi à signo potestatis, sicut retrahitur prædeterminatio; non vero ab omni signo priori, & existente ante operationem, in quo voluntas humana Christi erit *formaliter* intrinsecè determinata ad operationem liberam; vrgetque instantia contra ægrè ferentem: principium liberum esse intrinsecè determinatum ad operationem liberam, quam pro posteriori signo exercet.

CAPVT II.

Eadem decreta reijciuntur ex concursu Dei ad peccatum.

57 QVam difficile decreta efficacia antecedentia cū libertate creata componantur, ostendimus, impugnando rationes, quæ eò tendunt, vt demonstrent: moliorem esse prædeterminationem extrinsecam, quam intrinsecam; & inconvenientia huius in illa extenuari. Nunc altiùs assurgit difficultas, & ipsum Deum tangit, cuius infinita Sanctitas, voluntatisque rectitudo videtur indiscrimen agi, si *antecedenter* nostros actus liberos decernat efficaciter. Vnde apparet specialis alius titulus repugnantiæ, qui communis etiam est prædeterminationi intrinsecæ eadem generalitate, qua decreto se extendenti ad omnes actiones liberas creaturæ; impugnationem vero illius ex hoc capite omisimus in antecedentibus, in quibus solum processimus specialiter contra gratiam ab intrinseco efficacem, reservantes in hunc locum fundamenta, quæ prædeterminationem

nem generalius acceptam impugnat. Peculiaris huius difficultatis ratio non est tàm occulta, vt cuivis statim non se offerat. Nam si ex debito supremi dominij, & ex subiectione creaturarum ad Deum, hic non aliter concurrit nobiscum; quam prædefiniendo efficaciter, & omnino *antecedenter* nostros actus liberos; eodem modo se geret erga peccata, quæ actus liberi sunt, & ad quæ Deus titulo causæ *primæ*, & *vniversalissimæ* debet concurrere. Quod si ita sit: Deus erit causa *per se*, & Author peccati, reclamante in contrarium veritate catholica per Tridentinum Sessione 6. Canon. 6. ibi: *Si quis dixerit mala opera, ita vt bona Deum operari non permissivè solum; sed etiam propriè, & per se, anathema sit.* Assumptum patet: Deus est causa *per se*, & Author illius, quod efficaciter vult, & prædecernit: ergo si velit efficaciter, & prædecernat actus liberos peccaminosos, erit causa *per se* illorum: igitur, nè hoc impie, & blasphemè dicatur, debet dici: Deum non prædecernere, aut prædeterminare efficaciter, & omnino *antecedenter* actiones liberas creaturæ.

58 Rei gravitas, & argumenti vis, cuius pondere premuntur adversarij, etsi doctissimi, eos, vt contingit semper in arduis, divisit, & ad varias solutiones distraxit. Plures ex prædeterminatoribus, quos refert Pater Ruiz disputatione 27. de voluntate, respondent: Deum tantum prædecernere efficaciter, & omnino *antecedenter* actus liberos, bonos, & honestos creaturæ; secus autem pravos, & turpes, quos Deus nullo modo prædeterminat, aut prædefinit, putantes irrefragabilem consequentiam a prædefinitione, aut prædeterminatione Dei in actus pravos ad causalitatem *per se* eiusdem in peccatum. Nec veritus est Magister Zumel postquàm asseruerat: actiones peccatorum à Deo non prædeterminari, notare oppositam sententiam tamquàm suspectam in fide, vt videre est in ipso prima secundæ quæstione 79. articulo 2. disputatione 3. conclusione 2. & tomo 1. opusculorum pagina 250. in fine; nec non tomo 2. discursu 5. sectione 6. pagina 285. Itaque apud hos Authores doctrina de concursu Dei per prædeterminationem, aut prædefinitionem antecedentem non est generaliter accipienda respectu ad actiones creatas; sed cum modificatione ad honestas; sicut apud omnes Theologos causalitas *per se* divina actionum causarum *secundarum* restringitur ad honestas, aut non malas; sed non indiscriminatim ad bonas, & malas.

59 Alij vero, & est communior prædeterminantium solutio, videntes inconsequentiam doctrinæ, quæ vix evitari potest apud asserentes requisitam prædefinitionem, & prædeterminationem ad actus honestos; quin sit requisita ad actus pravos; consequentius absque exceptione prædefinitionem antecedentem, & prædeterminationem ad omnem actum admittunt: quam, prout respicit actum pravum, explicant, dicentes: Deum prædecernere efficaciter, & prædeterminare nostros actus pravos, & peccaminosos quoad *materiale* ipsorum; secus quoad *formale* malitiæ, & hoc, sivè *materiale* peccati distinguatur realiter à *formali* malitia; quia hæc consistat in privativo, sivè identificentur realiter, quia malitia *formalis* consistit in positivo. Neque ex hoc modo prædefiniendi, & prædeterminandi actus provos (inquiunt) deduci potest inconveniens contra divinam bonitatem, & Sanctitatem in argumento attactum: nàm cum Deus prædefiniat tantum in actu pravo id, ad quod concurrit, concurratque ad *materiale* illius; secundum quam rationem actus pravus, aut bonus, aut non malus est; non ad malitiam, secundum quam rationem malus est; solum infertur: Deum velle efficaciter prædecernere, & prædeterminare, quod bonum, aut non malum est, & eiusdem esse Authorem, & causam *per se*; non vero malitiæ. Has solutiones per ordinem impugnabimus; priùs primam, quæ minorem exigit enodationem; post secundam, cui longius debetur examen.

60 Primam rectè persequitur Pater Herrera quæstione 7. de prædestinatione sect. prima, rogans sic respondentes: an iuxta ipsos Deus concurrat ad actus pravos concursu *simultaneo*, vel non? Si *non concurrat*: incidunt ex hac parte in sententiam Durandi; tenenturque explicare gravissimam aliam difficultatem de modo componendi supremum, & immediatum Dei dominium in omnes, & singulas actiones creatas; & vt vitent vnum absurdum, in alio graviori querunt asylum. *Si vero concursum simultaneum Dei ad omnes actiones nostras sine exceptione retinent*: rursus rogan-

gantur: an Deus concurrat ad actus pravos applicando suam omnipotentiam per decretum indifferens, & inconnexum cum actione prava, vel per decretum incomponibile cum defectu peccati, & perconsequens connexum cum illius existentia? si *hoc secundum*: relabuntur in prædefinitionem efficacem, & prædeterminationem ad actus pravos; cum prædefinitio efficax, & prædeterminativa actionis pravæ, sit decretū applicativum omnipotētiæ ad concurrendum cum creatura ad peccatum cum omnimoda determinatione prævia ad existentiam illius, quæ est omnimoda prævia incomponibilitas cum ipsius defectu: ergo male negant prædeterminationem, & prædefinitionem antecedentem, & efficacem pravorum actuum, quam post coguntur concedere.

61 Si propterea dicant primum, scilicet: *Deum concurrere ad peccatum, applicata omnipotentia per decretum indifferens*; difficiliorem amplectuntur viam, quæ ad desertionem suorum principiorum ipsos ducet. Ostenditur facile. Aut decretum hoc applicativum indifferens per se est sufficiens, vt sub ipso existat operatio recta creaturæ concurrente *simultaneè* omnipotentia, vel non? *Si per se est sufficiens*: ergo vt existat operatio recta, & actus honestus à voluntate creata concurrente simul cum ipsa omnipotentia, non est necessaria prædefinitio antecedens, & prædeterminatio illius: patet illatio: non est necessarium ad operationem rectam creaturæ id, sinè quo potest existere operatio recta creaturæ: sed per te, cum solo decreto prævio indifferente applicativo omnipotentiæ, quod prædefinitio efficax antecedens, aut prædeterminatio non est, potest existere à voluntate creata operatio recta: ergo prædefinitio efficax antecedens, aut prædeterminatio non modo non est necessaria ad actus pravos; verum nec ad operationem rectam. Vnde simul deficiunt omnes illæ rationes desumptæ ex supremo dominio, & potestate expedita Dei, quæ sunt fundamentum his Authoribus ad adstruendas necessarias prædefinitiones efficaces antecedentes, & prædeterminativas. Si *sit insufficiens ad operationem rectam*: ergo determinatè connexum cum prava operatione: constat etiam: nam insufficiens ex se ad aliquid, & aliunde incompossibile cum necessario ad illud, per se connectitur cum carentia illius: at decretum indifferens per se est insufficiens ad operationem rectam, & aliunde incomponibile cum decreto prædefinitivo applicativo omnipotentiæ ad operationem rectam, & ad hanc simpliciter necessarium: ergo connectitur cum defectu operationis rectæ, & cum existentia operationis pravæ. Vide indifferentiam conversam in determinationem, & decretum applicativum, quod vocas indifferens, factum determinatum ad actum pravum, & provt tale, velis, nolis, prædeterminativum actionis pravæ

62 Si scire desideres: vnde probetur: decretum indifferens esse inconiungibile cum efficaci prædefinitione boni operis: in promptu est probatio. Nam Deum applicare suam omnipotentiam per decretum indifferens, & compatibile cum vtroque extremo, est velle efficaciter vel *formaliter*, vel *virtualiter* non determinare ex se operationem liberam creaturæ: sed velle efficaciter, vel *formaliter*, vel *virtualiter* non determinare ex se operationem liberam creaturæ, excludit essentialiter Deum ex se determinare operationem liberam creaturæ; vt faceret prædefiniendo efficaciter *antecedenter* operationem rectam: ergo decretum indifferens applicativum omnipotentiæ est ex se inconiungibile cum efficaci antecedenti prædefinitione boni operis. Explico, & confirmo: omnis casus decreti indifferentis est solus casus existentiæ actus pravi: sed omnis casus existentiæ actus pravi est casus carentiæ prędefinitionis antecedentis simpliciter, & prædeterminationis: ergo omnis casus decreti indifferentis est casus carentię prædefinitionis antecedentis, & prædeterminationis; ac proinde casus decreti indifferentis, est casus inconiungibilitatis cum prædefinitione prædeterminativa.

63 Respondebis: Deum prædecernere efficaciter, prædeterminando actus bonos, quin sic prædecernat actus pravos, quàmvis non auferat concursum simultaneum omnipotentię ad actus pravos; non ideo inducere necessitatem decreti applicativi indifferentis; sed solam carentiam decreti prędecernentis efficaciter *antecedenter* actum bonum, quæ carentia, neque est decretum indifferens, vt per se patet, ne-

nequè est decretum prædefinitivum; quia illud *formaliter* excludit. Ratio est: quia ipsa ablatio applicationis omnipotentiæ ad actum honestum est determinatio omnipotentiæ, vt concurrat ad actum pravum, quando inter vnum, & alium non datur medium vi libertatis existentis: sed determinatio omnipotentiæ ad concurrendum est applicatio omnipotentiæ: ergo si absque decreto vllo est omnipotentia determinata ad concurrendum cum creatura ad actionem pravam; nequè decretum prædeterminativum, neque decretum indifferens est necessarium pro tali *simultaneo* concursu.

64 Sed contra primò. Nàm quàmvis solutio hæc in peccato *omissionis*, cuius oppositum est actus positivus honestus, sit aliquomodo perceptibilis; in peccato vero *commissionis*, cuius oppositum, ad quod tenemur, est pura carentia actus pravi, præcipuè si sit possibilis pura omissio libera, vt multi eorum tenent, intelligi nequit; cum non sit necessarium ad puram omissionem decretum prædefinitivum; sed pura carentia decreti applicativi omnipotentiæ ad concursum actus pravi. Vnde rogo: vel decretum appplicativum omnipotentiæ ad concurrendum cum voluntate ad actum pravum, est quid *positivè* tendens in actum pravum, *positivèque* omnipotentiam determinans ad influxum actus pravi? Et eccè prædefinitionem, quam negas ad actiones pravas: vel est determinatio pure *negativa*? Et erit exclusio alterius determinationis *negativæ* ad omissionem actus pravi. Iam hæc determinatio *negativa* ad omissionem, quid excludit? Cum non excludat prædefinitionem *positivam* actus pravi, quam renuis admittere; sed determinationem *negativam* ipsius determinationis *negativæ* ad omissionem: quid ergo negativum negativi, si positivum non est, conceptibile, & explicabile erit?

65 Contra secundò: ergo pro priori ad actum pravum debet præcedere exercitium liberum Dei excludens decretum applicativum omnipotentiæ ad actum honestum, & determinativum illius, vt cum voluntate creata concurrat ad actum pravum: ergo Deus liberè *antecedenter* determinat actionem pravam creaturæ; quod cum munere *Permissoris* in Deo stare nequit. Probatur. Non est purè Permissor alicuius actionis, qui ad eam concurrit, liberè pro priori determinando per liberam ablationem illius, quod ad defectum actionis est simpliciter necessarium: sed per te Deus ita concurrit cum creatura ad actum pravum, vt pro priori liberè determinet omnipotentiam ad talem actionem, liberè auferendo applicationem simpliciter necessariam ad actum honestum, & carentiam actus pravi: ergo Deus non est purè permissor actus pravi; sed Author, & causa *per se* illius: vnusque redditur timor ex prædefinitione, & prædeterminatione actus pravi, quæ in determinatione libera, & antecedenti Dei cum eo connexa, sic, vel aliter explicata, continetur.

66 Contra tertio. Non prædefinire *antecedenter* actum honestum cum potestate eum prædefiniendi, est rigorosè prædeterminare, & *antecedenter* prædefinire omissionem actus honesti: sed cum creatura peccat peccato *omissionis*, Deus non prædefinit *antecedenter* actum honestum cum potestate eum prædefiniendi: ergo rigorosè prædeterminat peccatum *omissionis*. Probo maiorem. Libera antecedens exclusio necessarij ad actum, est libera antecedens connexio cum defectu actus: sed libera antecedens connexio cum carentia actus est libera antecedens determinatio, vt omittatur actus: ergo non prædefinire *antecedenter* actum honestum cum potestate eum prædefiniendi, est rigorosè prædeterminare, & *antecedenter* prædefinire omissionem actus honesti. Confirmatur. Sicut rigorosè omittere actum, est pure non ponere actum: sic rigorosa antecedens determinatio ad omissionem actus erit purè non ponere necessaria ad actum: sed Deus potens prædefinire actum, & ipsum non prædefiniens, purè non ponit prædefinitionem antecedentem necessariam ad actum: ergo strictè, & rigorosè prædeterminat ad omissionem actus: erit igitur Deus saltem prædeterminator, & antecedens prædefinitor peccati *omissionis*: sed illius, quod Deus prædefinit, & prædeterminat, est Deus Author, & causa *per se*: ergo iuxta tuam solutionem erit Deus Author, & causa *per se* peccati *omissionis*.

67 Contra quarto. Quia, attenta ratione dominij Dei, & subiectione creaturæ ad *primam* causam, Deus concurrit *simultaneè* nobiscum ad actiones creatas, iudicas, non esse negandum

Deo

Deo concursum *simultaneum* in actionem peccati: ergo quia ratione supremi dominij Dei, & subiectione creaturæ ad *primam* causam Deus per te *antecedenter* prædefinit nostras actiones, debes asserere, & iudicare: prædefinire antecedenter etiam actus pravos. Si autem, vt concedas prædefinitionem, non solum dominium; sed conditionem actionis attendis; & penes hoc coniunctum iam negas, iam concedis: Deum prædecernere, & prædeterminare nostras actiones, inspice coniunctum supremi dominij, & conditionem actus liberi, cuius dominium electivum, & determinativum voluntati liberæ competit, & omnem prædefinitionem antecedentem, omnemque prædeterminationem sinè absurdo excludes: tene ergo consequentiam in omnibus, aut pro affirmatione, aut pro negatione prædeterminationis, & antecedentis efficacis decreti.

CAPVT III.

Continet impugnationem secundæ solutionis, per quam omnis prædefinitio, & prædeterminatio materialis peccati excluditur authoritate.

68 PRo claritate explicandum quid per terminos *materiale*, & *formale* peccati veniat intelligendum. *Materiale* peccati est quidquid physicum, & quidquid entis realis in ipso invenitur: *formale* est malitia secundum explicitum talis, per quam actus redditur pravus, & malus *moraliter*. *Materiale* subdividitur à nonnullis in *materiale materialiter* sumptum, & *materiale* sumptum *formaliter*: per *materiale materialiter* intelligunt *esse* actus, qui liber est *specificativè* sumptum. Per *materiale formaliter*, *esse* actus, non vtcumque; sed *reduplicativè*, provt liberum, & instructum omnibus his, quæ ad libertatem ipsius requiruntur. Neque ideò prædeterminationem continent intra terminos *materialis materialiter* sumpti. fatentur enim Deum prædefinire, & prædeterminare entitatem actus pravi, prout non præscindit à libertate; qua ratione est fundamentum malitiæ, & eam sibi annectit, quam annectere non posset, præscindendo à libertate, sinè qua in actione malitia *formalis* esse non potest. Adhuc *materiale formaliter* sumptum dupliciter accipiunt; vno modo *specificativè*, quoad fundamentum malitiæ, id est: *materiale, quod fundat formale malitiæ*; altero modo *reduplicativè*, & *prout est fundamentum malitiæ*. Primo modo, inquiunt; prædeterminari à Deo materiale peccati; secus secundo modo: quia non solum dedecet Deum causare *propriè* formale peccati; verum, & fundamētū illius *reduplicativè*, vt tale. En doctrinam, quā impugnandam suscipimus.

69 Impugnatur primo ab authoritate, quam copiosissimè, vt solet, doctissimus Pater Ruiz congessit, & mirè sparsit à disputatione 27. de voluntate Dei vsque ad 51. ex quo aliqua tantùm brevitatis causa accipiam, vt fecerunt reliqui, qui post ipsum fructus tàm indefessi laboris colligere potuerunt. Ex scriptura psalm. 5. *odisti omnes, qui operantur iniquitatem*: at *per se* causare, & ex propria determinatione eligere quidquid physicum est in iniquitate, vt fit per prædeterminationem materialis peccati, est operari iniquitatem: ergo Deus odio habet: se prædeterminare materiale iniquitatis, & peccati. Hierem. capite 2. *Ego te plantavi vineam electam omne semen verum; quomodo conversa es mihi in pravum?* Nonnè materiale peccati est semen, vnde oritur tanquàm fructus formale peccati? Quod si materiale peccati semen bonum est, quodnam erit malum semen, vnde procedat fructus peccati? Ergo si Deus semen malum non plantat, nec in anima seminat; non ex propria determinatione, & causalitate *per se* seminat, & plantat in anima, & voluntate operantis materiale peccati. Isaiæ capite 30. *Væ filij desertores dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per Spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum.* Quomodo consilium pravum absolute non esset ex Deo, si quod est entitatis, & physicum in consilio pravo ex Deo esset? Deinde, quid similius orsui telæ, cuius rigorosa significatio est telæ initium, & fundamentum, quàm materiale actionis, ex quo initiatur peccatum? Ergo si sub hac metaphora Deus à se repellit orsum peccati, materiale illius non causat, nec prædeterminat.

Hā-

70 Habacuc capite primo : *mundi sunt oculi tui , ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*: refugit nè videre malum , aut per voluntatem ad iniquitatem non respicit , qui à nullo determinatus ; sed *à se* , & *per se*, & per propriam electionem determinat fundamentum , cui inseparabiliter annectitur iniquitas ? Ecclesiast. capite 15 *Nè dicas, quia per Deum abest ; quæ enim odit , nè feceris* : coniungere carentiam formalis peccati cum exittentia materialis est impossibile : me ponere materiale est à Deo volitum ; cum non aliter materiale prædecernat , & prædeterminet ; quam vt à me elicitum : ergo per Deum est positio , & electio circunstantiarum , ex quarum suppositione iam mihi necessarium est formale: sed hoc est: per Deum bonum opus abesse, & adesse malum: ergo ne hoc possit dicere qui peccat , nec Deus potest prædeterminare materiale actionis pravæ. Mathæi capite 13. *nonne bonum semen seminasti in agro tuo : vnde ergo habet zizania ? Inimicus homo hoc fecit*. Quomodo bonum semen, quod est connexum cum malo fructo? Sed per te Pater familias, id est Deus , seminavit semen connexum cum malo fructu : ergo non seminavit semen bonum. Insuper, si semen, quamvis bonum , erat connexum cum malo fructu, in quo fundatur admiratio de Zizaniorum ortu , aut quarè recursus ad inimicum ; cum sufficeret conditio seminis à Zizanijs inseparabilis.

71 Prima Ioanis capite 2. *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ , non ex Patre ; sed ex mundo est* : at superbia vitæ , concupiscentia carnis ,& oculorum , non solum sunt formale ; sed materiale actionis pravæ: ergo si absolute , & sine restrictione ex mundo sunt, & non ex Patre, Deus nec secundum formale , nec secundum materiale eas actiones prædefinit , & *per se* causat. Iacobi capite primo *Deus neminem tentat* : & capite 3. *non est ita Sapientia desursum descendens*. Absolute non tentare alium, est ad nil mali inducere alterum: sed materiale mali est aliquid mali, quod ex materiali , & formali resultat: ergo Deum esse absolute malorum intentatorem , vt inquit idem Apostolus absolutè,& sinè distinctione proferens, *Deus enim intentator* , (id est non tentator) *malorum est*, non permittit per suam præviam determinationem alium inducere ad materiale peccati . *Vltimo*: quomodo non erit desursum sapientia illa , quæ verè stultitia est , si totum *esse* physicum ipsius desursum est ? Ergo ex Scriptura videtur constare non minus opponi divinæ perfectioni causalitas *per se materialis* , quod est in actione prava, quàm *formalis* malitiæ ipsius.

72 Ex Tridentino Sessione 6. & Canone 6. citatis ibi : *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas, malas facere; sed mala opera ita vt bona Deum operari, non permissivè solum ; sed etiam proprie , & per se , adeo , vt sit proprium eius opus , non minus proditio Iudæ , quàm vocatio Pauli: anathema sit* . Per quæ videtur clarè excludere omnem causalitatem *per se* materialis peccati ; ac per consequens prædefinitionem , & prædeterminationem illius . Primo : quia non dicit solùm : Deum se habere *permissivè* erga malitiam mali operis ; sed erga mala opera, absolute excludendo causalitatem *per se* illorum : quod stare non potest cum distinctione causandi *per se* mala opera quoad materiale , & *permissivè* quoad formale. Secundo. Nam sicut impropriissima loquutio est , vocare malum opus malitiam mali operis ; non aliter ac vocare album albedinem ; ità impropriissimus modus definiendi esset , intelligere per permissionem mali operis solam permissionem malitiæ; quæ improprietas non est admittenda in extirpatione erroris contra homines versutos , & cavillis plenos . Tertio. Proditio Iudæ in exemplum adducta, in qua intelliguntur reliquæ omnes actiones pravæ ab hæreticis propositæ, non dicit formale præcisse; sed materiale, & quidem hoc pro expresso: ergo si dicit: Deum se habere *permissivè* in traditione , & proditione Iudæ , ad materiale, & formale permissionem extendit.

73 Quarto. Concilium intendit removere à Deo actionem pravam eo sensu , quo tribuit creaturæ vias suas malas facere : at creatura vias suas malas facit ; quia eligit , & determinat materiale actionis , cui annexum est formale malitiæ : ergo excludit à Deo determinationem, & causalitatem *per se* materialis, cui annexa est formalis malitia . Quinto. *Opus malum permissivè tantum esse à Deo* , est propositio Concilij contradicens illi Hæreticorum , *non permissivè tantùm* : sed opus pravum non est opus , nec effectus secundùm formale malitiæ ; sed purus defectus; ideoque creatura, prout *formaliter* peccans , non

est

est *efficiens*: sed *deficiens*: ergo si Deus iuxtà Concilium *permissivè* tantùm se habet circa opus malum; *permissivè* tantum se habet circà materiale actionis, in quo stat ratio operis: aliàs sensus propositionis, & definitionis Concilij, alius nò erit; quàm opus malum esse *permissive* tãtùm à Deo, proùt nõ est opus; quo nullo modo contradicit alteri propositioni: *opus malum non est permissivè tantum à Deo*. Clarius id cernitur, si dicas: formale peccati consistere in privatione rectitudinis debitæ operationi: vnde sensus illius propositionis *opus malum permissivè tantũ est à Deo*: hic erit: *Opus malum permissivè tantum est à Deo secundùm privationem, quæ opus malum non est*: in quo, vt modestè loquar, quis non videat improprietatem?

74 Sextò, & principalissimè. Nàm si intentum Concilij non esset removere à Deo omnem causalitatem *per se* ad materiale peccati, vtpotè, ex qua infertur causare *per se* formale, inutilis esset definitio, & hostem fingens, contra quem sententiam decisivã fulminaret: haberet enim Concilium sibi, & sanæ doctrinę conformes Calvinum, Bezam, & reliquos eiusdem farinæ, contra quos procedebat, vt constat ex horũ testimonijs, in quibus suas propositiones explicant. Vnum, aut alterum proponam non animo confundendi Hæreticos cum Catholicis prædeterminatoribus, quod absit; sed vt clarius ex solutionibus contrariæ sententiæ veritas innotescat, & probabilitas nostrę appareat: inquit Calvinus in libro de æterna Dei prædestinatione iuxta editionem Genevensen anni 1552. pag. 994. *Quatenus mala sunt, quæ malo animo perpetrant homines, Deo minimè placere fateor*. Theodorus Beza in Aphorismis pro explicanda sui, & Calvini mente, Aphorismo 8. *Non sequitur ex istis vlla istarum blasphemiarum, nempè vel Deum esse Authorem peccati, sivè delectari iniquitate: aut etiam velle iniquitatem, vel Satanam, aut homines malè agendo, obedire Deo, aut quatenus malè agunt facere, quod Deus vult*.

75 Idẽ Aphorismo 19. *Quidquid agit Deus bonũ est: cùm à sũmo bono nil possit mali proficisci: omnia autem efficit, omnia igitur bona sunt, quatenus à Deo efficiuntur, & discrimen illud boni, & mali in instrumentis duntaxat locũ habet*. Philippus Melanchthon in locis communibus editis anno 1536. *Firmissimè, & tamquam vtraque manu tenendam esse sententiam, quæ negat, Deum vllo modo esse Authorem peccati*. Vide omnem causalitatem propriam Dei erga malum *formaliter*, vt impiam, & blasphemam recusabant: ergo cum aliunde fatentur: Deum sua efficaci voluntate prævenire nostras actiones pravas, easque titulo causæ *primæ*, & *vniversalis per se* determinare, & causare, causalitatem *per se* ad solum materiale peccati concedebant: ergo si Concilium duntaxat permissionem formalis declaravit, causalitate *per se* materialis peccati non improbata; Hæretici tam conformes apparebant doctrinæ Catholicæ; quàm prædeterminantes.

76 Respondet Illustrissimus Godoy tomo 2. in primam partem tractatu 4. disputatione 36. quæstione 14. §. 9: Hæreticos, contra quos agebat Concilium, verbo tenùs, & non sine dolo, atque inconsequentia ad propriam doctrinam, negasse: Deum causare *per se* formale peccati: quia cum fatentur ratione decreti antecedentis, & prædeterminantis nostras libertates everti, revera quidquid in peccato est, Deo tribuebant; & sic attributum concedere tenebantur: quorum pravæ doctrinæ realitatem inspiciens Concilium prædeterminationem ad materiale, vt ab ipsis positam, damnavit; non absolutè, & proùt sine læsione libertatis tuetur: qua ratione secundùm veritatem, & cum doctrinæ consequentia, non verbo tenùs; sed secundùm realitatem negatur: Deum esse Authorem, & causam *per se* peccati quoad formale, vt faciunt omnes, qui Catholicè prædeterminationem ad materiale peccati defendunt.

77 Non nego, nec negare possum: Sapientissimos Thomistas, & alios, qui prædefinitiones, & predeterminationes ad materiale peccati nõ recusant, Catholicè suam sententiã protegere; cæterum hoc non verat, quod ex definitione Tridentini, & ex apparente cõsensione cum Hæreticis ex explicatione propositionũ, & terminorũ vtu, grave, & Theologicum argumentũ formetur contra ipsos. Quemadmodũ, etsi nos Catholicè, & probabiliter satis omnẽ prædefinitionẽ antecedentẽ, & predeterminationẽ tàm intrinsecã; quã extrinsecã everstvã nostrę libertatis propugnemus, nõ est in causa, vt cõtra Societatis Schola, ipsũ hæresim Pelagianã, & Semipelagianã non obijciant, & inculcent: quem morẽ gerẽs, solutionẽ datã impugno, & dico: negari non posse: omnes terminos, qui circumferũtur à predeterminatoribus, vt ex antecedenti *causalitatis per se ad materiale peccati* vitẽt cosequẽs *causalitatis*

per se ad formale; similiter inveniri vsurpatos apud Hæreticos, vt idem consequens repellant. Si enim illatio non tenet, *quia Deus displicet in formali*, id dicunt Hæretici: si *quia formale est extra sphæram divinæ causalitatis, & voluntatis*, id dicunt Hæretici: si *quia homo lege tenetur; non Deus*: id dicunt Hæretici: Si *quia peccatum, vt defectus est, solum oritur à causa deficiente, qualis est voluntas creata; non à Deo, qui causa efficiens est, & non deficiens*: id dicunt Hæretici; recolantur verba Hereticorum adducta, & lege, si placet Ruizium locis citatis, & Eminentissimum Bellarminum tomo 4. controvers. lib. 2. de Amissione gratiæ, & statu peccati: c. 2.

78 Nec negari etiam posse videtur: ex parte rei nil substraxisse Hæreticos ex his, quæ concedunt prædeterminantes, aut nil posuisse, quod prædeterminantes non admittant: nam pro concursu Dei ad peccatum reliqua vsquead decretum prædeterminans fatebantur; decretum verò quasi fundamentum sui erroris supponebant; non quidem terminatum ad malitiam; sed ad puram entitatem actionis pravæ. Indè discrimen à Catholicis prædeterminantibus solùm stabat, non in obiectis; sed in iudicio circa obiecta formatum, & in vocibus, quibus iudicium manifestabant: dicebant enim Hæretici: id ipsum, in quo ex parte obiecti cum prædeterminantibus conveniebant, libertatem tollere *indifferentiæ*, quod prædeterminantes negant, censentes iuxta veritatem; in tantum tale decretum prædeterminans materiale peccati posse existere; in quantum libertatem non destruit, implicareque in terminis dari peccatum absquè libertate indifferentię elicitum. Vnde si inconsequenter, vt inquit Illustrissimus Godoy, se gerebant Hæretici negantes Deum Authorem peccati quòad malitiam, & formale ipsius; cum libertatem actionis negarent; inconsequentes etiam apud ipsum procedebant, negantes libertatem *indifferentiæ*, cum omnia, quæ ex parte obiecti prædeterminantes concedunt, admitterent, in quibus libertas *indifferentiæ* identicè consistit.

79 Nunc restat videre: àn decisio Concilij aliquid ex his, in quo Hæretici ex parte obiecti cum prædeterminantibus conveniunt, damnaverit? Quod si ita sit: æquè erit Concilium cõtra Hæreticos, ac contra prædeterminãtes: neque tam procedit definitio contra iudicium Hæreticorum de carentia libertatis, supposito *obiectivo* fundamento, ex quo illud formabant; quàm contra *obiectivum* fundamentum, quo dato, tale iudicium rectè procedebat. Id autem sic contingere, suadere intendo sequentibus coniecturis ex ipso Concilio desumptis, à quibus, licèt mihi efficacibus, facilimè se expedient Adversarij: eas iam subdo.

80 Prima: per te quia Hæretici inconsequenter negabant: Deum esse Authorem peccati, concedentes per concursum ab illo procedẽtem libertatem tollere, attenta rectitudine illationis, definivit Concilium: Deum per concursum nõ esse Authorem peccati: ergo si inconsequenter ex mente Concilij etiam processissent negantes libertatem ex decreto antecedente, & concedentes ex parte obiecti quidquid prædeterminantes admittunt, & in quo iuxtà ipsos libertas *indifferentiæ* consistit; attenta rectitudine illationis, definijsset: Deum per decretum prædeterminans libertatem non tollere: id non fecit: ergo quia non iudicavit incõsequentiam, concedere decretum prædeterminans, & negare libertatem; sed potius concedere decretum prædeterminans actionem peccati, & Deum non esse Authorem peccati: quod, vt tolleret, definivit: *Deum non operari propriè, & per se opera mala*, quæ loquutio absoluta videtur, non permittere vllum sensum proprium operandi propriè, & *per se* opera mala, vt est operari propriè, & *per se* quidquid entitatis, & physicum est in opere malo.

81 Secunda: si Concilium ad definiendum in hoc Canone: Deum nõ esse Authorem, & causam *per se* peccati pręcisse respexisset ad inconsequentiam, quæ est in neganda libertate actionis pravæ, concedendo Deum non esse Authorem peccati; inutiliter actũ ageret in præcedentibus Canonibus, in quibus definierat liberum hominis arbitrium, & libertatem nostrarum actionum, tàm ad bonum, quàm ad malum: qua doctrina statuta, liquidò constabat: Deum non esse Authorem peccati titulo necessitandi nostram voluntatẽ ad actionem pravam; sicut iuxtà Hæreticos necessitat ad actionẽ bonam: quorũ inconsequentia non apparet tanti momenti, vt nova definitione indigeret; cũ melius, & clarius detegeretur dicendo: *Implicare in terminis negare libertatem, & simul non tribuere Deo totam actionem peccaminosam;*

nosam; quàm exprimendo: *Deum nõ concurrere propriè, & per se ad actiones pravas:* signum ergo est, quod vltra caput libertatis, iam in antecedentibus decisum, intendebat Concilium explodere alium titulum repugnantiæ ex modo, quo Deum concurrere ad peccatum asserebant Hæretici: sed hic modus consistebat in decreto antecedenti terminato ad actionem secundùm materiale illius: ergo exclusio prædeterminationis ad materiale peccati videtur fuisse scopus Canonis 6.

82 Tertia: libertas nostra *indifferentiæ* in actione prava non est aptum medium ad probandum: Deum non esse causam *per se* formalis, quod est in actione prava: constat ineptitudo medij in actione honesta, ad quam licèt in nobis sit libertas *indifferentiæ*, minimè per hoc impeditur: Deum esse causam *per se* non solùm illius quoad materiale; verùm quoad formale: ergo quando Concilium decernit contra Hæreticos: Deum non esse causam *per se* actionis pravæ, & mali operis, aliquid aliud sententiæ eorum damnat, quod non sit pura libertatis carentia, & apud ipsos commune erat actioni pravæ, & honestæ: sed hoc commune nil aliud potest esse: quàm decretum antecedens, & inevitabile in actionem pravam: nam cætera communia actionibus bonis, & malis, etiam iuxta Hæreticos, non sunt damnabilia, præcipuè cum ipsi fatentur: non esse communes vtrique actioni prædefinitionem, & prædeterminationem quoad formale: ergo hoc, quod vltra carentiam libertatis in actione prava damnavit Tridentina Synodus apparet, esse decretũ prędeterminativũ materialis peccati.

83 Quarta. Nam rebus bene perpensis, Hæretici negantes libertatem, non erant inconsequentes in neganda prædeterminatione ad formale peccati, & causalitate *per se* malitiæ illius; sed consequentissimi valdè, quamvis miserè in antecedenti errassent; imò consequentia tàm rigida, ac est ea, quam observat ipse Illustrissimus, & sapientissimus Godoy in suis scriptis, qui numero 121. asserit: *Potest enim dari odium Dei indeliberatum, & omnino necessarium, & casu, in quo detur, Deus necessitat voluntatem ad odium, & causat, quidquid in illo invenitur, non causando malitiam formalẽ, quæ in tali casu in odio non datur: actus enim nõ liber non potest esse malus moraliter*: ergo non erat inconsequens Calvinus in eo, quod affirmans: Deum necessitare voluntatem ad odium sui, vel similem actionem, negaret: Deum esse causam *per se*, & Authorem malitiæ odij, & aliarum actionum moraliter turpium: non ergo movit Ecclesiam ad eum damnandum inconsequentia, quæ in re talis non erat.

84 Neque videtur movisse inconsequentia, quę in re erat in Hęreticorum doctrina, & explicat doctissimus idem Magister immediatè post relata verba, dicens: *Nec in hoc delirium Calvini consistebat; sed in eo, quod cum necessitate, qua voluntatem creatam à Deo agi existimabat, in actibus à voluntate nostra elicitis necessario malitiam moralem agnoscebat; cum autem hæc in voluntatem creatam non posset reduci, quia non liberè; sed necessario ageret in sententia Calvini, necessario debebat in Dei voluntatem reduci, quæ libere voluntatem creatam ad prædictos actus movebat.* Ratio mihi est: quia aliàs processisset Ecclesia in definitione contra errorem, quem negabat Calvinus, & per argumentum ipsi obijci poterat, relicto errore, quem neque negabat, nec per consequentias; sed formaliter asserebat; quod est omnino inverisimile. Itaque error expresse assertus à Calvino cum inconsequẽtia erat, Deũ necessitare voluntatem ad actionem, & tamen voluntatem peccare: cui errori inconsequenti extirpando, vt per se patet, correspondebat *formaliter* ex parte Concilij, post definitionem præcedentem in quarto, & quinto Canone circà libertatem arbitrij, declarare: non posse esse peccatum actionem absque libertate *indifferentiæ* elicitam, implicareque in terminis peccare ex necessitate: at quod *Deus mala opera, ita vt bona non operetur, nec esse proprium eius opus non minus proditio Iudæ; quàm vocatio Pauli*, quid cum his?

85 Vrgetur: sententia Concilij de modo, quo Deus nobiscum concurrit ad actiones turpes, attento solo errore inconsequenti Calvini, neque est contra id, quod Calvinus asserebat; nequè contra id, quod verè ex his, quæ concedebat, inferebatur: ergo intentum Concilij non fuit contra inconsequentiam, quæ in solutione traditur. Probo antecedens. Quod dicebat Calvinus, erat; quod quamvis Deus prædecerneret actionem pravam; nec complacebat in formali pravitatis, nec Deo, vt causæ tribuebatur, quod in re, & secundùm veritatem inte-

rebatur ex antecedenti concessio de defectu libertatis in actione prava, est, Deum non esse Authorem peccati; cum vbi non est peccatum, non sit peccati Author: ergo sententia Concilij definientis: Deum non causare *per se* mala opera, nequè est contra id, quod Calvinus asserebat, nequè contra illud, quod verè ex his, quæ concedebat, inferebatur. Vnde verosimile apparet: aliam inconsequentiam Calvini respexisse Concilium, consistentem in eo, quod cùm decretum antecedens concederet circa peccatum, & actionem pravam quoad materiale, nollet extendi ad formale; propterea què sentiens Concilium: ex illo antecedenti fieri pares actiones nostras turpes cum actionibus honestis, quas Deus totaliter quoad materiale, & formale *per se* causat, decrevit diversitatem inter vnum, & alterum concursum.

86 Ex Patribus: Divus Augustinus libro de Spiritu, & lit. capite 31. inquit: *Nusquàm legimus in Scripturis: non est voluntas nisi à Deo: & rectè non scriptum est: quia verum non est; alioquin peccatorum etiam, (quod absit) Author est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo*: idem de articulis sibi falsò impositis articulo 10. *Abominanda opinio est, quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut actionis malæ credat Authorem: adulteria enim Matronarum, & corruptelas Virginum non instruere novit Sancta Divinitas; sed damnare: nec disponere; sed punire.* Et post pauca: *non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitavit, aut suasit.* Insuper libro 5. de Civitate capite 5. *Sicut omnium creaturarum Author est Deus, ita omnium potestatum Dator; non voluntatum; malæ quippè voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Et libro 2. de Libero Arbitrio capite vltimo: *Ad Deum non pertinere motum illum aversionis, quem fatemur esse peccatum.* Sic etiam in sequenti libro 3. cap. 1. *Quid opus est quærere vnde iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad cõmutabile bonum; cum eũ non nisi animi, & voluntarium; & ob hoc culpabilem esse fateamur.* Tandem libro de Peccatorum meritis, & remissione capit. 18. tradit. *Nefas esse concedere Deum esse Authorem voluntatis malæ*: & infra: *malam voluntatem non habemus ex Deo.*

87 Divus Chrisostomus secunda ad Timotheum 4. homil. 8. in morali colum. 2. *Scito, quod Deus omnia providet, quod alia quidem operatur; alia verò permittit, quod nil mali vult fieri, quod non ex sola ipsius voluntate fiunt omnia; sed ex nostra quoque: mala omnia ex nostra tantùmodo fiunt, bona omnia ex voluntate nostra, & ipsius adiutorio.* Divus Prosper ad decimam tertiam obiectionem Vincentianam de hominum casu: *In tali negotio nequè quidquã divinæ voluntatis intervenit, cuius opere scimus multos, nè laberentur, detentos; nullos autem, vt laberentur, impulsos.* Divus Fulgentius libro 1. ad Monimum capite 19. *Mala voluntas non pertinet ad creatorem*: & rationem præbet: *quia malam voluntatem non dat homini Deus.* Div. Thomas 1.2. quæst. 79. art. 3. vbi inquirens: ànDeus sit causa excœcationis, & indurationis? Respondet. *Dicendum, quod excœcatio, & induratio duo important, quorum vnum est motus animi humani inhærentis malo, & aversi a divino lumine, & quantum ad hoc Deus non est causa excœcationis, & obdurationis; sicut non est causa peccati.*

88 Quibus attentè recognitis, has omnes propositiones ex Patrũ mente in vnum collige: *Malam voluntatem non esse à Deo, nè à Deo sit malitia, ita vt causare malam voluntatem, sit antecedens legitimum inferendi causalitatem per se malitiæ. Abominandam esse opinionem, quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut pravæ actionis credit Authorem. Deum non instruere adulteria, nèc reliquas pravas actiones. Malas voluntates non esse à Deo, quoniam contra naturam sunt. Motum aversionis ad Deum non pertinere. Nefas esse concedere Deum Authorem malæ voluntatis. Mala omnia ex nostra tantummodo voluntate fieri. In hominis lapsu, neque quidquam divinæ voluntatis intervenire, qua ad lapsum impellatur. Malam voluntatem non pertinere ad creatorem, quia eam non dat homini Deus. Deũ non causare actum malum secundùm se; sed purè non impedire.*

89 Compara deindè cũ propositionibus, quæ ex prædeterminatione ad materiale actionis legitimè inferũtur, id est: *Malam voluntatem esse à Deo, quamvis à Deo non sit malitia. Neque ex causalitate per se actionis malæ valere consequentiam ad causalitatem per se malitiæ. Non esse abominandam opinionem, quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut pravæ actionis credit Authorẽ; quin potius maximè consulere divino dominio ita credere, dùm reduplicatio actionis, vt malæ vitetur. Deum constituere, determinare, & libere ponere adulteria, periuria, &c. quoad omne physicum illorum, secundùm quod bona sunt. Malas voluntates esse à Deo, quamvis sint contra naturam, quia non sunt ab ipso,*

vt

vt contra naturam. Motum aversionis esse à Deo secundum totam entitatem motus aversivi. Fas esse, & Catholicum satis, concedere Deum Authorem malæ voluntatis specificativè. Mala omnia non fieri ex nostra solùm voluntate; sed duntaxàt formale malorum, seu malitiam, à qua tamquam à forma mala sunt. In hominis lapsu aliquid divinæ voluntatis intervenire, qua ad lapsum physicè, & materialiter sumptum impellitur, impulsu quidem prævia determinationis, & connexionis, quamvis non suasivo, aut præceptivo. Malam voluntatem pertinere ad creatorem secundùm physicum illius, qua ratione ab illo homini datur. Causareque Deum actum, & motum animi inhærentis malo secundum se, & prout non reduplicat, aut fundat malitiam, quam purè non impedit; actum, & motum verò animi malo inhærentis, non tantum non impedire; sed prædeterminare.

90 Et post comparationem ingenuè factam vide: an possit esse vna mens prædeterminantium, & Patrum, quando per oppositas propositiones se explicant taliter, vt Patres negent, prædeterminantes affirment: Patres *specificativum* renuant, sicut, & *reduplicativum*, prædeterminantes *reduplicationem* fugiant, *specificativum* amplectantur: Patres dicant: consequentiam esse bonam, prædeterminantes malam: Patres loquantur *absolutè*, prædeterminantes *restrictè*: quæ cùm mentis, & iudicij consensu quis componet? Gonet quidem, qui pro solita ingenij sui facilitate vias alijs inaccessas in offenso gressu percurrit, dicens: Patres esse intelligendos de causalitate divina in actus pravos *reduplicativè*, vt tales; vel de Deo, vt provisore *particulari*, non de Deo, vt causa *prima*. Verùm pro eo refellendo, tantùm opus est, vt dixit Pater Herrera, recursu ad testimonia Patrum, quæ admittere non possunt istud effugium tàm difficile; quàm componere inter se amicabili Societate propositiones contrarias, aut contradictorias, cum non levi detrimento Authoritatis, cuius pondus per similes interpretationes aùt parum, aùt nil semper vrgeret.

*

CAPVT IV.

Excluditur à ratione eadem prædefinitio.

91 PRimò. Deum prædeterminare materiale peccati, & esse causam *per se* illius repugnat rectitudini divinæ voluntatis: ergo prædefinitio, & prædeterminatio ad materiale peccati repugnat Deo. Probo antecedens. *Velle malè moraliter*, repugnat rectitudini divinæ voluntatis. sed prædefinire, & prædeterminare materiale peccati, est, *velle malè moraliter*: ergo Deum prædefinire, & prædeterminare materiale peccati, ita vt sit causa *per se* illius, repugnat divinæ voluntatis rectitudini. Maior est certa. Probatur minor. Prædefinire, & prædeterminare materiale peccati, est, *velle malum moraliter inseparabiliter tale*: sed *velle malum moraliter inseparabiliter tale*, est *velle male moraliter*: ergo prædefinire, & prædeterminate materiale peccati, est *velle male moraliter*. Maiorem mihi certam probo, probaturus pòst minorem. Prædefinire, & prædeterminare materiale peccati, est velle id, quod in peccato, prout distinctum realiter, vel formaliter a malitia *morali*, est malum *moraliter* inseparabiliter per malitiam moralem tanquàm per formam, quæ solùm est mala *quo*; non mala *quod*: sed velle id, quod per malitiam *moralem* tanquã per formam est malum *moraliter* inseparabiliter, est *velle malum moraliter inseparabiliter*: ergo prædefinire, & prædeterminare materiale peccati, est *velle malum moraliter inseparabiliter*.

92 Confirmatur primò. Hæc consequentia est bona: *est malum moraliter per determinatam formam: ergo est malum moraliter*, quia à restricto ad non restrictum benè valet consequentia: ergo velle id, quod est malum *moraliter* inseparabiliter per determinatam formam, est velle id, quod est malum *moraliter* inseparabiliter. Confirmatur secundo. Velle, & determinare in albo id, quod in ipso, prout distinctum à forma, participat effectum *formalem* formæ *contingenter*, est velle, & determinare album *separabiliter*: ergo velle id, quod in peccato, proùt distinctum realiter, vel formaliter à forma malitiæ *moralis*, participat effectum *formalem*

malitiæ *moralis inseparabiliter*, est velle, & determinare malum *moraliter inseparabiliter*. Confirmatur tertio. Id, quod in sententia constituente peccatum *commissionis* in privatione rectitudinis debitæ actui, malum *moraliter* reputatur, est sola ratio generica, quæ afficitur privatione tamquàm forma moralitatis: ergo id, quod in peccato malum *moraliter* debet reputari inseparabiliter, est materiale illius, quod afficit malitia *moralis*, & tanquàm forma constituit in *esse mali moraliter* inseparabiliter.

93 Probo iam minorem eiusdem syllogismi: scilicet: *velle malum moraliter inseparabiliter, esse velle malè moraliter*. Velle male *moraliter*, est velle, & affectu voluntatis amplecti id, quod cognoscitur: aliter, quàm dissonum rationi, & legi non posse existere: sed velle malum *moraliter* inseparabiliter in circunstantijs in quibus tale est, & cognoscitur tale, est velle, & affectu voluntatis amplecti id, quod cognoscitur: aliter; quàm dissonum rationi, & legi non posse existere: ergo velle malum *moraliter* inseparabiliter, est velle male *moraliter*. Discursus rectus est, & præmissas mihi certas recolo. *Maiorem*. Rationi, & legi dissonat, velle id, quod rationi, & legi repugnat esse conforme: sed velle dissonanter ad legem, & rationem, est velle male *moraliter*: ergo velle male *moraliter*, est velle, & affectu voluntatatis amplecti id, quod cognoscitur: aliter, quàm dissonum rationi, & legi non posse existere. *Minorem*. Malum *morale* inseparabiliter tale, est dissonum rationi, & legi necessariò: ergo velle malum *moraliter* inseparabiliter in circunstantijs, in quibus tale est, & tale cognoscitur, est velle, & affectu voluntatis prosequi id, quod cognoscitur: aliter, quàm dissonum rationi, & legi non posse existere.

94 Confirmatur. Velle male *moraliter* est prosequi obiectum, quod à circunstantia vitiatur, dùm cognoscitur tali circunstantia vitiari, & ab ipsa esse inseparabile: ergo velle malè *moraliter*, est velle obiectum affectum malitia morali, dum cognoscitur: ab ea inficì, & ab ipsa esse inseparabile. Consequentia tenet, & antecedens constat in omni circunstantia *obiectivè* vitiante obiectum, qua cognita inficitur actus: sic: qui furatur, advertens ad circunstantiam loci sacri, aut peccat contra castitatem, advertens ad circunstantiam voti, non tantùm vult id, quod est malum *moraliter sacrilegè*; sed etiam vult malè *moraliter sacrilegè*, & ideo hoc secundum datur, quia datur primum: sed velle materiale peccati, est velle id, quod inficitur malitia cum cognitione proponente affectionem malitiæ, & inseparabilitatē ab illa: ergo non tantùm est velle malum *moraliter*, aut id, quod *moraliter* malum est; sed velle male *moraliter*, afficiente malitia, quæ afficit materiale actionis, actum tendentem in materiale sic affectum.

95 Hinc fateor meam ignorantiam, & hebetudinem, qua non percipio, quid proficiat distinctio illa prædeterminationis, & prædefinitionis ad *materiale*; non autem ad *formale*; vt Deum eximat à ratione malè *moraliter* operantis: nàm dato, quod prædeterminare ad materiale, non sit prædeterminare ad formale; semper remanet ex vi prædeterminationis ad materiale: Deum velle id, quod est malum *moraliter*, advertens esse tale inseparabiliter; ita vt in illis circunstantijs non possit non inficì malitia *morali*, & ab ea malum *moraliter* denominari: vnde tendentia affectiva, & causativa illius materialis est tendentia in id, quod proponitur malum *moraliter connexivè*: tendere autem in malum *moraliter* cognitum, vt tale *connexivè*, quomodo potest esse *moraliter* bonum? Nisi operari, & causare malum, dicatur, esse rectam operationem.

96 Respondebis primò. Velle malum moraliter *specificativè* acceptum, id est, quod malum *moraliter* est, per formam non volitam, neque causatam, non esse velle malè *moraliter*; sed honestissimè, & rectissimè: alias Deus volens, & causans *per se* voluntatem in circunstantijs, in quibus cognoscit reddi malam *moraliter* per peccatum, esset velle male *moraliter*; & velle existere, & causare peccatorem *specificativè*, quando videtur peccato inficì, esset *velle* peccaminosum: ergo Deum velle, & prædeterminare materiale peccati *specificativè* sumptum, etsi sit velle id, quod est malum *moraliter*, & tale cognoscitur, per malitiam tamquàm per formam, non est velle male *moraliter*, aut modo dissonante rectitudini divinæ voluntatis. Sed contra: quia hæc solutio præoccupata est per ly *inseparabiliter*, & *connexivè*, quod non invenitur, neque in voluntate respectu

actus

actus pravi, neque in peccatore respectu peccati. Itaque non negamus: Deum absque indecentia vlla posse *per se* causare, & determinare malum moraliter *specificativè* tale per volitionem honestam, & rectissimam; sed quod intendimus est: non posse esse bonum, & sanctitati consonum, velle illud, quod tendit in obiectum inseparabiliter dissonum rationi, & legi cognitum, vt tale.

97 Respondebis secundo. Deum prædeterminare ad materiale peccati *specificativè* non solum in ratione *mali*; verum etiam in ratione *connexi* cum malitia: vnde sicut causare *per se*, & velle malum *specificativè*, non est mala volitio, nec Deo repugnans; ita causare *per se*, & velle connexum cum malitia *specificativè*, non fit per volitionem dissonantem rationi, & legi. Sed contra primo: Aut prædefinitio, & prædeterminatio materialis existens priori potest componi cum eo, quod materiale posteriori *specificativè* acceptum non sit malum *moraliter* in actu secundo per formale malitiæ; aut secus? Si *primum*: poterit voluntas creata coniungere cum prædeterminatione ad materiale peccati actionem rectam, vel saltem defectum actionis pravæ *reduplicativè*, vt talis: quod negas. Si *secundum*: ergo prædefinitio, & prædeterminatio materialis ex se est metaphysicè à *priori* inseparabilis à malitia, & dissonantia ad legem, & rationem, obiecti, in quod tendit: sed id, quod per se affert dissonantiam legi, & rationi, per se dissonum est rationi, & legi: ergo prædefinitio materialis inseparabilis à formali est *velle* per se dissonum rationi, & legi.

98 Contra secundo. Prædefinitio, & prædeterminatio materialis tendit in illud, prout possibile, & provt excludens suum contradictorium: sed materiale, provt possibile, & prout excludens suum contradictorium, est impotens metaphysicè non coniungi cum formali: ergo prædefinitio, & prædeterminatio tendit in materiale, prout impotens non coniungi cum formali: ast impotentia ad non coniunctionem cum aliquo extremo est necessitas, & determinatio ad tale extremum: ergo prædefinitio, & prædeterminatio materialis tendit in ipsum, non tantum *specificativè* connexum; sed *prout connexum* cum formali. Contra tertio. Sicut Deum prædeterminare malum *specificativè* tantum, est prædefinire, & prædeterminare, quidquid physicum est in malo; sic prædefinire, & prædeterminare cõnexum cum malitia *specificativè*, erit prædefinire, & prædeterminare, quidquid physicum est in connexo cum malitia: sed quidquid physicum est in connexo cum malitia, prout tale, est inseparabile à malitia: ergo Deus prædefiniendo, & prædeterminando connexum cum malitia *specificativè*, prædefinit, & prædeterminat connexum cum malitia *reduplicativè*.

99 Contra quarto. Vel Deus nil prædeterminat in peccato; vel prædeterminat materiale *formaliter*, *vt materiale*: sed per te aliquid prædeterminat in peccato: ergo prædeterminat materiale, *vt materiale formaliter*. Probo maiorem. Quia Deus non prædeterminat malum, *vt malum formaliter*, non prædeterminat formale: ergo si Deus non prædeterminet malum, *vt malum materialiter*, non prædeterminabit materiale: ergo vel Deus nil prædeterminat in peccato, vel prædeterminat materiale, *formaliter*, *vt tale*. Confirmo. Quia Deus non prædeterminat formam formalis peccati in esse formalis peccati, Deus non prædeterminat formale: ergo si Deus non prædeterminet formam materialis in esse materialis, non prædeterminabit materiale. Iam: materiale, *vt materiale* peccati, dicit determinationem ad formale: ergo Deus prædeterminat ad materiale, prout determinatum ad formale. Contra quinto: Si Deus non prædeterminat materiale, *vt materiale formaliter*, nec prædeterminabit materiale, quod restat, vt *materiale illius materialis*; cum sub hac consideratione dicat ordinem ad malitiam, medio materiali proximò, vt tali; nec materiale, quod restat, vt *materiale huius materialis reflexi*: quarè, & abibimus in infinitum materialitatum, & nunquam sciemus, quid est hoc materiale, quod in peccato Deus prædeterminat.

100 Respondebis tertio. Velle connexum, provt connexum cum peccato *formaliter* sumpto, non est velle malè *moraliter*: ergo velle materiale peccati, *provt connexum* cum formali illius, non est velle male *moraliter*. Antecedens constat in pœnitentia peccati, quam Deus vult honestè, & sanctè non solum *consequenter* ad absolutam prævisio-

sionem peccati ; verùm *antecedenter*, vt multi etiam ex nostris iudicant possibile. Deinde vult complexum auxilij, & scientiæ mediæ de illius inefficacia, quod, prout tale, connectitur cum peccato. Demùm complacet in necessitate te antecedenti fundata in sua infinita perfectione de eo, quod si existat peccatum, existat à Deo *permissivè* ; quæ necessitas connectitur metaphysicè cum existentia peccati à Deo *permissivè* sub purificatione conditionis de eo, quod existat *per se* à creatura : quæ omnia componuntur cum infinita Sanctitate, & rectitudine divinæ voluntatis: ergo velle connexum, prout connexum cum peccato *formaliter* sumpto, non est velle malè *moraliter*.

101 Sed contra : quia in his nulla nostræ rationi parari potest instantia, quæ eius efficaciam imminuat ; cum argumentum non procedat de volitione tendente in obiectum inseparabile à malo *formaliter* ; sed de volitione amplectente *affectivè* obiectum inseparabiliter malum ; quia est id, quod afficit malitia, & in quo malitia tamquàm in fundamento radicatur, sivè ab illo sit distincta, sivè cum illo identificata : quid hæc cum volitione, & prædefinitione pœnitentiæ ? Quid cum affectu ad coniunctum auxilij, & scientiæ mediæ inefficaciæ, si forte detur, de quo modo non disputo, aut cum complacentia in necessitate concurrendi ad peccatum *permissivè* ex suppositione quod sit ? Est nè pœnitentia mala *inseparabiliter* per peccatum, quod præsupponit, quando existit ? Est ne materiale illius, aut radix ? Minime ; sicut nec coniunctum auxilij, & scientiæ mediæ ; & perfectio divinæ omnipotentiæ : nulla ergo est proportio inter vnum, & alterum effectum, propter quam vnus, sicut alter, sit bonus ; aut vnus, sicut alter, sit malus.

102 Argumentor secundò. Prædefinitio, & prædeterminatio ad materiale peccati excludit omnem divinam permissionem peccati : ergo constituit Deum causam *per se* peccati secundùm materiale, & formale illius. Consequentia recta est : nam cum peccatum non fiat sinè concursu Dei, si concursus ille circa peccatum *materialiter*, & *formaliter* non sit permissivus ; erit perconsequens concursus causæ *per se*. Probo antecedens. Talis prædefinitio excludit permissionem materialis, & formalis peccati : sed nulla permissio peccati est extra id, quod includit peccatum : ergo prædefinitio, & prædeterminatio ad materiale peccati excludit omnem divinam permissionem peccati. Maior quoad primam partem certa est ; cum Deus id, quod prædefinit, & prædeterminat, ea ratione, qua prædefinit, & prædeterminat, causet *per se* : quoad secundam partem probatur. Permissio malitiæ, & *formalis* peccati est pura non impeditio cum potentia eam impediendi : sed prædeterminatio ad materiale excludit puram non impeditionem malitiæ, & *formalis* peccati cum potentia eam impediendi : ergo talis prædefinitio excludit permissionem formalis peccati.

103 Maior est ipsa definitio permissionis, cui favet Divus Thomas in 1. distinctione 47. quæstione 1. articulo 2. dicens : *permissio respicit potentiam causæ ad vtrumque oppositorum se habentem : vnde neutrum oppositorum contra permissionem est ; sed vtrumque secundùm eam.* Probatur minor. Talis prædefinitio ad materiale includit positivam impeditionem defectus malitiæ, & positivam antecedentem determinationem connexam cum existentia malitiæ : sed positiva impeditio defectus malitiæ, & positiva determinatio connexa cum existentia malitiæ excludit puram non impeditionem malitiæ cum potentia eam impediendi : ergo prædeterminatio ad materiale excludit puram non impeditionem malitiæ, & formalis peccati cum potentia eam impediendi. Minor est certa. Nam purè *sinere* existere malitiam ab alio, excludit ipsum *impedire* à defectu malitiæ ; & ipsum *determinare* determinatione connexa cum existentia malitiæ : sed quodlibet excluditur per existentiam illius, quod excludit : ergo positiva impeditio defectus malitiæ, & positiva determinatio connexa cum existentia malitiæ excludit puram non impeditionem malitiæ cum potentia eam impediendi. Probo igitur maiorem. Id includit positivam impeditionem defectus malitiæ, quod antecedit, vt repugnans coniunctioni cum defectu malitiæ : deinde id includit positivam antecedentem determinationem connexam cum existentia malitiæ, quod existit pro priori ad malitiam, vt connexum cum illa, & vt causans *per se* inseparabile à malitia : sed prædefinitio materialis id per se habet, vt est certum :

tum : ergo includit positivam impeditionem defectus malitiæ, & positivam antecedentem determinationem connexam cum existentia malitiæ.

104 Confirmatur. Implicatio in terminis est illa permissio, qua permittens ab statu *indifferentiæ* ad terminum permissum liberè se constituit in statu *repugnantiæ* ad defectum termini permissi : sed Deus ex se indifferens ad existentiam malitiæ liberè se constituit per liberam determinationem materialis peccati connexi cum malitia in statu *repugnantiæ* ad defectum malitiæ : ergo Deus prædefiniens materiale peccati, & ad ipsum prædeterminans, implicatoriè tantum potest dici permissor malitiæ. Probo maiorem. Implicatio in terminis est permittere extremum, se connectendo cum extremo, & per liberum exercitium antecedenter repugnando defectui extremi : sed permissio, qua permittens ab statu *indifferentiæ* ad terminum permissum liberè se constituit in statu *repugnantiæ* ad defectum termini, sic facit permittere : ergo implicatio in terminis est illa permissio, qua permittens ab statu *indifferentiæ* ad terminum permissum liberè se constituit in statu *repugnantiæ* ad defectum termini permissi. Explicatur: ironicè tantùm, & nugatoriè acciperetur, qui alteri diceret : *permitto tibi extremum A, te antecedenter determinando ad tale extremum* : ergo obiectum his vocibus correspondens est tale, quod ironicè, & nugatoriè tantùm potest permissio appellari : sed Deus antecedenter prædeterminans ad materiale peccati, antecedenter ponit conexum cum formali, & fundamentum illius: quod est antecedenter determinare ad formale : ergo Deus antecedenter prædefiniens materiale, & ad illud prædeterminans, videtur solùm ironicè, & nugatoriè vocari posse permissor.

105 Confirmatur secundò. Voluntas creata libere determinans materiale peccati pro posteriori ad liberam determinationem Dei eiusdem materialis, non *permissivè*; sed *per se* causat formale peccati : ergo Deus liberè determinans materiale peccati, nulla alia libera determinatione ad materiale præsuppositâ, non *permissivè* solùm ; sed vt causa *per se*, & propria se haberet erga formale. Probo consequentiam. Quando id, quod minus determinat materiale, in vi determinandi materiale, non *permissivè* tantum ; sed *per se* causat formale: id quod magis determinat materiale, in vi determinandi materiale, non *permissivè* tantùm ; sed *per se* causat formale: sed creatura minus determinans materiale, quia ab alio prius ad determinationem determinata, in vi determinandi materiale, non *permissivè* tantùm ; sed *per se* causat formale: ergo Deus magis determinans materiale, quia se ad determinandum nullam alterius determinationem præsupponit, in vi determinandi materiale, non *permissivè* tantum ; sed *per se* causaret formale.

106 Confirmatur tertio. Deus tàm purè *non impeditivè* concurrit ad peccata, tàmque propensus in bonum opus suam omnipotentiam præparat ad actionem pravam, vt iure conqueratur de creatura per Isaiam capite 43. tamquàm de faciente se inservire peccatis dicens : *verumtamen, servire me fecisti in peccatis tuis.* Quod Divus Anselmus de casu Diaboli non renuit explicare per vocem *raptus* addens: *velle peccaminosum non dari à Deo ; sed rapi : nec esse à Deo, vt sponte dante ; sed, vt rapiatur, permittente* : at si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, hæc de concursu Dei in peccatum verificari non possent : ergo nec modus permittendi opera prava Scripturæ consonans. Probatur minor. Si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, pro priori ad determinationem creaturæ ad peccatum constituisset libere, & ex proprio arbitrio determinatam creaturam ad *esse* physicum peccati, & ad fundamentum inseparabile malitiæ, seque in necessitate concurrendi ad peccatum: ergo potius creatura posset conqueri de Deo, vt faciente se inservire peccatis; quàm Deus de creatura. Probo consequentiam. Ille potius conqueri potest tamquàm de coacto ad inserviendum alicui actioni, comparativè ad alium, qui potius comparativè ad ipsum præsupponitur antè omnem suam liberam determinationem determinatus per liberam determinationem illius, tamquàm Superioris, cui resistere non potest, ad elicientiam talis actionis: sed creatura potius comparativè ad Deum præsupponitur ante omnem suam liberam determinationem determinata per liberam determinationem Dei; tamquàm Superioris, cui resistere non potest, ad elicientiam actus pravi secundùm *esse* physicum illius,

lius, & fundamentum inseparabile malitiæ: ergo potius creatura; quàm Deus potest conqueri dicens: *servire me fecisti in peccatis.*

107 Clarius: quia creatura consequenter ad divinam determinationem liberè determinat materiale, ad quod Deus positivè concurrit; Deus conqueritur de creatura tamquàm de faciente se inservire in peccatis: ergo quia Deus antecedenter ad determinationem creaturæ liberè determinat materiale, ad quod creatura positivè concurrit, hæc conqueri potest de Deo tamquàm de faciente se inservire peccatis. Patet consequentia; cum fortius fundamentum sit ad querellam de altero iure formandam determinatio *antecedens*; quàm *consequens*. Nec dicatur: Deum conqueri de creatura; quia determinando materiale, facit: Deum permittere formale: quia cum *permittere formale* nihil aliud sit; quàm *prædeterminare materiale*, imprædeterminato, vt vis, formali; si Deus propriori determinat materiale, imprædeterminato formali, similiter propriori facit, se permittere formale.

108 Confirmatur quarto. Qui vnicum modum impediendi extremum liberè impedit, vnicum modum existendi extremum liberè determinat: sed qui vnicum modum existendi extremum liberè determinat, non purè permitit existere extremum: ergo qui vnicum modum impediendi extremum liberè impedit, non purè permittit extremum. Subsumo: at Deus liberè impedit carentiam materialis, quæ est vnicus modus impediendi formale, quod non nisi per impeditionem materialis potest impedire: ergo liberè determinat vnicum modum existendi formale, qui est per existentiam materialis; ac per consequens non *permissivè* tantum; sed *determinativè* ad formale, media prædeterminatione ad materiale, se habet.

109 Instabis. Si *permittere*, est purè non impedire extremum cum potentia impediendi illud, Deus etiam in nostra sententia erit causa *per se* peccati. Ratio est: quia Deus concurrit *effectivè* indivisibiliter cum creatura, non solum ad materiale; verum ad formale malitiæ, si hæc in positivo consistat; qui autem simul cum alio influit in aliquam actionem, & extremum non permissor est; sed cooperator: ergo potiori titulo in nostra; quàm in prædeterminantium sententia Deus erit causa *per se*, & Author malorum operum. Sed contra: quia vt benè vidit Pater Ruiz; tantum abest, vt concursus generalis Dei ad peccatum excludatur per quidditatem, & conceptum *meræ permissionis*; vt potius in illa contineatur essentialiter. Quoniam de ratione *puræ permissionis* est auferre vincula impossibilitatis, & necessitatis extremi permissi, & solidam relinquere vtriusque partis indifferentiam: sed concursus generalis Dei, vt in nostra sententia ponitur, aufert impossibilitatem eliciendi actionem pravam, & excludit necessitatem eliciendi illam, quantum in se est; cum non ponatur à Deo, determinando ad malum; sed potius ex intentione boni: ergo quod Deus efficienter concurrat ad actum pravum determinatus à creatura; non est Deum excedere munus *pure permissoris*, & *non impedientis* actum pravum.

110 Nec quia actio creaturæ indivisibiliter sit actio omnipotentiæ, qua, vt causa *vniversalis*, & *prima*, concurrit ad peccatum; Deus dici potest cooperator ad malum: quia ad cooperationem, vltra concursum *effectivum*, requiritur concurrere ad effectum; vel ex propria determinatione; vel ex propria inclinatione, & destinatione in illum: sic licet natura concurrat simul cum alijs causis peraccidēs adiunctis ad formationem Monstri, non dicitur cooperari ad monstrum; Nec potentia progressiva ad motū inflexum tibię curvę: quia nec natura inclinat, aut destinata est ad effectus monstrosos; neque potentia progressiva ad motum obliquum, qui effectus tantum tribuuntur concausis particularibus, ex quarum determinatione proveniunt. Cum ergo Deus licet efficienter concurrat ad peccatum simul cum creatura, non concurrat in actu secundo ex propria determinatione, aut ex propria inclinatione; imo per præparationem tendentem, vt sit opus rectum; licet concurrat ad opus pravum, non est cooperator illius; sed causa pure *permissiva*, & *non impeditiva* illius.

111 Replicabis: sicut *non substrahere concursum ad actum pravum*, non excluditur per conceptum, & quidditatem *puræ permissionis*; quia de ratione ipsius est auferre vincula impossibilitatis, quorum vnum esset defectus divi-

ni

ni concursus: sic *prædeterminare ad materiale* non excluditur per quidditatem, & conceptum *puræ permissionis*; quia de ratione ipsius est auferre vincula impossibilitatis, quorum vnum esset defectus prædeterminationis ad materiale, sinè qua stare non potest concursus Dei, vt causæ *primæ*; qualiter probant prædeterminantium rationes. Sed facile refellitur replica, inspecta tantùm natura concursus *indifferentis*, & *prædeterminantis*. Etenim concursus *indifferens*, quatenùs est ex parte Dei, nil involvit ad peccatum determinatum; sed solam præparationem indifferentem, & ex se compatibilem cum peccato, & carentia peccati positam ex inclinatione ad bonum; per quam præparationem fluit actus pravus ab omnipotentia; non quidem ex determinatione ipsius Dei; verum ex determinatione creaturæ, à qua finit Deus se determinare: vnde carentia huius, quod per Deum ponitur, esset vinculum, cuius oppositū non est determinatio peccati: quid ergo mirùm conceptum *permissionis* includere ablationem vinculi, quando ablatio non est determinatio ad peccatum. Concursus vero *prædeterminans* talis est, per cuius existentiam Deus, quatenus est ex parte sui, inducit id, quod nulla potentia est à malitia, & peccato *pro formali* separabile; & hoc quidem antecedenter ad determinationem creaturæ, cuius carentia, si esset vinculum impossibilitatis peccati, permissio petens ablationem talis vinculi, peteret in permittente determinationem antecedentem ad id, quod permittit: ac per consequens permissio ex suo conceptu esset determinatio, seque implicaret in conceptu *permissionis*,

112 Argumentor tertiò. Deus prædeterminans ad materiale peccati eodem modo se haberet, ac in casu impossibili, quo esset causa *per se* peccati *adæquatè* sumpti quoad materiale, & formale: sed in casu impossibili causandi *per se* peccatum *adæquatè* sumptum quoad materiale, & formale, nulla vera ratione permitteret peccatum: ergo Deus prædeterminans, aut prædefiniens materiale peccati, nullo vero sensu permittit peccatum. Probo maiorem, in qua stat difficultas. Per te eo solum modo Deus est causa *per se* peccati, quo peccatum terminat actionem Dei: sed peccatum in casu impossibili, quo Deus esset causa *per se* illius, & vt talis apprehendatur, solum terminaret actionem Dei ea ratione, & secundùm illud, quod modo terminat: ergo Deus prædeterminans ad materiale peccati eodem modo se haberet; ac in casu impossibili, quo esset causa *per se* peccati. Maior est certa; aliàs ex eo, quod Deus non prædeterminet, neque per suam actionem influat in malitiam, male inferres: Deum non esse causam *per se* malitiæ.

113 Probatur minor. Peccatum defacto terminat actionem Dei secundùm *positivum* tantùm, quod vel *identicè*, vel *præsuppositivè*, & *radicaliter* respectu malitiæ, vel *connexivè* dicit: sed eodem tantummodo terminaret actionem Dei casu impossibili, pro quo Deus apprehendatur causa *per se* malitiæ: ergo peccatum in casu impossibili, quo Deus esset causa *per se* illius, & vt talis apprehendatur, solùm terminaret actionem Dei ea ratione, & secundùm illud, quod modo terminat. Maior continet doctrinam adversariorum. Probatur minor. Eo tantùm modo terminaret in illo casu, quo esset capax terminandi: sed peccatum, sicut, & quodvis aliud solum est capax terminandi actionem Dei secundùm positivum *physicum*, & *rationem entis*, quam includit: ergo eodem tantum modo terminaret actionem Dei casu impossibili, pro quo Deus apprehendatur causa *per se* malitiæ. Probo minorem. Peccatum, sicut, & quodvis aliud eo tantummodo est capax terminandi actionem, quo est producibile; & quo potius est, quàm non est: sed peccatum, sicut, & quodvis aliud, tantùm est producibile secundùm *esse* physicum, & reale, & secundùm rationem *entis*, quam includit: ergo peccatum, sicut & quodvis aliud solum est capax terminandi actionem Dei secundùm positivū *physicum*, & rationem *entis*, quam includit.

114 Confirmatur primo. Si Deus se haberet erga peccatum *determinativè*, sicut creatura defacto se habet erga ipsum; Deus esset causa *per se* peccati secundùm materiale, & formale: sed Deus prædeterminans ad materiale excedit *determinative* modum, quo creatura de facto se habet erga peccatum: ergo Deus prædeterminans ad materiale se haberet, sicut in casu impossibili, quo esset causa *per se formalis* illius, & vt talis apprehendatur. Probatur minor. Modus, quo creatura defacto *determinativè*

vè se habet erga peccatum, est liberè determinando materiale, vel identificatum cum formali, vel cum ipso, tamquàm radicem, & fundamentum connexum, nulla alia libera determinatione interveniente circà formale post liberam materialis determinationem sed Deus prædeterminans ad materiale, hunc modum *determinativè* excedit: ergo Deus prædeterminans ad materiale excedit *determinativè* modum, quo creatura defacto se habet erga peccatum. Probatur minor. Deus prædeterminans ad materiale determinat ad illud, nulla determinatione alterius libertatis ad illud determinandum præsuppositа: sed determinatio libera ad materiale, nullam alterius libertatis determinationem ad illud determinandum præsupponens, est determinatio excedens determinationem creaturæ erga peccatum, quæ alterius libertatis determinationem ad illud determinandum præsupponit: ergo Deus prædeterminans ad materiale, modum determinandi, quem habet creatura erga peccatum, excederet.

115 Confirmatur secundo, specialiter in sententia prædeterminantium dicentium: malitiam *pro formali* consistere in positivo; ex qua sic. Prædefinire, & prædeterminare materiale peccati, est prædefinire, & prædeterminate, quidquid positivum est in peccato: sed aliquid, quod positivum est in peccato, est malitia *pro formali*: ergo Deus prædeterminans, & prædefiniens materiale, prædeterminat, & prædefinit malitiam *quoad formale* illius. Subsumo: sed qui prædeterminat, prædefinit, aut dat *esse* formali rationi constitutivæ cuiusvis, prædeterminat, prædefinit, aut dat *esse* constituto formaliter per illam rationem: ergo Deus prædeterminans, & prædefiniens materiale peccati prædeterminat, & prædefinit formale illius; ac per consequens eodem modo se gerit de facto erga ipsum; ac se gereret in casu, quo esset causa *per se* malitiæ, & vt talis apprehenderetur.

116 Respondebis primò. In casu, quo Deus esset causa *per se* malitiæ, vtpotè impossibili, peccatum non terminaturum tantùm actionem Dei ea ratione, qua ipsam terminare potest; verum etiam secundùm illam, quam incapax esset terminàdi; imo ob hoc Deus esset causa *per se* peccati; quia peccatum terminaret actionem suam secundùm illam rationem, secundùm quam non potest terminare: male ergò arguitur à casu præsenti, & possibili ad casum impossibilem, & apprehensum; in quo casu, actio Dei terminaretur ad terminum impossibilem. Sed contra. Nam licet suppositò impossibili divinæ causalitatis *per se* in peccatum, possis dicere, quidquid contradictionis volueris, tàm in termino causato; quàm in Deo causante: attamen cum hæc impossibilitas primario proveniret ex modo, quo Deus se exerceret erga peccatum; videndus est talis modus, & ex ipso deducenda contradictio. Hunc ergo intendo non alium futurum, nisi quod peccatum terminaret actionem Dei secundùm illam rationem, qua ipse potest terminare actionem, si non respectu Dei, saltem respectu creaturæ: cumque respectu creaturæ non terminet actionem, nec sit producibile aliter; quàm secundùm positivum *physicum*, & rationem *entis*, quam includit, inde concludo: Deum prædeterminantem ad materiale peccati; (quod est; peccatum secundùm *physicum*, & *positivum* adæquatè terminare actionem Dei;) causare eodem modo peccatum; ac causaret, quando causalitas *per se* deduceret Deum ad impossibile titulo producendi, & causandi *per se*, quod ab ipso produci, & causari *per se* nullatenus potest.

117 Respondebis forsan secundò. In casu, quo Deus esset causa *per se* peccati, eadem actio, quæ est vera productio entitatis, & positivi peccati, futuram fore actionem *virtualem*, & *interpretativam* malitiæ, quæ etsi non possit produci verè, & proprie, nisi secundùm rationem *entis*, quàm includit, si cum positivo identificetur, aut secundum rationem *actus*, cui annectitur, si in privativo consistat; tamen potest terminare actionem *interpretativè*, & *virtualiter* consistentem in eo; quod agens se haberet circa ipsam quoad determinationem, & imputationem, ac si esset aliquid positivum: qua ratione dicitur esse à voluntate pura omissio libera, iuxtà sententiam eam admittentem possibilem. In primis hæc solutio substineri nequit, si malitia *pro formali* sit aliquid positivum; quia secundùm hoc positivum erit verè producibile à Deo; ac per consequens eodem modo se haberet Deus, quando esset causa *per se*; ac defacto se habet verè producens, & causans *per se*, quiquid entis est in peccato. Præterea rogo: quarè Deus in illo

casu

casu *interpretativè*, & *virtualiter* tenderet in malitiam, nisi quia verè produceret, & *per se* causaret materiale cognoscens ei annexam malitiam, vel explica; in quo consisteret illa *interpretativa*, & *virtualis* tendentia? Ergo Deus eodem modo se habet nunc; ac tunc se haberet.

118 Si propterea dicas tertio: Deum se habiturum in illo casu non tantùm, vt causam *efficientem*; sed vt *deficientem*: hoc est formalissimè dicere: Deum se habiturum tunc, vt causam *per se*, quomodo defacto non se habet, & hoc inquiro, invenire cupiens; in quo consisteret tunc ille defectus, vt inde cognoscam; quarè Deus nunc se habeat erga peccatum, vt *purè efficiens*; non vt *deficiens*: quod vt explices, rursus rogo: vel quod Deus concurreret *defectivè*, consisteret in eo, quod prædeterminaret ad materiale ex affectu ad peccatum; vel in eo, quod prædeterminaret ad materiale cum obligatione non prædeterminandi; vel demùm in eo, quod concurreret, vt alteri non subiectum? Si *primum*: licèt ponas id, quod sufficit, vt sit causa *per se*; non ponis id, per cuius defectum auferatur causalitas *per se*: cum ad hanc non sit necessaria tendentia formalis in malitiam, si detur indirecta, vt datur in creatura. Si *secundum*: restat tibi probare: prædeterminationem ad materiale esse separabilem ab obligatione eam non ponendi: vndè sicùt non dices; quod si Deus mentiretur defacto, alio modo mentiretur; ac quando mentiretur cum obligatione non mentiendi: sic ego intendo, donec aliud comprobes; quod si Deus prædeterminaret, aùt prædefiniret materiale peccati defacto, non aliter prædeterminaret, & prædefiniret; ac in casu, in quo idem faceret sub obligatione non faciendi: quia prædeterminare ad materiale secùm fert obligationem non prædeterminandi.

119 Si *tertium*: nè incidas in falsam sententiam Anaxarchi apùd Plutarchum in vita Alexandri dicentis: *Fas, iusque cominùs assidere Iovi, vt quidquid Reges perpetraverint, licere, iustumque esse intelligatur*: quasi suprema potestas ita sit regula iusti, vt ea omnia, quæ sine inconvenienti, & turpitudine intendi, aùt determinari ab inferioribus fieri non possunt; ea omnia suprema, & non subiecta potestati liceant: quem errorem correxit Anselmus libro 1. *Cur Deus homo* capit. 12 à medio per hæc verba: *Quod dicitur, quia quod Deus vult iustum est, non ita intelligendum est, vt si Deus velit quodlibet inconveniens, iustum sit, quia ipse vult. Non enim sequitur, si Deus vult mentiri, iustum esse mentiri; sed potiùs Deum illum non esse: nàm nequaquàm potest velle mentiri, nisi voluntas, in qua corrupta est veritas*: & post pauca: *Itaque de illis tantum est verùm dicere, si Deus hoc vult, iustum est; quæ Deum velle, non est inconveniens*: ergo solus subiectionis defectus non probat: Deum non operaturum *per se* malum defacto; sicut in casu impossibili, quo esset causa *per se* illius; si modo faciat, & velit sine subiectione vlla id ipsum, quod si ex subiectione faceret, determinare, velle, & efficere absque inconvenienti in moralibus non posset.

120 Argumentor quartò. Si Deus *per se moraliter* causaret materiale peccati, videlicet suadendo, præcipiendo, aùt consulendo, esset causa *per se* formalis, & Author peccati: ergo si Deus prædefiniendo, & prædeterminando materiale *per se* illud *physicè* causat, erit causa *per se* formalis, & Author peccati. Antecedens apud Adversarios est certum nolentes concedere: Deum posse præcipere, aùt consulere materiale peccati; quia inde foret causa *per se* peccati. Probatur consequentia: quando minor causalitas *per se* materialis peccati inducit causalitatem *per se* formalis, maior causalitas *per se* materialis ex consequenti debet inducere causalitatem *per se* formalis: sed causalitas *per se moralis* minor est causalitate *per se physica*: ergo si Deus prædefiniendo, & prædeterminando materiale, *per se* illud *physicè* causat, erit causa *per se* formalis, & Author peccati. Maior videtur certa: quia maior causalitas est maior influxus, & maior determinatio ad effectum: ergo si minor influxus, & minor determinatio ad effectum, quà talis, trahit per se causalitatem *per se* alicuius, maior causalitas circa idem, potiori titulo debet causare *per se* quidquid altera *per se* causat. Probatur minor. Ea causalitas minor est, quæ minus determinat ad existentiam effectus; sed causalitas *moralis* per suasionem, & præceptum tendens in materiale peccati, minus determinat ad illius existentiam, quàm causalitas *physica* eiusdem materia-

lis per prædeterminationem, & prædefinitionem : ergo causalitas *per se moralis* materialis peccati per suasionem, & præceptum minor est causalitate *per se physica* eiusdem materialis per prædefinitionem, & prædeterminationem. Probo minorem. Causalitas *moralis* per suasionem, & præceptum compatibilis est cũ defectu illius, quod alteri præcipitur, & suadetur; causalitas verò *physica* per prædefinitionem, & prædeterminationem incompatibilis omninò est cum carentia illius, quod prædefinitur, & prædeterminatur : sed ea causalitas, quæ est magis compatibilis cum carentia effectus, minus determinat ad existentiam effectus : ergo causalitas *moralis* per suasionem, & præceptum tendens in materiale peccati minus determinat ad illius existentiam ; quàm causalitas *physica* eiusdem materialis per prædefinitionem, & prædeterminationem.

121 Confirmatur primò. Non magis identificatur, aut connectitur materiale peccati cum formali ipsius respectu causalitatis *per se moralis*; quàm respectu causalitatis *per se physicæ*, vt ex se patet ; cum identitas, aut connexio extremorum non sit *respectiva*, sed *absoluta* : ergo si data hac identitate, aut connexione, causalitas *per se moralis* minùs determinativa materialis, quàm *physica*, non potest præscindere a causalitate *per se* formalis ; causalitas *physica* sub eadem identitate, aut connexione non poterit præscindere à causalitate *per se* formalis. Confirmatur secundo. Minus præscindit a causalitate *per se* peccati alterius causalitas, quæ magis alterum constituit in periculo proximo peccandi : at causalitas *per se physica* materialis peccati magis constituit creaturam in periculo proximo peccandi ; quàm causalitas *per se moralis* eiusdem materialis : ergo minus præscindit à formali causalitas *per se physica* materialis ; quam eiusdem causalitas *per se moralis*. Maior videtur certa. Probatur minor. Periculum proximum peccandi est proxima inseparabilitas a peccato, qualis est materiale illius, aut cum ipso identificatum, aut cum formali proximè connexum : sed magis constituit creaturam in tali inseparabilitate causalitas *physica* Dei omnino inseparabilis à materiali ; quam causalitas *moralis* ex se compatibilis cum defectu materialis : ergo causalitas per se *physica* materialis peccati magis constituit creaturam in periculo proximo peccandi ; quàm causalitas per se *moralis* eiusdem materialis.

122 Instabis : sæpè causalitas per se *moralis* fortior, & efficacior est ; quàm causalitas per se *physica* quoad imputationem effectus ; vt videre est in præcipiente damnum inferri alicui tertio, cui magis tribuitur damnum ; quàm *physico* executori illius ; ideoque iuxtà communem, & veram Theologorum sententiam tenetur prius ad restitutionem damni ; quàm executor, qui illud facere imperavit, aut suo nomine rogavit fieri ; & tamen magis determinata est ad damnum inferendum executio *physica* illius ; quàm influxus per præceptum, aut per intimationem voluntatis, qua quis vult alterum suo nomine damnum inferre : ergo deficiunt ea omnia, quæ de causalitate per se *morali* comparata cum causalitate per se *physica* ponderavimus. Convincit instantia ; si convinceret : causalitatem per se *moralem*, quæ in consilio, aut approbatione consistit, minorem esse causalitate per se *physica* : nàm iuxtà eandem communem sententiam prius tenetur ad restitutionem damni executor illius ; quàm influens per consilium, sivè approbationem : quarè per argumentum allequeremur saltẽ : Deũ posse consulere materiale peccati, ipsumque approbare ; si illud per prædefinitionem potest *physicè per se* causare.

123 Cæterùm nihil convincit : si attendatur causalitas per se *moralis*, de qua loquuntur Theologi, vt de excedente causalitatem *physicam*. Etenim procedit ille excessus de causalitate per se *morali* comparata cum causalitate per se *physica* alterius, qui sinè incommodo non potest resistere præcepto ; aut qui, vt instrumentum, & nomine alterius operatur ; non de causalitate per se *morali* comparata cum causalitate per se *physica* eiusdem : sub qua consideratione strictiùs loquerentur de causalitate *per se*, quam vocas *physicam* ; quàm de causalitate per se *morali* præcepti. Itaque si quis alteri præciperet actionem ; alteri verò actionem determinaret, taliter, vt pro sensu composito determinationis omittere actionem non posset ; aut si respectu eiusdem eandem actionem præciperet, & physicè determinaret, non dicerent magis ipsi tribui effectum, *quia præcipit* ; quàm, *quia determinat* ; sed

ab

ab oppoſito : magis eſſe cauſam effectus, *quia determinat* ; quàm, *quia præcipit*, aùt nomine ſuo fieri rogat : imo ad effectum, quem licitè poſſet determinare determinatione per ſe *phyſica* non negarent poſſe impellere per determinationem præcepti: ergo conſiderata cauſalitate per ſe *morali*, & *phyſica* in terminis, quibus procedit noſtra ratio, non probatur : cauſalitatem per ſe *moralem* non eſſe minorem cauſalitate per ſe, quam vocas *phyſicam*.

124 Communis adverſariorum ſolutio eſt : influxum moralem per præceptum, ſuaſionem, & conſilium eſſe minus præciſivum ; quàm influxus, qui in prædefinitione, & prædeterminatione conſiſtit ; ideoque hunc ſiſtere in materiali actionis pravæ ; illum verò tranſcendere formale. Rationem huius minoris, & maioris præciſſionis in influendo, tradunt per diſtinctionem vnius, & alterius influxus ; tùm conſiderati *ſecundùm ſe* ; tùm *ex parte Dei* ſe exercentis per illum : *ex parte influxus* : quia cùm prædeterminatio, & prædefinitio præciſſe ſiſtant intra ordinem *phyſicum*, præſcindunt ex parte termini *phyſicum* entitatis à *morali* malitiæ ; non ſic motio, quæ conſiſtit in ſuaſione, & præcepto, quæ cùm ſit de linea *morali*, reſpicit ex parte termini, quod eſt de ſua linea : id autem nil aliud eſt in actu pravo ; quàm malitia *moralis*, vnde ad illam ſe extendit. *Ex parte Dei*, qui per prædefinitionem, & prædeterminationem obit munus cauſæ *primæ*, & *vniverſalis*, præbendo cauſis particularibus neceſſaria ad operandum : ſi autem præciperet, aut ſuaderet ; ſuaſio, & præceptum non eſſet munus cauſæ *vniverſalis* ; ſed *particularis* proviſoris conferentis, non modò neceſſaria ; verùm vtilia ad operandum. Ex quo inferunt, quod ſi Deus creatam voluntatem hoc ſecundo modo moveret ad materiale, ex indebito modo concurrendi eſſet Author peccati ; ſecùs ſi primo, per quem muneri cauſæ *primæ* ſatisfaceret.

125 Vtramque diſparitatem impugno. *Primam ex conditione influxus* : quia ſi influxus *phyſicus*, vt talis, valeat ſe extendere ad ens *morale*, vt tale, influxus *phyſicus*, vt talis, non erit præciſivus ex parte termini ab eo, quod in ipſo morale eſt : ſed influxus *phyſicus*, vt talis, ſe extendere valet ad ens *morale*, vt tale : ergo influxus *phyſicus* non eſt magis præciſivus ; quàm influxus *moralis*. Probo minorem in actione *phyſica*, quam ponit creatura erga materiale actionis pravæ, quæquidem extenditur ad malitiam non aliter imputabilem creaturæ ; quàm medio influxu *phyſico*, quem ponit in actum ſub cognitione malitiæ formalis annexæ : inſuper in actione *phyſica* productiva actus honeſti, quæ in poſitivo conſiſtit : nec propterea datur vna actio *phyſica*, & altera *moralis*, etiam in prædefinitione, qua Deus prædefinit actus honeſtos, vt tales, media qua, eſt cauſa per ſe *phyſica* actus, non modo *ſecundùm entitatem*, verùm *ſecundùm honeſtatem formalem* : ergo influxus *phyſicus*, vt talis, ſe extendere valet ad ens *morale*.

126 Vlterius : quia influxus phyſicæ prædeterminationis, & prædefinitionis eſt *phyſicus* ; per te ſiſtit in eo, quod eſt *phyſicum* in termino, ad quem voluntas prædeterminatur, præſcindendo à *morali*, quod in ipſo invenitur : ergo quia influxus per præceptum, & ſuaſionem eſt *moralis*, ſiſtet in eo, quod eſt in termino *morale*, quod præcipit, & ſuadet, præſcindendo à *phyſico* entitatis, quod in ipſo eſt : patet : quia non minus improportionatum videtur *phyſicum* ad *morale* ; quàm *morale* ad *phyſicum* ; ſed influxus *moralis* non ſiſtit in *morali* actus ; verùm *phyſicum*, & *morale* comprehendit : ergo influxus *phyſicus* per prædefinitionem, quia phyſicus, & non moralis eſt, non ſiſtet in *phyſico* actus ; quin *morale* tranſcendat. Nec diſſimulãda eſt æquivocatio termini *moralis*, quæ fortè huic ſolutioni occaſionem præbuit : nàm *morale* : *vno modo* accipitur pro eo, quod in prudentum æſtimatione, quin phyſicum ſit, phyſico æquivalet quoad aliquod munus : *altero* : pro eo, ex quo generantur mores ; qua ratione, actus liber ſub libertate conſtituta per advertentiam ad regulas morum moralis eſt : ſi *morale* primo modo accipiatur ; tranſeat, quod *phyſicum* non tranſcendat : aſt ſi ſecundo modo : non diſtinguitur à *phyſico* ; ideoque *phyſicum morale* erit, & quod ad mores pertinet, poterit ei tribui. Hinc, cùm prædeterminatio ſit concurſus *phyſicus* tendens in actum, proùt ſubeſt regulis morum, etiã influxus *moralis* eſt ; & quod ad mores pertinet, vt eſt malitia, poterit cauſare.

127 Aliter ſub hac forma. Id, à quo poteſt præſcindere voluntas in volen-

lendo alterum facere, est id à quo potest præscindere suasio, & præceptum in suadendo, & præcipiendo alteri, vt faciat: sed voluntas prædefinitiva, & prædeterminativa Dei potest præscindere in volendo, creaturam facere, materiale à formali: ergo eadem voluntas in suadendo, & præcipiendo alteri, vt faciat, potest præscindere materiale à formali. Probatur maior. Præceptum, vltrà voluntatem, qua superior vult: alterum, id est subditum, aliquid exequi, præcisse addit obligationem commensuratam voluntati, qua vult: aliquid fieri, & iuxtà modum, quo vult ab altero fieri; suasio etiam est inclinatio, (si vera sit, & ex syncero animo proveniat) attemperata voluntati, qua suadens vult: actionem ab altero fieri: sed id, quod voluntati pro modo ipsius in volendo correspondet, vel extenditur, vel coarctatur pro extensione, aùt coarctatione voluntatis in volendo: ergo id, à quo potest præscindere voluntas in volendo, alterum facere, est id, à quo potest præscindere suasio, & præceptum in suadendo, & præcipiendo alteri, vt faciat.

128 Confirmatur. Vel id, quod Deus vult efficaciter fieri à creatura, quando eam ad materiale peccati prædeterminat, est factibile à creatura, eo modo, quo à Deo est volitum efficaciter per creaturam fieri; vel non? Si *hoc secundum*: ergo decretum, quod vocas efficax, tale non est; imò fatuum, & ridiculum; siquidem tendit procurando fieri à creatura id, quod ab ipsa fieri impossibile est: si *primum*: ergo cùm sit efficaciter volitum à Deo *secundùm quod bonum* est, factibile etiam est à creatura *secundùm quod bonum est*: sed id, quod est factibile à creatura *secundùm quod bonum est*, potest præcipi, & suaderi: nàm bonum factibile, vt tale, à creatura, materia est præcepti, & honestæ suasionis: ergo vel Deus potest præcipere, & suadere: materiale peccati fieri à creatura, vel no potest per efficacem volitionem, & prædeterminationem in illud tendere, vt à creatura exequendum. Clarius: volitio efficax Dei, vt tendens in materiale peccati ex parte obiecti voliti non potest præscindere à *fieri* illius ex parte creaturæ; cum in id tendat, vt fiat à creatura, & ipsam creaturæ actionem prædeterminet: vel ergo *fieri à creatura materiale*, bonum, vel malum est? Si *malum*: ergo id, in quod tendit Deus, & eo modo, quo tendit, malum, & turpe est: si *bonum*; ergo cũ prout tale, factibile sit à creatura; (aliàs in impossibile tenderet) prout tale, præcipi, & consiliari potest: quia honestum factibile, vt tale, materia præcepti, & consilij est.

129 Secunda disparitas desumpta ex eo, quod Deus in prædeterminando operetur, vt causa *universalis*; in suadendo autem, & præcipiendo, vt causa *particularis*, non est aptior. Ratio est: nàm quod Deus per suasionem, aut præceptum materialis peccati se habeat, vt provisor *particularis* illius, solùm probat: causare *specialiter* per consilium, aut præceptum id ipsum, quod per prædeterminationem causat *generaliter*: sed id, quod per prædeterminationem causat *generaliter*, est solum materiale: ergo id, quod per præceptum, aùt suasionem causaret *specialiter*, esset solùm materiale: at esse *specialiter* Authorem, & causam illius, quod bonum est, non potest dici: esse causare *specialiter*, quod malum est; aùt esse Authorem mali, vt malum est: ergo quod Deus per præceptum, aut suasionem materialis peccati se haberet, vt causa *specialis*, non probat: fore Authorem, & causam *per se* peccati. Explicatur: Deus causans *specialiter* per suasionem, aùt præceptum; vel esset causa *per se* eiusdem tantùm, quod per prædeterminationem causat generaliter; vel eiusdem, & alterius? Si *eiusdem*: ergo causalitas *specialis* ad idem se extendit ex parte termini, ad quod se extendit causalitas *generalis*: si *ad illud*, & *aliud*: rogo iterùm; vel hæc extensio esset præcisse, quia causaret *specialiter* materiale, vndè cogeretur ad causandum formale; Vel quia *specialiter* liberè causaret materiale, causando formale? Si *hoc secundùm*: ergo causalitas *specialis* per suasionem, & præceptum ex se non fert causare *per se* formale: Si *primum*: supponis probandum, cùm ex se causalitas *specialis* per suasionem, & præceptum possit commensurari cum causalitate *generali*; vt constat in actu bono non præcepto, quem Deus alicui *specialiter* præciperet, & suaderet.

130 Vrgetur. Id causat *moraliter* præceptum, & suasio, quod præcipit, & suadet eo modo, quo præcipit, & suadet: sed præceptum materialis, vt *materialis*, præcisse suadet, & præcipit materiale, *vt materiale*: ergo præcisse causat *moraliter* materiale, *vt materiale*: sed per te materiale, *vt materiale* est

est bonum : ergo præcisse causat *moraliter* id, quod in peccato est bonum : non igitur extēderetur plus causalitas *moralis* per suasionem, & præceptum materialis, quod est in peccato ; quàm causalitas *generalis*, quæ per prædefinitionem, & volitionem efficacem eiusdem materialis per te de facto datur.

131 Aliam disparitatem tradit Magister Palancus, quam solita resolutione manifestam vocat: quia (inquit.) Præceptum, suasio, aùt consilium Dei sunt regula bonitatis *moralis* ; ac proindè faciunt actum, quem præcipiunt *moraliter* bonum, & honestum: cū autem id, quod *per se* ponit in actu denominationem oppositam *malitiæ*, nō præscindat ; sed potius excludat malitiam ; inde est ; quod præceptum non potest præcipere totam entitatem actus, præscindendo à malitia : vnde dum arguit contrarius ; quod si Deus præciperet entitatem, esset causa per se malitiæ ; negandum est suppositum, quod scilicèt tunc illa entitas præcepta esset mala ; quia potiùs esset honesta, & bona: At in physica præmotione oppositum oppositæ de causa contingit : quia prædeterminatio, cum sit causalitas *physica* Dei, solum est regula bonitatis *physicæ* ; non autem regula bonitatis *moralis*, vt per se patet. Vndè solum habet per se *facere* entitatem, & actum, quem prædeterminat *physicè* bonum ; non autem honestum, & *moraliter* bonum ; cū autem bonitas *physica* actus non excludat, nec dicat malitiam *moralem* ; indè est ; quod physica prædeterminatio præscindit *negativè* à malitia *morali*. Hęc est disparitas ad verbum, vt ab ipso tradita.

132 Quæ si ipsi videtur manifesta, obscura mihi satis videtur, & in nihilo melior præcedentibus : dicit : *Consilium, præceptum, & suasionem Dei esse regulam moralitatis ; ac proindè facere actum, quem præcipiunt, suadent, aut consulunt, moraliter bonum, & honestum*: ita est, si attendatur ratio, quæ præcipitur in actu, & modus, quo præcipitur ; & honestas sub ratione, & modo, quo præcipitur, aùt suadetur, reduplicetur: ergo si ratio præcepta, aùt consiliata sit materiale, & entitas actus dūtaxàt ; sola entitas, & materiale actus erunt honesta, & regulæ *moralitatis* conformia: vnde attentis præcisionibus, quibus ipse cum prædeterminantibus vtitur, poterit esse conformè regulę *honestatis* materiale actus ; quin sit conforme : imò cum dissonum sit formale. Nequè enim magis opponūtur inter se. *esse volitū à Deo, & nō esse volitum: esse prædeterminatum, & non esse prædeterminatum: esse præscindens à malitia, & non esse præscindens : esse bonum physicum, & non esse bonum physicum* ; quàm *esse cōforme regulæ honestatis, & non esse conforme. esse suassum, & non esse suassum: esse præceptum, & non esse præceptum*: ergo si prima possunt sine contradictione verificari propter mirabilem præcisionem materialis a formali ; propter eandem poterunt verificari secunda : si verò insistat : *actum quoad entitatem esse conformem regulæ honestatis*, esse, aut *formaliter*, aùt *arguitivè*, *esse conformem eidem regulæ secundùm formale* ; insistam ego cum evidētia non disparitatis ; (vt ipsius morē geram in evidentijs:) *esse actum secundùm entitatem conformem divino beneplacito* non distingui, vel *formaliter*, vel *arguitivè* ab *esse eidem beneplacito conformem secūdùm formale*.

133 Deinde: Deus est regula *bonitatis* secundùm quod recedit à malo *morali*, & accedit ad bonum *morale*: sed Deus non minùs recedit à malo *morali*, & accedit ad bonum *morale*, *vt volens* ; *quàm vt præcipiens*: ergo si Deus, *vt præcipiens*, aùt *suadens* entitatem actus, est regula *honestatis* actus, Deus *vt volens* entitatē actus, erit regula *honestatis* actus. Maior est certa. Probatur minor. Tàm infinitè Sanctus est Deus in volendo ; quàm in præcipiendo, & consulendo: sed infinita sanctitas constituitur per summum recessum à malo *morali*, & summum accessum ad bonum, & honestum *morale*: ergo Deus non minùs recedit à malo *morali*, & accedit ad bonum *morale*, *vt volens* ; quā *vt præcipiens*, aut *consulens*: àt Deus prædefiniens, & præmovens efficaciter entitatem actus, vult: me facere entitatem actus: ergo est regula *honestatis* actus, nō minùs *præmovens* ; quàm *præcipiens* entitatem actus. Confirmatur. Deum velle *virtualiter*: me exerceri, sicut ipse vult, est regula *honestatis* per te mei exercitij : ergo Deum velle *formaliter*: me exerceri, sicut ipse vult, est regula *honestatis* mei exercitij. Antecedens apparet certū: quia præceptum, quod per te est regula *honestatis* exercitij præcepti ; quamvis sit volitio *formalis* obligationis, non est volitio *formalis* ; sed *virtualis* exercitij ; imò nec volitio *formalis* obligationis erit, si cōsistat in imperio intellectuali, vt est communis sententia Thomistarum. Probo consequentiam. Quando id, quod minùs coniungit meum exercitium ad di-

vinum beneplacitum, est regula moralis *honestatis*; id, quod magis, & fortiùs coniungit, debet esse regula *honestatis*: sed volitio *formalis* mei exercitij, sicùt ipse vult, qualis est volitio prædeterminativa, magis, & fortiùs coniungit meum exercitium cum diuino beneplacito; quàm volitio *virtualis*, qualis est, quæ in præcepto invenitur: ergo Deum velle *formaliter* me exerceri, sicut ipse vult, est regula *honestatis*.

134 Addit: *physicam præmotionem, cum sit causalitas physica Dei, esse solum regulam physicæ bonitatis; non autem regulam honestatis moralis*: in quo nil de re invenio præter consonantiam quādam vocum, & terminorum causalitatis *physicæ*, & bonitatis *physicæ*; causalitatis *moralis*, & bonitatis *moralis*: sic argumentor repetens, quæ contra alios diximus. Influxus, quem ponit creatura in actum pravum, non est *physicus*, & causat per te malitiam *moralem*? Iufluxus, quo Deus prædeterminat actum bonum, non est *physicus*, & Deum constituit Authorem, & causam *per se* actus boni secundùm formale illius, quod *morale* est? Influxus *moralis* per præceptum, & consilium non influit per te *moraliter* in *physicum*, & *morale*? Ergo nec *physicum* per te sistit in *physico*, nec *morale* in *morali*: ergo similiter regula *physica* per *physicam* productionem potest esse regula *moralis*: ex quibus ergo principijs illa deducitur absolutissima propositio: *Causalitas per prædeterminationem, cum sit physica, solùm est regula bonitatis physicæ*? Cui similiter adiungere posset: *id quod est physicum non causat nisi physicum: id, quod est substantiale, non causat nisi substantiale: id quod est naturale non causat, nisi naturale: id quod est spirituale, non causat, nisi spirituale*: nàm quod probet de causalitate, fortiùs debet probare de causa.

135 Difficilius adhùc est vltimum, in quo sistit, scilicèt: *bonitatem physicam actus à Deo præmotam, nequè excludere, nequè dicere malitiam moralem*: pro quo, vt litem mihi clarissimè dirimam, & quidquid realitatis est in loquutione huius Authoris depromam, perquiro. An entitas *physica* actus, & bonitas *physica* illius, prout prædeterminata à Deo, possit existere in rebus sine malitia *formali*, vel non? Si *potest existere*: ergo voluntas creata, prout prædeterminata ad entitatem *physicam* actus pravi, non modò in sensu diviso; verùm in sensu composito potest nō peccare, & entitati actus pravi adiungere honestatem, sivè *positivam* actus boni, sivè *negativam* omissionis mali, quod negas: si *non potest existere sine malitia*: ergo ab ea non præscindit: patet clarissimè: id quod secundùm aliquam rationem est inconiungibile cum defectu alterius; secundùm eam rationem est determinatum ad coexistentiam illius: id quod est determinatum ad coexistentiam alterius, ex se non præscindit ab existentia, & *esse* illius: ergo si entitas, & bonitas *physica* actus pravi prædeterminata à Deo, est inconiungibilis cum defectu malitiæ, prout talis, non præscindit à malitia, & erit per consequens explicata præcisio, præcisionis irrisio.

136 Si fortè recurrat ad conceptus formales per intellectuales præcisiones, quod de realitate sui discursus non credam: quid proderunt pro eludenda causalitate illius, quod per se sequitur ad materiale *per se* causatum? Non plus certè; quàm mihi, aut alteri peccanti prodest pro excusatione peccati, ipsum in varios conceptus partiri, & sub tali divisione asserere: me posuisse actionem, quæ sub conceptu generico *actionis, entis*, aut *accidentis* præscindit à bono, & malo, potestque per vnam, & alteram differentiam contrahi: aùt me non intendere actionem illam *signatè*, & *formaliter*, quia mala, dissonaque regulæ honestatis est; sed quia *physicè* mihi bona, & vtilis apparet: cum quibus omnibus stat, mihi imputari malitiam, à qua actio, quam hic, & nunc pono, est inseparabilis quoad *physicam* entitatem, & bonitatem, quamque sub cognitione, & advertentia talis inseparabilitatis liberè eligo: ergo Deus præmovens entitatem, & bonitatem *physicam* peccati, vt dicis, non liberatur à causalitate *per se* malitiæ propter præcisionem realem, quæ non datur inter materiale, & formale; nèc propter præcisionem intellectus, quæ non sufficit.

137 Hinc argumentor quintò. Causalitas *physica* Dei per physicam præmotionem, si defacto daretur, esset inseparabilis à causalitate *morali* per suasionem actionis pravæ: sed per te implicat causalitas Dei *moralis* per suasionem actionis pravæ: ergo defacto non datur in Deo causalitas *physica* per præmotionem materialis, quod est in actione prava; ac per consequens im-

implicat talis *physica* causalitas: cùm hæc, aùt numquàm possit dari, aùt semper, àc existit actio prava, debet existere. Probatur maior. Causalitas *physica* Dei per præmotionem, si datur, est inseparabilis à manifestatione sui: sed hęc causalitas inseparabilis à manifestatione sui, est inseparabilis à causalitate *moralì* Dei per suasionē actionis pravæ: ergò causalitas *physica* Dei per physicā prę̄motionē, si defacto daretur, esset inseparabilis à causalitate *morali* per suasionem actionis pravæ. Maior est certa: nàm causalitas *physica* Dei per præmotionem, si datur, est inseparabilis à manifestatione sui facta per Scripturam, vt à Sanctis Patribus intellectam; ex qua ipsam validissimè probare totis viribus intendunt prædeterminantes.

138 Probatur minor. Id quod si detur, est inseparabile à propositione motivi vehementer inclinantis ad actionem pravam pro signo libertatis ad illam facta per Deum, est inseparabile à causalitate *moralì* Dei per suasionem actionis pravæ: sed *physica* causalitas per præmotionem, si defacto est inseparabilis à manifestatione sui, est etiam inseparabilis à propositione motivi vehementer inclinantis ad actionem pravam pro signo libertatis ad illam facta per Deum: ergo hæc causalitas *physica* inseparabilis à manifestatione sui, est inseparabilis à causalitate *moralì* Dei per suasionem actionis pravæ. Maior est certa; vel dic, quid erit suasio, & consilium, si illud non est? Probatur minor. Propositio motivi vehementer inclinantis ad actionem pravam pro signo libertatis ad illam facta per Deum, est propositio facta per Deum in signo, in quo ex tali propositione possum me liberè movere de eo, quod si me determinem ad actionem, faciam quod Deus antecedenter vult, me facere: patet; siquidem quodnam validius motivum ad me impellendum ad actionem; quàm conformitas meæ voluntatis cum voluntate Superioris volentis, me illam facere, & impotentis per affectum deviare à recto: sed propositio, & manifestatio prædeterminationis est propositio de eo, quod si me determinem ad actionem, faciam, quod Deus antecedēter vult, me facere; existens pro signo libertatis, media cognitione illius, vt conditionatè existentis: ergo *physica* causalitas per præmotionem, si defacto est inseparabilis à manifestatione sui, est etiam inseparabilis à propositione motivi vehementer inclinantis ad actionem pravam pro signo libertatis ad illam facta per Deum.

139 Confirmatur. Laudabilitas actionis proposita operanti pro signo, in quo est potens operari, est propositio motivi maximè incitantis ad actionem: sed propositio prædeterminationis est propositio laudabilitatis actionis facta operanti in signo, & pro signo in quo est potens operari actionem pravam: ergo propositio prædeterminationis ad entitatem, & physicam bonitatem actionis pravæ, est propositio motivi maximè incitantis ad actionem. Maior est certa, & minor continet duplicem partem. Probo primam. Propositio de eo, quod Deus prædeterminat actionem pravam quoad entitatem, & positivum illius, est propositio conditionatè proponens, quod si eliciam actionem pravam quoad entitatem, & positivum illius, faciam id, quod Deus vult, me facere: sed me facere id, quod Deus vult, me facere, est laudabilitas actionis: ergo propositio prædeterminationis est propositio laudabilitatis actionis. Probo secundam. Sicut quamvis actio prava non existat pro signo potestatis, & libertatis ad illā; tamen cognitio de eo, quod actio talis essentialiter est, & eorum, quæ dabuntur, data actione, aut existit, aut existere potest pro signo libertatis, & potestatis ad illam: sic quamvis prædeterminatio ad entitatem, & *positivum* actionis pravæ non existat pro signo libertatis, & potestatis ad actionem; tamen cognitio prædeterminationis quoad essentiam, & connexionis, quam cum ipsa habet operatio creata, aut existit, aut existere potest pro signo potestatis, & libertatis ad actionem: ergo propositio prædeterminationis est propositio facta operanti in signo, & pro signo libertatis, & potestatis ad actionem.

140 Ex modo, quo argumentum proposuimus, corruit communis solutio, quàm tradit Conetus cum alijs, dicens: laudabile esse: velle creaturam id, quod Deus vult *voluntate signi*, id est, consilij, præcepti, vel legis *permissivæ*; secùs verò velle, quod Deus vult voluntate *generali primæ causæ*: nàm hac voluntate *generali*, Deus plura vult, quæ, non est laudabile, nec licitum velle, v. g. bella, pestes, incendia. Corruit quidem: quia argumentum in id di-

dirigitur, vt ostendat: creaturam volentem efficere materiale actionis se conformaturam, non solum voluntati *beneplaciti Dei*; sed voluntati *signi*, qua vult: *se prædeterminare nostras actiones, etiam pravas quoad entitatem*, esse nobis notum; quod est formaliter illas suadere per propositionem motivi vehementer incitantis ad eorum electionem: tùm etiam: quia nos non intendimus: *velle, quod Deus vult præcisse*, esse laudabile; sed *velle, quod Deus vult, nos velle*: quod est diversissimum: quia hoc modo non erit tantùm conformitas in volito *materiali*; verum etiam in volito *formali* divinæ voluntatis; quod est laudabilissimum, vt tenet Divus Thomas prima secundæ quæstione 19. art. 10.

141 Haud efficacior est solutio, quàm præbet Magister Palancus, quæ offendit primò ad eundem lapidem cum Goneto; distinguens inter voluntatem divinam *signi*, & voluntatem *beneplaciti*, ex quibus conformitas voluntatis cum prima est honesta, & laudabilis; contra, conformitas cum secunda: verum impertinenter pro nostra arguendi forma probante: admixtam defacto esse voluntati *beneplaciti Dei* erga actionem malam, quoad entitatem, & bonitatem *physicam* consideratam, voluntatem *signi* per manifestationem illius, quod inclinare potest ad actionem ex parte creaturæ. Insuper prestius difficultate replicæ cadentis supra suam distinctionem voluntatum *signi*, & *beneplaciti*; quia non solum debemus nos conformare voluntati divinæ *signi*; sed voluntati *beneplaciti*; quando hæc non tantùm vult obiectum; sed etiam volitionem nostram illius, volendo, nos illud velle, quomodo accidit in prædefinitione efficaci, & antecedenti entitatis, & bonitatis *physicæ* nostri actus liberi, & volitionis.

142 Respondet: adhuc distinctione opus esse, & dicendum: quod si creatura velit eo modo, quo Deus voluntate *beneplaciti* vult: eam velle, & propter idem motivum, erit laudabilis, & honestè se habens in actione, quam determinat; non sic si aliter: quia videlicet Deus (prosequitur) dùm vult entitatem peccati, vult: nos velle *purè efficienter* entitatem peccati, sivè vult: nos exercere talem volitionem *purè per modum causæ efficientis*, simul nolendo, quod illam exerceamus *deficienter*, licet nolitione antecedenti, & inefficaci. Voluntas autem nostra non vult *purè per modum causæ efficientis* entitatem peccati, dum peccat; sed illam vult *per modum causæ deficientis*: vnde *simpliciter*, & *absolutè* loquendo, non se conformat voluntati divinæ, sivè eius beneplacito; sed tantùm *secundùm quid*; scilicet quantum ad id, quod actionis est, & efficientiæ in tali volitione: absolutè tamen discordat: quia præter Dei beneplacitum est, quod efficiat, *deficiendo*.

143 Difficilis doctrina, & meo captui imperceptibilis; propterea quod videatur plus difficultatem augere; quàm solvere: impugnatio in promptu est. Vel me velle, & exercere *purè efficienter* entitatem peccati, est possibile; vel repugnans? Si *repugnans*: ergo prædefinitio Dei, eo modo, quo me prædeterminat ad entitatem peccati, tendit in impossibile, & *per se* connexa est cum sui frustratione: constat clarè: velle Deum: me facere, & velle eo modo, quo absolutè repugnans est: me facere, & velle, est tendere in id, quod impossibile est: in me existere, & velle efficaciter, cuius defectus est necessarius: ergo si me velle, & exercere *purè efficienter* entitatem peccati, sit repugnans; Deum velle efficaciter: me velle, & exercere *purè efficienter* entitatem peccati, est tendere in impossibile, & prædefinitionem efficacem esse per se connexam cum sui frustratione: si *possibile*; ergo non repugnat pro sensu compositio prædeterminationis Dei ad entitatem peccati, me velle, & exercere *purè efficienter* entitatem peccati: quod est, posse pro libito coniungere prædeterminationi entitatis peccati defectum operationis, & carentiam defectus: vnde rursus scire cupio: per quam prædeterminationem tollatur indifferentia hæc ex parte creaturæ? Igitur imperceptibile est: Deum præmovere efficaciter creaturam, vt se exerceat *purè efficienter*; & hanc se exercere *deficienter*, per id se absolutè disconformans divino placito. Vrgeo: Deus vult: me velle, & exercere entitatem peccati *possibiliter*: sed me velle, & exercere entitatem peccati *possibiliter*, est me velle, & exercere entitatem peccati *defectibiliter*: ergo Deus vult: me velle, & exercere entitatem peccati *defectibiliter*.

144 Vnde mille prodeunt implicationes: nàm me velle *defectibiliter* conformiter ad divinum beneplacitum, est me peccare conformiter ad di-

vi-

vinum beneplacitum ; & me peccare conformiter ad divinum beneplacitum est me honestè exerceri peccando ; & me honestè exerceri peccando , est me peccare ; dùm non pecco , & me placere Deo , dùm non placeo ; & alia eiusdem generis absurda , quæ cuivis etiam in Theologia tironi obvia fient: quarè confirmor in dies de gravi prædeterminationis difficultate, quæ etiam doctissimos,& in eius protectione quotidie exercitos ad tales solutiones ducit.

145 Argumentor sextò. Id , quod Deus severissimè prohibet, non potest antecedenter efficaciter velle , quod fiat pro sensu composito suæ prohibitionis : sed Deus severissimè prohibet entitatem , & materiale peccati : ergo non potest antecedenter efficaciter velle,quod fiat pro sensu composito prohibitionis . Minor apparet certa : tum quia Deus nobis prohibet quidquid est inseparabile à malitia , & tale est , quod eo posito , non potest non resultare malitia : tum quia prohibet constitui in circunstantijs , quibus sinè nova libertate superveniat malitia: tùm demùm , quia id prohibetur,quod licitè non potest poni : sed entitas peccati licitè non potest poni , & exerceri à creatura : ergo entitas , & materiale peccati prohibetur . Probo igitur maiorem. Deum serio , & severè prohibere , quod aliquid fiat, est constituere illud obiectum indignum, quod eligatur, & ametur : sed Deus nequit velle efficaciter, quod ametur,& eligatur obiectum indignum amore,& electione : ergo non potest Deus efficaciter velle, quod fiat pro sensu composito prohibitionis id , quod severissimè fieri prohibet.

146 Confirmatur primò. Velle efficaciter non modo *affectivè*; verùm *effectivè* , quidquid inseparabile est à violatione præcepti , & violationem non supponit , est velle: præcipientem, quatenùs est ex se , infringere vim sui præcepti erga directionem subditi,eum efficaciter determinando ad oppositum observationis præcepti : sed serio præcipere , & efficaciter infringere erga alium vim præcepti , sunt incompatibilia , vt per se patet : ergo serio præcipere , ne fiat materiale peccati , & efficaciter *affectivè* , & *effectivè* ipsum antecedenter velle , sunt incomponibilia. Confiamatur secùndo . Implicatorium in terminis est : subditum operari iuxtà efficacem determinationem Superioris , & secundùm quod vult efficaciter: ipsum velle ; & disconformari voluntati Superioris , violando præceptum: sed Deo volente antecedenter efficacitèr materiale peccati , subditus se liberè exercens erga materiale peccati,violaret præceptum , operando iuxtà efficacem determinationem Superioris , & secundùm quod vult efficaciter:se velle : ergo implicatorium in terminis est: Deum velle antecedenter efficaciter materiale peccati fieri à creatura, & ipsi serio præcipere, nè tale materiale faciat.

147 Confirmatur tertiò. Velle voluntate *signi* materiale peccati, esset regula honestatis actus ; ideoque repugnat : Deum voluntati *beneplaciti* erga materiale peccati posse adiungere voluntatem *signi* eiusdem materialis: ergo velle voluntate *signi* carentiam materialis per prohibitionem illius, est regula honestatis omissionis materialis: sed velle efficaciter voluntate *beneplaciti* id , cuius oppositum constitutum est obligatoriè sub regula honestatis,est velle opponi honestatis regulæ; quod Deo repugnat : ergò velle efficaciter voluntate *beneplaciti* materiale peccati in sensu cõposito prohibitionis eiusdem materialis, Deo repugnat.

148 Respondet Magister Palancus : Deum non prædeterminare actum prohibitum , vt prohibitum,nèc quoad illam rationem,sub qua formaliter prohibetur, scilicet quoad illum defectum;sed solùm secundùm entitatem, & perfectionem, secundùm quam dicit ordinem positivum in Deum,tamquàm in finem vniversalem totius entis. Hoc autem (inquit) nullum est inconveniens : quia Deus benè potest severissimè prohibere per modum *Provisoris particularis* aliquem actum propter defectum , ac inordinationem, quam dicit in Deum , vt in finem particularem creaturæ rationalis ;& per modum *causæ vniversalis* velle efficaciter quidquid perfectionis , & entitatis est in illo actu, secundùm quod dicit ordinem ad Deũ, tanquam ad finem vniversalem totius entis.

149 Sed contrà primò. Implicat per te:Deum se habere, vt *Provisorem particularem* erga actum , præcipiendo , aùt suadendo , & esse locum præcisioni *entitatis* actus , & *formalis* actus

tus : ergo implicat: Deum se habere, vt *Provisorem particularem* erga actum, prohibendo, aut dissuadendo, & esse locum præcisioni *entitatis* actus, & *formalis* actus. Antecedens est doctrina illius suprà tacta. Consequentia probatur. Sicut Deus præcipiens, aut suadens est regula *honestatis* actus: sic Deus prohibens, aut dissuadens est regula *turpitudinis*, & *inhonestatis* actus prohibiti: sed quia Deus præcipiens, aut suadens actum, est regula *honestatis* illius, non est locus præcisioni inter materiale, & formale actus: ergo quia Deus prohibens, aut dissuadens actum est regula *turpitudinis*, aut *inhonestatis* actus prohibiti, non est locus præcisioni inter materiale, & formale illius: ergo si Deus in sensu composito prohibitionis actus vult efficaciter antecedenter voluntate *beneplaciti* entitatem actus, vult illum efficaciter, secundùm quod est prohibitum. Contra secundo: Deus per voluntatem efficacem antecedentem non tantùm vult entitatem actus pravi; sed vult: entitatem actus pravi à me exerceri, & fieri, me determinando ad *fieri*, & *exerceri*: sed actum pravum quoad entitatem à me fieri, & exerceri, est mihi prohibitum: ergo Deus volendo antecedenter efficaciter entitatem actus pravi, vult actum ea ratione, qua est prohibitum.

150 Contra tertio. Sicut ad se conformandum præcepto, & volendum conformiter ad illud non est necessarium, velle actum, secundùm rationem *formalem* præcipiendi; quia ratio *formalis*, & motivum præcipiendi non est sub præcepto: sic ad se disconformandum præcepto, non est necessarium velle actum, secundùm rationem *formalem* prohibendi; quia præceptum, vt prohibens, non respicit rationem *formalem* prohibendi, vt volitam ex parte violantis præceptum, nisi in quantum vult entitatem actus, cui annexa est *formalis* prohibendi ratio: ergo, quod Deus sit volens efficaciter antecedenter entitatem actus prohibiti, & non sub ratione, sub qua prohibetur, non probat: Deum non velle actum, secundùm rationem oppositam præcepto, & secundùm quod est oppositus præcepto. Contra quartò. Aut aliquid est in actu, quod non sit mihi prohibitum; aut totum quod est in actu, est mihi prohibitum? Si *aliquid est*, quod ex parte rei, & non per nostros conceptus non sit mihi prohibitum; aliquid erit ex parte rei in actu pravo, quod licitè possum facere, & quidquid ex illo procedat, non erit formaliter malum: quia sicut ex vero, non nisi verum; sic ex licito *formaliter*, non nisi licitum *formaliter*: ergo per exercitium entitatis actus pravi licitè *formaliter* me geram; ac perconsequens implicabit me vnquàm peccare: si *totum, quod est in actu pravo, est mihi prohibitum*: ergo Deus volens efficaciter antecedenter entitatem actus pravi, quæ est aliquid actus pravi, vult efficaciter id, quod est prohibitum secundùm illam rationem, secundùm quã ab ipso prohibetur.

151 Vltimo dissimulare non possùm querellam huius Authoris contra meum Magistrum Patrem Herrera, qui cùm proposuisset præcedens argumentum sub hac forma: *Quando Deus aliquid severissimè prohibet, non potest velle efficaciter, quod illud fiat in sensu composito prohibitionis. sed Deus severissimè prohibet materiale peccati v. g. periurium: ergo Deus nequit velle, quod committatur periurium in sensu composito prohibitionis*: id referens Palancus quæst. 20. §. 9. *ità contra Thomistas arguit Herrera, quasi Thomistæ dicerent: Deum prædeterminare, & velle efficaciter, quod committatur periurium: sed quisnam vnquam Thomista dixit: Deum velle efficaciter, quod homo committat periurium, nec in sensu composito, nec in sensu diviso prohibitionis? Certè nullus: vt quid igitur contra Thomistas huius contradictorium assumitur probandum: certè qui talia legerint, non benè de Thomistis iudicabunt.* Hæc ille, sed quid tibi, Sapientissime Magister, cum Thomistis, qui, relictis Thomistarum semitis, ad principia aliarum Scholarum confugisti? Sed quidquid de hoc sit.

152 Defensio ista, & improperatio Patris Herrera, tamquàm de Impostore, & hostem fingente, quem adoriatur, non est ad rem; cum ex tota disputatione; imò ex argumento ipso, quod proponit, sumat periurium quoad entitatem; & de eo sic sumpto, dicat: prædeterminari iuxtà prædeterminantium sententiam; apùd quos hæc propositio: *periurium est causatum per se à Deo, in quantum est actus, in quantum est ens*: est concedenda ad mentem Divi Thomæ: quod ergo peccatum est: Patrem Herrera dixisse: Deum apud adversarios prædeterminare periurium, quando ex antecedentibus, & consequentibus cognoscitur sensus restrictus propositionis; qui passim in argumentis

non

non repetitur propter conventionem arguentis,& respondentis, quoad propositionis sensum ? Verùm quid si præclarus iste defensor Thomistarum incidisset in id, quod reprehendit, præbendo occasionem illi propositioni absolutæ:*Deus est Author malorum*? Audiamus ipsum §.3. quæstionis citatæ probantem cum Divo Thoma, *quod si Deus non esset causa per se, & Author actus peccati, in quantum est actus, darentur plura prima principia positiva ; vnum bonorum, scilicet Deus, aliud malorum, scilicet nostra voluntas:* vnde sic redarguo: ergo per te esse *primum* principium positivum actus peccati, in quantum *actus est*, arguit hanc propositionem absolutam:*esse primum principium malorum, id est periurij, Homicidij &c.* patet consequentia : quia aliàs ex causalitate *per se* voluntatis creatæ tamquã vnici Authoris peccati, in quantum est actus, male inferres, dari *primum* principium positivum malorum: sed deberes distinguere *quoad entitatem, & in ratione actus* ; quomodo redditur futile argumentum : siquidem mala, quà actus, & entia sunt, non sunt mala, sed bona: ergo si per te Deus est *primum* principium *periurij* quoad entitatem, & actum illius: erit absolutè *primum principium periurij*, quod idem est ; ac *Deum absolutè prædefinire, & prædeterminare periurium.*

CAPVT V.

Solvit opposita fundamenta ab Authoritate, & ratione.

153 OPponunt primò Authoritatem tam Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum: Scripturæ iam dicentis: *tradidisse Deum aliquos in reprobum sensum*. Iam : *Deum ordinasse ea, quæ malè operantur homines*. Iam: *nil esse, quod præter consilium Dei sit*. Iam: *quasi hortari, & compellere ad ea, quæ sinè peccato fieri nequeunt*. Iam.*excæcare, & obdurare corda reproborum*. Iam : *omnia per ipsum facta esse*.Iam denique: *omnia.propter semetipsum operatum esse*. Patrum : Augustini quidem dicentis de Correptione,& Gratia capite 7. *Elegit illos*, (id est Christus Apostolos) *ad obtinendum Regnum Cælorum* ; *istum* (id est Iudam) *ad effundendum sanguinem suum*. Et libro 5. contra Iulianum cap. 3. refutantis Iuliani dictum, nempè, *cum desiderijs suis traditi dicuntur, relicti per divinam pacientiam intelligendi sunt; non per potentiam in peccata compulsi*;per hæc verba non admittentia propositionem relatam ; verùm ei per oppositum obsistentia, *quod homines per potẽtiam in peccata compelluntur*. Hieron.ad ea verba psal.32. *reprobat cogitationes Populorũ*;aientis:*hoc est, Iudæorum consilia : quia non potuerunt illa facere, nisi in quantum à Deo prædefinitum est*. quæ omnia sonant prædeterminationem Dei ad actiones pravas, quæ cùm non possit esse secundùm malitiam, nè Deus Author, & causa *per se* peccati per illa probetur ; de prædeterminatione quoàd entitatem, & materiale peccati sunt intelligenda.

154 Ante solutionem notandum primò. His eisdem authoritatibus Hæreticos suum errorem protegere contra catholicum dogma. Vnde cautè satis sunt ponderanda ; nè videatur nimis deferre Hæreticorum fundamentis. Notandum secundò : Verba adducta ab omnibus esse interpretanda; nàm si ruditer, & provt iacent,accipiantur, plus probare videntur ; quàm à prædeterminantibus, aut ab vllo benè sentiente de Deo admitti possit; nèc sistere tantùm concursum Dei in entitate, & positivo peccati; verùm malitiam etiam transcendere, & disponere. Notandum tertiò, & simul scrupulus Magistri Palanco rememorandus: quod si intelligenda essent de prædeterminatione, & prædefinitione materialis peccati, non essent formidandæ propositiones absolutæ: *Deus tradit creaturam in peccatum : actio prava est secundùm consilium Dei : Deus per potentiam suam impellit ad peccatum : mala opera non possunt fieri ab homine, nisi proùt à Deo fuerint prædefinita* : quia sic inveniuntur apud Scripturam, & Patres, quamvis non in sensu absoluto sint intelligendæ; sed cum restrictione adhibenda,& explicanda,quando in reprobum sensum detorqueri videantur.

155 Deinde insto argumentum contra Prædeterminantes. Per vos quia verba Scripturæ sonant prædefinitionem, consilium, & dispositionem operum malorum, dicitis : esse intelligenda de prædeterminatione, prædefinitione, & præparatione efficaci quoad materiale eorum: ergo quia verba

ba Scripturæ ſonant præceptum, impulſionem moralem, & ſuaſionem, vt conſtat ex illo 2. Regum capite 16. *Dominus præcepit Semei, vt malediceret David.* Ex 3. Regum cap. 22. vbi dicit: Deus Spiritui malo, qui promiſerat ſe decepturum Achab: *Decipies, & prævalebis, vade, fac ita.* Ex Ioanne cap. 13. *& dicit ei,* (id eſt Iudæ) *Ieſus, quod facis, fac citius:* debebunt intelligi de præcepto, impulſione morali, & ſuaſione malorum operum quoad materiale. Si autem id renuis, & voce *præcepti* non cogeris ad concedendum præceptum Dei, nec quoad formale, nèc quoad materiale peccati; cur *prædefinitionis*, aùt *præparationis efficacis* voce alios inducere neceſſariò vis ad fatendam prædefinitionem materialis in peccato, & præparationem efficacem antecedentem illius?

156 Dicendum iuxtà regulas traditas ab Eminentiſsimo noſtro Bellarmino Strenuo Hæreticorum Debellatore libro 2. de amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati à cap. 11: Sacras litteras ſic eſſe intelligendas, vt quàmvis ſonent imperium, impulſum, incitationem, & adhortationem ad malum; hæc per metaphoram tantùm ſint accipienda, ſumpta ſimilitudine à noſtro modo operandi regulari: iuxtà quem, qui potens facilimè, & ſinè incommodo vllo impedire malum, & non impedit; cùm aliunde actiones aliorum ab ipſo tamquàm à Iudice, & Superiore dependeant, cenſetur, approbare malum; & per non impeditionem illius ad patrationem ſimilium actionum incitare: ſic proponitur Deus, vt ignorans, libro Geneſis cap. 3. clamans, & quærens Adam, & dicens: *vbi es?* Et cap. 6. vt tactus dolore cordis, & reſipiſcens à determinatione aſſumpta condendi hominem: ibi: *Pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecùs*; quin propterea, vt veram ignorantiam, aùt pœnitentiam veram vellit Sacra Pagina innuere; ſed tantum taliter Deum ſe geſiſſe, & talia ſigna præbuiſſe; qualia inter homines ſignificatur ignorantia, & pœnitentia in rè. Quando verò prædefinitionem, conſilium, & intentionem oſtendunt; vel continent loquutionem impropriam, & figuratam, vt diximus; vel ſi propriam, loquuntur de effectibus bonis, & honeſtis, quibus peccatum ſolet eſſe occaſio: ſic accipit Sanctus Leo ſermone 16. de paſsione Domini apùd Gaſparem Sanctium verba illa act. cap. 2. v. 23. *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum*: dicens: *actio diſplicuit, paſsio grata fuit; non enim inde proceſsit voluntas interficiendi, vnde moriendi, nèc de vno extitit Spiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris.* Demùm quoties inducitur Deus excœcans, & obdurans peccatores, intelligendus eſt ita vt excœcatio ſit privatio luminis, & obduratio ſit privatio ſuavitatis reddentis cor molle, & carneum præ lapideo; in quibus nulla intercedit voluntas *beneplaciti divini*, qua feratur efficaciter in malum, adhùc ſub ratione entitatis; ſed ſolam negationem gratiæ abundantioris, ſubſtractionem congruę, & privationem beneficiorum, quibus iuvare poſſet, vel ad non labendum, vel ad non perſeverandum in peccatis, & proterva voluntate non reſurgendi per pœnitentiam.

157 Patres ſimiliter ad normam Scripturæ veniunt intelligendi: aliàs nèc ſibi conſtarent, & pluſquam fas eſt dicere, per ipſorum teſtimonia comprobaretur: inquit enim Auguſtinus tract. 53. in Ioannem. *Fecerunt peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; ſed facturos eſſe prævidit; quem nil latet*: quomodo ergo potuit eſſe de mente ipſius; Deum impellere in peccatum, aut Chriſtum elegiſſe Iudam, vt ſui eſſet proditor? Quarè intelligendus eſt quoad primum; ita vt ly *ad effundendum ſanguinem* idem ſignificet quod particula *vt* ſolet ſignificare, quæ non ſemper adhibetur ad denotandum finem intentum; ſed effectum cum operatione coniunctum, cui operatio dedit occaſionem: quo modo intelligendus eſt Divus Petrus actor. cap. 1. dum loquens de Apoſtolatu Iudæ dixit. *De quo prævaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum*; quin abire in talem locum, fuerit Iudæ motivum, & finis deficiendi ab Apoſtolatu. Vel *negativè*, in quantum Chriſtus ſciens Iudam futurum proditorem, non ſe retraxit ad illum eligendum. Quoad ſecundum: non invenitur apùd Divum Auguſtinum illa propoſitio: *Deus per potentiam in peccata compellit*: quarè ſolum voluit ſtatuere contra Iulianum; cùm homines deferuntur à Deo, non ſolum intervenire divinam patientiam; verùm etiam potentiam, quæ ex libero decreto Dei ſe permittit determinationi creaturæ, quoad influxum in peccatum, & quæ ex permiſsione peccati colligit fructus oſten-

tensionis Divinæ iustitiæ erga peccatorem, quem punit; & divinę misericordiæ erga alios, quibus alterius desertio in bonum conducit. Facilior adhuc se præbet Div. Hieronymus, qui non dixit: Iudæos non potuisse exequi sua prava consilia, *nisi in quantum à Deo prædefinita erant*; sed, *nisi in quantum à Deo prædefinitum est*; quod diversissimum est: nàm primũ denotaret voluntatem Dei erga prava consilia Iudæorum; quod non dicit: secundum tantùm decretum prædefinitivum permissionis in tali numero, & mẽsura, quæ honesta, & sanctissima est, vt potè ipsa præparatio divinæ omnipotẽtiæ: quod asserit.

158 Ex his evanescit replica quædam facta à Magist. Palanco num. 126. quæst. 19. sub hac forma. Quãdo milites miserunt sortes super vestem Christi, Evangelium ipsum tentatur, Mathæi cap. 27. quod hoc factũ fuit, vt adimpleretur Scriptura Psal. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*: & plures Patres, ac Expositores, vt significaretur: vestem mysticam Christi, scilicet Ecclesiam, non esse scindendam, vel ob alios fines. Inquiro igitur, ait, à quo factum fuit istud propter illos fines occultos? Numquid ipsi milites hoc intendebant? Certe hoc dicere, ridiculum esset: ergo ab alio; quàm à militibus factum fuit illud ex fine adimplẽdi Scripturam: sed non potest hoc intelligi, nisi fuerit ex Dei determinatione, & electione; quod potius mitterentur sortes; quàm tunica scinderetur: ergo fuit ex electione Dei, quod milites vnũ præ alio facerent. Addit: Patres, & Expositores sæpissimè asserere, quod nil in passione Christi fuit factum sine mysterio, hoc est sine occulto motivo, & ratione divina; ideoque in minutissimis circunstantijs inquirunt rationem: cur ita, vel ita factũ fuerit? v. g. cùm inquirunt: cur milites posuerunt arundinem potius in dextera; quàm in sinistra Christi? Ibi sanè interrogant: quæ ratio, quod motivũ fuit ex parte Dei? Ergo quod milites liberi planè ad illas actiones sic, vel aliter exercendas hoc modo, potius quàm illo eas exequerentur, fuit ex libera determinatione Dei, per quam fieret satis divinæ intentioni, & motivo.

159 Vana quidem redditur ex dictis; vel quia ly *vt* non semper denotat causalitatem finalem, aùt rationis moventis, vt intentæ; sed purũ eventum in re sequutum, quo impleta fuit Scriptura, illum referens; vel quia ly *vt* ponitur tantùm ad significandam connexionem divinæ assertionis cum re assertа: vnde existentia illarum actionum erat satisfactio fundamenti connexionis cum illis; nam per existentiam termini exacti fit satis cuivis exigentiæ; vel quia *factum est* non semper denotat causalitatem *per se*: vt patet in eo, qui permittit licitè minus malũ; nè maius eveniat, cui si iuxta vulgarem loquutionem rogetur *cur ita facis*? Respondet: *id facio ob evitandũ maius malum*; nequè ideò ly *facis*, & *facio* significant causalitatem *per se*; sed purã permissionem. Audiatur Sanctus Anselmus lib. de Concordia præscientiæ, & prædestinationis cap. 2. ante medium: *Deus mala, quæ non facit, dicitur facere, quia permittit*: quod si per te *præcipere actionem pravam* in Scriptura contentum, non accipitur de causalitate per se *morali*; cur *factum esse* appellans suprà opus pravum non poterit intelligi de permissione; cũ non minus determinatum sit *præcipere* ad causalitatem *moralem*; quam *factum esse* ad causalitatem, quàm vocas *physicam*: audiatur Sanctus Leo prosequens verba suprà citata ex sermone 16. de Passione Domini dicens: *Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus; sed omisit, nequè præsciendo, quod faciendum erat, coegit, vt fieret*; id est *determinavit*, iuxta communẽ phrasim Sanctorum Patrum (apud Ruiz) accipientium sæpè *coactionem* pro *determinatione*.

160 Additio illa ponderationis ex mysterio interveniente in omnibus actionibus passionis Christi, ipsum non minus; quàm quemvis alium comprehendit: cum non minus sit mysteriosum, & *quoad motivum* examine dignum; cùr pravè, & turpiter, potius quàm licitè fuerint exequutæ? Cũ Deus potuerit mortem, & passionem Christi ita disponere, vt nullũ interceſſisset peccatum: nèc novũ est inter Theologos, & Patres investigare motiva permissionis malitię; cùm Deo adeò facile fuerit peccata evitare. Huiusmodi est quæstio illa, quam exagitant Patres ad cap. 1. Mathęi agnoscentes mysterium in incestu meretrico, & adulterio, quæ inveniuntur in ascendentibus Christi secundùm carnem. Imò ab Scriptura ipsa Apocalypsis capite 17. *Babylon* illa *magna Mater fornicationum, & abominationum terræ*, tota proponitur, vt talis, mysteriosa; *& in fronte eius nomen scriptum, Mysterium*: quod si his om-

nibus fit satis per motivum permissionis sinè motivo vllo, aùt ratione voluntatis Dei tendentis in peccata, vt talia; idem tibi dictum reputa pro mysterio aliarum actionum, in quibus motivum, & ratio appellat supra voluntatem *permissivam*; non supra affectum, & voluntatem Dei decernentis entitatem earum actionum.

161 Insistes. Datam Scripturæ intelligentiam non esse conformem Patrum menti, eam taliter exponentium, vt in actione prava agnoscant aliquid Deo tribuendum non *permissivè* tantum; verùm *propriè*, & *per se*; aliud verò creaturæ, vt causæ *per se*, & Deo, vt *permissori*; quod clarissimè constabit, relatis eorum verbis. Sit primus Divus Augustinus, qui in libro quæst. 83. quæstione 21. sic ait: *Deus tantummodò boni causa est, quocircà mali Author non est: quia omnium, quæ sunt, Author est, quæ, in quantum sunt, in tantum bona sunt.* Consonat Divus Bernardus, qui libro de Gratia, & Libero Arbitrio inquit: *Velle bonum profectus est; velle malum defectus; velle verò simpliciter, ipsum est, vel quod proficit; vel quod deficit. Porrò ipsum, vt esset creans, gratia fecit; vt proficiat salvans, gratia facit; vt deficiat, ipsum se dejecit.* Tertius Sanctus Anselmus libro de Casu Diaboli capite 20. dicens: *In quantum enim voluntas, & conversio, sivè motus voluntatis est aliquid, bonum est, & Dei est; in quantum verò iustitia caret, sinè qua esse non debet, non simpliciter malum; sed aliquod malum est non Dei; sed volentis, sivè moventis voluntatem; quarè quod aliquid est, à Deo fit, & Dei est; quod verò nil est, id est malum, ab iniusto fit, & eius est.*

162 Nec dissimilis est libro de Concordia præscientiæ, & prædestinationis ibi: *Omnis quippè qualitas, vel omnis actio, & quidquid aliquam habet essentiam, à Deo est, à quo est omne quod est. Facit igitur Deus omnia, quæ iusta, vel iniusta voluntate fiunt, id est bona opera, & mala; in bonis quidem facit, quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò facit, quod sunt; sed non quòd mala sunt.* Denique Divus Thomas in quo, veluti in compendio mens omnium Sanctorum Patrum continetur, continuus est, vbicumque de causalitate Dei circà peccatum agit, in distinguenda eius entitate à malitia, actualitate, & pravitate, perfectione à deformitate: sat sit, nè in re clarissima mora fiat, ipsum proponere in secundo sententiarum distinctione 37. quæstione 2. articulo 2. in corpore sic concludentem: *Et ideo quidquid est in actu deficiente, scilicèt, in peccato de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc à primo agente, scilicet Deo, procedit, mediante voluntate; sed ipse defectus, qui est in actu, hoc modo procedit à voluntate, quod à Deo non procedit:* & ad quintum eodem tenore loquentem: *in actione deformitati coniuncta hoc, quod est actionis, facit, & quod deformitatis, non facit.* Quid clarius pro assumpto, & suasione ex Patrum iudicio distinctionis in actu pravo alicuius, quod Deo, vt causæ tribuitur; aliùs verò, quod proprium est causæ tantùm creatæ, & deficientis?

163 Sit ita pro nùnc, & accipiantur adducta verba, vt sonant; quid indè pro prædeterminatione materialis peccati, quæ vt consona Patribus suadere intenditur? Vbi nèc leve signum voluntatis antecedentis, qua Deus determinet, quidquid entis, & positivi in peccato est: quarè licèt cogerer vi illorum ad fatendum, Deum esse causam *per se* actus peccati, vt actus est; negarem prædeterminationem, & dicerem, Deum se habere circà materiale peccati, sicuti in mea sententia se habet quoad opus honestum, quod causat *per se*, non interveniente vlla prædeterminatione quoàd materiale, & formale illius, precisse quia concurrit, præparando omnipotentiam ex seria intentione boni operis; quo redderetur inutilis labor adversariorum in coacervandis authoritatibus.

164 Deindè, vt appareat, quo titulo Sacras litteras Patrum ductu fuerimus interpretati, vltra dicta in quæstionis initio, quid senserit Augustinus, ipse Sanctus Doctor ostendat; qui in Enchiridio in fine cap. 97. ait: *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, vt fiat, vel ipse faciendo. Neque dubitandum est: Deum facere benè, etiam sinendo fieri, quæcumque fiunt male.* Ecce non alium concursum admittit in ea, quæ male fiunt, præter concursum permissivum. Idem tenet toto libro de Correptione, & gratia probans, circa bona opera Deū operari, vt nos velimus, & faciamus; at quādo mētionem facit de pravis operibus, loquendi modū immutat ab actione in permissionē. Idem tenet lib. de divinatione Dæmonū c. 1. & 2. & de Genesi ad litterā lib. 8. c. 24. D. Prosper ad excerpta Genuēsium dubit. 7. post medium docens

cens: *male enim velle facillimum est malis, & eorum damnabilem voluntatem non dubium est à Dei voluntate concludi, vt effectum cupiditatis suæ, nisi ille permisserit, habere non possit.* Vide non solum defectum; sed effectum à Deo permissum.

165 Divus Anselmus de casu Diaboli cap. 20. circa medium protulit: *Cum igitur Diabolus convertit voluntatem, ad quod non debuit, ipsum velle, & ipsa conversio fuit aliquid, & tamen non nisi à Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit; quoniam neque velle, neque movere potuit voluntatem, nisi illo permittente.* Quid clarius *ipsum velle malum*, & ipsa conversio non aliter agnoscit fuisse aliquid; quàm à Deo purè permittente, & sinente Diabolum sic pro sua determinatione fuisse operatum. In eadem sententia sunt Fulgentius, Nazianzenus, Gregorius Magnus, & Theodoretus, qui videri possunt apùd Ruiz disp. 131. de Voluntate sectione 3. Nec obliviscor Div. Thomæ dicentis in primo sententiarum distinct. 47. quæst. vnica artic. 2. ad finem corporis: *Multa fiunt, quæ Deus non operatur; sed permissio pertinet ad causam, quæ voluntati consequenti subjicitur, vt sit potens deficere, & non deficere:* nota ly *multa fiunt, quæ Deus non operatur*, & ly *permissio pertinet ad causam, quæ voluntati consequenti subjicitur*: in quibus mihi mirabilissimum est illud *subjicitur*: & in 2. distinct. 37. art. 1. ad primum ait: *Deum non inclinare voluntatem ad malum directè movendo; sed in quantum gratiam, per quam quis à peccato retraheretur, non præbet;* quod est *purè permittere.* Necnon quæst. 6. de malo, quæ est de electione humana artic. vnico ad quintum dicit: *Voluntas hominis quodammodo discordat à Dei voluntate, in quantum scilicet vult aliquid, quod Deus non vult, eam velle, vt cum vult peccare.* ergo cum creatura vult peccare, Deus non vult volitionem creaturæ in ratione *actus*: quia cùm proùt talis sit volitio, & *velle*, Deus volendo eam volitionem in ratione *actus*, vellet creaturam velle peccare.

166 Vndè nè Sancti Patres sibi non constent in illis loquutionibus: *Actus peccati est à Deo, in quantum actus; non in quantum defectus: in quantum est; non in quantum non est, &c.* intelligendi sunt, non quatenùs vellent in actu pravo esse aliud, quod sit à Deo; aliud, quod à Deo non sit; vnum, quod à Deo causetur; alterum, quod à Deo permittatur; sed quatenus illud totũ, quod sine præcisione vlla ex parte rei est à Deo *permissivè formaliter* sumptum non repugnat causalitati *per se* Dei, *quia actio, aut effectus sit*; cùm aliæ actiones, & effectus sint à Deo *per se*, & non purè *permissivè*; sed *quia peccatum, & defectus est*: quo sensu frequenter dicimus: *Homo, quia animal, non repugnat himnibilitati; sed quia rationale: visio beatifica, quia vitalis, non exigit principium supernaturale; sed quia supernaturalis*; quæquidem loquutiones in sensu *formali* significant: animal præcisum per nostros conceptus à rationali non ostendere repugnantiam himnibilitati; & visionem sub conceptu *vitalis* non ostendere indigentiam principij supernaturalis: in sensu verò *reali* conceptum *animalis* inveniri in equo; non *rationalis*; & conceptum *vitalis* inveniri in actibus adæquatè naturalibus; non *supernaturalis*: vndè similiter loquutio illa *actus, in quantum actus, est à Deo, non in quantum defectus*, aliquid habet de sensu *formali*, & aliquid de sensu *reali*: *de sensu formali*: actum pravum sub conceptu *actionis*, & *effectus* non ostendere repugnantiam, vt procedat à Deo *per se*; eam verò ostendere sub conceptu *peccati*, & *defectus*: *de sensu reali*: conceptum *actionis*, & *effectus* esse coniungibilem cum termino *per se* causabili à Deo: secùs conceptus *malitiæ*, qui in termino purè à Deo permissibili potest inveniri.

167 Vel secundò. Eas propositiones esse intelligendas in sensu *virtuali*, ita vt ly *deformitatem non esse à Deo*; *contra verò actum, vt actum*, reddat hunc sensum: *in ordine ad imputabilitatem peccati eodem modo se gerit Deus producendo quidquid est in peccato; ac si, malitia non producta, influeret in solam rationem entis præcisivè sumptam, quæ sub tali conceptu causabilis est à Deo sine imperfectione vlla.* Vel tertiò cum Patre Herrera: accipiendas esse iuxtà vulgarem modum loquendi, quo solet poni ex parte *obiecti*; quod in rè se tenet ex parte *modi*, vt quando dicitur: *nullum equum determinatum requiri ad equitandum*, volendo significare *nullum requiri determinatè*: sic similiter: *actum, in quantum actum, esse à Deo; non in quantum pravum*, non significat ex parte *obiecti*: actum, vt actum procedere à Deo, non, vt defectuosum; sed ex parte *modi*, totum, quod est in actu pravo esse à Deo *activè*; secùs *defectuosse*: quia licèt totum sit à Deo, nullus est defectus *moralis* Dei in tali influxu. Vel quartò: rationem *entis* esse titulum, vt quidquid est in peccato,

sit à Deo per actionem *positivam*; non rationem *deformitatis*: quod sine implicatione, nec præcisione vlla ex parte *obiecti* potest componi; quomodò in intellectu componitur attingere ex parte *obiecti* verum, & bonum; sed non quia bonum; sed quia verum.

168 Opponunt secundo à ratione. Si Deus non esset causa *per se*, & Author actus peccati, *in quantum actus est*, darentur plura *prima* principia positiva; vnum bonorum, scilicèt Deus; aliud malorum, scilicèt nostra voluntas: sed hic est manifestus error, vel peior, vel idem cum errore Manichæorum: ergo Deus est causa *per se*, & Author actus peccati, in quantum actus est. Probatur sequella: quia in primis de *primo* principio bonorum, scilicèt de Deo, nemo dubitat: sed etiam voluntas esset *primum* principium positivum suorum actuum malorum: ergo darentur illa duo *prima* principia positiva; vnum bonorum, & aliud malorum. Minor probatur ex ipso Div. Thoma secundo sententiarum distinct. 37. quæst. 2. art. 2. arguente sub hac forma: *Si voluntas humana actionem aliquam producere posset, cuius Deus Author non esset; voluntas humana rationem primi principij haberet*: quia *hoc est de ratione primi principij, vt agere posset sine auxilio, & influentia prioris agentis*: sed si Deus non est causa *per se* actus peccati, dùm voluntas talem actum elicit, illum eliceret sinè auxilio, & influentia prioris Agentis; quia id, quod est *per se*, prius est, quàm id, quod est *per accidens*: ergo voluntas esset *primum* principium illius actus.

169 Respondeo: sequellam istam absurdam, si cum aliqua apparentia deduci potest, potiùs ex doctrina prædeterminantium; quàm ex nostra esset deducenda; cùm ipsi dicant: malum, *vt malum*, non esse à Deo; sed à creatura, quæ est *primùm* deficiens. vndè concedùt duo *prima* principia, alterum *efficiens*, cui attribuntur omnia bona; alterum *deficiens*, cui attribuntur mala, vt mala sunt, & quidem per actionem positivam; cũ non aliter *primum* deficiens sit causa *per se* mali, *vt mali*; quàm per actionem positivam, qua tendit in materiale actionis pravæ: quod si hæc adhùc valdè distant ab errore Manichæorum; quantò plus distabit nostra sententia, quæ nullum influxum ponit in creatura, qui à Deo nõ sit immediatè *effectivè*; nec vllum principium, quod à Deo non fluxerit. Ad argumentum nego sequellam. Ad cius probationem nego minorẽ. Et ad huius probationem continentem rationem Div. Thomę distinguo maiorem. Si voluntas humana actionem aliquam producere posset, cuius Deus Author nõ esset *sumpto Authore in sensu Divi Thomæ* voluntas humana rationem *primi* principij haberet: concedo maiorem. *Sumpto Authore in sensu arguentis*: nego maiorem, & deinde minorem. Ad cuius implicitam probationem distinguo propositionem. Id, quod est *per se*, prius est; quã id quod est *per accidens* in ratione *attributionis effectus* concedo: in ratione *principij*: nego.

170 Solutionem explico. Itaque intentum Divi Thomæ est; quod si voluntas humana actionem aliquam producere posset, cuius Deus Author non esset, id est sine indigentia influxus immediati Dei, *vt primi agentis*, voluntas humana rationem *primi* principij haberet: quia non dependeret immediate in operando: vndè inferretur, nequè in essendo dependere; quod est formalissimè habere rationẽ *primi* principij independentis, & incidere in errorem Manichæorum concedentium duo prima principia æquè æterna, & independentia in essendo, & in operando; quorum vnum esset bonorum; alterum malorum; & illud substantia per se bona; hoc verò substantia per se mala. Ast minimè venit in mentem Divi Thomę, proùt iudico, quod si voluntas humana actionem aliquã producere posset, cuius Deus Author non esset, id est, quæ Deo, vt causæ *per se* volenti, & determinanti non tribueretur; voluntas humana rationem *primi principij* haberet; quod clarè colligitur ex explicatione, quã tradit, *primi* principij, dicendo: *hoc est de ratione primi principij, vt agere posset sine auxilio, & influentia prioris agentis*; vbi non meminit causalitatis *per se*; sed tantùm influentiæ ab altero *primo* agente independentis: ergo quia nõ iudicavit: esse de ratione *primi principij* causalitatem *per se* in omne, quod producitur; sed tantùm influentiam independentem ab altero, quod comparetur, vt *primum* agens.

171 Indè liquet: quod quando Divus Thomas protulit: *quod si voluntas humana actionem aliquam produceret, cuius Deus Author nõ esset; voluntas humana rationẽ primi principij haberet*: terminum *Author* vsurpavit impropriè, & latè, proùt contraponitur *non influenti*, *aùt influen-*

fluenti cum dependentia ab altero priori agente; non verò propriè, & strictè, proùt contraponitur *non causanti per se* : aùt *non operanti cum inclinatione ad effectum*: quo etiam sensu accepit alium terminum *sine auxilio* confundendo auxilium cum *influentia necessaria*, quamvis *permissiva*, quæ impropria acceptio est vocis *auxilium*, per quam significatur coadiuvatio, & cooperatio ad effectum alterius causæ, quæ cum influxu merè *permissivo* in rigore sermonis non conveniunt.

172 Sed dices: quomodo creatura non influit cum independentia ab altero *primo* agente, si causat *per se* actum, & Deus tantùm *permissivè*, & *per accidens*; in quo videtur creatura ratione principalioris causalitatis constitui *primum* agens, & Deus *secundum*? Respondeo explicationem præbens vltimæ solutionis distinctioni, & dico: quod sicut Deus, vt permittens malitiam se habet tamquàm causa *prima* comparativè ad *secundam*, quæ malitiam *per se* causat, & cui malitia tribuitur: sic Deus influens *permissivè*, & *per accidens* in entitatem actus se habet, vt *primum* principium comparativè ad voluntatem, cui entitas actus *per se* tribuitur: & ratio est: quia conceptus *primi principij* non stat in efficaciori influxu respectu cuiusvis effectus; sed in eo, quod influat per virtutem, ab alio non acceptam; quæque ex se possit reduci ad actum sine dependentia ab alio, à quo possit impediri; & quod nil sit, quod eius influxum immediatum non exigat, taliter, vt ipso nolente concurrere, omnis actio cuiusvis alterius agentis impediatur: cumque sivè Deus concurrat *permissivè*, sivè *per se*, ipsi non deficiant hæc prædicata; semper perconsequens concurrit, vt *primum* principium; & creatura, in qua sunt prædicata opposita, vt *secundum*, quamvis prioritatem aliam habeat quoad efficacitatem influxus, & attributionem effectus, quæ cum conceptu *secundi agentis* non opponitur.

173 Replicabis primò: ergo voluntas creata concurrit ad actionem peccati, & ad positivum illius, proùt actus est, vt prima causa *per se*. Nego consequentiam: quia voluntas non potest concurrere, vt prima causa *per se* vbi non est secunda: concurrit igitur, vt vnica causa *per se*. Replicabis secundò: ergo saltem concurrit, vt vnicus Author peccati. Probatur consequentia. Eo modo, quo concurrit, vt causa *per se* actionis, est Author illius: sed per nos concurrit, vt vnica causa *per se*: ergo, vt vnicus Author illius: ergo iam dantur aliquæ actiones, quarum Deus non est Author; cùm sit creatura; & aliæ, quarum Deus Author est: vndè subinfertur: eo modo, quo vnus Author alterum non supponit, est Author independens: sed creatura quoad aliquas actiones non supponit Authorem: ergo quoad aliquas actiones est Author independens: ac proinde dabitur duplex Author independens; vnus bonorum; alter malorum; quod dici non potest. Respondeo: voluntatem concurrere, vt vnicum Authorem actionis pravæ, *sumpto Authore* pro causa *per se*; secùs *sumpto Authore* pro non indigente influxu alterius ad operandum, per cuius subtractionem possit impediri ab operando; sub qua distinctione est, aùt non est vnicus Author pravæ actionis. Nec quamvis in acceptione dicta sit vnicus Author; inferre licet, esse Authorem independentem: quia ad id erat necessarium, quod in *esse*, & in *operari* alterius voluntati non esset subiecta; pro cuius præparationis modo duntaxàt potest operari: quod non contingit in voluntate creata, etsi sit vnica causa *per se* illius.

174 Replicabis tertio. Aut Deus potest dici *primus* Author omnium entium, vel non? Si *potest*: ergo est *primus* Author peccati, proùt est ens; quod sinè causalitate *per se* in eadem ratione stare non potest. Si *dici nequit*: ergo Deus alicuius entis non est *primus* Author: ergo, vel aliquod ens non est subiectum primo Authori; vel datur alius primus Author entium vltra Deum; & eccè duos *primos* Authores, ex quibus perfectio, influxus, & dominium Dei diminuitur per æmulationem, vt ita dicam, alterius *primi* Authoris. Respondeo: has propositiones: *Deus est primus Author*: *Deus est prima causa omnium entium*: esse concedendas: cæterùm dùm contrahuntur ad peccatum, esse distinguendas; vt fit ab ipsis prædeterminantibus; nè in malum sensum recipiantur; & dicendum: Deus est *prima* causa, & *primus* Author, id est *primum influens*: concedo; *alio sensu denotante causalitatem per se*: nego: quæ distinctio conformis est menti Divi Thomæ, vt supra vidimus. Nequè aliter omne ens creatum, vtpotè ab alio, exigit vnum *primum* Authorem; nisi in quantum exigit procedere ab

vno ente *primo*, à quo omnis causa accipit *esse*, & omnis operatio sivè *positivè*, & *per se*, sivè *permissivè* tantùm fluit; cum ipsum nequè ab alio *esse* accipiat, nequè in *operari* dependeat. Id enim intelligimus per *primam* causam, & *primum* principium: vndè licèt voluntas influat, vt vnica causa *per se*; neque est *prima* causa, nec *primus* Author entis pecati: quia hæ voces non supponuntur pro causalitate; sed pro prædicatis, & independentia influentis, quæ non inveniuntur in voluntate creata; sed in solo Deo, quamvis influente non aliter; quàm *permissivè*, & nullo modo *per se*.

175 Replicabis quartò. Si Deus concurrit ad peccatum, Deus concurrit, vt *prima* causa: ergo vel vt prima causa *permissiva*, vel vt prima causa *per se*. sed nō vt prima causa *permissiva*: cū non semper respectu peccati sit secunda causa *permissiva*: ergo vt prima causa *per se*; in quo genere datur semper in peccato secunda causa. Subsumis: sed non potest Deus causare *per se* primò peccatum quoad malitiam, nè Author illius sit: ergo causat *per se* primò entitatem illius. Respondeo: Deum non dici concurrere ad effectum, vt primam causam *permissivam*, aùt, vt primā causā *per se*; quia effectum determinatum causet, aut primò *per se*, aut primò *permissivè*; sed quia concurrere, aut *per se*, aùt *permissivè* iuxta conditionem effectus, ei debetur, quia est prima causa *per se*, & prima *permissiva*: ita autem se habet; quia omnis alia causa tàm *per se*; quàm *permissiva*, aùt *per accidens* ab ipso pendet, & ab ipso accipit *esse*; cùm Deus neque ad *per se* causandum, neque ad causandum *permissivè*, indigeat alia causa, à qua *esse*, & virtutem accipiat, aut cuius cooperatio sit illi necessaria. Inde Deus concurrit ad peccatum non solum, vt prima causa *permissiva*; verùm, vt prima causa *per se*: quia ex vtroque titulo debetur ei concurrere ad peccatum: cave tamen, nè ideo iudices reduplicationem illam inducere Deum, aùt causantem *per se* primo peccatum, aut illud primò permittentem; cum vtrumque fallat: *hoc secundum*: quia non semper debet concurrere, vt primò permittens; sed ferè semper, vt vnicè permittens: *illud primum*: quia vbi non est concursus *per se* alicuius agentis; nèc datur primò, aut secundò concurrere *per se*.

176 Exempla rem, & intentum declarabunt. Deus, vt prima causa tam *per se*; quàm *permissiva*, quia vtraque includitur in conceptu *primæ causæ*, permittit malitiam; quin ideò, aut proùt permittens, sit semper primò permittens malitiam, cum non semper interveniat alia causa secunda *permissiva* eiusdem malitiæ, aut proùt permittens, sit primò, aut vllo modo causans *per se* malitiam: ergo quod Deus, vt *prima* causa aliquem præstet influxum; nèc probat: illum præstare, vt primò permittentem talem actionem; aut vt primò *per se* eandem causantem. Similiter Deus, vt *primum* vivens, influit in nostras actiones vitales; non tamen primò, nèc vllo modo vivendo per illas: ergo distinctum quid est, Deum, vt primum in vna linea, præstare influxum, & illum præstare primò, aut aliquomodo in tali linea. Non igitur bene arguitur: *Deus concurrit ad peccatum, vt prima causa: ergo in aliqua linea primò causat, aut peccatum quoad entitatem; aut ipsius malitiam.*

177 Opponunt tertiò. Quidquid non est causa operationis, per quam aliqua substantia in *esse* producitur, non est causa illius substantiæ: sed per aliquam actionem peccati substantiæ quædam in *esse* producuntur, sicùt per adulteria, & fornicationes homines generantur: si ergo harum actionum Deus causa non est, in quantum actiones sunt; nec hominum, qui per ipsas generantur, causa est; quod absurdum est. Totus discursus est Divi Thomæ in loco citato, quo etiam vti videtur Divus Anselmus de casu Diaboli capite 20. vbi cùm discipulus objceret: *Quodquidem Deus naturas omnium faciat, fatendum est: quod vero singulas actiones perversarum voluntatum, velut ipsum pravum motum voluntatis, quo ipsa prava voluntas se movet, faciat; quis concedat?* Respondet: *quid mirùm, si dicimus: Deum facere singulas actiones, quæ fiunt mala voluntate; cum fatemur eum facere singulas substantias, quæ fiunt iniusta voluntate, & inhonesta actione*: ergo Deus eadem proprietate, qua facit substantias, facit actiones pravas, vnde proveniunt: sed substantias causat *per se*: ergo & actiones pravas, per quas producuntur.

178 Hoc argumentum mihi videtur ab Adversarijs solvendum; pro quibus non minùs; quàm pro nobis cōgrua aliqua explicatio verborū D. Tho. est adhibēda. Ostendo sic: sicut quidquid nō est causa operationis, per

per quã aliqua subſtantia in *esse* producitur, non est causa illius subſtantiæ: sic, qui non est causa actionis, & operationis, per quam aliqua ſubſtantia in *esse* producitur, niſi ſecundùm conceptum generícum *entis*, & *actus*, non eſt cauſa illius ſubſtantiæ, niſi ſecundùm conceptum generícum *termini*: ſed per te Deus eſt cauſa illius actionis ſub præciſſo conceptu generico, & præciſsivo *actionis, actuſque*: ergo eſt cauſa ſubſtantiæ ſub conceptu generico, & præciſsivo *termini*. Probatur maior. Tota vis diſcurſus propoſiti conſiſtit in eo, quod *cauſare terminum actionis* commenſuratur cum *cauſare actionem*. ergo eo modo, quo non cauſatur actio, non cauſatur terminus: ergo ſi qui non eſt cauſa actionis, & operationis, per quam aliqua ſubſtantia in *esse* producitur, non eſt cauſa illius ſubſtantiæ; qui non eſt cauſa actionis, & operationis, per quam aliqua ſubſtantia in *esse* producitur, niſi ſecundùm conceptum generícum *entis*, & *actus*, non eſt cauſa illius ſubſtantiæ, niſi ſecundùm conceptum generícum, & præciſsivum *termini*. Confirmatur. Pro modo, quo influxus exiſtit ab agente, exiſtit terminus ab agente: ſed influxus per te exiſtit ab agente modo quodam præciſsivo: ergo terminus exiſtit ab agente modo quodam præciſsivo.

179 Inſuper; omnibus ſe oſtendit difficilem ratio Divi Thomæ: quia actio adulterandi, ſeù accedendi ad non ſuam non eſt actio immediatè productiva ſubſtantiæ generatæ; ſed immediatè tantùm communicativa ſubſtantiæ, vt homo generetur, cuius generatio immediatè conſiſtit in productione vnionis, quæ actio mala non eſt: ergo licet Deus cauſa non eſſet actionis adulterandi, vel accedendi ad non ſuam, eſſet locus, vt immediata productio ſubſtantiæ per generationem vnionis, & creationem animæ rationalis, quæ ab ipſo immediatè procederent, eſſet cauſa ſubſtantiæ. Te igitur rogo, vt explices efficaciam rationis Divi Thomæ ad concludendum, quod ſi Deus non eſt cauſa adulterij, & acceſſus ad non ſuam, in quantum actiones ſunt; nec hominum, qui per ipſas generantur cauſa eſſet. Ideo ſi nos propoſitionem Divi Thomæ dicentis: Deum cauſare adulterium, in quantum eſt actus, debemus explicare; arguens onere explicandi efficaciam rationis non minus opprimitur.

180 Dicendum. Divum Thomam accipere *cauſam*, ſicut in corpore eiuſdem art. accepit *Authorem*, & *primum principium*: ſcilicet pro *primo influente*, cuius influxu immediato cætera agentia indigent, & ſinè quo nullum poteſt operari. Diſcurſus autem Sancti Doctoris ita procedit. Terminus ſubſtantialis in tantum eſt ab aliquo, in quantum actio, à qua procedit ſubſtantia, ſit ab illo: ergo vt ſubſtantia ſit completè à Deo, quævis actio, quæ tendit in generationem ſubſtantiæ, debet eſſe à Deo: ſed actio adulterandi, & accedendi ad non ſuam, eſt actio generandi: ergo actio adulterandi, & accedendi ad non ſuam, debet eſſe à Deo; aliàs Deus non ſe haberet completè, *vt primum principium* in generatione ſubſtantiæ. Quo ſuppoſito addit: iuxtà vulgarem modum ſuum explicandi influxum in actionem pravam: Deum cauſare illas actiones, in quantum actiones ſunt; id eſt: actiones illas eſſe à Deo ſinè defectu, iuxtà explicationem ſuprà datam ad ſimiles loquutiones Divi Thomæ, & aliorum Doctorum.

181 Opponunt quartò. Implicat, quod Deus ſit cauſa *per accidens* malitiæ peccati, quin ſit cauſa *per ſe* entitatis, & actualitatis, quam ſequitur ipſa malitia: ſed per nos Deus eſt cauſa *per accidens* malitiæ peccati: ergo debet eſſe cauſa *per ſe* eius entitatis. Maior, à qua dependet diſcurſus, probatur ex doctrina Divi Thomæ tertio contra gentes cap. 10. dicentis: *Omnis cauſa per accidens reducitur ad cauſam per ſe*: ergo qui in actu pravo nil illius cauſat *per ſe*, nil etiam in illo poteſt cauſare per accidens: igitur implicat, quod Deus ſit cauſa *per accidens* malitiæ peccati, quin ſit cauſa *per ſe* entitatis illius. Nego maiorem. Ad cuius probationem reſpondeo: Principium Divi Thomæ eſſe intelligendum, ita, vt cauſa *per accidens* ſemper debeat reduci ad cauſam *per ſe*; vel *in actu primo*, vel *in actu ſecundo*; non *determinatè in actu ſecundo*, vt intendit argumentum. Explico: dupliciter cauſa poteſt dici per accidens ex parte effectus; vno modo in quantum effectui *per ſe* cauſato adiungitur aliqua circunſtantia præter intentionem agentis, quæ non daretur, niſi effectus, cui adiungitur, eſſet *per ſe* cauſatus: ſic qui emittit ſagittam in obiectum adverſum, reputans invincibiliter eſſe feram, dicitur cauſa *per accidens* occiſionis hominis,

quem

quem existimabat feram, & causa *per se* iaculationis. Altero: in quantum effectus, qui hic, & nunc vnicè procedit à causa, existit præter intentionem illius, prout præparatæ, & dispositæ ad operandum in actu primo: sic natura dicitur causa *per accidens* effectus monstrosi; & potentia Animalis moventis tibiam curvam est causa *per accidens* motus obliqui, & claudicationis.

182 Itaque, quoties effectus *per accidens* causatus, est quid adiunctum, & præscindibile ab enectu *per se* causato, cui sinè determinatione ex parte sui ratione circumstantiarum præbet occasionem; effectus *per accidens* causatus reducitur ad effectum *per se* causatum; & causa *per accidens* ad causam *per se* in actu secundo: quando vero datur vnica actio, & effectus vnus, vel *identicè*, vel *connexivè*, in quibus in præscindibile est propter identitatem, vel connexionem, vnum quod sit *per se* causatum, & aliud quod *per accidens* à causa procedat; tunc causa *per accidens in actu secundo*, & effectus *per accidens* causatus *in actu secundo* reducuntur ad causam *per se*, & effectum *per se* causatum *in actu primo*: quia in tantum causa dicitur causare *per accidens* effectum *in actu secundo*, in quantùm procedit ab ipsa præter intentionem illius, quod ipsa intendebat *in actu primo*, & ad quod causandum erat *per se*, & iuxtà propriam inclinationem, & determinationem præparata, nisi aliundè ratione circumstantiarum existentium præter illius intentum aliò verteretur eius activitas in actu secundo: statuit ergo optimè Divus Thomas *omnem causam per accidens reduci in causam per se*, sub explicatione data, & menti ipsius minimè contraria.

183 In qua nil, quod adversarijs faveat invenio pro causalitate *per se* Dei in entitatem peccati: in quo; cum impræscindibile sit; vel propter identitatem materialis cum formali, vel propter connexionem, & determinationem vnius cum alio vnum, quod sit *per se* causatum, alterum, quod *per accidens* à Deo proveniat; causalitas *per accidens* malitiæ non debet revocari in aliquid *per se* causatum à Deo *in actu secundo*; sed in aliquid *per se* causatum *in actu primo*: quatenùs Omnipotentia, quæ influit in actu secundo, considerata in actu primo, nequè ex se inclinat in peccatum; sed in actum bonum; nequè prout præparata respicit actum pravum; sed bonum, trahiturque eius activitas; vel potius, vt loquitur Anselmus in conclusione totius operis de casu Diaboli *iniustè rapitur, Deo permittente*, à voluntate, vt influat in id, quod est præter eius intentionem, & destinationem, per quam se ostendit causam *per se* operis boni in actu primo.

184 Opponunt quintò. Materiale peccati potest terminare complacentiam Dei, quin eam terminet formale: ergo potest terminare causalitatem *per se*, quin eam terminet formale. Consequentia apparet legitima; cùm non minùs opponantur *terminare*, & *non terminare complacentiam*; quàm *terminare*, & *non terminare causalitatem per se*. Probatur antecedens: tum quia materiale peccati est bonum; tum quia terminat concursum omnipotentiæ, & non involuntariè: ergo materiale peccati potest terminare complacentiam Dei. Nego antecedens. Ad cuius primam probationem distinguo antecedens: est bonum *purè physicè*, aut *transcendentaliter*: concedo antecedens: est bonum *honestum*, aut *positivè*, aùt *negativè*: nego antecedens, & consequentiam. Ad secundam probationem distinguo similiter antecedens. Terminat concursum, & non involuntariè, *quatenùs* ly *involuntariè, excludit permissionem*, & *includit coactionem simpliciter talem*: concedo antecedens: *quatenùs* ly *involuntariè excludit effectū prosequutivum illius*, & *includit affectum recessivum ab illo*: nego antecedens, & consequentiam.

185 Opponunt sextò. Si materiale peccati non posset intendi, causari, aut amari propter subsequutam malitiam; generatio hominis non posset intendi, causari, aut amari propter subsequutam infectionem Animæ per contractionem peccati originalis: sed generatio hominis licitè potest intendi, causari, aùt amari: ergo materiale peccati. Nego maiorem: quia generatio hominis non est *per se* mala, aut per se connexa cum peccato originali, nequè per se est occasio, vt genitus procedat à primo Parente, *vt deficientè* à Dei lege per violationem præcepti: non sic materiale peccati, quod quia per se connexum, aut identificatum cum formali per se est malum, & occasio inseparabilis peccati; cum aliter ex se nequeat existere; quàm, vt fundamentum pravitatis, & malitiæ.

186 Opponunt septimò. Im-

Implicat : Deum concurrere ad peccatum eo modo , quo sic concurrere turpe, & indecòrum *moraliter* est: sed Deum concurrere ad peccatum concursu non præcisivo entitatis à malitia , est concurrere ad peccatum eo modo, quo sic concurrere turpe, & indecòrum *moraliter* est : ergo implicat Deum concurrere ad peccatum concursu non præscindente entitatem à malitia . Maior videtur certa ex terminis : nàm quomodo Deus sanctè,& honestè se haberet in cõcurrendo, si concurreret eo modo, quo sic concurrere,turpe , & indecorum *moraliter* foret. Probatur minor . Concurrere ad peccatum concursu non præcisivo entitatis à malitia , est concurrere ad peccatum per actionem,quæ sit ipsissimum peccatum : sed peccatum turpe, & indecorum *moraliter* est : ergo Deum concurrere ad peccatum, concursu non præcisivo entitatis à malitia , est concurrere ad peccatum eo modo , quo sic concurrere turpe, & indecorum *moraliter* est . Distinguo maiorem . Implicat Deum concurrere ad peccatum eo modo , quo sic concurrere , turpe , & indecorum moraliter est *ipsi Deo* : concedo maiorem ; *vel secundùm se , vel creaturæ* : nego maiorem . Et distinguo minorem . Deum concurrere ad peccatum concursu non præcisivo entitatis à malitia, est concurrere ad peccatum eo modo , quo sic concurrere , turpe, & indecorum moraliter est *ipsi Deo* : nego minorem : *vel secundùm se , vel creaturæ:* concedo minorem , & nego consequentiam . Ad minoris probationem. Distinguo maiorem . Concurrere ad peccatum concursu non præcisivo entitatis à malitia , est concurrere ad peccatum per actionem,quæ sit ipsissimum peccatum *Dei* : nego maiorem : *creaturæ:* concedo maiorem.Et distinguo minorem . Peccatum turpe , & indecorum moraliter est *permittenti* nego minorem. *per se causanti* : concedo minorem . Et distinguo consequens. Deum concurrere ad peccatum concursu non præcisivo , est concurrere ad peccatum eo modo , quo sic concurrere,turpe , & indecorum moraliter est *ipsi Deo* nego consequentiam. *Vel secundùm se, vel creaturæ* : concedo consequentiam.

187 Solutionis termini adeo clari sunt , vt explicatione non egeant . Moneo tamen. Hoc argumentum omnes comprehendere , excluso Durando , & assèclis . Nàm vel dicunt: actionem creaturæ ad peccatum fluere immediatè ab omnipotentia per modum *actionis* , vel per modum *termini*, vt vult Magister Palancus : si *per modum actionis* : ipsissima actio creaturæ est actio omnipotentiæ : sed actio creaturæ non est præcisiva ; & turpis , & indecora *moraliter est* : ergo actio omnipotentiæ turpis , & indecora *moraliter* est : si *per modum termini* : terminus , qui ab actione creaturæ realiter,nèc formaliter non distinguitur , turpis , & indecorus *moraliter* est:quomodo ergo concursus Dei non est turpis , qui ad turpe , & indecorum *moraliter* terminatur ; præcipuè, cùm talis terminus sit obiectum efficaciter volitum per divinam voluntatem *beneplaciti*.

188 Replicabis . Concursus Dei in actu secundo turpis *moraliter* est , vel secundum se , vel creaturæ , vt diximus : ergo turpis, & indecorus moraliter est ipsi Deo . Probas consequentiam. Turpè , & indecorum *moraliter* est ipsi Deo,concurrere cum iudicio de eo , quod sic concurrere , est contra *honestatis* regulam,& dignum divina displicentia: sed concurrere concursu non præcisivo entitatis à malitia , est concurrere cum iudicio de eo , quod sic concurrere , est contra *honestatis* regulam , & dignum divina displicentia: ergo turpis, & indecorus *moraliter* est Deo talis concursus . Probatur minor. Concurrere concursu non præcisivo entitatis à malitia , est concurrere cum iudicio de eo , quod talis concursus est peccatum : sed iudicium de eo , quod est peccatum , est iudicium de eo , quod est contra *honestatis* regulam , & dignum divina displicentia : ergo concurrere concursu non præcisivo entitatis à malitia , est concurrere cum iudicio de eo , quod sic concurrere , est contra *honestatis* regulam , & dignum divina displicencia.

189 Renovata prius instantia , Respondeo : Turpe , & indecorum *moraliter* esse ipsi Deo concurrere cum iudicio de eo , quod sic concurrere , est contra *honestatis* regulam *violatam à Deo*;non verò cum iudicio de eo,quod sic concurrere , est contra *honestatis* regulam *violatam à voluntate creata* ; similiterque non est Deo indignum concurrere cum iudicio de eo , quod sic concurrere , est dignum divina displicentia , quando sic concurrere , non est à Deo *per se* ; sed purè *per accidens*, & *permis-*

missivè : quia id tantùm est Deum permittere, & non impedire quod est dignum sua displicentia ; in quo nulla est imperfectio. Instis. Deus concurrit in actu secundo ex suppositione suæ liberæ determinationis, qua secluſa, non concurret: ergo concurrit liberè volendo sic concurrere : sed concurrere, liberè volendo concursum dignum divina displicentia, est concurrere violando *honestatis* regulam : ergo Deus concurit cum iudicio de eo, quod sic concurrere, est contra regulam *honestatis* violatam ab ipso Deo. Respondeo: Deũ concurrere in actu secundo ex suppositione suæ liberæ determinationis *negativæ*, seu *non impeditivæ* peccati, qua secluſa, non concurreret in actu secundo; at non concurrere ex suppositione determinationis liberæ *positivæ*, & tendentis in concursum actualem, ipsum volendo: pariter concurrit liberè volendo sic concurrere *purè negativè*; non *positivè*. Inde: distinguo minorem subsumptam. Concurrere liberè volendo *positivè* concursum dignum divina displicentia, est concurrere violando regulam honestatis ; concedo minorem : liberè volendo *purè negativè*, aut *permissivè*, & *non impeditivè* : nego minorem, & consequentiam.

190 Opponunt octavò. Si concursus Dei ad peccatum non est præcisivus à malitia, & purè tendens in bonum, vt bonum, Deus odio haberet suum concursum in actu secundo, & propter illum puniret in æternum creaturas, odio habendo ipsas odio *inimicitiæ* ; sed ex terminis dissonum est: concursum summæ, & infinitæ Sanctitatis talem esse : ergo concursus, quo Deus ad peccatum concurrit, est concursus purè tendens in entitatem peccati, & eam præscindens à malitia. Reddit instantia supra facta, à qua non video, quomodo se expediant adversarij. Deinde : respondeo. Hæc omnia absurdum continere in concursu Dei *suo suitate inclinationis, & causalitatis per se*; secùs in concursu Dei *suo suitate purè permissionis, & non impeditionis*; qua ratione *suus* propriè non est physicè, aut Theologicè; sed purè grammaticaliter, sensu simili ei, quo dicimus Petro habenti palium commodatum, *cooperi te tuo palio* ; aut gestanti librum in manibus quem nescimus, proprium esse, *ostende mihi istum tuum librum* : per quæ non significamus suitatem strictam ; sed grammaticalem. Ideò omnes illæ propositiones, in quibus loquendo de concursu actuali in peccatum, ponitur ab arguente *concursus Dei* : *concursus omnipotentiæ*: *concursus suus*, sunt, non sinè vtilitate, distinguendæ, vel per terminos *physicè*, *aut Theologicè* negando, & *grammaticaliter* concedendo : vel per terminos *suitatis impropriæ*, & *permissionis* concedendo ; aut *suitatis propriæ*, & *causalitatis per se* : negando.

191 Opponunt nonò. Omnis actio Dei est Sancta, & laudabilis : sed peccatum non est sanctum, & laudabile : ergo peccatum non est actio Dei : at si concursus Dei non præscinderet à malitia ; peccatum, vt peccatum, esset actio Dei : ergo concursus Dei præscindit à malitia. Maior à qua pendet discursus probatur. Omnis actio Dei est opus Dei : sed Deus est laudabilis, & Sanctus in omnibus operibus suis, qualis non esset, si actio, & opus non esset sanctum, & laudabile : ergo omnis actio Dei est sancta, & laudabilis. Respondeo. Omnem actionem *immanentem* Dei esse sanctam, & laudabilem *in se* : quia non distinguitur ab actibus divinæ voluntatis, qui in se sunt infinitè sancti, & laudabiles ; at omnis actio *transiens* Dei, prout comprehendit actiones *permissas*, & *per se causatas*, non est sancta, & laudabilis *in se* ; sed in actibus Dei, qui circà ipsam versantur: modo quo ipsum peccatum non est obiectum sanctum, & laudabile *in se* divinæ voluntatis ; & tamen actus divini, qui erga ipsum versantur, sunt honestissimi, & laudabilissimi ; vt iudica actum *remissivum*, actum *punitivum*, & actum *permissivum*. Nequè quàmvis actio non sit *in se* sancta, & honesta, Deus desinit esse sanctus, & laudabilis in omnibus operibus suis tàm *causatis per se* ; quàm *permissis* : quia, vt talis sit, non est necessarium, quod actio, & opus sint bona ; sed quod Deus honestè, & benè se habeat erga ipsa : qua ratione se habet, dum ea permittit.

192 Replicabis primò. Aut actio *transiens* est Deo sancta, & honesta, vel non ? Si *hoc secundum* : ergo Deus non se habet sanctè, & honestè in tali actione. Si *primum* : ergo actio *transiens* non est peccatum : nam quomodo peccatum potest esse sanctum, & honestum Deo ? Respondeo : actionem *transeuntem* esse Deo honestam, & sanctam *negativè*, in quantum per talem actionem

nem non imminuitur divina Sanctitas, & puritas ; non *positivè* ; tum quia illa actio *in se* mala , & turpis est ; tum quia nulla actio finita potest esse Deo sancta, & honesta *positivè* ; cùm Dei sanctitas, sivè actualis , sivè essentialis non possit non esse sanctitas infinita . Replicabis secundò . Non minus sancta est divina omnipotentia ; quàm divina voluntas: sed divina voluntas non potest tendere in malitiam per suum actum , adhùc ex determinatione alterius : ergo nequè divina Omnipotentia potest tendere in malitiam per suam actionem , adhùc ex determinatione alterius . Respondeo. Paritate hac potiùs roborari nostram sententiam : quia voluntas Dei , etsi sanctissima, potest tendere *permissivè* in malitiam : ergo , & omnipotentia: sed omnipotentiam concurrere ex determinatione alterius , est concurrere *permissivè* : ergo omnipotentia per suam actionem potest concurrere ad peccatum ex determinatione alterius. Quod si de tendentia per affectum ad malitiam procedat replica, nulla est paritas: quia velle malitiam etiam ex determinatione alterius , est velle simpliciter malum , vt malum ; at influere ex determinatione alterius , non est simpliciter causare malum , vt tale ; sed pure permittere.

193 Opponunt decimò. Contra conceptum divinæ omnipotentiæ est , plura esse permissibilia ab ipsa ex entibus ; quàm causabilia *per se*: sed si peccatum non causetur *per se* ab omnipotentia in ratione *entis*, plura ex entibus essent permissibilia ab omnipotentia ; quàm causabilia *per se* : ergo contra conceptum omnipotentiæ , est peccatum non esse *per se* causabile ab ipsa in ratione *entis*. Maior apparet certa: nàm cùm permissio sit minor influxus;quàm causalitas *per se* , & talis , vt de termino permisso non possit dici fieri simpliciter ab omnipotentia ; contrà divinæ omnipotentiæ perfectionem est , maiorem partem entium factibilium non esse simpliciter factibilem per omnipotentiam . Probatur minor . Plura sinè comparatione sunt peccata; quàm opera honesta , & *per se* causabilia ab omnipotentia , vt ex se constat : ergo si peccatum non causetur *per se* ab omnipotentia in ratione *entis*,plura ex entibus essent permissibilia ab omnipotentia; quàm causabilia *per se*. Rogo ante solutionem: àn sit contra conceptum divinæ misericordiæ,quod plures sinè comparatione defacto damnentur , etiam ex Christianis ; quàm salutem consequantur?

194 Deinde respondeo. Quod si argumentum procedat defacto,& per comparationem ad entia existentia ; dato , quod plura essent permissibilia ; quàm causabilia *per se* , id non esset contra perfectionem omnipotentiæ ; cùm non proveniret ex defectu terminorum *per se* causabilium ; sed ex libera dispositione Dei volentis pro suo dominio plus se exercere permittendo; quàm causando *per se* . Absolutè tamen nego : tàm defacto ; quàm de possibili esse plura entia permissibilia ; quàm causabilia *per se*. Nàm quoad statum *possibilitatis* non est excessus inter actiones pravas , & honestas ; cùm respectu cuiusvis sint infinitæ possibiles vtriusque lineæ; & vltra sint tot infinita terminorum *per se* causabilium, vt sunt substantiæ , & accidentia non moralia , aùt libera, & actiones agentium naturalium: quæ omnia sùt *per se* causabilia ab omnipotentia : & defacto permisso: esse plures actus pravos; quàm actiones honestas , & indifferentes , in quo nolo immorari ; non tamen excedunt peccata collectionem omnium substantiarum, accidentium distinctorum ab operatione libera , & actionum agentium naturalium , à qua longissimè superantur: ergo nèc de possibili , nèc defacto infertur ex non causalitate *per se* peccati in ratione *entis*, plura esse entia permissibilia ; quàm causabilia *per se*.

CAPVT VI.

Dubium incidens resolvitur.

195 Vidimus repugnare prædeterminationem , seù prædefinitionem efficacem antecedentem Dei ad materiale peccati , id est , ad materiale actionis pravæ in circunstantijs, quibus est liberum creaturæ , & ratione liberæ electionis illius peccat voluntas creata , eique imputatur actionis malitia. Vnde resultat alterum dubium inquirens. An saltem possit Deus prædeterminare materiale actus pravi, necessitando creaturam ; ac per consequens , quando propter necessitatem ponendi actum pravum nullum

lum esset peccatum ex parte creaturæ, nullaque malitiæ imputabilitas? Nequè, vt advertit Pater Oviedo, quæstio procedit de illis actionibus, quæ adhuc sub libertate elicitis possunt ex aliqua circunstantia honestari, vt homicidium, & famæ denigratio; quas quidem, sicut Deus, vt Author, & Dominus vitæ, & famæ, potest præcipere; sic potest prædeterminare ad illas necessitando; sed de illis actionibus ita intrinsecè malis, quæ nulla circunstantia possunt cohonestari, & tantum ob defectum libertatis, vel ob errorem, & ignorantiam invincibilem ex parte intellectus, sinè culpa exerceri, vt sunt mendacium, & Dei odium.

196 Inqua affirmativam partem tenent apùd Oviedo Nominales, & ex Thomistis Capreolus Conrradus, & Deza, nèc non Caietanus, quibus ex nostris consentire videntur Pater Vazquez prima parte disputatione 241. cap. 2. numero 8. & Pater Valentia prima secundæ disput. 6. quæst. 9. puncto primo, licet videatur sententiam aliquomodo restringere dicens: actum odij erga Deum posse produci à solo Deo; quia tunc non produceretur à causa deficiente; & consequenter non esset peccatum; ac per consequens non aliter possibile esse Deo necessitare creaturam ad odium sui; quàm sinè influxu vllo ex parte creaturæ præter passivum recipiendi odium: cæterum fundamentum ab ipso adductum æquè probat de necessitate cum influxu activo ex parte creaturæ: quia tam odium non esset peccatum ex parte voluntatis necessitatæ productum ab ipsa necessario; quàm ab ipsa purè receptum. Eandem sententiam tenet expresse Illustrissimus Godoy quæst. 14. de scientia numero 221. Negativam verò tuentur Pater Ruiz disput. 41. de voluntate sectione prima, Oviedo prima secundæ tractatu 6. de vitijs, ac peccatis, controversia 7. puncto. 2. & est communis inter nostros, cum quibus omnes Recentiores.

197 Sit conclusio. Repugnat Deo necessitare ad actum, & materiale peccati, v. g. ad odium sui, sivè intercedente, sivè secluso influxu activo ex parte voluntatis odio habentis. Probatur ratione communi. Deum esse odio habitum, & alia huius generis, quę nulla circūstātia cohonestari possūt, sunt ita ex se mala, & rationi dissona, vt non aliter sinè culpa exerceri possint; quàm sinè libertate, aùt cum errore invincibili ex parte intellectus: sed Deus quomodocumque ex dictis ad ea necessitans ea libere faceret, & sinè vllo errore ex parte intellectus invincibiliter occultante malitiam: ergo Deus quomodocumque ex dictis ad ea necessitaret, ea sinè culpa non faceret: ac per consequens tantum ei repugnat similis determinatio, ac peccatum. Explicatur præcavendo solutionem, quæ adhiberi posset. Determinatio ad odio habendum Deum, & mentiendum *per se* causata, eum tantùm excusat à culpa in odio habendo, & mentiendo, qui patitur necessitatem odio habendi, & mentiendi, talem, vt nèc odium, nèc mendacium evitare possit: at sola creatura, & non Deus patitur talem necessitatem: ergo sola creatura, & non Deus non est culpabilis in odio, & mendacio. Probatur maior. Determinatio *per se* causata à rationis compote ad actionem turpem luxuriæ, v. g. inter amentes exercitam, eos tantùm excusaret à culpa, qui libertate carerent; non alium, qui cum libertate ad talem actum sinè libertate exercendum alios provocaret, & incitaret, vt à nullo Theologo negabitur: ergo determinatio ad odio habendum Deum, & mentiendum *per se* causata eum tantùm excusat à culpa in odio habendo, & mentiendo, qui patitur necessitatem odio habendi, & mentiendi, talem, vt nèc odiū, nec mēdacium evitare possit.

198 Dices. Necessitare, aùt determinare alterum ad non male operandum, est determinare, aùt necessitare alterum ad operandum sinè malitia: sed determinare, aùt necessitare alterum ad operandum sine malitia, non est malum; cùm non sit obiectum, à quo possit haurire malitiam: ergo Deum necessitare, aùt determinare creaturam ad mendacium, aut odium sui, quomodocumque sit talis necessitas, aut determinatio, non est malum *moraliter* imputabile Deo: Sed contra: quia licèt determinare, aùt necessitare alterum ad non malum tam *formaliter*, aut *imputativè*; quàm *materialiter*, & *obiectivè* non sit malum *moraliter*: at determinare, & necessitare alterum ad non malum purè *formaliter*, & *imputativè*, est per se malum *moraliter*; quia *per se* causat in alio, dissonè, & disconformiter ad legem se exercere: vn-

de

de vult, dissonum rationi, & prohibitum per legem esse in alio, quod etsi in determinato sit sine culpa, in determinante sine culpa esse non potest; vt probat memoratum exemplum incitantis, aut determinantis amentem ad actionē turpē, & ex se legi, & rationi dissonam.

199 Probatur secundo: Non potest Deus causare *per se*, quidquid est in peccato præter id vnum, quod est *per se* ab ipso causabile: sed Deus necessitans ad actum odij, aut mendacij *per se* causaret, quidquid est in peccato odij, aut mendacij præter id vnum, quod est *per se* ab ipso causabile: ergo non potest Deus necessitare voluntatem creatam ad odium, aut mendacium. Probo maiorem. Probaturus post minorem. Non potest esse peccatum, vt tale, *per se* causabile à Deo: sed si Deus *per se* causaret, quidquid est in peccato præter id vnum, quod est ab ipso *per se* causabile, peccatum secundùm adæquatum, quod, vt tale, dicit, esset à Deo *per se* causabile: ergo non potest Deus *per se* causare, quidquid est in peccato præter id vnum, quod est *per se* ab ipso causabile. Probo iam minorem. Deus necessitans ad odium, aùt mendacium, *per se* causaret, quidquid est in peccato odij, aut mendacij præter libertatem ad eliciendos ex propria determinatione tales actus: at libertas ad peccandum peccato odij, & mendacij *per se* est causabilis ab ipso: ergo Deus necessitans ad actum odij, aut mendacij *per se* causaret, quidquid est in peccato odij, aùt mendacij præter id vnum, quod est *per se* ab illo causabile. Probatur maior. Quidquid est in peccato odij, aùt mendacij præter libertatē, est actus odij, aùt mendacij, proùt elicit ab hac voluntate: sed Deus necessitans ad odium, aùt mendacium *per se* causaret actum odij, aut mendacij, proùt elicitum à voluntate creata: ergo Deus necessitans ad odium, aùt mendacium *per se* causaret, quidquid est in peccato odij, aùt mendacij præter libertatem ad eliciendos ex propria determinatione tales actus.

200 Nèc dicas primò: peccatum odij, aùt mendacij vltra dicta involvere privationem rectitudinis debitæ, quæ non est causabilis *per se* à Deo: quia aùt ista privatio est rectitudinis debitæ actui, vel rectitudinis debitæ potentiæ: si *est privatio rectitudinis debitæ actui*; hæc est inseparabilis ab actu odij Dei, proùt actus odij Dei est; cùm proùt, talis non habeat rectitudinem charitatis debitam prædicato generico *actus humani*. Si *est privatio rectitudinis debitæ potentiæ*: hæc etiam est inseparabilis ab actu odij, proùt liberè facto: ergo si quidquid includit actus odij Dei, proùt liberè factus, est *per se* causabile à Deo, *per se* causabile erit a Deo, quod est inseparabile à tali privatione. Nec dicas secundò. Aliqua esse *per se* causabilia à Deo *diuisim*, quæ non sunt *per se* causabilia *complexim*, vt sunt actus negans incarnationem Verbi, & huius incarnatio: potest enim Deus causare *per se* iudicium negans existentiam incarnationis, non causata *per se*, aùt non existente incarnatione; & potest causare *per se* incarnationem, non causato *per se* iudicio negante incarnationem; at non potest *per se* causare complexum actus negantis incarnationem, & Mysterium Incarnationis. Nàm id solùm tenet, quando in complexo est aliqua specialis dissonantia, quæ non imbibitur in constitutivis *diuisim* causatis: vt contingit in exemplo appositio, in quo, coniunctum includit dissonantiam erroris *per se* causatam, quæ in nulla ex partibus est inclusa; cùm nulla sit error; at in complexo libertatis, & actus odij Dei involvitur dissonantia odij *per se* causata, quæ eadem est in odio, ac in complexo: vndè, vel odium non poterit Deus *per se* causare, necessitando creaturam ad se odio habendum, vel complexum libertatis; & actus poterit *per se* causare.

201 Imò ex solutione data argumentum confirmo. Ex eo, quod si Deus causans *per se* iudicium negans existentiam incarnationis in sensu diviso ab incarnationis existentia; aùt existentiam incarnationis in sensu diviso à iudicio negante, causaret *per se* aliquid, quod contineret dissonantiam huius, quod est *errare circa Mysterium Incarnationis*, posset *per se* causare simultatem talis iudicij, & existentiæ Mysterij: ergo similiter, si Deus necessitando ad actum odij sui potest causare *per se* dissonantiam ad rationem huius, quod est *Deum odio habere*; posset *per se* causare complexum talis dissonantiæ, & libertatis ad illam: sicut, qui per impossibile posset inducere licitè amentes ad actiones turpes, licitè etiam

posset ad easdem actiones liberè exercendas determinare, aut inclinare.

202 Tertiò specialiter contra Prædeterminantes. Deus non potest præcipere materiale odij, aut mendacij; vel quia per præceptum redderet bonū *moraliter* id, quod est intrinsecè malum; vel quia malum, quod alteri non imputaretur ad culpam, sibi esset malum imputabiliter: ergo neque potest necessitare ad materiale odij, & mendacij. Probo consequentiam. Non minus excusat operantem à culpa exercere actionem iuxta præceptum verè obligans; quam iuxta necessitatem, quam repellere non potest; insuper magis est pro determinatione necessitantis actio, quæ sinè libertate alterius elicitur; quam pro determinatione præcipientis actio, quæ iuxta præceptum cum libertate obtemperantis præcepto ponitur: sed nec minor determinatio, nèc evitatio peccati in exercente materiale peccati ex obligatione, facit, quod Deus possit præcipere materiale odij, aut mendacij: ergo nec evitatio peccati in operante materiale ex necessitate, nèc maior determinatio ex parte necessitantis faciet, quod Deus possit necessitare ad materiale odij, aut mendacij; ac per consequens si Deus non potest præcipere materiale peccati; nec poterit ad ipsum necessitare. Breviùs: evitatio culpæ in altero per præceptum materialis odij, aut mendacij non est in causa, vt vel malum non imputetur Deo, vel præceptum non sit impossibile; quia redderet bonum id, quod est ab intrinseco malum: ergo evitatio culpæ in altero per necessitatem materialis odij, aut mendacij non est in causa, vt vel malum non imputetur Deo, vel necessitas non sit impossibilis; quia redderet bonum id, quod est ab intrinseco malū.

203 Confirmatur. Liberum exercitium Dei reddens aliquam actionem omninò conformem divino beneplacito, & vnicè existentem pro electione, & determinatione divina est regula *honestatis* illius; quia Deus non potest velle, aut determinare, nisi quod honestum est: sed necessitas, quam Deus induceret ad odium, est exercitium Dei liberum, reddens actionem odij omninò conformem divino beneplacito, & vnicè existentem pro electione, & determinatione divina: ergo est regula *honestatis* odij: at præceptum materialis actionis odij per te repugnat; quia esset regula *honestatis* illius: ergo nō minus repugnat: Deum necessitare ad materiale odij, quàm illud præcipere. Vr getur: tàm repugnat odio Dei liberè exercito à creatura honestas; quàm non malitia: sed quia odio libere exercito repugnat honestas: non potest Deus pro sua determinatione libera ipsū existens reddere honestū: ergo quia odio liberè exercito repugnat nō malitia; nō potest Deus, pro sua determinatione libera ipsū existens reddere non malum; quale faceret ad ipsum necessitans.

204 Obijcies primò. Omnis, qui sinè libertate operatur, se habet in operatione, sicut agens naturale v.g. ignis: sed in eo, quod Deus *per se* causet quemvis effectum causarum naturalium nulla est indecentia: ergo neque in eo, quod Deus concurrat necessitando voluntatem ad actum odij: quia id erit tantùm *per se* causare effectum necessariò, & naturaliter ab ipsa prodeuntem. Inito argumentum in illo, qui alterum incitat, aut movet, vt sinè libertate eliciat actum turpem, in quo non valet se habere eodem modo erga hunc effectū; ac se haberet erga ignem, quem potest licitè applicare, vt lignum naturaliter comburat. Respōdeo: effectus proveniētes ab agente rationali absque libertate tantum esse pares cū effectibus causarum naturalium in eo, quod non procedant per electionem; in alijs verò discrepant; tùm ex se; tùm ex parte agētis: *ex se*: quia licet quando est lex in contrarium, non habeant turpitudinem *formalem*; tamen retinēt turpitudinem *materialem*; in quātū sunt id, quod per legem prohibetur: *ex parte agentis*; cui etsi non imputetur ad culpam facere contra legem; non ideò desinit operari contra legem ex se obligantem, cuius violatio imputatur alteri ad culpam, qui cum advertētia ad illam determinat, procurat, aut *per se* causat operationem prohibitam. Hac ratione nunquam se habet effectus causæ naturalis, qui nec *formaliter*, nec *materialiter* est contra legem.

205 Instabis: vbi non est obligatio, non est violatio, nec *formalis*, nec *materialis* obligationis: sed in necessitato ad actum odij nulla est obligatio omittendi odium: ergo neque est violatio *formalis*, aut *materialis* per existentiam odij. Distinguo maiorem. Vbi non est obligatio, *nec per se*, *nec per accidens* non est violatio, nec

for-

formalis, nec *materialis* obligationis. concedo maiorem. Vbi non est obligatio *tantùm per accidens*: nego maiorem. Et distinguo minorem. In necessitato ad actùm odij nulla est obligatio *per accidens*: concedo minorem: *per se*, & *attenta lege*: nego minorem, & consequentiam. Itaque necessitas odio habendi non tollit, quod sit lex ex se prohibens odium, & ex se obligans ad carentiam illius: vt patet ex eo, quod eodem tempore, quo necessitatus eliceret odium sinè culpa, alter liberè illud eliciens, peccaret; non quidem in vi diversæ legis; sed eiusdem communis vtrique; nec facit, quod existentia odij non sit contra legem: quid ergo facit? Nil aliud; quam transgressionem legis non imputari ad culpam; quod est deficere transgressionem *formalem*, retenta *materiali*: alias nunquàm daretur transgressio *materialis* sine *formali*, quam admittunt omnes Theologi, saltem in casu, in quo quis induceret alium ad actionem intrinsecè malam sine libertate faciendam.

206 Obijcies secundò: quando quis invincibiliter erroneè iudicat: opus ex se intrinsecè malum, vt est *mentiri*, esse laudabile, & meritorium, illudque defacto exercet sub tali iudicio; facit opus honestum, & meritorium: sed Deus est causa *per se* omnis operis honesti, & meritorij: ergo Deus *per se* causare potest mendacium: ergo etiam poterit *per se* necessitare ad mendacium; cum Deus possit ad id necessitare, quod *per se* potest causare. Respondet Pater Salas prima secundæ tractatu 8. disput. vnica sectione 3. & cum ipso Oviedo, & Recentiores: Deum ex se non inclinare ad mendacium; sed tantùm persuadere homini, vt faciat id, quod sine formidine iudicat hic, & nunc esse honestum; & consequenter, casu quo invincibiliter iudicet *mentiri* esse honestum, mentiatur: in quo casu conscientiæ erroneæ suadet ad mendacium ex suppositione talis conscientiæ, & ex suppositione illius est causa mendacij. At virtute suppositionis, iam mendacium ex se malum, hic & nunc transit in opus honestum. Nec tamen absolutè dicendus est Deus causa ex se inclinans ad mendacium; quia Deus non inclinat ad illud *absolute*; sed *ex suppositione erroris*, quem Deus ex se non intendit, & in quem non influit determinatus à se; sed tantum iuxta causarum exigentiam; ac proindè adhùc in prædicto casu, suppositâ conscientia erronea, & honestate mendacij exerciti cum his circunstantijs, Deus inclinat ad mendacium *remotè*, & in radice determinatus à causis, ad quarum exigentiam productus est error.

207 Transcripsi ad verbum solutionem, vt proponitur à Patre Oviedo, quam aliter (fateor meam tarditatem) referre non possem. In qua post tam diffusam explicationem: inquiro. An mendacium sub tali iudicio invincibiliter erroneo maneat materialiter malum, vel non? Si *manet materialiter malum*: ergo Deus, quamvis *remotè* determinatus, vt dicitur à iudicio erroneo; quod non intendit, causat *per se* id, quod est *materialiter* malum; ac per consequens debilis redditur ratio probans: Deum non posse necessitare ad mendacium, cuius vis consistit in eo, quod Deus non possit causare *per se* intrinsecè malum, adhùc quando ab altero est exercendum sinè culpa: semel enim dato, quod Deus possit *per se* causare intrinsecè malum absquè indecentia, parum refert, quod sit, aùt non sit *remotè* determinatus ab alio. Si *autem virtute erroris invincibilis, aùt per ordinem ad circunstantias illius non manet adhuc materialiter malum, quamvis sit lex ex se prohibens mendacium*: id sine fundamento asseritur, faciteque licentiam adversarijs dicendi: odium, aùt mendacium per ordinem ad circunstantiam necessitatis provenientis à Deo, qua sine culpa exercetur, transire de opere ex se malo in non malum, seu indifferens, ideoque Deum necessitando ad illa non causare aliquid ex se intrinsece malum.

208 Melius respondetur huic argumento difficili, dicendo: In casu iudicij invincibiliter erronei de honestate, aut laudabilitate mendacij, vel alterius obiecti ex se intrinsecè mali, non reddi honestum mendacium, quamvis eius turpitudo non imputetur; ac per consequens, nec est *per se* causabile à Deo: quia Deus tantùm causat *per se* id, quod est honestum, & laudabile; quale non est mendacium, nec aliud opus ex se malum. Vndè falsa est illa propositio: *In casu erroris invincibilis, honestatis, & laudabilitatis mendacij honestum, & laudabile est mentiri*: quia laudabilitas, & hones-

neſtas non ſtat in exercitio mendacij; ſed in actu præcedente imperante loquutionem regulato iudicio practicè, & ſpeculativè vero dictante: *honeſtum eſſe, hic, & nunc imperare talem loquutionem.* Sed reſtat adhuc graviſsima difficultas, cuius ponderatio videtur reddere inanem ſolutionem datam. Nam ſi, manente turpi mendacio, actus imperans loquutionem hic, & nunc contra mentem exercendam eſt honeſtus, & laudabilis, Deus erit cauſa *per ſe* illius; ac per conſequens mendacij, cuius eſt cauſa *per ſe* tale imperium ad illud determinans: igitur intra difficultatem inſolutam manemus. Reſpondeo: Deum eſſe cauſam *per ſe* illius imperij honeſti, & laudabilis, quin ſit cauſa *per ſe* mendacij: quia illud imperium non eſt cauſa pluſquam *permiſsiva* mendacij: cuius ſi rationem deſideres, accipe breviter, quam fuſsiùs tradimus agentes de infuſsione erroris pernicioſi, & contra bonos mores in tractatu de Fide.

209 Itaque imperium illud, quod honeſtum eſt, & laudabile, ſuppoſito errore, non tendit in loquutionem, vt mendacium; ſed in verba illa, vt ſignificantia tale obiectum v.g. *Petrus non commiſsit tale ſcelus, de quo Iudex interrogat*; quæquidem eo modo ſignificarent, & exiſterent, caſu, quo intellectus iudicaſſet ita eſſe; aùt caſu, quo proferrentur, adiunctis alijs, quæ ſignificaſſent falſitatem illius propoſitionis: v. g. *Petrus non commiſsit tale crimen, eſt propoſitio falſa*; àc in caſu, in quo de præſenti iudicat intellectus oppoſitum, aùt proferuntur ſine alijs oſtendentibus falſitatem: hinc eſt, quod imperium, quatenus eſt ex ſe, præſcindit à mendacio, & ſolùm determinat, & *per ſe* cauſat loquutionem, quæ æquè cum mendacio, àc ſine mendacio poteſt exiſtere, ſiſtente influxu illius in prolatione verborum, & permittente, quod talis prolatio, quia coniungitur cum iudicio de oppoſito, ſit mendacium. Quod vt melius percipiatur, pone exemplum in concurſu divinæ omnipotentiæ ad peccatum. Nam licet præparatio omnipotentiæ ad concurrendum cum voluntate creata ſit talis, vt ſine ipſa non poterit exiſtere peccatum; inſuperque hic, & nunc talis ſit, vt ſub ipſa infallibiliter erit peccatum; tamen quia præparatio omnipotentiæ ex ſe eſt compatibilis, tàm cum operatione mala; quàm bona, neque ex ſe tendit in operationem malam, non ſe habet pluſquam *permiſsivè* ad peccatum; quod totum tribuitur per ſe voluntati determinanti omnipotentiam, vt præparatam, vt potiùs influat in malum; quàm in bonum: ergo ſimiliter: quia imperium voluntatis concurrit, vt expeditio quædam potentiæ loquutivæ, ſine qua non erit mendacium, modo ex ſe compatibili cum loquutione menti conformi aùt diſconformi; tantùm tribuetur mendacium imperio *permiſsivè*, & circunſtantijs *determinativè*, & *per ſe*.

210 Nèc obſtat primò, quod ex loquutione determinata per imperium, & ex iudicio intellectus reſultet complexum, quod eſt *formaliter* mendacium: quia, vt complexum tribuatur per ſe ponenti vltimam partem complexi, eſt neceſſarium; vel quod illa pars ex ſe ordinetur ad tale complexum; vel quod ponatur ex intentione illius; vel quod adſit obligatio illam non ponendi: quod patet: nàm aliter mihi ponenti actum bonum, & honeſtum ex præviſione actus pravi alterius tribueretur complexum per ſe pravum à pravitate vnius partis. Quæ omnia deficiunt in imperio, nèc ponenti loquutionem ex ſe ordinatam ad mendacium, nèc intendenti mendacium, nèc ſub obligatione non imperandi loquutionem.

211 Nèc obſtat ſecundò: quòd voluntas ſe habeat in illis circunſtantijs, vt cauſa *per ſe* mendacij: quia non ſe habet, vt cauſa per ſe illius, medio imperio honeſto, & laudabili; ſed medijs alijs actibus naturalibus intervenientibus ſimul cum imperio, quibus tendit in mendacium, vt tale; qui quidem ſunt *materialiter* turpes, & voluntati propter errorem invincibilem non imputantur, vt tales: modo quo ex parte iudicij regulativi imperij honeſti, & meritorij miſcentur aliqui actus intellectus naturales, & inſufficientes ad regulandum v.g. hoc iudicium: *Honeſtum eſt imperare mendacium in re honeſtum hic, & nunc*, quod eſt falſum: quia implicat mendacium in re honeſtum hic, & nunc ac per conſequens honeſtas, quæ affirmatur, eſt de ſubiecto non ſupponente.

212 Nec obſtat tertiò: quod error aliquando verſetur erga actum internum, imperio non indigès: v.g. odium Dei reputatum honeſtum, quod

quod videtur tum causaturus per se Deus; quia esset actus honestus, & meritorius sub tali iudicio, *odio habere Deum*: nàm id nego, & tantùm concedo: actum odij sub tali errore non habere malitiam imputabilem voluntati, retèta malitia *materiali*, ob quam non causaretur *per se*; sed solùm permitteretur à Deo. Si verò insistas: posito errore circà honestatem, & laudabilitatem odij posse imperari per actum reflexum honestum, & laudabilem, qui erit causa *per se* odij, & causatus *per se* à Deo: dicam similiter, àc in præcedenti: imperium illud non tendere determinatè in odium; sed velle quatenus est ex se in voluntate actum in re honestum, taliter, vt idem imperium posset dari cùm actu alio verè honesto; ideoque præscindit ex se ab existentia odij, quæ tantùm tribuitur errori, & voluntati, vt instructæ alijs actibus naturalibus committantibus imperium honestum, & laudabile, tamquàm causæ *per se*.

213 Nèc obstat quartò, si error non tantùm proponat honestatem, & laudabilitatem mendacij v. g; verùm etiam obligationem mentiendi; qui casus videtur vrgentior, vtpotè in quo existeret præceptum exequendi mendacium, medio quo præcepto, Deus esset causa *per se* mendacij. Quia in tali casu Deus non præciperet mendacium; sed præcisse, quod ex parte voluntatis non deficeret honestas apprehensa per positionem imperij tendentis; non quidem in mendacium; sed in actum honestum modo compatibili cum defectu mendacij, & existentia alterius actus verè honesti, quod quale sit, constat ex dictis. Nec obstat quinto, si casum summè premas per errorē versantem circa obligationem actus interni v.g. odium ponendum independenter ab imperio: quia tunc obligatio esset purè existimata, quin inde resultaret vlla vera obligatio: modo simili ei, quæ datur, & conceditur à Theologis in casu *perplexitatis* iudicantis sibi vtrumque contradictorium prohibitum, aùt esse sibi obligatorium, quod non potest non omittere: in quibus casibus, nèc peccaret per omissionem, nec mereretur per existentiam actus: cuius ratio est: quia tunc solùm ex obligatione invincibiliter erroneè existimata resultat vera obligatio, quando, aùt ex parte materiæ, aùt ex parte libertatis non datur repugnantia ad obligationem in re existentem.

214 Nèc obstat sextò, si insistas. Facere contra conscientiam invincibiliter errantem intrinsecè malum esse, vt tenèt Sanctus Thomas prima secundæ quæstione 9. articulo 5. contra aliquos asserentes oppositum, quorum ibi meminit, & quorum sententiam tenet Glossa capite *omnes* §. *ex his* 28. quæstione 1. necnòn Durandus in 2. distinctione 39. quæst. 5. apud Oviedo prima secundę tract. 5. de Conscientia, controversia 2. punct. 1. & videtur constare ex illo ad Romanos capite 14. vers. 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*: id est, quod non est iuxtà persuasionem, & iudicium conscientiæ, vt ex communi expositione Sanctorum Patrum, & Interpretum refert Pater Terillus tractatu de Conscientia quæstione 15. num. 4. & ex illo eiusdem Apostoli vers. 14. *Scio, & confido in Domino Iesu, quia nil commune per ipsum, nisi ei, qui existimet, quid commune esse, illi commune est*: hoc est, nullus cibus prohibitus est in lege gratiæ, nisi illi, qui eum existimat esse prohibitum; quomodo interpretantur hunc locum plures Patres apùd Vazquez citatum ab eodem Terillo: vndè traditur ab Innocentio 3. in capite *Litteras* de restitutione Spoliatorum: *Quidquid fit contra conscientiam ædificat ad gehennam*. Quia sicut hæc regula patitur exceptionem in casu *perplexitatis*: sic etiam debet pati, quando ex parte materiæ non potest esse obligatio in rè; sed purè existimata: ideò intelligendus est Divus Thomas de actionibus externis extrinsecè malis; vel si de internis, quando proponantur imperabiles per alios actus reflexos, vt iam diximus. Inde colligi debet: conscientiam illam invincibiliter erroneam tantùm deservire ad evitandum peccatum, si ponatur actus existimatus obligatorius; secus ad inducendum peccatum, si non ponatur: evitari enim potest peccatum tunc dupliciter, ponendo scilicèt actum, & omittendo ipsum.

215 Obijcies tertiò: Deus, seclusa repugnantia, quæ potest oriri ex vitalitate actus intentionalis, posset producere actum odij extra subiectum; vel producendo actum odij sinè concursu vllo voluntatis; vel concurrente voluntate, impedita tamen vnione, qua odium communicaretur voluntati, eam constituendo odio habentem, & aversam à Deo: ergo po-

teſt neceſsitare ad odium. Antecedens videtur certum : quia qualitas illa, dùm non præſtat effectum ſuum *formalem*, manet in genere *phyſico*, non aliter, ac albedo, aùt alia qualitas *per ſe* cauſabilis à Deo. Conſequentia probatur. Non minus manet in genere purè *phyſico*, odio habere Deum ſine libertate, àc imputabilitate; quàm odium extra ſubiectum exiſtens : ergo ſi poteſt Deus abſquè repugnantia, attento ſolo titulo decentiæ ſui concurſus, cauſare *per ſe* odium extra ſubiectum exiſtens ; etiam poterit abſquè indecentia vlla neceſsitare voluntatem ad ſe odio habendum.

216 Concedit antecedens Pater Oviedo, & negat conſequentiam, tribuens diſparitatem : ex eo, quod nulla detur prohibitio odij *ſecundum ſe*; ſed tantùm proùt *afficientis ſubiectum*, conſtituendo illud Deo contrarium, & quatenùs eſt ex ſe, deſiderans non eſſe, atquè, vt eius honor, & præcepta conculcentur : quare cauſando *per ſe* odium extra ſubiectum, nil poneret Deus, quod eſſet prohibitionis, & diſſonantiæ *moralis* obiectum. Vnde illa qualitas tantum haberet *poſſe* moraliter diſſonare, & prohiberi ; ſecùs eſſe diſſonantem, & prohibitam. Negat antecedens Pater Ruiz dicens : qualitatem odij *per ſe* cauſari extra ſubiectum, non tollere, quod *per ſe* cauſetur id, quod ex eſſentia, & quidditate ſua habet eſſe tendentiam, vi cuius ſubiectum ea informatum aliter, quàm male *moraliter* ſe habere non poteſt, non vtcumque ; ſed procurando, quatenùs eſt ex ſe, deſtructionem Dei : qualitas ergo tam pravè ex eſſentia ſua deſtituta, non ſolum diſſonat rationi, vt *afficiens ſubiectum* ; ſed *vt exiſtens ſecundùm ſe* : quapropter agens rationale eam *per ſe* liberè cauſans, liberè diſſonanter ad rationem operaretur, & peccaret propter imputationem illius, quod pravum moraliter eſt. Vtraque ſolutio eſt probabilis, elige pro ſtatuta concluſione defendenda, quam malueris.

DISPVTATIO VII.

APPENDIX PRÆCEDENTIVM.

De modo, quo prædeterminatio ſtricta, & laxa opponitur cum libertate.

CAPVT I.

Præmiſsis notabilibus, apperitur ſenſus quæſtionis, & ſententiæ referuntur.

1 NOto primò: In hac quæſtione non diſputari: àn prædeterminatio auferat, vel non auferat libertatem; ſed ex noſtris, & Societatis principijs, ſuppoſito, libertatem tollere, & cum ipſa eſſe incomponibilem, inquiritur. An talis incomponibilitas ſit *formalis*; quatenus phyſica prædeterminatio per ſui exiſtentiam *formaliter* excludat aliquod conſtitutivum libertatis: An tantùm *illativa*; quatenus ex eius exiſtentia inferatur defectus alicuius extremi, cum quo omnia, vel aliquod conſtitutivum libertatis connectantur. Vnde hæc quæſtio non inter noſtros, & Thomiſtas; ſed inter noſtros Doctores tantùm locum habet.

2 Noto ſecundò: Præ oculis eſſe habenda prædicata, quæ prædeterminationi, ſivè intrinſecæ, ſivè extrinſecę ſui defenſores adſcribunt, ex quorum cognitione reſolutio quæſtionis partim dependet; quæ etſi iam alibi memorata; verùm repetere oportet: ea ſunt: Prædeterminationem ad conſenſum v. g. eſſe inimpedibilem, & inacquiribilem à voluntate creata; eſſe connexam cum conſenſu taliter, vt non vtcumque cum operatione, cuius eſt prædeterminatio, connectatur; ſed connexione metaphyſica mutua: neque enim prædeterminatio ad conſenſum adhùc de potentia abſoluta ſtare valet ſinè conſenſu, neque conſenſus, adhuc de potentia abſoluta poteſt perſiſtere ſine prædeterminatione ad ipſum: vnde ſubinfertur: Suppoſito, prædeterminationem libertatem actus prędeterminati deſtruere, hunc non quomodolibet carere libertate; ſed ab intrinſeco, & per eſſentiam eſſe neceſſarium, & non liberum; cum per eſſentiam actus prædeterminatus exigat id, quod cum libertate ad ipſum eſt incomponibile: vltrà hæc prędicata, aliud in prædeterminatione reperies, nempè eſſe incomponibilem cum decreto indifferenter applicante divinā Omnipotentiam ad concurrendum cum creatura; tale enim decretum apud Thomiſtas impoſsibile eſt; cum nullum ſit decretum ad negotium libertatis pertinens, quod per ſe non applicet voluntatem creatam ad operandum in actu ſecundo, ipſam movendo, & determinando, aùt per ſe immediate, aùt media phyſica prædeterminatione.

3 Noto tertiò: Prædeterminationem ad actum *A*, non tollere libertatem ad actum *B*, adhùc ſtando principijs Societatis, in quibus phyſica prædeterminatio libertatem deſtruit: patet: quia cum phyſica prædeterminatio iuxtà nos, in tantum auferat libertatem ad actum, in quantum propriæ inimpedibilitati adiungat connexionem cum actu, ad quem prædeterminat; cum prædeterminatio ad actum *A* tantùm connectatur cum actu *A*; non cum actu *B*, tantùm eſt incomponibilis cum libertate actus *A*; ſecùs cum libertate actus *B*. Hinc apparet: prædeterminationem ad actum *A* omnino eſſe impertinentem ad actum B: quarè, nec

eius;

eius carentia proficua ad libertatem actus *B*. Quod quidem intellige de actibus iter se disparatis, & non oppositis: nàm inter oppositos sicut necessitas ad vnum impedit libertatem ad alium; sic carentia necessitatis ad vnum iuvat, & requiritur ad libertatem alterius.

4 Noto quartò: Duplicem in quæstionem posse adduci prædeterminationem : vnam *strictam*; *laxiorem* aliam. Prædeterminationem *strictam* dicimus eam, quæ in *intrinsecam*, & *extrinsecam* dividitur, & vocatur physica prædeterminatio constans eis prædicatis; quorum animadversionem commendavimus. *Laxior* prædeterminatio vocatur quælibet necessitas antecedens simpliciter voluntatis exercitium, & cum libertate ipsius incomponibilis, præscindendo ab eo, quod habeat omnia illa prædicata, quibus physica prædeterminatio constat: quo sensu imperium efficax, & determinatum alicuius actus voluntatis in sententia asserente, tollere libertatem immediatam actus imperati, vocari valet prædeterminatio: quidquid sit: àn discriminetur à physica prædeterminatione in aliquibus prædicatis, & quàmvis sit necessitas accidētalis respectu actus imperati, qui etsi procedat nunc v. g. ab imperio; absolutè tamen potuit sinè illo dari: de vtraque ergo procedit quæstio, & inquirit. An eius carentia sit tantùm terminus connexionis libertatis, vel etiam constitutivum?

5 Noto quintò: Respectu eorum, quæ constituunt signum libertatis ad aliquod exercitium duplicem præcisionem excogitari posse, tùm à prædeterminatione; tùm ab ipsius carentia. Vnam *non inclusionis* in illo signo, quatenùs, nec prædeterminatio, nèc carentia prædeterminationis pertineant ad illud signum; modo, quo pro signo actionis termini *A* præscinditur, tùm à termino, tùm ab eius carentia; quatenùs signum actionis, nèc vnum, nèc aliud claudit; quod in mille exemplis practicum reperies: alteram *vniversalitatis* consistentem in eo, quod quàmvis, nèc prædeterminatio, nèc carentia prædeterminationis pro signo libertatis intelligantur; tamèn totum signum libertatis coniungibile sit, tùm cum carentia prædeterminationis, tùm cum prædeterminatione; non aliter, ac libertas, quia tali præcisione præscindit pro suo signo à suis exercitijs cum ipsis est coniungibilis. Hinc clarum manet discrimen, quod præter alia datur inter vnam, & aliam præcisionem: nàm cum præcisione *vniversalitatis* non stat necessitas, aùt repugnantia *in præscindente* respectu termini, à quo præscindit; non sic in præcisione *non inclusionis*. Vt patet in apposito exemplo *actionis*, & *termini*, vbi actio etsi pro suo signo non includat terminum; tamen pro suo signo repugnat carentiæ termini, & est determinata, vt sit terminus pro signo posteriori.

6 Noto sexto: quod si semper, ac intelligitur prædeterminatio intelligatur deficere aliud constitutivum *notum* libertatis distinctum à sua carentia, non est dicendum; prædeterminationem plusquam *arguitivè* destruere libertatem, nisi aliunde positivè probetur, carentiam physicæ prædeterminationis debere esse constitutivum libertatis, per cuius defectum *formaliter* excludatur libertas.

7 Noto septimò, & vltimo: Semèl statuto, existere voluntatem, rationem allicientem, & retrahentem, seù iudicium indifferens, comprincipium supernaturale (si potestas sit ad actum supernaturalem) & præparationem indifferentem omipotentiæ, dari indispensabiliter libertatem ad actum; quia cùm in tali casu detur virtus proximè completa, tùm ad actum tùm ad omissionem actus; & aliunde ratione applicationis indifferentis tota sit vertibilis ad vnum exercitium præ alio pro suo nutu, in quibus absquè dubio libertas consistit; illis positis, libertatem non deficere necesse est: ex quo quidquid his superaddas, & quibuscumque prædicatis ipsum constituas; si cùm aliquo ex dictis non opponatur, libertas salva, & illæsa manebit; si verò opponatur; modo, quo opponatur libertatem evellet; *illativè*; si oppositio sit *illativa*: *formaliter*; *si formalis* sit.

8 Iam in hoc puncto triplicem invenio sententiam. Primam communissimam, & ferè vniversalem inter Societatis Doctores, qui omninò immemores distinctionis prædeterminationis *laxæ*, & *strictæ* (quam notavimus) asserunt: carentiam cuiusvis necessitatis simpliciter antecedentis esse constitutivum libertatis, cui subscripsere Sapientissimi Nostri Primarij disp. 4. de auxilijs sect. 5. Secunda specialis quorumdā Recentiorum, qui supres-

presso nomine citantur à Ribadeneyra disp. 14. de actibus humanis cap. 5. Qui etiam indiscriminatim, & sinè vllo respectu ad illam distinctionem asserunt: non esse constitutivum; sed sufficere, vt voluntas sit libera ad consensum; quod pro signo libertatis præscindatur à prædeterminatione ipsius. Tertia Patris Izquierdo tomo. 2. de Deo vno disp. 30. de libertate quæst. 10. num. 492. qui in distinctione prænotata, & repetita prædeterminationis *strictæ*, & prædeterminationis *laxæ* insistens, asserit: carentiam prædeterminationis primi generis non esse constitutivum libertatis; imò hoc chymæram involveret; secùs carentiam prædeterminationis secundi generis. Hæ sunt sententiæ: ad quæstionis resolutionem procedamus.

CAPVT II.

Nostra sententia per varias conclusiones exponitur.

9 Dico primò contra Recentiores, quos citat, & impugnat Pater Ribadeneyra disp. cit. Non stat libertas proxima ad consensum v. g. (idem reputa de dissensu) cum sola præcisione a prædeterminatione (sumpta hac in tota sua latitudine) si per præcisionem intelligant non solum *præcisionem non inclusionis*; sed etiam *vniversalitatis*. Probatur clarè. Per hos Authores quando datur physica prædeterminatio ad consensum, non datur libertas ad consensum: ergo physica prædeterminatio ad consensum est incomponibilis cum libertate ad consensum: pergo. Vel physica prædeterminatio est incomponibilis cum libertate ad consensum præcisse, quia est incomponibilis cum sua carentia *formali*, vel quia excludendo suam carentiam, excludit aliud *formale* constitutivum libertatis? Si *primum*: ergo carentia prædeterminationis ad consensum est constitutivum libertatis ad consensum: quia id, quo præcisè deficiente, & reliquis manentibus, deficit aliquid, est constitutivum illius: si *secundum*: ergo aliquid, quod est constitutivum libertatis ad consensum, repugnat coniunctioni prædeterminationis ad consensum: ergo libertas ad consensum non præscindit à prædeterminatione, & eius exclusione, præcisione *vniversalitatis*: patet consequentia. Tùnc non præscindit libertas ad consensum præcisione *vniversalitatis* à prædeterminatione, & eius carentia, quando aliquid quod est libertas, est incomponibile cum prædeterminatione ad consensum: sed per te aliquid, quod est libertas ad consensum, est incomponibile cum prædeterminatione ad consensum: ergo libertas ad consensum non præscindit præcisione *vniversalitatis* à prædeterminatione consensus, & illius carentia.

10 Confirmatur. Hæc est legitima consequentia in doctrina Societatis: *datur libertas ad consensum: ergo non datur physica prædeterminatio ad consensum*: ergo antecedens libertatis infert metaphysicè carentiam prædeterminationis ad consensum: sed id, quod infert metaphysicè aliud, non præscindit præcisione *vniversalitatis* ab illo: ergo libertas ad consensum non præscindit præcisione *vniversalitatis* à prædeterminatione, & carentia prædeterminationis ad consensum.

11 Dices: pro RR. ex eorum doctrina, quæ in suis argumentis elucet se non intendere, nec posse dicere: aggregatum illud entitatum, & principiorum adæquatè constituentium libertatem esse indifferens, vt coniungatur, iam cum prædeterminatione, iam cum carentia prædeterminationis ad consensum: nàm vt evidenter probant argumenta facta, hoc esset posse coniungi libertatem ad consensum cum prædeterminatione ad consensum; sed tantùm asserere; quod si propriori ad consensum detur voluntas, iudicium indifferens, & applicatio indifferens omnipotentiæ, quæ ex se non potius repellunt; quàm admittunt prædeterminationem, si posteà coniungantur cũ carẽtia prędeterminationis pro illo instãti reali, etsi non pro eodem signo; dabitur libertas ad consensum, quod longè abest ab absurdis deductis ex nostris probationibus.

12 Sed contra. Nam vel dùm dicunt: solis intellectis voluntate, iudicio indifferente, & applicatione omnipotentiæ, quæ ex se præscindunt à prædeterminatione, & eius carentia, dari libertatem, si pro posteriori intelligatur carentia prædeterminationis; requirunt talem carentiam, vt partem, & constitutivum libertatis, vel vt essen-

tiale

tiale requisitum, & terminum essentialis connexionis alicuius constitutivi libertatis: nàm si nullo ex his modis est necessaria carentia prædeterminationis ad libertatem consensus, nullo modo erit necessaria: si *primum*: ergo incidunt in id, quod vitare tentant: nempè: carentiam prædeterminationis ad consensum esse constitutivum libertatis ad consensum: si *secundum*: ergo etsi carentia prædeterminationis ad consensum non sit in signo libertatis ad consensum; attamen in signo libertatis est aliqua determinatio, vt sit carentia pro posteriori: cùm per ipsos aliquod libertatis constitutivum exigat, vt terminum connexionis, talem carentiam: quod quidem etsi sit concedere pro signo libertatis præcisionem *non inclusionis* à prædeterminatione, & eius carentia; non tamen est concedere, aùt præcisionem *vniversalitatis*, aùt *non determinationis*, quam eorum argumenta procurant, & insinuant.

13 Contra secundò, intendens probare contra hos Authores, quod etsi verbis negent in libertate præcisionem *vniversalitatis*, ipsam in rè cōcedunt. Probo sic. In instanti, in quo dantur voluntas, iudicium indifferens, & applicatio omnipotentiæ cum carentia physicæ prædeterminationis ad consensum, in toto instanti reali datur iuxtà ipsos libertas ad consensum: sed iuxtà ipsos libertas ad consensum non claudit carentiam prædeterminationis ad consensum: ergo tota libertas ad consensum adæquatè consistit in voluntate, iudicio indifferente, & præparatione omnipotentiæ. Insisto ergo in assumpto. Libertas in instanti, in quo datur carentia prædeterminationis ad consensum, nil includit, quod in suo, & pro suo signo dicat, aùt repugnantiam ad prædeterminationem, aùt determinationem ad carentiam prædeterminationis: ergo tota libertas ex se est coniungibilis, & cum carentia prædeterminationis, & cum prædeterminatione pro signo posteriori. Antecedens stat in doctrina aduersariorum, qui pro signo libertatis talem præcisionem concedunt à prædeterminatione, & carentia prædeterminationis, vt non solùm non intelligant pro illo signo prædeterminationem, aùt carentiam; verùm nèc repugnantiam, aùt determinationem ad prædeterminationem, vel carentiam pro signo posteriori. Probo igitur consequentiam. Id, quod proùt intelligitur cum toto suo *esse*, nil claudit, quod vel dicat repugnantiam, vel determinationem ad vnum è duobus, potest coniungi cum vtroque: sed libertas ad consensum, proùt intelligitur cum suo *esse* adæquato, nil claudit, quod vel dicat repugnantiam, vel determinationem ad prædeterminationem, vel carentiam prædeterminationis: ergo potest coniungi, & cum prædeterminatione, & cum carentia prædeterminationis ad consensum: ergo hi Authores in rè adstruunt præcisionem *vniversalitatis*, quam verbis negant.

14 Dico secundò cum Patre Izquierdo. Carentia prædeterminationis strictæ non est constitutivum libertatis ad consensum v. g; imò non esset prædeterminatio *stricta*, si eius carentia constitueret libertatem ad consensum. Probo sic cōclusionem. Prædeterminatio *stricta*, vt constat ex secundo notabili, inter sua prædicata essentialia habet connecti cum actu, qui essentialiter exigat prædeterminationem; quia connectitur cum actu per essentiam exigente concursum Dei possibilem, qui in ea sententia non est alius; quàm per physicam prædeterminationem: ergo prædeterminatio *stricta* tantùm est prædeterminatio actus, qui iuxta nostra principia sit essentialiter necessarius, & per essentiam libertati repugnans; secus actus, qui ex essentia sua sit indifferens, vt sit liber, & necessarius. Probo consequentiam quoad vtramque partem. Prædeterminatio *stricta* tantùm est prædeterminatio actus, qui essentialiter exigat prædeterminari à Deo: ergo tantùm est prædeterminatio actus, qui per essentiam suam iuxtà nostra principia sit necessarius, & non indifferens, vt sit liber, & necessarius. Patet consequentia: actus per essentiam suam exigens id, quod essentialiter opponitur libertati ad ipsum, est actus per essentiam suam exigens necessitatem, & libertati repugnans: sed actus exigens per essentiam prædeterminari, est actus in nostris principijs exigens id, quod suæ libertati repugnat: ergo prædeterminatio actus essentialiter exigentis prædeterminari, tantùm est prædeterminatio actus, qui per essentiam suam iuxta nostra principia sit necessarius, & non indifferens, vt sit liber, & necessarius.

15 Hinc infero: ergo prædeterminatio

determinationis *strictæ* exclusio non est constitutivum libertatis. Probo consequentiam. Non est constitutivum libertatis actus per essentiam exigentis prædeterminari; tùm quia hic chymæra est; tùm quia est essentialiter necessarius, & respectu actus essentialiter necessarij, & libertati repugnantis, nil potest esse constitutivũ libertatis: deinde non est constitutivum libertatis actus, qui non exigat prædeterminari: ergo absolutè non est constitutivum libertatis. Consequentia est legitima: quia non restat alius actus, de quo possit esse quæstio. Antecedens quoad primam partem apertè meo iudicio est probatum; quoad secundam partem sic probo.

16 Actus, qui non exigat prædeterminari, est actus, cuius libertati nulla prædeterminatio *strictæ* potest nocere: ergo est actus, cuius libertatis carentia prædeterminationis *strictæ* non potest esse constitutivum. Consequentia est legitima; quia vt per se patet, non potest esse constitutivum libertatis ad *A* id, cuius oppositum non nocet libertati ad *A*. Probo igitur antecedens, ad quod reducitur difficultas. Actus, qui non exigat prædeterminari, est actus, quem respicere non potest prædeterminatio *stricta*, & respectu cuius exercere non potest suas vires; quia prædeterminatio *stricta* tantùm est prædeterminatio actus ubi proportionati, & exigentis prædeterminari: sed actus, respectu cuius prædeterminatio non exerceat suas vires, est actus, cuius libertati non nocet prædeterminatio *strictæ*; cùm respectu ipsius se habeat adeò impertinenter; ac lapis, & lignum: ergo actus, qui non exigat prædeterminari, est actus cuius libertati nulla prædeterminatio *strictæ* nocere valet. Ecce speciosum discursum Patris Izquierdo, quem etsi brevissimè insinuet, maiori claritate, & sufficiente diffusione, qua potui, expositum dedi.

17 Dicet aliquis. Hunc discursum, etsi probet rectè respectu actus exigentis prædeterminari, carentiam prædeterminationis *strictæ* non esse constitutivum libertatis; quia talis actus in nostris principijs incapax est libertatis; tamen non probare: respectu actus capacis libertatis carentiam prædeterminationis *strictæ* non esse constitutivum libertatis: quia in tantum id probaret, in quantum carentia prædeterminationis *strictæ* esset inutilis ad talem libertatem (in hoc enim fundatur vis discursus facti): sed non est inutilis: ergo non probat. Probatur minor. Vt detur libertas respectu actus libertatis capacis, est necessarium, quod non detur prædeterminatio respectu huius, quæ daretur respectu alterius, qui esset essentialiter necessarius: sed prædeterminatio, quæ daretur respectu alterius, esset prædeterminatio *stricta*: ergo carentia prædeterminationis *strictæ* conducit ad libertatem actus liberi.

18 Confirmatur. Hæc conditionalis est vera. *Si existeret prædeterminatio stricta respectu huius actus, qui modo est liber, non esset liber; sed necessarius*: ergo, & hæc: *si non existeret prædeterminatio stricta respectu huius actus, qui modo est liber, maneret liber & non necessarius*: ergo vt sit hic actus liber, conducens est carentia prædeterminationis *strictæ*.

19 Respondeo. Dupliciter potest considerari prædeterminatio respectu huius actus ex se capacis libertatis. Primò manente hoc actu sinè exigentia prædeterminationis. Secundò transmutata essentia, & exigente iam prædeterminationem, cùm antè non exigeret. Si *primo modo consideretur*: quàmvis plus, & plus fingas, prædeterminationem ipsum respicere, tantùm *signatè* de prædeterminatione stricta loqueris; secus *exercitè*: quia prædeterminatio *stricta* tantùm respicit actum exigentem prædeterminari. Quarè talis prædeterminatio nullo modo officiet libertati actus; sed se habebit, sicut prædeterminatio actus *A* respectu actus *B* omninò disparati iuxta tertium notabile; ac perconsequens, nèc eius carentia libertati proderit. Si *secundo modo consideretur*: verum est: talem actum non manere liberum; sed essentialiter necessarium: verùm id tantùm probat: carentiam huius, quod est *actum esse essentialiter necessarium* conducere ad libertatem actus: cumque actum esse essentialiter necessarium, formaliter consistat in connexione actus cum prædeterminatione, non in ipsa prædeterminatione; & carentia huius connexionis nil aliud sit; quàm ipse actus possibilis capax libertatis; tantùm infertur: possibilitatem extremi libertatis conducere ad libertatem: vnde vlteriùs infero: talem carentiam non posse esse constitutivum libertatis: cùm nil, quod se tet

ne-

net ex parte exercitij libertatis, constituat potestatem liberam ad tale exercitium.

20 Ad argumentum in forma. Nego assumptum. Ad probationem nego minorem. Ad huius probationem distinguo maiorem. Est necessarium, quod non detur prædeterminatio *stricta* respectu huius actus libertatis capacis, quæ daretur respectu alterius incapacis libertatis, & *modo*, *quo daretur respectu actus libertatis incapacis*: concedo maiorem, & *sine tali modo*: implicas in terminis. Et concessa minore: nego consequentiam. Ad confirmationem. Distinguo antecedens quoad primam partem. Conditionalis est vera, si existeret prædeterminatio, *mutata essentia actus*, concedo hanc partem: *non mutata*: nego. Et concessa secunda parte, nego consequentiam.

21 Hæc pro discursu Patris Izquierdo, quem efficacem ad conclusionem probandam reputo. Probo iam eandem conclusionem ex principijs vniversalioribus. Id, quod per sui positionem *formaliter* non excludit aliquod constitutum, est id, cuius carentia non est constitutivum constituti: sed physica prædeterminatio *stricta* est id, per cuius positionem *formaliter* non excluditur constitutum libertatis: ergo physica prædeterminatio *stricta* est id, cuius carentia non est *formale* constitutivum libertatis. Syllogismus est rectus. Maior est certa: quia cum quodlibet per sui positionem *formaliter* excludat suam carentiam, si *formaliter* non excludit constitutum, signum est, quod carentia non est constituti pars; cùm defectus *formalis* partis sit defectus *formalis* totius. Probo minorem difficilem. Constitutum *libertatis*, vt constat ex notabilibus, præcisè dicit *formaliter* iudicium indifferens, voluntatem, comprincipium supernaturale, (si actus eliciendus, sit supernaturalis,) & præparationem omnipotentiæ indifferentem: sed physica prædeterminatio per sui positionem non excludit *formaliter* hoc constitutum: ergo *stricta* prædeterminatio per sui positionem non excludit *formaliter* constitutum *libertatis*. Maior constat ex notabili septimo. Minor probatur. Nil positivum *formaliter* per sui positionem excludit positivum aliud: vt constat ex recepta sententia, quam teneo in Philosophia de constitutivo carentiarum in puro nihilo: sed prædeterminatio est quid positivum, & omnia, ex quibus resultat constitutum *libertatis*, sunt quid positivum: ergo physica prædeterminatio per sui positionem non excludit *formaliter* aliquid constituti *libertatis*: ergo nèc constitutum.

22 Probo secundò eandem conclusionem. *Stricta* prædeterminatio per sui positionem semper est incomponibilis cum alio constitutivo noto, & recepto libertatis: ergo nisi probetur *positivè* eius carentiam esse constitutivum libertatis, non est dicendum plusquam *arguitivè* excludere libertatem. Antecedens est certum: quia *stricta* prædeterminatio est incomponibilis cum decreto indifferenter applicante omnipotentiam, & relinquente creaturæ determinationem, & electionem: quomodo enim stabit determinare creaturam pro priori ad suam electionem, & velle concurrere cum creatura, relinquendo ipsi electionem, & determinationem? deinde in nostris principijs est constitutivum notum, & receptum; cùm notum sit: omnipotentiam secundùm se non esse constitutivum libertatis; sed potùt indifferenter applicatam. Iam consequentia legitima est, vt per se patet, & notavimus; non enim teneor, dum video, quod posita prædeterminatione, excluditur aliud constitutivum libertatis positivum, ad concedendum prædeterminationi plusquam defectum libertatis, nisi mihi *positivè* probetur: formalem carentiam prædeterminationis ingredi debere constitutionem libertatis: Hinc procedo: sed non probatur *positivè*: carentiam prædeterminationis esse constitutivum libertatis: ergo non est concedendum prædeterminationi, excludere plusquam *illativè* constitutum libertatis.

23 Probatur minor, qua probata, efficax reputabitur discursus. Carentia prædeterminationis (loquor semper de *stricta* prædeterminatione, quamvis non apponam terminum) ad consensum v. g. non est constitutivum libertatis, quia est carentia rei connexæ cum consensu: aliàs carentia scientiæ mediæ de consensu esset constitutivum libertatis ad consensum: non quia est carentia rei connexæ, & influxivæ in consensum; tum quia iuxta plures Societatis Authores principium influxivum, & connexum cum consensu potest

test componi cum libertate ad consensum, dummodò tale principium sit superabundans; tùm quia, hoc non dato, præcisse infertur: physicam prædeterminationem tollere libertatem; ad quod sufficit esse incomponibilem cum aliquo constitutivo positivo libertatis; tum quia etsi id, quod nocet libertati consensus, intelligatur pro signo potestatis ad consensum, & prout in tali signo noceat, non est necessarium, quod pro tali signo intelligatur carentia, vt detur libertas; sed sufficit dari carentiam in illo instanti, vi cuius prædeterminatio non influat, nèc sit in signo potestatis, sicuti quamvis forma intellecta pro signo prioritatis materiæ ad formam noceat, vt sit causa formæ, non est necessarium, quòd pro tali signo detur carentia formæ; sed sufficit non esse formam pro illo priori: non quia sit carentia rei connexæ, influxivæ, & determinatè requisitæ ad consensum; tùm quia iuxtà aliquos Recentiores Societatis componi possunt talia prædicata cũ libertate ad actum, vt probant in habitu charitatis in instanti præcepti; tùm quia, adhùc hoc negato, quia nimis duro, & doctrinæ Societatis aversо, præcisse probat, vt in antecedenti diximus, carentiam talis entitatis esse terminum exactum à libertate; at esse cõstitutivum, vnde probatur? Non vltimò: quia est carentia necessitatis inevitabilis à voluntate ad consensum; quia possibilitas consensus est carentia impossibilitatis consensus, quæ si daretur, esset necessitas inevitabilis dissensus; & tamen possibilitas consensus no constituit libertatem ad dissentum; alias si qui potest liberè dissentire, consentiret; ipse consensus constitueret libertatem ad consensum: tum etiam, quia carentia omnis decreti erga auxilium est necessitas antecedens simpliciter non consensus sub auxilio; & tamen *formale* exclusivum carentiæ omnis decreti erga auxilium non esset constitutivum libertatis ad consensum sub auxilio; aliàs quando auxilium datur per decretum vnicum connexum cum consensu, hoc decretum constitueret libertatem; cum sit exclusivum *formale* nullius decreti erga auxilium: ergo *positivè* non probatur: carentiam physicæ prædeterminationis ad consensum esse constitutivum libertatis ad consensum.

24 Ex his dico tertiò contra Patrem Izquierdo: non tantùm carentiam *strictæ* prædeterminationis; sed carentiam cuiusvis alterius prædeterminationis *latæ*, nempè non mutuò connexæ cum actu, non esse constitutivum libertatis: quia, etsi discursus huius Authoris præcisse sit efficax, vt perpendenti constabit, & ipse fatetur, contra carentiam prædeterminationis primi generis; at mihi ob superadditas rationes non tantùm carentiam prædeterminationis primi generis; sed etiam secundi non plus, quam *connotativè* pertinere ad libertatem, si non efficaciter, satis probatur.

CAPVT III.

Satisfit obiectionibus in contrarium iactis.

25 OBijciunt primò contra nostram primam conclusionem Recentiores illi citati à Ribadeneyra intendentes probare: carentiam prædeterminationis in instanti *A* coniunctam cum omnimoda præcisione ex parte actus primi sufficere ad libertatem: probant sic. Quotiescumque datur voluntas, iudicium indifferens, & præparatio omnipotentiæ sinè prædeterminatione, datur libertas ad consensum v.g: sed quotiescumque non datur prædeterminatio cum omnimoda præcisione ex parte actus primi à carentia, & prædeterminatione dantur illa omnia cum carentia physicę prædeterminationis: ergo datur libertas. Maior est certa, minorem probant. Omnimoda præcisio ex parte actus primi à prædeterminatione, & carentia prædeterminationis est, nequè prædeterminationem, nequè carentiam prædeterminationis esse ex parte actus *primi*: sed nequè prædeterminationem, nequè carentiam esse ex parte actus *primi*, opponitur præcisse cum eo, quod carentia, aùt prædeterminatio sint ex parte actus *primi*: ergo quotiescumquè non datur prædeterminatio cum omnimoda præcisione ex parte actus *primi* possunt dari, & dantur voluntas, iudicium indifferens, & præparatio omnipotentiæ cum carentia prædeterminationis.

26 Ad argumentum: concessa maiore: dist. min. Quotiescumque

non datur physica prædeterminatio cum omnimoda præcisione *puræ non inclusionis*: concedo minorem. Cum omnimoda præcisione, *tum non inclusionis, tùm non determinationis, vt sit, vel non sit carentia, aùt prædeterminatio pro signo posteriori*: nego minorem, & consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem. Omnimoda præcisio *puræ non inclusionis*: concedo maiorem. Omnimoda præcisio, *tàm non inclusionis, quàm non determinationis*: nego maiorem. Et concessa minore, distinguo consequens. Quotiescùmque non datur cum omnimoda præcisione *puræ non inclusionis* possunt dari, &c. concedo consequentiam: cum omnimoda præcisione, *tùm non inclusionis, tùm non determinationis*, possunt dari, &c. nego consequentiam. Explicatio solutionis est totum sextum notabile, recole ibi dicta.

27 Objciunt secundò: præcisio voluntatis ex parte actus *primi* à prædeterminatione opponitur cum prædeterminatione: ergo cum sola præcisione stat libertas. Probant antecedens. Præcisio à prædeterminatione, nèc dicit prædeterminationem, nèc carentiam prædeterminationis: ergo opponitur cum hoc, *dicere prædeterminationem*: ergo opponitur cum prædeterminatione. Hoc argumentum omitterem, nisi in Patre Ribadeneyra inveniſſem, quod meritò vocat puerile.

28 Probat in primis. Talem præcisionem æquè auferre, ac non auferre libertatem: quia sicut talis præcisio, *quia præcisio à prædeterminatione*, opponitur cum prædeterminatione: sic, *quia præcisio à carentia prædeterminationis*, opponetur cum carentia prædeterminationis: sed quia opponitur cum prædeterminatione sufficit ad libertatem: ergo quia opponitur cum carentia prædeterminationis, auferet libertatem. Deinde aliter probat contra ipsos; quia si præcisio pugnat cum prædeterminatione, pro signo præcisionis intelligetur determinatio, vt non sit prædeterminatio, nempè ipsa præcisio. Vbi ergo remanet illa præcisio, quam intendunt, non tantùm *non inclusionis*; sed etiã *non determinationis* pro signo libertatis? Deinde respondeo: *Præcisionem*, vt ipsi eam intelligunt, non opponi cum prædeterminatione: quia talis præcisio nil aliud est; quàm physicam prædeterminationem non esse pro illo priori; & cum eo, quod non sit pro illo priori, potest componi, quod sit pro posteriori: sicut forma non est pro priori materiæ ad ipsam; est tamen pro posteriori, & coexistens materiæ.

29 Objciunt tertiò: sufficit ad libertatem, quod non causet consensum determinatio inevitabilis ad ipsum; sed quod procedat ab alijs principijs libertati non infensis: sed vt prædeterminatio, seù inevitabilis determinatio non causet consensum, non est necessaria carentia prædeterminationis; sed causationis, seù actionis illius: ergo cum omnimoda præcisione à carentia prædeterminationis stat libertas. Pro responsione rogo. An, cum meditaris deficere prædeterminationi influxum, ipsam relinquas, quamvis non influendo, connexam cum consensu, vel non? Si *primum*: quamvis auferatur influxus, adhùc remanet necessitas inevitabilis consensus; & cum omnimoda præcisione ab exclusione huius necessitatis non stat libertas: si *secundum*: tantùm contendam: non posse stare libertatem cum præcisione omnimoda ab ipsa, vt influente, quidquid sit: àn possit stare cum totali præcisione ab ipsa secundùm se: quia iam, proùt taliter considerata, non determinat ad consensum.

30 Iam contra secundam, & tertiam conclusionem objcies ex Ribadeneyra. Libertas ad consensum cõstituitur ex potestate ad dissensum, vt expedita ab inevitabili determinatione ad consensum: at ea expeditio nõ est aliud, quàm eius determinationis exclusio: ergo talis exclusio est vnum ex constitutivis libertatis. Si argumentum procedat de prædeterminatione *stricta*, concedo totum iuxtà doctrinam P. Izquierdo; sed inde non infertur: carentiam prædeterminationis *strictæ* esse constitutivum libertatis: quia cùm argumẽtum præcisè probet: carentiam necessitatis inevitabilis ad consensum constituere libertatem; & *stricta* prædeterminatio respectu actus capacis libertatis, vt est consensus, de quo procedit argumentum, nõ sit inevitabilis necessitas; sed impertinenter se habeat; carentia strictæ prædeterminationis non constituet libertatem.

31 Sed pro me, & vniversaliter loquendo de omni necessitate inevitabili, sivè *stricta* prædeterminatio sit, sivè non. Resp. conc. mai. neg. min. quia, vt potestas ad dissensũ sit expedita ab inevitabili necessitate ad consensũ, non est necessariũ, quod pro signo potestatis intelli-

telligatur exclusio; sed sufficit, quod pro signo potestatis intelligatur determinatio, vt sit exclusio in illo instāti, quidquid sit: àn sit exclusio pro illo signo, vel pro alio: talis autem determinatio datur; cùm detur decretum applicativum omnipotentiæ, indifferenter applicans, cum quo non stat talis inevitabilis necessitas. Deinde maioris explicationis causa, insto argumentum. Libertas ad consensū constituitur ex potestate ad dissensum, vt expedita ab omni inevitabili necessitate ad ipsum dissensum: sed vna ex necessitatibus inevitabilibus ad dissensum est impossibilitas consensus: ergo ex potestate ad dissensum, prout expedita à tali necessitate, constituitur libertas ad consensum: àt ea expeditio aliud non est; quàm exclusio necessitatis illius: ergo talis exclusio est vnum ex constitutivis libertatis ad consensum: sed exclusio illius necessitatis est possibilitas intrinseca consensus, quia impossibilitas consensus *formaliter* excluditur per eius possibilitatem: ergo possibilitas intrinseca consensus est constitutivum libertatis ad consensum. Eccè tuum argumentum, & sicut huic respondebis: ad expeditionem potentiæ ad dissensum non esse necessarium, quod consensus possibilitas constituat libertatem; sed sufficere libertatem esse connexam cum tali possibilitate; sic ego respondeo tuo. Quod si dicas: possibilitatem identificari cum Deo. Respondeo: mihi sufficere instare argumentum in communissima sententia identificante possibilitatem cum re possibili; tum etiam eos, qui contrariam defendunt, in hac quæstione præscindere à tali effugio.

32 Obijcit secundò. *Non deesse libertatem*, libertatem constituit existentem; cum idem sit formaliter *non deesse*, & *adesse*; *non deficere*, & *existere*: *at non deesse libertatem* imbibit exclusionem eius determinationis: ergo ea exclusio vnum est ex constitutivis libertatis in ratione existentis. Probat minorem. Nam ea determinatio non solùm *illativè*; sed *formalissimè* est *deesse libertatem*: quidquid enim ex ea determinatione inferatur nullo potiori titulo potest esse formalissimus defectus libertatis; quàm eo, quod sit inevitabilis determinatio ad vnum: ergo *non deesse libertatem*, est exclusio prædictæ determinationis.

33 Si argumentum loquatur de *stricta* prædeterminatione, benè vides solutionem in doctrina Patris Izquierdo; in qua solùm potest constituere, vt diximus in præcedentibus, libertatem illius necessitatis exclusio, quæ per sui positionem officeret libertati actus; cùm autem *stricta* prædeterminatio libertati actus capacis libertatis per sui positionem non obstaret; nequè eius exclusio libertatem ad talem actum valet constituere.

34 Deinde concessa maiore: distinguo minorem. *Non deesse libertatem* imbibit exclusionem huius determinationis, *formaliter*: nego minorem: *arguitivè*: concedo minorem, & nego consequentiam. Ad minoris probationem, nego antecedens. Et ad probationem adiunctam distinguo. Quidquid ex ea determinatione inferatur nullo potiori titulo potest esse formalissimus defectus libertatis, quàm eo, quod sit inevitabilis determinatio ad vnum *absolutè*: nego antecedens. Quàm eo, quod sit *talis inevitabilis determinatio*: nempè excludens *formaliter* decretum applicativum indifferens, quo præcisse deficiente, deficit libertas: concedo antecedens. Et distinguo consequens: *non deesse libertatem*, est *formaliter* exclusio prædictæ determinationis: nego consequentiam: *illativè*: concedo consequentiam.

35 Obijcit tertiò. Potens liberè dissentire, *quatenùs potens libere dissentire*, constituitur per *non esse alligatum* ad oppositum alligatione, quam solvere nequeat: sed inevitabilis determinatio ad consensum est talis alligatio ad oppositum, quam solvere nequeat: ergo potens liberè dissentire constituitur in ratione talis per *non esse*, & exclusionem formalem talis determinationis.

36 Non repeto solutionem ex doctrina Patris Izquierdo: quia ex hucusquè dictis clarè constat, quomodo huic argumento applicanda sit pro parte, qua contendit: exclusionem prædeterminationis *strictæ* esse constitutivum libertatis. Respondeo: distinguendo maiorem. Potens liberè dissentire, quatenùs *potens libere dissentire*, constituitur per non esse alligatum *formaliter* ad oppositum: concedo maiorem: per non esse alligatum *illativè*: neg. mai. Et distin. min. Sed inevitabilis determinatio ad consensum est talis ligatio *formalis*: neg.

min. *Illativa*: conc. min: ergo: neg. cōseq. Explico solutionem. Illud *non esse ligatum* ad vnum ex extremis, debet esse constitutivum libertatis ad illa, quo sufficientissimè intelligatur potestas expedita ad vtrumvis: sed eo ipso, quod intelligatur virtus influxiva ad vtrumvis, & per se, & essentialiter repugnās cuicūque alligationi ad quodlibet, intelligitur sufficientissime expedita ad vtrumvis: ergo solum *non esse alligatum formaliter* est constitutivum libertatis.

37 Confirmatur. Non minus constituitur quælibet actio per expeditionem, vt sit; quam libertas per expeditionem à necessitate inevitabili; deinde non minùs opponitur expeditioni, vt actio sit, *carentiæ termini*; quam expeditioni libertatis ligatio inevitabilis: sed expeditio actionis, vt sit, nō constituitur per terminum, qui *formalis* defectus est carentiæ, per quam impeditur, vt fit: ergo neque libertas constituitur per carentiam ligationis, per quā impeditur, vt sit; sed in vtroque casu sufficiet, vt detur expeditio, *non ligatio formalis*. Confirmatur secundò. Quia prædefinitio consensus, etsi per scientiam mediam regulata, est aliqua ligatio, & determinatio ad consensum; & sicut ibi potestas ad dissensum non constituitur per carentiam *formalem* talis ligationis; sed contenta est, vt sit cum potestate ad repellendam prædefinitionem; sic in nostro casu potestas, prout expedita ad dissensum contenta est pro constitutivo cum repugnantia ad necessitatem inevitabilem; quin exigat *formalem* carentiam talis necessitatis, vt id, per quod constituatur.

38 Objicies quartò contra dicta. Si potentia libera ad dissensum, prout talis, non diceret *constitutivè* formalem carentiam alligationis, seù inevitabilis necessitatis ad oppositum; sed tantùm incomponibilitatem, & repugnantiam, si per impossibile daretur talis potentia cum prædeterminatione ad consensum, adhùc maneret libera, & vt talis conciperetur: quia adhùc pro illo casu daretur omne constitutivum libertatis: sed hoc est falsum: ergo quia potestas libera ad dissensum, prout talis, & prout expedita ad dissensum non dicit tantùm *constitutivè* repugnantiam ad prædeterminationem; sed ipsam carentiam *formalem* prædeterminationis; & necessitatis inevitabilis. Probatur minor. Quotiescumque potestas ad dissensum daretur in actu secundo ligata ad oppositum, non esset expedita ad dissensum: sed quotiescumque daretur cum prædeterminatione, etsi repugnans prædeterminationi, esset ligata in actu secundo ad oppositum: ergo non esset libera ad dissensum: ergo falsum est; quod si daretur, & conciperetur talis potentia cum repugnantia ad prædeterminationem, adhùc daretur potestas libera, & expedita ad dissensum.

39 Si ad sententiam connexionistarum confugeremus, satis debile appareret argumentum; cum arguat in suppositione impossibili, in qua totus ordo rerum inverteretur, & repugnaret: daretur ergo in illo casu, & non daretur libertas; sed quid indè ad casum possibilem, in quo procedit quæstio? Ast non egemus solutione adeò crassa. Ideo insto argumentum. Possibilitas consensus non constituit libertatem ad dissensum: ergo si darentur omnia constitutiva libertatis ad dissensum (per impossibile) sine possibilitate consensus daretur libertas ad dissensum: sed hoc est falsum: quia facto impossibili consensu, maneret voluntas omnino necessitata ad dissensum: ergo possibilitas consensus est constitutivum libertatis ad dissensum. Insto secundò. Actio non constituitur per terminum: ergo si per impossibile darentur constitutiva actionis sinè termino, daretur actio: sed hoc est falsum: quia actio est *constitutivè* via actualis, & actualis fluxus termini ab agente; quod stare non potest, si non datur terminus: ergo existentia termini est constitutivum actionis. Insto tertiò in vnione. Vnio non constituitur per existentiam extremorum; sed per hoc, quod sit actualis nexus duorum: ergo si per impossibile daretur actualis nexus sinè extremis, daretur vnio: sed hoc est falsum: quia si non darentur extrema, quæ necterentur in actu secundo; quomodo esset nexus in actu secundo? ergo existentia extremorum est constitutivum vnionis. Igitur solutionem, quam objiciens his argumentis paraverit; suscipere à nobis non recusabit.

40 Respondeo ergo pro omnibus. Concessa maiore argumenti, & negando minorem. Ad eius probationem. Distinguo maiorem. Quotiescumque potestas ad dissensum daretur in actu secundo ligata ine-

inevitabiliter ad oppositum, non esset expedita ad dissensum in *suppositione possibili*: concedo maiorem: in *suppositione chymærica*, quam devorat arguens: nego maiorem. Et concessa minore, nego consequentiam. Ratio solutionis est: quia necessitas inevitabilis, in tantùm aufert libertatem, in quantùm aufert aliquod constitutivum potestatis proximæ ad vtrùmvis; cùmque in tali suppositione relinquat arguens omnia, quæ per nostras rationes sunt constitutiva libertatis, non probat: per suppositionem non dari libertatem; sed dari chymæricè, vtpotè cum opposito illius, quod essentialiter exigit: applica solutionem hanc instantijs contra argumentum factis, & rectitudinem ipsius facile agnosces.

41 Objicies quintò, & vltimò. Per nos prædeterminatio, & inevitabilis necessitas est incomponibilis cum libertate: ergo cum aliquo constituente libertatem: sed non cum aliquo positivo: ergo cum aliquo negativo: sed non est aliud negativum constituens libertatem, nisi carentia talis necessitatis: ergo carentia talis necessitatis ad vnum ex extremis libertatis est constitutivum libertatis. Probatur illa minor subsumpta scilicèt: *sed non cum aliquo positivo.* Quia necessitas inevitabilis non opponitur cum voluntate, quæ, vtpotè non essentialiter libera, necessitari valet ad suos actus; non cum iudicio indifferente: quia adhùc posito iudicio indifferente, potest Deus prædeterminationem injcere; non cum decreto applicativo indifferente: quia adhùc respectu causarum necessariarum, ac per consequens operantium cum inevitabili necessitate, Deus præparat suam omnipotentiam indifferenter, vt tenent multi Societatis Doctores: ergo cum nullo positivo constituente libertatem opponitur prædeterminatio, & inevitabilis necessitas.

42 Totum argumentum ruit, si lapidem, in quo nititur, auferamus; cum in Philosophia tenuerimus: Deum applicare suam omnipotentiam ad concurrendum cum causis secundis necessarijs per decretum connexum cum operatione, ducti illa ratione non contemnenda: nempè Deo circa creaturarum operationem debet concedi maior determinatio, quæ libertati non noceat: sed hæc est maior determinatio, & libertati non nocet: ergo, &c. Sed nè hac peculiari sententia adstringamur; cùm ex alio pede claudicet argumentum. Est enim in ipso æquivocatio illius termini decretum applicativum *indifferens*. Nam decretum applicativum *indifferens* potest sumi dupliciter, vel quia applicat omnipotentiam indifferenter, hoc est, vt concurrat ex pura electione, & determinatione creaturæ, non tantùm decernendo substantiam applicationis; sed modum: vel quia non est connexum determinatè cum aliquo ex extremis libertatis: in prima acceptione intelligo decretum applicativum indifferens, quod est constitutivum libertatis: in secunda minimè: quia etsi non sit connexum, componibile est cum omnimoda voluntatis necessitate ad vnum, quod probo sic: quia cùm non sit idem concurrere omnipotentiam cùm voluntate; ac concurrere, ipsam necessitando; nec sit idem concurrere, ac concurrere ex determinatione creaturæ; quia primum est substantia concursus; secundum modus accidentalis concursui, potest Deus per decretum non connexum determinatè cum aliquo ex extremis libertatis, decernere applicationem quoad *substantiam* respectu consensus v. g. relicto ad aliud signum *modo* talis concursus: potest sic decernere: *Volo quod omnipotentia, quæ est applicata* ad *concurrendum cum creatura ad consensum, sit applicata ad concurrendum ad consensum, non ex determinatione creaturæ, vel econtra.* Ecce quomodo potest dari decretum applicativum indifferens, & non indifferenter applicans. Iuxta quam applicationem facilis est solutio argumenti, si distinguas illam propositionem. Prædeterminatio est coniungibilis cum decreto applicativo *indifferenter*, ly *indifferente* sumpto *pro non connexo*: concedo: sumpto *pro indifferenter applicante*; nego.

DISPVTATIO VIII.

De alijs prætextibus levioris momenti.

CAPVT I.

Tertius prætextus. Prædeterminatio moralis.

1 PRædeterminatio *moralis*, proùt à physica *intrinseca*, & *extrinseca* distinguitur, variè à suis assertoribus explicatur. Primò enim apud Platel, quidam illam ponunt in quadam adaptatione, & contemperatione vocationis cum voluntate hominis, ea indole, ac humorum complexione, hisque corporis, & animi affectionibus præditi, vt certis occasionibus, & circumstantijs ei sit infalliboliter consensurus, etsi absolutè possit dissentire: pro qua sententia referuntur Luisius, & Basilius Legionensis, Aragon, Ioannes Vincentius, Gonzalez de Albelda, Illustrissimus Araujo, & Isambertus. Secundò alij eam constituunt, apud eundem in collectione tot, ac tantorum adminiculorum, & auxiliorum, vt quamvis singula possint ab effectu boni operis deficere; coniunctum tamen sit infalliboliter effectum habiturum; ita apud Henricum à Sancto Ignatio tomo 1. de Deo distinctione 8. quæstione 6. Soncinas, Capreolus, Ferrara, Deza, Blasius Verdu, & Iosephus de Vita.

2 Tertiò nonnulli eam collocant in quadam vi, & connexione *morali* auxilij, & vocationis cum consensu libero, ita *moraliter* prædeterminans, & necessitans voluntatem ad rectam operationem, vt quamvis *physicè*, & *metaphysicè* valeat dissentire pro sensu, & in sensu composito illius; secùs *moraliter*: eo sensu, quo Mater dicitur necessitata ad diligendum filium; & graviter tentatus absque speciali gratia ad succumbendum tentationi; nècnon quilibet ad peccandū venialiter, qui specialissimo Dei privilegio in hac providentia rarissimè concesso non præveniatur. Hic modus explicandi invaluit apùd perdoctos Scotistas Complutenses, qui simul cum præcedentibus conveniunt in excludenda necessitate scientiæ mediæ ad prædestinationem, censentes pro certitudine, & infallibilitate illius sufficere scientiam naturalem, qua Deus cognoscit connexionem *moralem* mediorum cum eventu libero salutari: in quo differunt ab aliquibus ex Nostris, qui videntur talem prædeterminationem *moralem* non recusare; vt sunt, Bellarminus, Mariana, Henriquez, Pererius, Granado, & Ruiz de Montoya; quin ideo necessitatem, & vtilitatem scientiæ mediæ ad conciliandam certitudinem divinæ prædestinationis cum nostra libertate, reijciant.

3 In impugnatione huius sententiæ, ne æquivocè procedamus, advertendum est cum Doctore Eximio tomo 2. de Gratia libro 5. cap. 8. num. 4. prædeterminationem *moralem* dupliciter posse dici talem: aùt quia causalitas eius, & motio sit *moralis*; dicùt est illa, quam exercet actus intellectus in actu voluntatis eam *moraliter* movendo ad amplectendum obiectum, quod proponit; in reliquo vero tam infalliboliter inferat effectum per metaphysicam connexionem cum illo, sicut prædeterminatio physica, intrinseca, & extrinseca: aùt quia non solùm in causalitate, & motione; verùm in gradu connexionis, & certitudinis quoàd cōiunctionem cum effectu, ad quem præmovet, sit tantùm *moralis*, & *physicè*, & *metaphysicè* cum opposito coniungibilis, taliter, vt nullam contradictionem includat, data ea prædeterminatione ad con-

consensum liberum, oppositum consensus cum ea componi, & ab exercitio libero consensus separari.

4 Ex quibus, si prædeterminatio *moralis* ab aliquo ex relatis Authoribus in primo sensu vsurpetur, extra præsentem quæstionem relinquimus; vtpotè in antecedentibus inclusam, & eisdem fundamentis reiectam, quibus prædeterminationem physicam impugnavimus, propter connexionem metaphysicam antecedentem, & inimpedibilem, quam cum exercitio libero ex intrinsecis, & ex conceptu suo dicit; qua data, differentia illa *moralis*, aut *physica* tàm materialis, & impertinens est ad temperanda inconvenientia contra Liberum Arbitrium creatum, ac esse ostendimus discrimen illud, *extrinseca*, & *intrinseca*, pro nostra libertate tuenda. Vnde nè facta prolixè repetamus, prædeterminationem *moralem* in secundo sensu, & proùt coniungibilem *physicè*, & *metaphysicè* cum dissensu; quamvis non *moraliter*, in præsenti capite impugnandam suscipimus.

5 Impugnatur primò. Certitudo nitens connexione tantùm *morali*, est certitudo *physicè*, & *metaphysicè* fallibilis: sed certitudo prædestinationis est *metaphysicè* infallibilis: ergo certitudo prædestinationis non desumitur ex connexione tantum *morali* mediorum, quæ præparantur, cum eventu libero. Minor est certa: nam prædestinatus, vt prædestinatus, nulla potentia potest non assequi gloriam: tum quia aliter prædestinatio esset aliqua vera potentia frustrabilis: tum quia prædestinatio non esset præparatio mediorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur; cum certitudini ipsius deficeret non tantùm supremus gradus certitudinis *metaphysicæ*; sed medius certitudinis *physicæ*. Probatur maior. Certitudo nitens connexione tantùm *morali* commensuratur suo fundamento: sed fundamentum est *physicè*, & *metaphysicè* fallibile: ergo certitudo nitens connexione tantùm *morali* est certitudo *physicè*, & *metaphysicè* fallibilis. Discursus est legitimus, & maior certa. Nam certitudo alicuius veritatis sumitur à fundamento, quod datur pro tali veritate; ac per consequens iuxtà gradum fundamenti est gradus certitudinis. Minor mihi evidens Probatur. Fundamentum *obiectivum* est sola connexio mediorum cum exercitio libero: sed connexio, vtpotè *moralis* duntaxàt, est *physicè*, & *metaphysicè* fallibilis. ergo fundamentum est *physicè*, & *metaphysicè* fallibile.

6 Confirmatur primò. Deus non potest in auxilio *moraliter* indifferente ad consensum, certò *moraliter* cognoscere, consensum liberum eventurum sub auxilio: ergo neque in auxilio *physicè*, & *metaphysicè* indifferenti ad consensum cognoscere certò *physicè*, & *metaphysicè*, consensum liberum eventurum sub existentia auxilij. Probatur consequentia. Ideo primum est verum; quia indifferentia *moralis* ad consensum excludit determinationem, & connexionem *moralem* medij cum illo: sed etiam indifferentia *metaphysica*, & *physica* medij ad consensum excludit determinationem *physicam*, & *metaphysicam* medij cum illo: ergo si Deus non potest in auxilio *moraliter* indifferenti ad consensum, certò *moraliter* cognoscere, consensum liberum eventurum sub existentia auxilij; neque poterit in auxilio *physicè*, & *metaphysicè* indifferenti ad consensum cognoscere certò *physicè*, & *metaphysicè* consensum liberum eventurum sub existentia auxilij. Confirmatur secundò. Non minus improportionata est probabilitas fundamenti ad certitudinem *moralem* veritatis illatæ; quàm certitudo *moralis* fundamenti ad certitudinem *physicam*, & *metaphysicam* veritatis illatæ: sed propter primam improportionem, fundamentum probabile non generat certitudinem *moralem* veritatis illatæ: ergo propter secundam, fundamentum certum *moraliter* non generat certitudinem *physicam*, & *metaphysicam* veritatis illatæ. Probatur maior. Tota improportio probabilitatis ad certitudinem *moralem* consistit in eo, quod sit in gradu certitudinis inferiori ad *moralem* certitudinem: sed *moralis* certitudo est etiam in gradu inferiori ad certitudinem *physicam*, & *metaphysicam*: ergo non minus improportionata est probabilitas fundamenti ad certitudinem *moralem* veritatis illatæ; quàm certitudo *moralis* fundamenti ad certitudinem *physicam*, & *metaphysicam* veritatis illatæ.

7 Respondebis primò. Quod etsi media tantùm sint *moraliter* connexa cum consensu libero, & per consequens ab eo *physicè*, & *metaphysicè* separabilia; at in ratione *inferentium moraliter*, sunt certa *metaphysicè*: quod sufficit, vt Deus per scientiam *naturalem*, ea sic evidenter cognoscens, cognoscat

etiam

etiam infallibiliter consensum liberum sub ipsis extiturum. Sic frequenter audivi respondentes perdoctos Complutenses Magistros, quorum allucinatio non est levis, nèc quemquam latens. Contra primo. Nàm cognoscere evidenter media illa in ratione *inferentium moraliter consensum*, non est aliud; quam cognoscere evidenter medium connexionis *moralis physicè*, & *metaphysicè* fallibile quoad existentiam consensus: sed cognoscere evidenter medium, *vt fallibile circa consensum*, non generat in intellectu evidentiam *metaphysicam* de existentia consensus; sed evidentiam *metaphysicam* de frustrabilitate *physica*, & *metaphysica* mediorum per dissensum: ergo quod Deus cognoscat evidenter *metaphysicè* ea media in ratione *inferentium moraliter consensum sub ipsis*, non probat cognoscere evidenter *metaphysicè* existentiam consensus. Probatur minor. Cognoscere evidenter medium, vt *fallibile circa consensum*, de illo tantum generat evidentiam *metaphysicam*, quod *metaphysicè* ex se infert: sed medium evidenter cognitum, vt *fallibile circa consensum*, tantùm ex se infert *metaphysicè* frustrabilitatem *physicam*, & *metaphysicam* per dissensum, à qua frustrabilitate tantùm est *metaphysicè* inseparabile: ergo cognoscere evidenter medium, vt *fallibile circà consensum*, non generat in intellectu evidentiam *metaphysicam* de existentia consensus; sed evidentiam *metaphysicam* de frustrabilitate *physica*, & *metaphysica* mediorum per dissensum.

8 Contra secundò: stando terminis, & doctrinæ solutionis possent eadem facilitate defendere: medium probabiliter inferens aliquod extremum cognitum evidenter, vt *probabiliter inferens*, posse deservire ad evidentem cognitionem extremi probabiliter inducti. Patet: Nàm quoties *reflexa* evidens de existentia medij inepti ad illationem *metaphysicam* alicuius extremi sufficiat pro certitudine *metaphysica* illius: nulla est ratio, vt *reflexa* evidens de fundamento probabili non inducat evidentiam, & certitudinem termini talis fundamenti. Tertiò ab absurdo. Nàm si cognitio evidens de medio, vt *moraliter* connexo cum aliquo extremo, generat evidentiam illius; de facto omnia mysteria nostræ fidei essent non tantùm evidenter credibilia; sed evidentia in se: siquidem esse evidenter *metaphysicè* credibilia, est dari evidentiam *metaphysicam* medij *moraliter* connexi cum existentia mysterij: sed per te *moralis* connexio cum vno extremo evidenter cognita, generat evidentiam *metaphysicam* illius: ergo evidentia *metaphysica* credibilitatis mysteriorum nostræ fidei generabit evidentiam eorundem Mysteriorum in se. Vnde, vel repugnabit nostra fides, si hæc cum evidentia non sit compatibilis; vel saltem meritum fidei, quod ex obscuritate desumitur.

9 Respondebis secundò apparentius. In intellectu determinato ad cognoscendum medium comprehensivè non commensuratur certitudo scientiæ quoad alia, quæ cognoscuntur cum illo medio, cum connexione, quam ex se dicit medium ad tale extremum. Sic nonnulli graves, & ingeniosi Theologi defendunt: Deum cognoscere creaturas existentes, & possibiles in sua omnipotentia, etsi cum illis non connectatur, non vtcùmque; sed certitudine *metaphysica*: quia licet omnipotentia non sit medium ex se *metaphysicè* connexum cum possibilibus, & existentibus; ex suppositione tamen, quod sint possibilia, & existentia per determinationem, quam habet, vt non cognoscatur à Deo aliter; quàm comprehensivè, determinat ad cognitionem evidentem possibilium, & existentium, sine quorum cognitione, dùm sunt, non comprehenderetur omnipotentia: ergo similiter, quàmvis medium connexum *moraliter* ex se sit indifferens *physicè*, & *metaphysicè* ad existentiam extremi, cum quo *moraliter* tantùm connectitur; ex suppositione verò, quod sit consensus extiturus sub tali medio, determinat, proùt comprehensivè attactum, ad cognitionem evidentem *metaphysicè* consensus sub tali auxilio, sinè cuius cognitione ex suppositione, quod sit talis veritas, medium connexum *moraliter* comprehensivè attingi non posset.

10 Sed contra: quia ea doctrina suppositia, de cuius veritate non disputo, quamque tenet Pater Izquierdo tom. 2. de Deo tract. 9. disput. 25. quæst. 2. propositione 1. sequutus alios Recent. Primarios Complutenses, ex nostris, nil subsidij est pro *morali* connexione: vel quia inutilis redditur connexio *moralis* medij cum actione libera; propterea quòd iuxtà talem modum discurrendi sufficit medium *moraliter* in-

indifferens, vt in ipso, prout comprehensivè cognito, cognoscatur eventus futurus ex suppositione, quod sit: vel quia in tali sententia semper requiritur connexio *metaphysica*, saltem ex suppositione medij cum extremo in illo evidenter cognito: vel quia talis determinatio medij ad cognitionem evidentem extremi contingentis est impedibilis per impeditionem suppositionis cõtingentis, à qua dependet: vel denique quia in illo medio necessario cognoscitur veritas contingens, non per scientiam necessariam; sed per contingentem: quæ omnia deficiunt in sententia, quam impugnamus, in qua, nec cõceditur: auxilium *moraliter* indifferens esse sufficiens pro certitudine prædestinationis: nèc requiritur plusquam connexio *moralis*, adhùc ex suppositione, cum veritate, quæ evidenter *metaphysicè* cognoscitur: nèc determinatio illa medij, in quo cognoscitur actus liber, est impedibilis per suppositionem aliquam contingentem: nec veritas conditionata de actu libero sub existentia auxilij *moraliter* connexi cum illo cognoscitur per scientiam *contingentem*; sed per scientiam *naturalem*, & *necessariam*: ergo doctrina illa de intellectu ex se determinato ad comprehensionem medij prorsus inepta est ad intentum horum Authorum in explicanda certitudine prædestinationis per ordinem ad connexionem *moralem* mediorum cum consensu libero.

11 Impugnatur secundò. Omnis veritas *necessaria* est compatibilis cum defectu veritatis *contingentis*: ergo scientia *necessaria* correspondens veritati *necessariæ* est compatibilis cum defectu veritatis *contingentis*: sed existentia consensus liberi sub auxilio *moraliter* cũ illo connexo est veritas *contingens*; quia *physicè*, & *metaphysicè* defectibilis: ergo scientia Dei *necessaria*, qualis est *naturalis*, est compatibilis cum defectu existentiæ consensus liberi sub auxilio cum eo *moraliter* connexo: sed nulla Dei scientia repræsentat id, cum cuius defectu eo modo, quo repræsentat, est compatibilis: ergo scientia *naturalis*, & *necessaria* Dei non repræsentat existentiam consensus liberi sub auxilio cum eo *moraliter* connexo. Probo hanc vltimam minorem subsumptam. Nulla Dei scientia est falsificabilis: sed scientia compatibilis cum defectu illius, quod repræsentat, eo modo, quo repræsentat, est falsificabilis, vt ex se patet: ergo nulla Dei scientia repræsentat id, cum cuius defectu, eo modo, quo repręsentat, est compatibilis.

12 Roboratur: Scientia Dei *naturalis* est scientia *necessaria*: sed scientia, qua Deus redditur securus infallibiliter *metaphysicè* de efficacia auxilij *moraliter* connexi per prædestinationem collati, est scientia *contingens*: ergo scientia requisita ad certitudinem infallibilem prædestinationis non est sola scientia *naturalis*. Maior est certa; aliàs scientia *naturalis* confunderetur cum *libera*, aut *contingente*. Probatur minor. Scientia, qua Deus redditur certus infallibiliter *metaphysicè* de efficacia auxilij *moraliter* connexi, est scientia affirmans indefectibiliter *metaphysicè* coniunctionem auxilij cum consensu: sed scientia affirmans coniunctionem auxilij cum consensu indefectibiliter *metaphysicè*, est scientia *contingens*: ergo scientia, qua Deus redditur securus infallibiliter *metaphysicè* de efficacia auxilij *moraliter* connexi per prædestinationem collati, est scientia *contingens*. Probatur minor. Scientia affirmans coniunctionem auxilij cum consensu indefectibiliter *metaphysicè*, est scientia affirmans vel *conditionatè*, vel *absolutè* existentiam consensus sub auxilio absquè restrictione vlla: sed scientia affirmans, vel *conditionatè*, vel *absolutè* existentiam consensus sub auxilio absquè vlla restrictione, est scientia *contingens*: ergo scientia affirmans coniunctionem auxilij cum consensu indefectibiliter *metaphysicè*, est scientia *contingens*. Probatur minor. Scientia, cum cuius defectu est compatibilis scientia *necessaria* consensus, & auxilij, est scientia *contingens*; cùm necessarium non sit compatibile cum defectu necessarij: sed cum defectu scientiæ affirmantis, vel *conditionatè*, vel *absolutè* existentiam consensus sub auxilio absquè vlla restrictione, est compatibilis scientia *necessaria* circà possibilitatem, & quidditatem auxilij, & consensus, & coniunctionis vtriusque; qua stante, potest verificari scientia opposita negans, vel *conditionatè*, vel *absolutè* existentiam consensus sub auxilio absquè vlla restrictione: ergo scientia affirmans, vel *conditionatè*, vel *absolutè* existentiam consensus sub auxilio, est scientia *contingens*.

13 Vrgetur. Scientia, qua Deus redditur omninò securus de efficacia auxilij est scientia, qua Deus cognos-

noscit non defecturum consensum sub auxilio eo modo, quo deficere potest: sed scientia, qua Deus cognoscit non defecturum consensum sub auxilio eo modo, quo deficere potest, est scientia *contingens*: ergo scientia, qua Deus redditur omnino securus de efficacia auxilij, est scientia *contingens*. Maior est certa: aliàs Deus sub scientia, qua cognoscit efficaciam auxilij, posset timere defectum efficaciæ eo modo, quo deficere potest. Probatur minor. Scientia, qua Deus cognoscit non defecturum consensum sub auxilio eo modo, quo deficere potest, est scientia, qua Deus cognoscit non defecturum consensum sub auxilio *physicè*, & *metaphysicè*: sed scientia, qua Deus cognoscit non defecturum consensum sub auxilio *physicè*, & *metaphysicè*, est scientia *contingens*: quia eius defectus est componibilis cum scientia *necessaria* de quidditate auxilij *moraliter* connexi cum consensu: ergo scientia, qua Deus cognoscit non defecturum consensum sub auxilio eo modo, quo deficere potest, est scientia *contingens*.

14 Impugnatur tertiò. Quia, aùt omne auxilium efficax, quod Deus defacto confert, est *moraliter* connexum cum consensu, vel secùs? si *hoc secundum*: ergo non excluditur absolutè necessitas scientiæ mediæ; qua Deus indigebit pro collatione auxiliorum efficacium non habentium connexionem *moralem* cum consensu; cùmque hic defectus etiam se extendat ad prædestinatos; non modò erit necessaria scientia media ad collationem auxiliorum; vt cùmque; sed ad prædestinationem. Si *primum*: præterquamquòd ipsa experientia id evincit falsum; cùm videamus plurima exercitia honesta, & meritoria elici cum magna difficultate ex vi vehementis allicientiæ ad oppositum, quæ non adesset, si auxilia essent *moraliter* connexa cum exercitio libero; vlterius nullum permittit actum heroicum ex his, qui in viris Sanctissimis, vt tales, plauduntur, & mirantur; vt fuit volutatio Sancti Benedicti inter vepres, Sancti Francisci in nive, & immersio Sancti Parentis Ignatij in aquas gelidas; quibus alij similes inveniuntur in Sanctorum historijs. Ratio est: Siquidem nemo heroicè aggreditur id, quod minè difficultate facit, & ad quod est *moraliter* necessitatus per auxilium, quo à Deo tangitur, & iuvatur: sed per te actiones istæ non aliter fuerunt patratæ; quàm per auxilium *moraliter* ad illas necessitans: ergo non heroicè; verùm nimis facilè fuerunt ab ipsis exercitæ: ex quo iam apparet, quantum meriti, laudis, & victoriæ viris Sanctitate eximijs detrahatur.

15 Inde ab oppositio. Vel inefficacia auxilij consistit in necessitate *morali* medij collati à Deo ad peccandum; vel est ipsi adæquatè extrinseca, desumptaque à distensu libero? Si *hoc secundum*: ergo vt Deus cæco modo non conferat auxilia inefficacia, necessaria est scientiæ mediæ directio; qua semel admissa, nulla est vrgens ratio, eam pro vno casu excludens, & pro altero admittens: si *primum*: ergo Deus semper necessitat *moraliter* ad peccandum: quod quis concedat: Insuperque nullus cadet, qui non fuerit gravissimè tentatus tanta tentationis gravitate, vt reddat *moraliter* impossibilem victoriam; nèc maneat locus distinctioni peccantium ex pura fragilitate, & ex malitia; cùm pateat additus, tum excusationi peccatorum in suis sceleribus, tùm decremento demeriti etiam in actionibus turpissimis, quæ omnia aspera satis sunt, & non facilè deglutienda.

16 Opponunt primò. Deus in vi medij *moraliter* connexi cum consensu cognoscit consensum, non tantùm, *vt possibilem sub auxilio*; verùm, *vt extiturum*: sed Deus non aliter cognoscit consensum, vt *extiturum sub auxilio*; quàm cum evidentia, & omnimoda securitate existentiæ illius: ergo Deus in vi medij *moraliter* connexi cum consensu cognoscit cum evidentia, & omnimoda infallibilitate consensum, *vt extiturum sub auxilio*. Probant præmissas successivè: maiorem prius. Deus in vi medij *moraliter* connexi cum consensu cognoscit existentiam consensus, vt *moraliter necessariam sub auxilio*: sed cognoscere existentiam consensus, vt *moraliter necessariam sub auxilio*, non est cognoscere consensum præcisse, vt *possibilem sub auxilio*; sicut cognoscere consensum, vt *conditionatè extiturum sub auxilio*, non est præcisse cognoscere consensum, *vt possibilem sub auxilio*: ergo Deus in vi medij *moraliter* connexi cum consensu cognoscit consensum non tantùm, vt *possibilem sub auxilio*: verùm, vt *extiturum*. Deinde minorem. Non aliter cognoscit Deus consensum, vt *extiturum sub auxilio*, nisi affirmando existentiam consensus

sub

sub auxilio: sed Deus non aliter affirmat existentiam consensus sub auxilio; quàm per scientiam omnino circà existentiam infallificabilem: ergo Deus non aliter cognoscit consensum, vt *extiturum sub auxilio moraliter cum illo connexo*; quàm cum evidentia, & omnimoda securitate existentiæ illius sub auxilio.

17 Confirmant. Auxilium, vt *moraliter* connexum cum consensu, dicit relationem *transcendentalem* ad ipsum, vt *existentem*, & non tantùm, vt *possibilem*: sed implicat cognosci relatio *transcendentalis*, vt talis, incognito termino illius: ergo implicat Deum cognoscere medium, vt *moraliter* connexum cum consensu, vt existente, & non cognoscere consensum, vt *existentem sub auxilio*, qua ratione, est terminus illius connexionis. Aliunde Deus non potest habere aliam cognitionem circà existentiam consensus suo auxilio; quàm quæ sit evidens, & infallibilis erga ipsam; alias in Deo posset esse cognitio *subiectivè* probabilis, aut coniecturalis; sicùt est in nobis propter nostrum imperfectum modum cognoscendi: ergo Deus, cognoscendo medium, vt connexum *moraliter* cum consensu libero, cognoscit infallibiliter consensum, vt *extiturum sub auxilio*.

18 Permissa efficacia argumenti, non convincit, vt iam tetigimus, intentum adversariorum in excludenda necessitate scientiæ mediæ ad collationem auxiliorum: quia licet benè probet in casu particulari, in quo Deus vtatur ad convertendum, vel ad assequutionem actus liberi honesti, auxilio *moraliter* necessitante, vt in conversione Sancti Pauli; non probat vniversaliter, & pro alijs casibus, in quibus confert auxilia *moraliter* indifferentia: deinde patitur instantiam in medio probabili, & probabiliter tantùm inferente existentiam consensus, in quo idem confici potest argumentum: tùm quia id, quod probabiliter infertur ex aliquo, non est tantùm possibile sub ipso: tùm quia medium probabiliter inferens consensum, etiam dicit relationem *transcendentalem* ad consensum, vt *existentem*: vnde ex vi cognoscendi medium, vt taliter relatum, cognoscetur terminus illius; & Deus, qui aliter, quàm evidenter, non potest cognoscere existentiam consensus sub medio, cognoscet infallibiliter existentiam consensus liberi in medio tantùm probabili; quin sit necessaria connexio *moralis*, in qua vim parant aduersarij coacti respondere argumento, quod æquè contra se, ac contra nos militat.

19 Denique non explicant, qualis sit modus tendendi scientiæ, qua Deus cognoscit infallibiliter, extiturum consensum liberum sub auxilio: an scilicet sit *absolutus*? An tantùm *modalis*? Qui, si sit *modalis*, non deserviet pro infallibilitate consensus, vt extituri sub auxilio; cùm ipsi correspondeat modus *obiectivus* affirmabilis per scientiam *necessariam*; & omne affirmabile per scientiam *necessariam* præscindat à *contingenti*; quale est, *extiturum consensum liberum absquè restrictione, vel conditionatè, vel absolutè sub auxilio*: si verò *absolutus*: implicat pertinere ad scientiam *naturalem*, & *necessariam*: cùm omnis modus tendendi *absolutus*, procùl à *modali* distinctus, circà existentiam consensus liberi sub auxilio *moraliter* connexo, sit contingens, & separabilis à cognitione repræsentante quidditatem medij, & *moralem* illius connexionem.

20 Respondendum: Deum in signo scientiæ *naturalis*, & *necessariæ*, per quam cognoscit naturam, & quidditatem auxilij *moraliter* connexi cum consensu libero, cognoscere consensum liberum sub auxilio, non tantùm, *vt possibilem*; verùm, *vt extiturum*: cæterum non per propositionem *absolutam* de existentia, prout contradistinguitur à *modali*; sed per propositionem *modalem*: id est, non sub his modis tendendi: *si existat auxilium habens moralem connexionem cum consensu libero, erit consensus liber: si existat auxilium, erit consensus, qui est necessarius moraliter*; sed sub his, vel æquivalentibus: *si existat auxilium, erit vi illius consensus moraliter necessarius: si existat auxilium, consensus liber non deficiet absquè magna difficultate*: quas quidem veritates cognoscit evidentissimè evidentia *cognitionis*, quæ præscindit ab existentia consensus *absolute*, & *conditionatè* sub auxilio: quia componi potest cum defectu illius vtroque modo, attenta potentia *physica*, & *metaphysica*, cuius exercitium per illam scientiam non cognoscit. Nec propterea scientia illa valet falsificari, aut vlli est exposita errori: quia id, quod de existentia consensus affirmat, & eo modo, quo affirmat, sub existentia auxilij est necessarium, & indefectibile, sivè deficiat, sivè detur, tàm *absolutè*, quàm *conditionatè* existentia

con-

consensus in sensu *absoluto*, prout contraponitur *modali*, sub auxilio, nempe: *consensum esse necessarium moraliter*: quod semper verificatur, quamvis consensus sub auxilio deficiat; non secùs, ac in igne Babylonico, cui Deus denegavit concursum ad comburendum vtens sua potentia absoluta, verificabatur in sensu composito denegationis, existentiam combustionis esse *physicè* necessariam.

21 Ad confirmationem: concessis præmissis primi syllogismi, distinguatur consequens. Implicat: Deum cognoscere medium, vt moraliter connexum cum consensu libero, vt existente, & non cognoscere consensum, vt existentem sub auxilio *modaliter*: concedo consequentiam: *absolutè*: nego consequentiam. Ad minorem subsumptam distinguatur similiter: Deus non potest habere aliam cognitionem circa existentiam consensus sub auxilio; quàm quæ sit evidens, & infallibilis erga ipsam, *vel modaliter*, *vel absolutè*: concedo minorem: determinatè *absolutè*: nego minorem, & consequentiam: est dicere: Deum, cognito auxilio connexo *moraliter* cum consensu libero, determinari ad scientiam evidentem, & infallibilem existentiæ consensus sub auxilio per tendentiam repræsentantem, *extiturum necessario moraliter*, *aut non defuturum consensum sinè magna difficultate*: at non per tendentiam repræsentantem, *extiturum consensum, si existat auxilium*, quod erat necessarium, vt scientia illa redderet Deum omnino, & infallibiliter securum de existentia consensus liberi sub auxilio.

22 Replicabis: posita cognitione medij *moraliter* connexi cum aliquo extremo, imprudentia est non assentire *absolutè*, aut saltem dissentire *absolutè* existentiæ extremi sub illo medio: ergo posita in Deo cognitione evidente de connexione *morali* medij cum consensu libero, prudentissimè poterit assentire *absolutè* existentiæ consensus liberi sub illo medio. Insto. Posita cognitione etiam evidente medij *moraliter* connexi cum aliquo extremo, assensus præstitus *absolutè* existentiæ talis extremi sub illo medio non est assensus evidès plusquam *moraliter* erga illud extremum: ergo Deus cognoscens evidenter medium, vt connexum *moraliter* cum consensu libero, etsi cognoscat *absolutè* existentiam consensus liberi sub tali extremo, non eam cognoscit evidenter plusquam *moraliter*; ac peconsequens per scientiam *physicè*, & *metaphysicè* falsificabilem. Respondeo: posita cognitione medij *moraliter* connexi cum aliquo extremo, imprudētiam esse nō assentire *absolute* existētię extremi sub illo medio in subiecto non determinato ad habendam scientiam illius obiecti, prout est in se, aut capaci habendi actus falsificabiles; secus in subiecto essentialiter determinato ad habendam scientiam illius extremi, prout est in se, & aliunde incapaci habendi actus vllo modo falsificabiles, qualis est Deus; cuius scientia eo modo, quo tendit, & repræsentat aliquod obiectum, cum illo *metaphysicè* connectitur, & de illo, prout tali, inducit evidentiam.

23 Opponunt secundò. Homo tentatus gravissima tentatione, v. g. luxuriæ, habet per solas vires naturales arbitrij, (& secluso quovis auxilio gratiæ specialiter ipsum confortante) sufficientiam, & potestatem *physicam* resistendi tali tentationi; aliàs, secluso auxilio gratiæ, non peccaret, quamvis cederet tentationi, quod est absurdum, vt apud Recentiores ponderat Pater Suarez libro 1. de Gratia capite 247: sed his non obstantibus ex vehementia tentationis, & ex necessitate *morali*, quam induceret ad succumbendum homini non roborato per auxilium gratiæ, certissimè colligitur: taliter tentatum sibi relictum lapsurum, & minimè restiturum tentationi; nequè sinè absurdo dici posset, quod ei contingeret resistentia, vt probat etiam Eximius Doctor loco citato, ex Patribus, & Concilijs: ergo in necessitate *morali* fundari potest omnimoda, & infallibilis certitudo de eventu, qui est terminus eiusdem necessitatis. Confirmant. Nam ex communi Theologorum sententia est dogma fidei: requiri auxilium gratiæ confortans vires naturales arbitrij ad resistendum gravissimę tentationi: ergo habet certitudinem fidei, quæ metaphysica est, quòd homo per vires arbitrij sinè gratia non resistat gravissimæ tentationi: sed necessitas, quam, secluso auxilio gratiæ, inducit tentatio, est necessitas tantùm *moralis* non resistendi, nàm *physica* libertatem tolleret, & peccatum impediret: ergo in necessitate *morali* fundari potest certitudo *metaphysica*.

24 Idem argumentum vrgentius; quia à sententia tantùm pro-

ba-

babili non dependens, confici potest in vitatione omnium peccatorum venialium per totum vitæ decursum. Etenim definitum in Concilio Tridentino est Sessione 6. Canone 23. *Nullum absque speciali Dei privilegio; qualiter Beatissimæ Virgini fuisse concessum tenet Ecclesia, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare*: ergo certum est certitudine fidei infallibili absquè speciali Dei privilegio extiturum defectum evitationis omnium peccatorum, comprehendendo venialia: sed, secluso tali privilegio, tantùm est *moraliter* impossibilis evitatio, àc proindè necessaria *moraliter* carentia evitationis: ergo propter solam necessitatem *moralem* labendi in aliquod peccatum certum *metaphysicè* est futurum talem lapsum, innitente certitudine *metaphysica* in sola necessitate *morali*.

25 Obiectionem istam vocant Sapientissimi Recentiores molestam satis, quorum iudicium venerans, censeo; quod quidquid sit de eius molestia in ordine ad alia, nullam continet quoad intentum arguentis conantis per ipsam probare: solam scientiam naturalem sufficere pro certitudine predestinationis, ostendo sic. Aut enim argumentum intendit: certitudinem *metaphysicam*, quam fundat *moralis* connexio erga suum terminum esse certitudinem *metaphysicam* veritatis *contingentis*, vel certitudinem *metaphysicam* veritatis *necessariæ*? Si *certitudinem metaphysicam veritatis contingentis*: quid pro scientia *naturali*, & *necessaria*, quæ non attingit veritates *contingentes*: Si *certitudinem metaphysicam veritatis necessariæ*: ergo necessarium *metaphysicè* est, quod si existat medium connexum *moraliter* cum aliquo extremo, existat extremum; quo dato, connexio, quam vocant *moralem*, erit connexio *metaphysica*: vndè homo, aut sinè speciali auxilio gratiæ, aut sine speciali privilegio erit necessitatus *metaphysicè* ad succumbendum gravissimæ tentationi, aut ad incidendum in peccatum: quod est implicatio in terminis; cùm implicet peccare ex necessitate simpliciter antecedente: quid ergo molestiæ est in argumento, quod destruit id ipsum, quod intendit, & vel non probat, terminum connexionis *moralis* cognosci, vt *existentem* sub *morali* connexione; vel se implicat in terminis, immutãdo cõnexionem *moralem* in connexionẽ *metaphysicam*.

26 Solutio sit cum eisdem Recentioribus, dicendo: ex vehementia tentationis *secundum se* sumpta, non deduci certissimè certitudine *metaphysica*; sed solum certitudine *morali* hominem destitutum speciali gratiæ auxilio, & sibi relictum lapsurum: quarè si præcisse attendatur natura illius tentationis, & inclinationis; absurditas dicentis: *contingere, vt homo sine speciali gratiæ auxilio ei non cedat*, non esset absurditas *implicationis* in coniunctione tentationis, & resistentiæ; sed absurditas *imprudentiæ*; propterea quòd necessitas *moralis*, quæ intrinseca est gravissimæ tentationi relatè ad hominem non habentem speciale auxilium gratiæ reddit imprudens nostrum iudicium de resistentia cum effectu eventura; cùm id, quod *moraliter* est impossibile, quale est contradictorium illius, quod est *moraliter* necessarium, non nisi temerè, & imprudenter à nobis, qui non cognoscimus eventum immediatè in se, existere iudicabitur.

27 Inde ad confirmationem neganda est vltima consequentia: quia certitudo fidei, quæ est certitudo *metaphysica*, non fundatur in sola connexione *morali*, quam habet vehemens tentationis inclinatio, dùm non adest auxilium gratiæ; sed in divina revelatione manifestante non resistentiam semper eventuram, quando adsit tentatio similis seiuncta ab auxilio speciali gratiæ; cuius revelationis certitudo radicatur in certitudine *metaphysica* diuinæ scientiæ, ex qua dirigitur; & demùm certitudo diuinæ scientiæ radicatur *obiectivè*, non in sola connexione *morali*; sed in eventu ipso, qui est terminus connexionis viso à Deo in se ipso: quapropter certitudo *metaphysica* de eventu necessario *moraliter* nunquam resolvitur sufficienter in connexionem *moralem*; sed est certitudo consequens ipsum eventum, ex cuius suppositione à Deo infallibiliter cognoscitur: & tàm absurdum est deficere; quàm necessarium est esse quodvis contingens ex suppositione quod sit. Idem respondendum argumento, quod in necessitate *morali* committendi aliquod peccatum, dùm non adest speciale privilegium, construitur; cuius non evitatio est certa certitudine *metaphysica* fidei vltimò *obiectivè* resoluta, nõ in necessitatem *moralem* peccãdi; sed in ipsũ eventũ peccati, quod Deus vidit consequenter ad eius supositionem, ex cuius visione processit revelatio, cui per fidem infallibilem assentimus.

28 Opponunt tertiò: vt Deus prædestinet per aliquod medium securissimè, sufficit, quod certissimè præsciat: tale medium in re non esse separandum à consensu, quamvis separabile sit *physicè*, aut *metaphysicè* ab ipso: sed Deus id certissimè præscit per scientiam *naturalem*, & *necessariam* ex vi penetrandi, & cognoscendi connexionem *moralem* medij: ergo per scientiam *naturalem*, & *necessariam* satis dirigitur ad prædestinandum. Probatur minor. De conceptu connexionis *moralis* est, quod quamvis possit dari *physicè*, & *metaphysicè* sinè suo termino; non tamen defacto detur sinè illo; nè alias posset accidere, stante necessitate *morali* alicuius extremi, illud non dari, & id, quod est *moraliter* necessarium, deficere. Insto in necessitate *physica*, quæ maior est necessitate *morali*; & quidem coniungi valet cum defectu in re sui termini; vt defacto coniuncta est in igne Babylonico, cui intrinseca erat necessitas *physica* comburendi, quin defacto combusserit. Ad argumentum. Nego minorem. Cuius probatio implicat in terminis: nàm si de conceptu *moralis* necessitatis est, quod nunquam possit dari in re sinè termino, quomodo *physicè*, & *metaphysicè* poterit ab illo separari; cùm hæc potentia respiciat coniunctionem in rè dandam *moralis* connexionis, & carentiæ termini *moraliter* necessarij.

29 Igitur natura connexionis *moralis* non est, esse *absolutè* inseparabilem à termino; sed duntaxàt ita vehementer inclinari ad illum, quatenus est ex se, vt terminus non possit existere absquè magna difficultate, & labore resistentis tali connexioni: vndè solùm pugnat *metaphysicè* cum actu, vt exercendo facile, & non laboriosè: quod quidem remaneret semper, etiam si connexio *moralis* per potentiam *physicam*, aut *metaphysicam* privaretur suo termino. Ex quo constat: Deum innitendo præcisè connexione *morali* medij cum consensu libero, non posse aliud per scientiam *naturalem*, & *necessariam* cognoscere; quàm quòd; vel non existet dissensus sub auxilio; vel quod existet cum maxima difficultate: quod quidem, vt per se patet, non sufficit, vt Deus securissimè procedat in prædestinando per tale medium.

30 Insistunt primò. Si stat cum necessitate *morali* consensus liberi defectus consensus; ergo nullum deducetur inconveniens ex eo, quod homo necessitatus *moraliter* ad consentiendum dissentiat; vel necessitatus *moraliter* ad dissentiendum, consentiat: quod, si ita sit, quæ connexio est ista *moralis*, quæ absque vllo inconveniente potest separari à suo termino, & cum opposito coniungi? Reddit instantia in necessitate *physica*, quæ maior est necessitate *morali*: nèc propterea est inseparabilis *absolutè* à termino, cùm cuius defectu potest *metaphysicè* coniungi. Dicendum. De ratione necessitatis *moralis* non esse, quod ex defectu termini sub ipsa arguatur aliquod inconveniens *implicationis*; sed tantùm inconveniens *laboris*, & *difficultatis* in resistente tali connexioni, & denegante ipsi terminum, si agens creatum sit: quod quidem non opponitur cum natura, & conditione necessitatis *moralis*, quæ vtpotè minor necessitate *physica*, aut *metaphysica*; nèc tanta est, pro cuius victoria sit necessarium miraculum, vt in necessitate *physica*; nec inconveniens *implicationis*, vt in necessitate *metaphysica*, quæ sine repugnantia duplicis contradictorij privari non potest suo termino.

31 Insistunt secundò. Id, quod est necessarium *moraliter*, est id, cuius oppositum est *moraliter* impossibile: sed id, quod quomodocumque est impossibile, est id, quod sine implicatione non potest dari: ergo id, quod est *moraliter* necessarium, est id, quod sine implicatione non potest deficere. Vrgetur. Sicut defectus termini necessitatis *metaphysicæ* arguit defectum *metaphysicæ* necessitatis: sic defectus termini *moraliter* necessarij arguet defectum necessitatis *moralis*: sed tam implicatorium est, deficere *moralem* necessitatem, dùm existit; ac deficere necessitatem *metaphysicam*, quando aliquid est *metaphysicè* necessarium: ergo tam implicatorium est, deficere terminum *moralis* necessitatis, ea existente; quàm deficere terminum necessitatis *metaphysicæ* quando hæc existit. Redarguo in necessitate *physica*, cuius termini defectus est plus quàm *moraliter* impossibilis; cum habeat impossibilitatem *physicam* existendi: ergo cùm defacto ignis applicatus non combusserit, id absquè implicatione non contigit, simulque necessitas *physica* comburendi identificata cum igne extitit, & defecit. Deinde nobis explicent, in quo differt necessitas *moralis*, & *metaphysica*; si æquè ex defectu termini vtriusque deducitur

tur coniunctio duplicis contradictorij.

32 Ad instantiam. Concessa maiore. Negatur minor. Nàm solùm impossibile *metaphysicè* est, de quo verificatur, quod sine implicatione non potest dari. Cuius ratio est. Quòd impossibilitas *metaphysica* est, quæ sola participat conceptum *impossibilitatis* strictè, & cum proprietate; cæteræ verò impossibilitates impropriè quidem, & cum alienatione; vt quando dicimus esse impossibile, quod naturaliter non potest accidere; quin propterea velimus significare, ex existentia illius inferenda contradictoria; sed tantùm, quod si existeret, violaretur exigentia agentium naturalium, aùt existeret aliquid, quod est supra ipsorum vires. Quod si hoc contingit in impossibilitate maiori impossibilitate *morali*; quomodo ex existentia rei *moraliter* impossibilis poterit rectè argui existentia cum repugnantia *contradictionis*; cùm sola sit repugnantia *difficultatis* propter vehementem exigentiam in oppositum, & *laboris* in vincenda connexione? Vndè constat ad vrgentiam, quæ nullius roboris ostenditur ex eo, quod necessitas *metaphysica* alicuius termini est necessitas *simpliciter* talis, & inseparabilitas illius; secùs necessitas *physica*, & potiori titulo *moralis*, quæ *physica* inferior est. Constat etiam in hac consequentia: *est impossibile moraliter: ergo est impossibile: est necessarium moraliter: ergo est necessarium*: non argui à restricto ad non restrictum *affirmativè*; sed ab improprio, & alienato ad proprium; non aliter, àc quando arguitur: *aliqua à parte rei distinguuntur virtualiter ergo distinguuntur à parte rei: est homo mortuus. ergo est homo*: in quibus ineptissimè concluditur.

33 Insistunt tertiò. Connexio *moralis* ex se, & per se fundat quoad nos iudicium prudẽs de existentia sui termini: sed coniuncta cum carentia termini non potest fundare iudicium prudens de existentia termini: ergo coniuncta cum carentia termini non habet id, quod est de essentia, & conceptu suo; per consequensque habet *metaphysicam* repugnantiam ad defectum termini. Respondeo; necessitatem *moralem* non habere ex se, & per se esse fundamentum prudentis iudicij de existentia sui termini pro omni casu existentiæ sui; sed pro solo casu, in quo non datur cognitio de defectu termini, sivè terminus existat, sivè non existat: quando verò cognoscitur certò terminus non existere, non fundat iudicium prudens de illius existentia; cùm nequeat prùdenter iudicari existens, quod certò cognoscitur deficiens: vndè ex coniunctione cum carentia termini non deperdit aliquid pertinens ad essentialem conceptum; de quo, quamvis sit semper, *posse* fundare iudicium prudens *pro aliquo casu*, non est semper, *posse* fundare iudicium prudens *pro semper*.

CAPVT II.

Quartus prætextus: Sententia Illustrissimi Caramuelis.

ILlustrissimus hic Antistes, vt erat Vir ingenij singularis, ægrè ferens tritas aliorum semitas peragrare, novam apperire decrevit; vt aliorum Dux, & non Pedisequus constitueretur. Ideò, vt refert Pater Izquierdo tomo 2. de Deo tractatu 9. disputatione 28. quæst. 7. in sua Theologia fundamẽtali libro 1. fundamento 1. thes. 6. de scientia Dei, sequentes proponit conclusiones, in quibus mentem suam explicat, inquiens.

34 Primò: non datur scientia media, nempè illa, quam Patres Iesuitæ tuentur. Secundò. Non dantur physicæ prædeterminationes; nàm necessitantes; tollere libertatem videntur; & infallibilizantes; aùt sunt impossibiles, aùt superfluæ. Tertiò. Non dantur in Deo decreta conditionalia, quæ actus hominum liberos prædefiniant, qualiter ponuntur à Thomistis. Quartò. Futura libera conditionata, quę ab alio futuro absoluto non inferuntur infallibiliter, aut necessariò; nec habent determinatam falsitatem; nec veritatem. Quintò. Futura conditionata imperata, quæ ab alio futuro absoluto necessariò, aùt infallibiliter oriuntur, habent determinatam veritatem; nimirùm in futuro absoluto, ita, vt istud cognoscens, illa non possit ignorare. Sextum: ad hanc vltimam classem pertinent futura omnia conditionata, quæ in Scriptura Sacra revelantur; adeoquè divinæ illæ revelationes, tàm *formaliter*, quàm *obiectivè* sumptæ, habent certitudinem, & infallibilitatem veram, & realem in omni rigore metaphysico.

35 Ex his singularibus asser-

tis, quàmvis in eis nil expresse de certitudine prædestinationis asserat, colligitur, quid de scientia regulativa prædestinationis senserit; & ex quo fundamento certitudinem, & infallibilitatem mediorum, quę Deus confert prędestinato, sumpserit. Retinim, cum ex vna parte prę destinationes physicas excludat, & auxilia gratiæ omninò indifferentia relinquat, negata tamen scientia ex modo suo tendendi conditionali, & contingente, quam vocamus *mediam* inter *liberam*, & *necessariam*; & ex alia parte dicat: nullum futurum conditionatum liberum, quod non sit imperatum ab alio futuro absoluto, & ab eo necessario, & infallibiliter non oriatur, non habere determinatam veritatem, aùt falsitatem; consequens sit, quod, vt Deus conferat media prædestinato non cœco modo, & frustrationi expositus, est necessaria pro priori scientia visionis alicuius futuri absoluti imperantis necessariò, & infallibiliter eventum sub medio; qua data, Deus dirigatur cum omnimoda securitate ad prædestinandum.

36 Falsitatem discursus huius præclari Theologi, nullus erit, qui non agnoscat; quem continere intra terminos probabilitatis sola poterit dignitas, & fama proponentis. Omissis vero alijs incommodis, quæ ex hac sententia deduci possunt quoad modum intelligendi Scripturas, & quæ per ipsas nobis sunt revelata; necnon quoad scientiam conditionatorum, quam vniversaliter Deo negat; & sub quadam restrictione tantùm concedit; ea præcisse tangam, quæ certitudini, & infallibilitati prædestinationis obstare videntur. Et in primis deficit certitudo, & prę destinationis infallibilitas ex fallibilitate medij, ex quo desumitur. Nam quivis voluntatis actus tempore antecedens purificationem conditionis, sub qua aliquid efficaciter statuit, est componibilis cum defectu conditionati liberi sub conditione auxilij; cum sit cōponibilis cum non perseverātia sui pro tempore purificationis conditionis: vnde non aliam infallibilitatem habebit circa eventum liberum conditionatum; ac quam habent verę promissiones conditionatæ, & propositum efficax, quod quisque habet, dùm ritè, & validè confitetur, de cætero non peccandi: quæ quidem experientia docet quotidiè fallere circa eventum liberum conditionatè futurum: aliàs, qui verè conditionatè promittit, nunquam obligationem violaret: aut qui semel efficaciter proposuit sub quacumque occasione, quæ se offerat, non peccare; in vi huius propositi redderetur consequenter impotens, aut labendi, aut reincidendi: sed hoc est falsum: ergo animus præsens, & tempore antecedens purificationem conditionis, sub qua decernitur conditionatum liberum, est medium fallibile, & improportionatum, vt Deus in ipso cognoscat conditionatum liberum.

37 Secundò quia, vt optimè P. Izquierdo. Dato ex effectibus prædestinationis, qui sunt actus liberi prædestinati, quosdam, vt *absolutè existentes*, inferre alios, vt *conditionatè futuros*, non potest non in quavis eorum serie dari vnus, qui sit ita primus, & imperans, vt alium non subsequatur, neque ab illo imperetur; aliàs enim daretur processus in infinitum manifeste impossibilis in serie finita, & habente principium, tàm *formaliter* in se, quàm exparte subiecti, vt est prędestinationis series. Iam sic. Dùm Deus confert libertatem ad hunc primum actum, à quo reliqui pendent, & quod est imperium cæterorum; aùt scit; aùt non scit quid eventurum sub tali libertate, & medio indifferenti? Si *scit*: per quam scientiam id cognoscit? quia non per scientiam *necessariam* ex se præscindentem a veritate *contingenti*, vt est: *quod si existat tale medium indifferens, erit imperium potius quam carentia illius*: neque per scientiam *liberam*: cum non admittat efficacia decreta antecedentia *subiectivè* absoluta, & *terminativè* conditionata, in quibus consistat futuritio conditionata, quæ sit Deo medium *obiectivum* cognoscendi infallibiliter futura conditionata libera: neque per scientiam *contingentem non liberam*, quam, excluſa scientia media, non admittit: quæ igitur erit scientia constitutiva providentiæ illius medij?

38 Si *non scit, quid eventurum contingenter sub illo medio, & libertate indifferenti*: ergo prima radix prædestinationis exiſtit, Deo ex parte potestatis ad illam conferendam inscio de evētu potiùs ad salutem, quàm ad damnationem conducente; per consequensque præparatio illius medij, prout à Deo, fortuitò duntaxat, & casualiter erit præparatio prædestinativa, & collatio, & dispositio medij, quo certissimè liberatur

ratur, qui defacto liberatur, & gloriam obtinet. Vndè deduces: tùm quod Deus in collatione principalis medij prædestinationis, àc proinde in principaliori prędestinationis parte cœco modo procederet; & non aliter àc nos, qui, ducti cognitione repræsentante conducentiam medij in ordine ad finem intentum, ignoramus, an sit in re coniungendum cum assequutione finis; an potius frustrandum: tùm, quod in collatione principalis medij non confert speciale beneficium prædestinato *formaliter*; sed ad summum *materialiter*. Tùm deniquè, præparationem medij radicalis, vt ita dicam, & à quo exordium sumunt actus reliqui liberi prædestinati, non posse procedere ex intentione efficaci finis gloriæ, ex qua solùm potest descendere collatio medij sub scientia repræsentante indefectibiliter coniunctionem medij cum fine.

39 Tertiò: dùm fugit prædeterminationes physicas, vt libertatis nostræ eversivas, mirabiliorem aliam prædeterminationem statuit, scilicèt in decreto voluntatis decernentis cum antecedentia temporis actiones alias sub conditione indifferenti, quæ in posterum se offerat. Nam licèt hoc decretum, seù actus voluntatis liberè à voluntate procedat, nullam relinquit libertatem immediatam in actibus conditionatè imperatis, qui solùm erunt liberi in ipso decreto, quod propter suam infallibilitatem non permittit actum imperatum sub conditione deficere; aliàs Deus non posset cognoscere in ipso infallibiliter futurum conditionatum. Nec dicat: illud imperium esse de actu, *vt libero*, & cum ipso, vt *libere exercendo*, quando purificetur conditio medij indifferentis, connecti. Nam vt in hoc non sit implicatio in terminis, opus est, quod quando post tale imperium purificatur conditio, sub qua fuit decretus actus liber, voluntas possit se expedire ab omni impedimento carentiæ actus. Iam rogo, vel, purificata conditione, sub qua decretus fuit actus liber, voluntas potest componere carentiam actus imperati cum veritate affirmante imperium præcessisse, vel non? Si *potest componere*: ergo imperium non est medium infallibile cognoscendi actum sub existentia conditionis quo deserit suam sententiam. Si *non potest componere*: ergo cum pro tùnc non possit impedire, quod fuerit tale imperium, habet impedimentum antecedens, connexum, & inimpedibile: quo dato, iuxta principia ipsius non componitur libertas; nisi velit simul deserere, & amplecti principia Thomistarum.

40 Inde mirabiliora adhùc deduces. Primum: de nullo parvulo, qui ante vsum rationis mortuus est, potuisse Deum cognoscere aliquod futurum conditionatum liberum; cùm in illis nullus sit animus præsens, nullumvè voluntatis propositum erga actionem liberam sub hac, vel illa conditione occurrente: vnde beneficium illud ponderatum Sapientiæ 4. *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius*, non potest intelligi de his, qui post baptismum decedunt ante vsum rationis: neque Deus erit specialis benefactor in tali subtractione: imò nequè respectu adultorum locus erit tali beneficio: quia cum malitia non prævideatur iuxta ipsum, nisi in animo præsenti, qui, vtpotè tendens in malitiam conditionatè, pravus sit; non verificaretur rapi, nè malitia mutaret intellectum eius; aùt nè fictio deciperet animam illius; quia cum hæc mutatio deberet fieri per actionem pravam conditionatè prævisam, & hæc si existeret, libera non esset propter imperium præcedens; nullo modo immutaret iustum à bono in malum; sed, vel continuaret in sanctitate acquisita post illud pravum propositum, à qua nō decideret propter actionem non liberā; vel in proposito habito, & non retractato: & sic non raperetur iustus. Secundum. Nullum, qui peccatum mortale propria voluntate in toto vitæ spatio per assistentiam divinę gratię nō commisit, habere vllam veritatem conditionalem de gravi peccato sub his, vel illis circunstantijs conditionate futuris; cùm non habeat vllum propositum præsens de graviter peccando sub aliqua conditione; aliàs iam peccatum aliquod grave commisisset.

41 Vltimò. Nullum, qui propositum efficax, quatenùs est ex se, habuit committendi aliquam actionem turpem sub conditione de futuro, v. g. occidendi inimicum, & vlciscendi iniuriam, si sibi obvius fiat, aùt alia opportunitas se se offerat, non esse vtiliter exhortandum, vt ab actione desistat, oblata occasione; sed ad summum ad occasionem fugiendam; nequè ad hoc quidem si propositum etiam ad solicitandam occasionem se extendit: quia vtilis, & prudens non est hortatio, &

consilium circa id, quod vitari non potest; vt illæ actiones vitari non possunt, supposito proposito. Similiter, qui animum concepit efficacem furandi gravem quantitatem aliquam, si commodè possit, quamvis teneatur ad manifestandum in confessione talem animum; non tamen ad habendum propositum non furandi, si commodè furari potuerit; neque ad retractandum propositum, quod ex se est irrevocabile. Vndè decreta humanæ voluntatis, tàm irrevocabilia, & indefectibilia erunt, quoàd sortiendum suum effectum; quàm decreta divina: sufficiant hæc, ex quibus alia multa quisque facile poterit discurrere: pro sententia, quam si alius de litteris non adeò benemeritus in lucem edidisset. fortè famam Neroštrati apud Theologos mereretur. Interim solemur in nostra tenuitate, quando celsiora ingenia sic in Theologico concentu videmus dissonare.

CAPVT III.

Quintus pratextus: præscientia Ægidij Romani.

42 SIc voco sententiam Magistri Villanova Augustiniani, quam expressit in suo opere, cui titulus est *Promptuarium divinæ providentiæ*, in quo ad mentem sui magni Doctoris Egidij Romani conatur ostendere: certitudinem, & infallibilitatem prædestinationis non esse sumendam, neque ex efficacia intrinseca auxiliorum, neque ex prædeterminatione extrinseca, neque ex ipso consensu, prout est obiectum scientiæ mediæ; sed ab ipso consensu, prout est obiectum scientiæ naturalis, & necessariæ. Itaque nobis convenit in exclusione prædeterminationis, & decreti *subiectivè* absoluti, & *obiectivè* conditionati; insuperque in auxiliorum indifferentia; discrepat verò in scientia regulativa præparationis mediorum, quæ cum securitate infallibili eventus salutaris conferuntur prædestinato, negans necessariam scientiam *mediam*, & concedens sufficientem scientiam *naturalem*, & Deo necessariam. Hanc provinciam difficilimam, vt assequatur, in multa se diffundit, quorum compendium accuratissimè proposuerunt Sapientissimi Recentiores nostri, olim Primarij, ea claritate, qua cætera, quibus manum, & calamum adhibuerunt.

43 Ex quibus statuit primò id, quod ab omnibus reputari verissimum debet: scilicet omne quod a parte rei existit, & datur, eo modo, quo datur præcessisse necessariò possibile, & vt tale cognitum à Deo per scientiam *naturalem*, & *necessariam*, independentemque ab omni decreto, & veritate *contingenti*. Statuit secundò veritatem aliam inconcussam, id est, quod quando prædestinatus in rè, & actualiter sub auxilio indifferenti consentit, datur in illo statu absoluto triplex signum. Vnum *voluntatis secundum se* sumptæ, & consideratæ, alterum *voluntatis, prout auxiliatæ*; tertium, (maximè attendendum à quo dependet sententiæ singularitas,) *voluntatis se exercentis in actu secundo per consensum præ dissensu, & per tale exercitium reddentis impossibilem consequenter dissensum, sicut, & consequenter necessarium consensum*: quod nil aliud est; quàm pro suppositione, & ex suppositione consensus non posse se exercere per dissensum; nequè ex suppositione, & pro suppositione consensus non posse deficere consensum; quia quodlibet ex suppositione, quod fit, necessariò est esse, & locum suo oppositio non relinquere: statuit tertiò id, quod ex præmissis legitimè infertur. Nimirùm: hanc necessitatem consequentem consensus, & impossibilitatem consequentem dissensus ortam ex determinatione libera ad consensum voluntatis in tertio signo præcessisse, vt necessario possibilem; ac per consequens cognitã à Deo in *possibilitatis* statu per scientiam *naturalem*, & necessariã repræsentantem Deo, necessitatẽ consequentem consensus, & impossibilitatem consequentem dissensus non repugnare pro tertio signo.

44 Per hæc præludia, quę absque vllo offendiculo sunt, progreditur ad explicandum, quomodo Deus solius scientiæ *naturalis* ductu securissimè procedat in largiendis auxilijs prædestinato. Nam cum de Petro v.g. se determinanti in tertio signo ad consensum sub auxilio indifferenti, præcognoverit per scientiam *naturalem*, & antevertentem omnem *contingentem*, possibile esse; quod sub eo auxilio se determinet ad consensum cum impossibilitate consequente dissensus, securissimè

mè procedet in conferendo auxilio pro obtentione liberi consensus sub ipso. Securitatem nondùm satis explicatam firmare satagit perdoctus Magister: tùm quia per illam scientiam redditur Deus securissimus de consensu libero sub auxilio, per quam videt consensum sub auxilio cum impossibilitate consequente dissensus: sed per scientiam *naturalem*, quæ respicit ea, quæ contingere possunt in tertio signo, videt consensum liberum sub auxilio cum impossibilitate consequente dissensus: ergo per scientiam *naturalem* securissime procedit Deus, quoad eventum consensus liberi sub auxilio: tùm etiam: quia licèt attento, & cognito per scientiam *naturalem* secundo signo, quod est *libertatis, & indifferentiæ ad vtrumvis*, nequeat Deus cognoscere maiorem aliquam determinationem ad consensum præ dissensu; non sic, attento per eandem scientiam tertio signo, quod cùm sit signum *totalis determinationis* voluntatis ad consensum, & *impossibilitatis consequentis* dissensus, maiorem continet determinationem ad consensum, quàm ad dissensum; quæ fundamentum *obiectivum* erit scientiæ *necessariæ*, & infallibilis de consensu sub auxilio.

45 Vrget. Scientia, quæ Deum potest dirigere ad decernendum consensum liberum sub auxilio, est scientia, quæ reddit Deum infallibiliter securum de existentia consensus liberi sub auxilio: sed scientia *necessaria*, qua Deus cognoscit necessitatem consequentem consensus, & impossibilitatem consequentem dissensus pro tertio signo, potest Deum dirigere ad decernendum consensum liberum sub auxilio: ergo scientia *necessaria*, quæ repræsentat consensum liberum cum impossibilitate consequente dissensus pro tertio signo, est scientia, qua Deus certissimus redditur de existentia consensus liberi sub auxilio. Probat minorem. Scientia repræsentans Deo aliquid possibile, est scientia repræsentans Deo aliquid, prout contentum in sua omnipotentia: sed talis scientia potest Deum dirigere ad decretum efficax obiecti infallibiliter cogniti, vt possibilis: ergo scientia *necessaria*, qua Deus cognoscit necessitatem consequentem consensus, & impossibilitatem consequentem dissensus pro tertio signo, potest Deum dirigere ad decernendum consensum liberum sub auxilio. Eccè sententiam, quam fatetur Author magno studio comparasse. An oleum, & operam perdiderit, alij dicant. Nihilominus ei subscripsere per tempus breve aliqui Magistri ex sua familia gravissima, quibus adhæserunt nonnulli Carmelitani Doctores, dùm suum resolutissimum Bachonium publicè defendebant, cuius menti conformem talem cognitionem existimabant.

46 Nostrum iudicium post alios, quorum labor, nostrum præivit, in impugnatione huius prætextus ad excludendam prædeterminationem, & scientiam mediam, est, non alio opus esse pro impugnatione illius; quàm nuda penetratione terminorum *necessarij*, & *contingentis*: ex quibus argumentor primò: Scientia *necessaria*, sivè sit eorum, quæ sunt in primo, sivè in secundo, sivè in tertio signo, ea solùm notificat Deo, quæ sunt antecedenter necessaria, & eo modo, quo sunt antecedenter necessaria: ergo scientia *necessaria*, prout respicit efficaciam auxilij desumptam à consensu, quæ datur in tertio signo, eo solùm modo eam respicit, quo est antecedenter necessaria. Consequentia est legitima; & antecedens probo. Scientia *necessaria* est absolutè Deo indefectibilis: sed sola scientia, quæ notificat Deo ea, quæ sunt antecedenter necessaria, & eo modo, quo sunt antecedenter necessaria, est absolute indefectibilis; quia ea, quæ sunt tantùm consequenter necessaria, & eo modo, quo sunt tantùm consequenter necessaria, sunt absolutè contingentia, & defectibilia; per consequensque scientia, quæ illa notificet, defectibilis est; nè sit falsificabilis: ergo scientia *necessaria*, sivè sit eorum, quæ sunt in primo, sivè in secundo, sivè in tertio signo, ea solum notificat Deo, quæ sunt antecedenter necessaria, & eo modo quo sunt antecedenter necessaria.

47 Procedo: sed efficacia auxilij, quæ datur in tertio signo, eo modo, quo est antecedenter necessaria, præscindit ab existentia consensus sub auxilio tàm *absolutè*, quàm *conditionatè*: ergo scientia *necessaria* repræsentans eam efficaciam, eo modo, quo est antecedenter necessaria, præscindit ab existentia consensus sub auxilio, tàm *absolutè*, quàm *conditionatè*: propterea que inepta est, vt Deum reddat infallibiliter securum de existentia consensus sub auxilio pro tertio signo. Probatur minor

nor ſubſumpta. Efficacia auxilij, quæ datur in tertio ſigno, eo modo, quo eſt antecedenter neceſſaria, præſcindit ab omni eo, quod eſt *ſimpliciter* contingens: ſed exiſtentia conſenſus ſub auxilio pro tertio ſigno eſt *ſimpliciter* contingens, ſivè *abſolutè*, ſivè *conditionatè*, ſub auxilio: ergo efficacia auxilij, quæ datur in tertio ſigno, eo modo, quo eſt antecedenter neceſſaria, præſcindit ab exiſtentia conſenſus ſub auxilio tàm *abſolutè*, quàm *conditionatè*. Probo præmiſſas. Maiorem prius. Omne neceſſarium eo modo, quo eſt antecedenter neceſſarium, non dependet à contingenti: ſed independens à contingenti præſcindit ab illo: ergo efficacia auxilij, quæ datur in tertio ſigno præſcindit eo modo, quo eſt antecedenter neceſſaria, ab omni eo, quod eſt *ſimpliciter* contingens. Deinde minorem. Exiſtentia conſenſus ſub auxilio poteſt deficere, deficiente auxilio, & exiſtente auxilio, vtpotè indifferenti ad conſenſum: ſed id, quod poteſt deficere ſub alio, eo deficiente, & exiſtente, eſt *ſimpliciter* contingens tàm *abſolutè*; quàm *conditionatè* ſub ipſo: ergo exiſtentia conſenſus ſub auxilio pro tertio ſigno eſt *ſimpliciter* contingens, ſivè *abſolutè*, ſivè *conditionatè* ſub auxilio.

48 Confirmatur primò. Impoſsibilitas conſequens diſſenſus, ſicùt, & neceſsitas conſequens conſenſus pro tertio ſigno, eo modo, quo eſt obiectum ſcientiæ neceſſariæ, non poteſt aliter contingere, vt ex ſe patet: ſed nil, quod non poteſt aliter contingere, cognitum, vt tale, inducit ſecuritatem de *ſimpliciter* contingenti; aliàs neceſſarium connecteretur cum contingenti, & à defectu contingentis argueretur ad defectum neceſſarij: ergo impoſsibilitas conſequens diſſenſus, ſicùt, & neceſsitas conſequens conſenſus pro tertio ſigno, eo modo, quo eſt obiectum ſcientiæ neceſſariæ, non poteſt inducere ſecuritatem de *ſimpliciter* contingenti: àt conſenſum exiſtere in tertio ſigno cum neceſsitate conſequẽti ſui, & impoſsibilitate conſequente diſſenſus eſt *ſimpliciter* contingens; cùm non diſtinguatur ab exercitio liberò contingenter exiſtenti pòſt libertatis ſignum: ergo impoſsibilitas conſequens diſſenſus, ſicut, & neceſsitas conſequens conſenſus exiſtens pro tertio ſigno, eo modo, quo eſt obiectum ſcientiæ neceſſariæ, non poteſt inducere ſecuritatem de conſenſu, proùt exiſtente in tertio ſigno cum neceſsitate conſequente ſui, & impoſsibilitate conſequenti diſſenſus.

49 Confirmatur ſecundò. Neceſsitas conſequens conſenſus, & impoſsibilitas conſequens diſſenſus pro tertio ſigno ſolùm cognoſcitur per ſcientiam *neceſſariam*, vt poſsibilis, & non repugnans exiſtere contingenter pro tertio ſigno: ſed cognitio poſsibilitatis rei contingentis non inducit ſecuritatem de exiſtentia rei contingentis: ergo cognitio *neceſſaria* Dei repræſentans poſsibilitatem, & non repugnantiam neceſsitatis conſequentis conſenſus, & impoſsibilitatis conſequentis diſſenſus pro tertio ſigno, non inducit ſecuritatem de exiſtentia neceſsitatis conſequentis conſenſus, & impoſsibilitatis conſequentis diſſenſus pro tertio ſigno. Probatur maior. Neceſsitas conſequens conſenſus, & impoſsibilitas conſequens diſſenſus pro tertio ſigno ſolùm cognoſcitur per ſcientiam *neceſſariam*, vt habens veritatem *neceſſariam*: ſed ſolùm habet veritatem *neceſſariam*, proùt poſsibilis, & non repugnans exiſtere contingenter pro tertio ſigno: ergo neceſsitas conſequens conſenſus, & impoſsibilitas conſequens diſſenſus pro tertio ſigno ſolùm cognoſcitur per ſcientiam *neceſſariam*, vt poſsibilis, & non repugnans exiſtere contingenter pro tertio ſigno.

50 Confirmatur tertiò. Neceſsitas conſequens conſenſus, & impoſsibilitas conſequens diſſenſus pro tertio ſigno eſt neceſsitas, & impoſsibilitas ex ſuppoſitione contingenti determinationis liberæ pro tertio ſigno: ſed omne, quod dependet à ſuppoſitione contingenti, poteſt deficere: ergo neceſsitas conſequens conſenſus, & impoſsibilitas conſequens diſſenſus poteſt deficere pro tertio ſigno: àt ſcientia, quæ notificat infallibiliter, ſivè *abſolutè*, ſivè *conditionatè* exiſtentiam rei dependentis à ſuppoſitione contingenti ſub alijs, quibus contingens eſt talis ſuppoſitio, nempè ſub auxilio indifferenti, eſt ſcientia contingens: ergo ſcientia, qua Deus redditur certus de neceſsitate conſequente conſenſus, & impoſsibilitate conſequente diſſenſus pro tertio ſigno, ſub auxilio exiſtente in ſecundo ſigno, eſt ſcientia *contingens*, non verò *neceſſaria*. Confirmatur quartò. Omne, quod non ſit coniunctum, vt exiſ-

existens, vel *absolutè*, vel *conditionatè* eorum, quæ contingunt in signo *consensus*, cum illis, quæ sunt in signo *libertatis*, & *auxilij indifferentis* constituendo veritatem *contingentem*, est indifferens, vt ea, quæ sunt in signo *auxilij*, coniungantur cum oppositio complexo constituto in tertio signo per dissensum: sed omne, quod attingitur per scientiam *necessariam*, non est coniunctum, vt existens, sivè *absolutè*, sivè *conditionatè* eorum, quæ contingunt in signo *consensus*, cum illis, quæ sunt in signo *libertatis*, & *auxilij indifferentis*, constituendo veritatem contingentem: ergo omne, quod attingitur per scientiam *necessariam*, vt sic attactum, & repræsentatum, est indifferens, vt ea, quæ sunt in signo *auxilij*, coniungantur cum oppositio complexo constituto per dissensum in tertio signo. Minor est certa; alias scientia *necessaria* repræsentaret veritates *contingentes*. Probatur maior. Omne, quod non sit coniunctum, vt existens, sivè *absolutè*, sivè *conditionatè* eorum, quæ contingunt in signo *consensus*, cum illis, quæ sunt in signo *libertatis*, & *auxilij* constituendo veritatem *contingentem*; vel est aliud distinctum à tali complexo; qua ratione cum illo non connectitur; vel est ipsum complexum, prout constituens veritatem *necessariam*; quomodo præscindit ab eo, quod in re existat, posito auxilio; quia hoc est contingens: ergo omne, quod non sit coniunctum, vt existens, sivè *absolutè*, sivè *conditionatè* eorum, quæ contingunt in signo *consensus*, cum illis, quæ sunt in signo *libertatis*, & *auxilij*, constituendo veritatem *contingentem*, est indifferens, vt ea, quæ sunt in signo *auxilij* coniungantur cùm oppositio complexo constituto per dissensum in tertio signo.

51 His præventa manet solutio, seù, vt melius loquar, æquivocatio, ad quam Author recurrit distinguens duplicem possibilitatem consensus, vnam *antecedentem*, *consequentem* alteram: vnde subdit; quod licèt possibilitas *antecedens* consensus, vt attacta per scientiam *naturalem*, non sit sufficiens fundamentum infallibilitatis consensus sub auxilio; at possibilitas *consequens* adiuncta *antecedenti*, sufficit, vt per scientiam *naturalem* cognita, certificet Deum de existentia consensus sub auxilio indifferenti: manet inquam præventa: nàm cùm illa possibilitas *consequens*, quæ ab existentia contingenti consensus pro tertio signo non distinguitur, non aliter repræsentetur per scientiam *naturalem*; quàm vt non repugnans; qua solum ratione necessaria est; componibilisque sit cum non repugnantia possibilitatis *consequentis* consensus defectus talis possibilitatis *consequentis*, sicut componibile est cum non repugnantia Petri, vt existentis, defectus illius, vt existentis, resolvitur de primo ad vltimum infallibilitas scientiæ divinæ, ex qua dirigitur ad prædestinandum, in motivum fallibile, & insufficiens existentiæ consensus sub auxilio indifferenti.

52 Argumentor secundò. Deus pro priori ad collationem auxilij, cuius præparatio est prædestinatio, debet cognoscere hanc veritatem: *si existat auxilium, erit consensus liber sub ipso*: alias ignarus efficaciæ auxilij procederet. Vel ergo fit certus de tali veritate per cognitionem repræsentantem talem veritatem in se; vel in aliquo medio, ex quo legitimè inferatur? Si *per cognitionem repræsentantem talem veritatem in se*: ergo cognitio, & scientia certificans de efficacia medij non est *necessaria*; sed *contingens*: nàm pro contingentia, aut necessitate veritatis affirmatæ, *contingens*, aùt *necessaria* est scientia affirmans: nèc negari potest esse veritatem contingentem, loquendo de auxilio indifferenti; *quod si existat auxilium, existet consensus*: sicut est veritas contingens, *quod si existat libertas, existet determinata operatio libera v.g. consensus*: si *in alio medio distincto, & connexo*; rursus rogo; aùt est medium necessarium, aut contingens? Si *hoc secundum*: ergo scientia illud repræsentans *contingens* est, & non *necessaria*: si *necessarium*: ergo hæc veritas: *si existat auxilium erit consensus*; non est *contingens*: quia quod ex necessario absolutè infertur, necessarium est: vnde cùm omne cõtingens connectatur *metaphysicè* cum necessario, & medio illo, cum termino connexionis necessarij; auxilium, quod vocas indifferens, erit connexum cum consensu propter connexionem cùm hac veritate, *si sit auxilium, sit consensus*, cuius conditionem per sui existentiam purificat.

53 Argumentor tertiò. Deus dùm confert auxilium, quod de facto est efficax, pro priori ad illius largitionem non est certus *metaphysicè* de illius inefficacia; aliter simul esset certissimus de efficacia, & inefficacia auxi-

lij

lij pro eodem instanti : ergo neque est certus *metaphysicè* de illius efficacia. Probatur consequentia. In illo priori, & antecedenter ad omnem scientiam *contingentem* tàm necessaria est, quoad repræsentationem scientiæ *naturalis*, possibilitas *consequens* dissensus ; quàm possibilitas *consequens* consensus: ergo si non est certus *metaphysicè* de inefficacia, neque est *metaphysicè* certus de efficacia. Probatur antecedens. Quod attinet ad repræsentationem scientiæ *necessariæ*, per quam repræsentantur omnes veritates *necessariæ*, tàm necessaria est non repugnantia possibilitatis *consequentis* dissensus pro tertio signo; quàm possibilitatis *consequentis* consensus pro eodem ; cùm tàm possibilis sit existentia vnius; quàm alterius pro tertio signo : ergo in illo priori, & antecedenter ad omnem scientiam *contingentem*. tàm necessaria est quoad repræsentationem scientiæ *naturalis*, possibilitas *consequens* dissensus ; quã possibilitas *consequens* consensus.

54 Si autem respondeat. Id verum esse *antecedenter* ; secùs *consequenter*, & ex suppositione tertij signi, in quo potiùs de facto existit consensus; quàm dissensus. Contra est : nam hæc suppositio non cognoscitur pro illo priori, & antè omnem scientiam *contingentem* aliter; quàm non repugnans pro tertio signo ; quomodo etiam cognoscitur suppositio tertij signi constituti per dissensum : ergo, quod ad divinam scientiam spectat, pro priori ad determinationem, & decretum auxilij non datur maior determinatio pro consensu ; quam pro dissensu : ideoque Deus exponitur, vt in tertio signo sit potius dissensus ; quàm consensus ; vel si sit consensus præ dissensu, id eveniat casualiter, & præter infallibilitatem scientiæ divinæ.

55 Argumentor quartò. Per te scientia *naturalis*, prout repræsentans ea, quæ sunt in secundo signo *voluntatis*, *vt auxiliatæ*, non potest certificare de efficacia auxilij, quod confert prædestinato: ergo neque per scientiam *naturalem*, prout repræsentantem, quæ sunt in tertio signo *exercitij liberi*, potest acquiri talis certitudo. Probo consequentiam. Signum *voluntatis*, *vt auxiliatæ*, est signum connexionis cum omni veritate *necessaria* pertinente ad tertium signum : tum quia omne contingens connectitur cum veritate *necessaria* : tum quia signum *libertatis* est signum expeditæ potentiæ ad consensum, quæ connotat possibilitatem effectus in se, & in cognitione divina, qua ducitur Deus ad applicandam suam omnipotentiam, non fatuè, & frustraneè, vt accideret, si applicaret suam omnipotentiam ad efficiendum impossibile: sed quando connexio *metaphysica* cùm aliquo extremo non est fundamentum certitudinis alicuius veritatis ; nèc terminus connexionis illiùs potest esse fundamentum ; aliàs accideret, quod terminus connexionis esset determinatus ad aliquam veritatem, & fundamentum connexionis esset ad illa indifferens ; in quo chymæra est : ergo si per te scientia *naturalis*, proùt repræsentans ea, quæ sunt in secundo signo *voluntatis*, *vt auxiliatæ*, non potest certificare de efficacia auxilij, quod confert prædestinato; neque per scientiam *naturalem*, prout repræsentantem, quæ sunt in tertio signo *exercitij liberi*, potest acquiri talis certitudo.

56 Argumentor quintò ab absurdo libertatis divinæ everlionis, quàm planè videtur destruere, vt servet libertatem humanam. Intentum suadeo. Namque si Deus per scientiam *naturalem*, qua cognoscit possibilitatem *consequentem* consensus, proùt non repugnantem in signo subsequuto ad *libertatis* signum, cognoscit infallibiliter consensum futurum sub existentia libertatis : similiter pro priori ad suum exercitium liberum, & in signo *potestatis ad illud ponendum* v. g. ad decernendum mundum ; cognoscet non repugnantiam possibilitatis *consequentis* sui decreti circà mundum pro signo immediato ad signum *libertatis* decernendi : constat id ex eo, quod libertas Dei ad quodvis exercitium constituitur per *necessariam* cognitionem non repugnantiæ exercitij liberi eo modo, & pro illo signo, quod proportionatum est exercitio libero ; ac per consequens propriori ad decretum mundi, & in signo *libertatis illius* certus erit infallibiliter de decreto Mundi, vt existenti in signo sequenti : sed hoc est evertere penitùs libertatem divinam : ergo libertas divina destruitur. Probatur minor. Evertere penitùs divinam libertatem, est illam constituere per aliquid connexum *metaphysicè* cum determinato exercitio, v. g. decreto mundi : sed certitudo de decreti existentia sub tali libertate, eam constituens per scientiam *necessariam*

non

non repugnantiæ possibilitatis *consequentis* decreti, est quid, posita libertate, connexum cum decreto mundi: ergo, & est divinam libertatem penitùs evertere.

57 Argumentor sextò. Aùt auxilium, quod defacto est efficax, potuit antecedenter esse non efficax, vel è contra? Si *secundum*: ergo auxilium, quod defacto est efficax, nunquàm, vt existens, potuit separari à consensu; & per consequens ab intrinseco est connexum cum consensu, & prædeterminans: quod negas ob lesionem libertatis nostræ. Si *primum*: ergo certitudo de consensu sub ipso antecedenter potuit non existere: at certitudo scientiæ *naturalis*, & *necessariæ* nequè consequenter, nequè antecedenter potest Deo deficere: ergo certitudo de consensu sub auxilio, quod de facto efficax existit, non est certitudo scientiæ *necessariæ*, & *naturalis*: verùm *contingentis*, & antecedenter defectibilis.

58 Iam fundamenta, quæ pro se adducit, & supra proposuimus num. 44. levia sunt pro tanta molle ædificij. Ad primum satis constat ex dictis, dùm detegimus æquivocationem, qua fallitur. Itaque Scientia, qua Deus cognoscit consensum sub auxilio cùm impossibilitate *consequenti* dissensus, sumpta impossibilitate *consequenti* dissensus, sicut, & necessitate cosequēti cōsensus *existentialiter*, est scientia sufficienter notificans Deo auxilij efficaciam; cæterùm hæc, nèc est, nèc potest esse scientia *necessaria*, quæ solùm attingit possibilitatem *consequentem* consensus, & impossibilitatem *consequentem* dissensus, vt *non repugnantes*; cùm qua non repugnantia componitur in re defectus vtriusque: quarè, vt Deus reddatur omnino certus de efficacia medij, ad aliam scientiam est recurrendum, quæ proponat necessitatem *consequentem* consensus, & impossibilitatem *consequentem* dissensus *existentialiter*: quomodo cùm contingentes *obiectivè* sint, scientiam etiam *subiectivè contingentem* exposcunt: qualis ista debeat esse, videat, quando *liberam*, & innixam decreto excludit.

59 Ad secundum: iam diximus; quod si ea, quæ sunt in secundo signo, non possunt determinare Deum ad cognitionem efficaciæ infallibilem; nequè ea, quæ sunt in tertio signo, prout sunt obiectum scientiæ *necessariæ*: quia prout tales, tàm indifferentes sunt ad existentiam consensus; quàm voluntas, prout auxiliata, & liberè existens in secundo signo: ideò illa maior determinatio consensus tertij signi, quæ tantùm fefellit virum alioquin doctum, impertinens omninò est pro securitate, & certitudine infallibili consensus præ dissensu, si purè possibiliter, & non repugnanter repræsentetur; vt fit per scientiam *necessariam*.

60 Ad tertium negamus: solam Scientiam *naturalem* sufficienter dirigere Deum ad decernendum efficaciter consensum liberum. In cuius probatione se implicat: nàm si pro directione Dei, vt decernentis efficaciter quemvis effectum, sivè liberum, sivè non liberum creaturæ, sufficit scientia de possibilitate illius; vt quid tanta solicitudo de his, quæ spectant ad tertium signum: cùm sufficiant ea, quæ sunt in secundo, & constituunt potestatem proximam, & expeditam ad consensum, cuius expeditio, vel connotat, vel *formaliter* includit possibilitatem consensus? Deinde ad eam respondemus, in his, quæ vnicè dependent ex determinatione Dei, cognita possibilitate eorum, posse procedere ad eorum determinationem; non sic in effectibus, qui dependent à libera determinatione alterius: vt sunt actus liberi creati, quos si decerneret efficaciter, prælucente tantùm scientia possibilitatis ipsorum, eos redderet implicatorios; vtpotè per decretum simpliciter antecedens, vt est, quod scientia media non regulatur, eos faceret necessarios, cùm vellet liberos.

CAPVT IV.

Sextus prætextus: decretum comitans.

61 MEdium aliud non fatendi necessitatem scientiæ mediæ ad providentiam *prædestinativam* per recessum à prædeterminationibus, & decretis efficacibus antecedentibus meditati sunt alij, ita se inter vnā, & aliam sententiam collocando, vt difficultatibus, quæ contra libertatem creatam ex vna oriuntur, non premantur; nèc inconvenientibus, quæ contra divinam, & supremum dominium ex altera assurgunt, implicentur, leno-

ci-

cinanteſque vtrique, cuilibet aliquid, quod intendit, & neutri totum concedant. Quarè cenſent nodum diſſoluiſſe dicendo: Deum immediatè liberè decernere concomitantèr omnes noſtros actus liberos taliter, vt libera determinatio Dei noſtram, nèc præcedat, nèc ſubſequatur; ſed in eodem ſigno concomitanter exiſtat: quomodo, ob defectum præcedentiæ, libertatem creatam ſervabit illæſſam, & ob defectum ſubſequentiæ adhùc *obiectivæ* ad determinationem creaturæ liberam, divina libertas, ſupremumque dominium nullum patietur detrimentum; ſufficietque perconſequens ad ſecuritatem, & infallibilitatem Dei in prædeſtinando, ſcientia *naturalis*, qua Deus cognoſcat ſibi eſſe proximè poſsibile, cuilibet auxilio indifferenti adiungere ſuum decretum comitans de conſenſu, ſub quo non poteſt efficacia adhibiti medij deficere.

61 Naturam illius explicant per prædicata, quæ illi attribuunt. Primò præſupponit voluntatem creatam inſtructam auxilio indifferenti, & nullo modo determinatam ad vnum exercitium præ alio, nempè ad conſenſum præ diſſenſu; ſimiliterque voluntatem divinam immediatè, & proximè indifferentem indifferentia *dominij electivi* eiuſdem creati exercitij medio ſuo decreto, per libertatem conſtitutam ex ſcientia *naturali* repræſentante quidditatem, & eſſentiam, tùm decreti, tùm exercitij liberi, cuius eſt condeterminatio, & ex ſcientia viſionis libertatis creatæ. Secundò: eſt efficax *effectivè*, non quidem, vt *quod*, & per modum *principij*; ſed *vt quo*, & per modum *actionis*, & *influxus*; vt ſic valeat eſſe comitans, & non antecedens actionem, & determinationem creaturæ. Tertiò: eſt inſeparabile à conſenſu libero propter efficaciam intrinſecam, quam in illum habet. Quartò: hæc connexio inter decretum & actum liberum creaturæ eſt mutua, taliter, vt nèc decretum valeat exiſtere ſinè exercitio libero creato, nèc exercitium liberum creatum ſinè decreto comitanti propter ſubiectionem creaturæ ad Deum in ſuis liberis actionibus, quæ immediatè debent eſſe Deo liberæ, & immediatè ab ipſo determinatæ. Quintò: eſſe determinans, & determinatum: *determinans*: in quantum connectitur cùm determinatione creaturæ. *determinatum*: in quantum determinatio creaturæ cum ipſo connectitur; in quo eſt aliqua variatio vocis apud aliquos Authores nolentes ipſum vocare abſolutè *determinans*, & *determinatum*; ſed *condeterminans*, & *condeterminatum*; nèc non determinationem illius, prout ſe tenet ex parte creaturæ, eſſe dicendam *indirectam*, in quantum non fit per immediatam poſitionem ipſius; ſed per alicuius cum ipſo connexi. Sextò: impediens, & impedibile: *impediens*: in quantum per connexionem cùm exercitio libero repugnat omiſsioni liberæ ipſius: *impedibile*: in quantum voluntas creata per omiſsionem liberam actus, qui eſt terminus connexionis decreti, poteſt ponere impedimentum illius, quando aliunde tale decretum non ſupponitur impeditum. Circà quos terminos poteſt eſſe eadem variatio, àc circà præcedentes, quin ſubſtantialiter immutetur ſententia.

63 Eam hoc modo explicatam, & cum abſoluta excluſione ſcientiæ mediæ defendunt ex Schola ſubtili Smiſingus tractatu 3. de Deo diſput. 2 quæſt. 5. à num. 151. Montepiloſus prima parte tom. 2. diſput. 57. artic. 4. Pontius in curſu phyloſophico diſput. 6. quæſt. 8. quibus accedunt Recentiores communiter, præcipuè poſt Maſtrium in 1. ſent. quæſt. 3. artic. 8. eam, vt genuinam menti Subtilis Doctoris defendentem. Dixi *cum abſoluta excluſione ſcientiæ mediæ, & prout eſt titulus eam negandi*: nàm cum dependentia à ſcientia media, vt eius efficacia attemperetur libertati creatæ defendunt decretum comitans ex noſtris Vazquez 1. part. diſp. 99. item Arrubal, Alarcon, & Gaſpar Hurtado citati à P. Ribadeneyra ſinè dependentia, & prælucētia ſcientiæ mediæ, qua innitatur efficacia decreti; retenta tamen eius vtilitate, & neceſsitate ad providentiam perfectiſsimam, quæ requirit conferri auxilium cum notitia infallibili eventus contingentis ſub ipſo: etiam illud propugnat idem Pater Doctor Ribadeneyra tota diſp. 10. de Prædeſtinatione, vbi præclari ſui Ingenij vela pandit.

64 In huius decreti impugnationem vltrà omnes Doctores Thomiſtas conſpirarunt noſtri, inter quos palmam ferunt Sapientiſsimi Recentiores controverſia 6. de prædeſtinatione cap. 6. Izquierdo tomo 2. de Deo tract. 11. diſp. 38. quæſt. 3. propoſitione 5. Herrera quæſt. 9. de prædeſtinatio-

tione per totam. Iunius sectione 9. de providentia, præcipuè capite 5: cum quibus impugnatur primo authoritate ex omnibus illis locis, in quibus Patres, (vt vidimus agentes de prædeterminatione) generatim excludunt pro nostris actibus liberis determinationem Dei immediatam, tribuentes tantùm voluntati creatæ determinationem, & electionem suorum actuum, supposito exercitio divinæ libertatis in vocando, pulsando, & tangendo cor hominis per internam illustrationem; audi vltra dicta clarissimè loquentem Divum Hieronymum in Isaiam capite 49. *Deo vocare est; nostrum credere.* Divum Clementem libro 4. recognitionum pagina 2. *Inspirationem esse à Deo; sed determinationem operum esse cuique propriam.* Sanctum Augustinum libro 1. ad Simplicianum quæstione 2. longè à principio: *Deum vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum; suum vocando; nostrum sequendo.* Tertullianum in exhortatione ad castitatem: *Non debemus, quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem*: id est: *determinativè.* Iustinum Martyrem quæstione 8. ad Orthodoxos: *Non Deus, vt boni, vel mali simus; sed arbitrium nostrum causa est*: scilicèt *electivè, & determinativè proximè.* Sanctum Damascenum dialogo adversùs Manichæos paulò antè finem: *Id quod à nobis*, (id est liberè) *futurum est, a Deo causam non habet*, intellige *determinativè proximè.*

65 Quod consonum valdè est Scripturæ, tùm proponenti Ecclesiastici cap. 15. nostram libertatem, vnicè refundendo in ipsam, determinationem, & electionem proximam, ponita liberè ex parte Dei in creatura indifferentia dominij, tùm Apocalypsis capite 3. Deum, vt spectantem nostrum consensum; non quia opus naturale præcedat gratiam, vt voluerunt Pelagiani, sed, quia determinatio operis facti per gratiam ad divinam libertatem, pulsato per auxilium corde, non attinet. Quapropter Concilium Tridentinum Sessione 6. cap. 5. Sacras litteras exponens quoad cohærentiam determinationis divinę, & humanæ in opere salutari, dixit. *Vnde in Sacris litteris cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis admonemur; cum respondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia prævenire confitemur*: non aliam agnoscens determinationem, quando libertatis nostræ admonemur; quàm nostram omnem aliam præcedentem: sicùt, quando necessitatis gratiæ, non aliam, quàm Dei prævenientis per auxilij collationem.

¶ Dices: hæc intelligenda esse de prædeterminatione, aùt voluntate immediatè antecedenter decernente actum liberum. Ita quidem est; sed non de his tantùm; verùm de omni determinatione divina immediata: vel, quia Scriptura, & Patres loquentes de immediata determinatione, & electione, se explicant per propositiones vniversales negativas quoad divinam determinationem; vel quia, quando comparant determinationem creatam cum divina, & è contra, semper agnoscunt ordinem *prioris*, & *posterioris*, vt fecit Concilium nulla facta mentione condeterminationis liberę, & immediatę vtriusque agentis.

66 Deinde ratione primò: Distingui libertates, & condeterminari per se, repugnat in terminis: ergo repugnat, libertatem divinā, & creatam mutuò per se in electione libera condeterminari; àc per consequens decretum comitans. Probatur antecedens. Distingui libertates, est distingui dominia electiva: sed distingui dominia electiva, & mutuò per se condeterminari, repugnat in terminis: ergo distingui libertates, & per se condeterminari, repugnat in terminis. Maior est certa. Probatur minor. Dominia, cuiuscumque rationis sint, distinguuntur per independentiam vnius ab alio quoad vsus potestatis suæ lineæ: sed dominia electiva, quæ per se condeterminentur, sunt dominia mutuò dependentia quoàd vsus potestatis *electivæ*: ergo distingui dominia electiva, & mutuò condeterminari, repugnat in terminis. Probatur maior. Ratio specificativa *dominij*, proùt distincti ab alio, est non subiectio quoàd vsus suæ facultatis; aliàs potiùs penès potentiā, cui subijcitur, resideret dominiū, quàm in ipsa: sed non subiectio quoad vsus suæ facultatis est independentia: ergo dominia, cuiuscumque rationis sint, distinguuntur per independentiam quoàd vsus potestatis suæ lineæ.

¶ Confirmatur primò: ea sola potestas *electiva* iure dicitur dominium libertatis, quæ cùm se determinet per electionem, nulli alteri in eligendo subijcitur: sed solum complexum libertatis divinæ, & humanæ est, quod se determinat per electionem; quin ab vllo altero dependeat, si libertas divina, & crea-

ta mutuò per se condeterminarētur: ergo solū cōplexū libertatis divinę,& humanę est versū dominium in casu condeterminationis vtriusque libertatis: ast quando complexum aliquod, vt tale, duntaxàt participat aliquam rationem, constitutiva inter se distincta non dicuntur duo sub illa ratione: ergo si libertas divina, & humana mutuò per se condeterminarentur, eæ quæ vocantur distinctæ libertates, distinctùmque dominium electivum, vnam tantùm libertatem, vnumque solum dominium electivum constituerent.

67 Confirmatur secundò satis validè. Distinctio libertatis duplicis agentis liberi est antecedens connexum cum potentia se disconformādi in electionibus: ergo distinctio libertatis duplicis agentis liberi non est componibilis cum essentiali determinatione ad se conformandum in electionibus. Consequentia est certa; alias possent componi in distinctis libertatibus determinatio essentialis ad se conformandum, & capacitas ad disconformitatem. Probatur antecedens ex argumento, quo vsi sunt plures Patres ad excludendam multiplicitatem Deorum. Etenim dicebat Athanasius in oratione contra Idola; quem sequuntur reliqui Doctores Catholici: *Si duo, vt volebant Manichæi, vnus rerum omnium, alius malarum; vel plures, vt Ethnici fabulantur, essent Dij; alter esset ab altero independens: vnde alter, altero etiam invito, ageret*: eccè vbi ex distinctione voluntatum, & libertatum arguunt talem independentiam in operando, vt sit legitima illatio, *alterū, altero invito, posse agere & determinare*; cuius argumenti efficacia planè corrueret, si duo agētia libera sub distinctione voluntatum, & libertatum possent esse essentialiter determinata ad talem consensionem operationum; vt id, quod vnum decerneret alterum liberè condeterminaret; & id, quod alterum nollet, ab alio esset concomitanter nolitum: nè ergo hoc argumentum infirmetur, quod ipsum rationis naturalis lumen approbat, fatendum est: distinctionem libertatis duplicis agentis liberi esse antecedens connexum cum potentia se disconformādi in electionibus.

68 Respondebis primò immediatè ex Patre Ribadeneyra. Argumentum Patrum procedere ex imperfectione voluntatum, quæ etsi possent esse conformes in decernendo; tales tamen essent, quarum neutra posset aliquid eligere, non idem alia eligente; ex quo antecedenti deducebant legitimè Deorum repugnare multiplicitatem; cùm *Dei* rationem non mereatur ens, quod non sit vndequaque perfectum. Sed contra solutionem insurgunt Herrera, & Iunius dicentes, & rectè quidem: hoc esse formam arguendi immutare, & medium vnum pro alio subrrogare. Namquè argumentum non procedit ex quavis imperfectione, aut ex indigentiæ inconvenienti, quam vnus alterius haberet; sed ex determinata imperfectione sumpta ex discordia, & diversitate contrariarum voluntatum, quam dari posse, rectum consequens ex antecedenti distinctionis voluntatum, & libertatum iudicabant: at si possibilis esset mutua liberorum agentium condeterminatio, hæc consequentia nulla foret: ergo nec argumentum efficax ad convincendam repugnantem Deorum multiplicitatem.

69 Contra deinde. Quia sicut partialis condeterminatio per te in comitanti decreto imperfectionem non dicit; sic apud Ethnicos respondentes Patrum argumento posset dici: vniversalem condeterminationem in omnibus electionibus vtriusque Dei imperfectionem non arguere. Probatur assumptum. Ideo per te partialis illa condeterminatio imperfectionem non dicit in Deo; quia illam exigit supremum dominium simul cum natura, & essentia voluntatis, libertatisque creatæ, quorum vnum deficeret, si non daretur tale decretum: sed etiam apud Ethnicos vniversalis illa condeterminatio, & voluntatum convenientia esset necessaria ad æternam, & perpetuam fœlicitatem Dei multiplicis; quæ vtilitas præponderat imperfectioni aliunde apparenti ex dependentia, & mutua indigentia eorum in operando, si ad talem status perfectionem non conduceret: ergo nisi ex alio capite suppositio Deorum plurium tolleretur, dependentia, & concomitantia vniversalis in operando nil convinceret.

70 Respondebis forsan secundò ad idem intentum. Medium assumptum à Patribus ad excludendam Deorum multiplicitatem non fuisse vtcumque distinctionem libertatum; sed libertatum independentium, vt essent Deorum libertates, quarum vna ab altero principio non dependeret; in quibus bene valet propter indepēdētiam in essen-

essēdo ad resistentiam, & discōformitatē in operando: cæterùm cum Deus, & creatura sint duo agentia libera, quorum vnum alteri subordinatur in essendo, tàm *absolute*; quàm *cum libertate*; concomitantia operationum, & determinationum non repugnat, nec per argumentum Patrum excluditur. Sed contra: nam semel quod de conceptu *vnius libertatis* non sit excludere condeterminationem alterius per potentiam ad disconformitatem in electionibus, semper remanet debile, & facile solubile argumentum prædictum contra Ethnicos, qui possent respondere: independentię principiorum fieri satis per id, quod vnum non esset liberum per libertatem ab altero acceptam; quin opus esset discordia operationum: ergo argumentum debet procedere in vi distinctionis libertatum, vel nil probat.

71 Respondebis tertiò vniversaliùs. Summa concordia in pleno libertatis dominio, libertatis dominium non destruit: sed condeterminatio duplicis agentis liberi est summa concordia in pleno libertatis dominio: ergo agens liberum, vt tale, non excludit liberam condeterminationem alterius. Maior certa videtur; cum nil destruat id, quod includit; & summa concordia in pleno libertatis dominio plenum includat libertatis dominium. Probatur minor. Condeterminatio duplicis agentis liberi est concordia in operando cum potestate plena impediendi operationem per concordiam in non operando, & è converso: sed cōcordia in operando cum plena potestate impediendi operationem per concordiam in non operādo, & è contra, est cōcordia in pleno libertatis dominio, quod nil aliud est; quàm potestas ad vtrumvis expedita: ergo condeterminatio duplicis agentis liberi est summa concordia in pleno libertatis dominio.

72 Sed contra: quia hæc solutio directè tendit ad infringendam vim argumenti validi apud Patres, & Theologos. Etenim si distinctio libertatum, quarum quælibet sit plenissimum dominium in sua linea, componitur cum determinatione essentiali ad summam in operando concordiam, ineptum antecedens est voluntati, & libertatum distinctio ad inferendam possibilem inter ipsas discordiam. Dicendum igitur est: mutuam concordiam in operando liberè, si aliquid probat, esse summam concordiam in pleno libertatis dominio: sed non in plenis libertatum dominijs; quod erat necessarium, vt mutua condeterminatio libera non destrueret suppositionem distinctarum libertatum per constitutionem vnius tantùm pleni dominij libertatis resultantis ex duobus constitutivis inadequatis dominij, quæ immeritò vocas libertates distinctas, si in suis exercitijs vna ab altera ita dependet, vt non possit aliter velle, aùt nolle, quàm ad mensuram nolitionis, & volitionis alterius.

73 Replicabis. Per nos in voluntate creata independenter à condeterminatione Dei per decretum comitans, datur verum dominium libertatis; & tamen nunquam potest se determinare, Deo efficaciter *affectivè* renitente: ergo vel in voluntate creata non datur verum dominium libertatis, vel de conceptu ipsius non est, *posse se determinare disconvenienter, & diformiter ad liberam determinationem alterius.* Sed contra: quia in tantùm creatura non potest per exercitium suæ libertatis discordare à libera voluntate efficaci Dei; in quantum voluntas efficax divina non est condeterminatio creatæ voluntatis; sed regulatur, & dirigitur cognitione proponente exercitium liberum creaturæ; quod *obiectivè* subsequitur exercitium liberum divinum, se attemperās ad determinationem libertatis creatæ: quod non cotingeret, si concomitanter decerneret: quia cum decretum ex vna parte non esset necessitans, vt dicis, & aliundè cognitione proponente determinationem liberam creaturæ non regularetur, maneret expositum frustrationi per disconformitatem exercitiorum vnius, & alterius libertatis: quæ ratio tanti ponderis est, vt ad se traxerit Sapientissimum Vazquium prima parte disputatione 99. num. 43. & Eximium Suarium in opusculis lib. 1. de scientia futurorum cap. 6. num. 10.

74 Respondebis quartò, infringendo rationem nostram per multas instantias. Nàm non repugnat inter causas talis dependentia in operando concomitanter, vt vna nequeat aliquid efficere, altera idem non efficiente, vt coſtat in concursu simultaneo Dei; imò inter ipsas causas creatas invenitur idē: veluti quando duo ignes applicati sunt ad idem passum cum determinatione ex parte cuiusvis ad non operandum,

non operante alio ; & quod plus eſt per eandem actionem indiviſibilem. Non repugnat in ſententia ponente relationem in accidenti ſuperaddito fundamento, & termino, non poſſe poni in rebus vnam albedinem, quin in omnibus aliis antè exiſtentibus reſultet accidens *relativum*. Non repugnat, vt paſſim ab Authoribus fidedignis refertur, talis concordia inter duas citharas omninò ſimiles, & in eodem gradu temperatas, vnam non poſſe pulſari ad præſentiam alterius ; quin altera per ſe reſonet eodem modo : ergo neque repugnabit in duabus cauſis liberis propter vtriuſque ſympatiam, vnam non poſſe ſe libere determinare, altera ad idem indeterminata, & è contra.

75 Has inſtantias propoſuit Pater Arriaga prima parte diſputatione 42. ſectione 4. eaſque facilimè ſolvit : vel quia ſunt mutuæ condeterminationes ad terminos neceſſarios procedentes ab agentibus naturalibus ; à quibus nulla poteſt eſſe paritas ad agentia libera ; aliàs dic : quod ſicut non repugnat agens determinatum ad vnum ex parte actus primi ; ita non repugnabit agens liberum cum determinatione ſimili : dic etiam ; quod ſicut non repugnat ſympatia inter cauſas *naturales*, necnon antipatia : ſic non repugnat ; vel ſympatia inter cauſas *liberas* creatas, taliter, vt ſemper condeterminentur ; vel antypatia inter aliquam cauſam *ſecundam*, & *primam* : vel quia vnum agens determinat aliud non mutuò, vt accidit in concurſu ſimultaneo : vel, quia peraccidens tantùm reſultat vnus effectus ab vtroque agente : vt quando duo ignes accidentaliter coniunguntur applicati ad idem paſſum ; quin ex ſe habeant determinationem, vt non aliter ; quàm coniuncti, & per concurſum indiviſibilem producant effectum.

76 Reſtant verò adhùc aliæ duæ principaliores, quarum vna ex noſtris principijs poteſt formari. Siquidem, vt dicemus tractatu de Incarnatione, non repugnat dominium *proprietatis* eiuſdem rei penès duos, taliter, vt quivis ſit verè Dominus illius : ergo neque repugnabit dominium *electivum*, & *libertatis* eiuſdem actionis penès duos, ita vt quiſque vera, & propria poteſtate dominativa illam eligat. Conſequentia videtur recta, cùm non minus exigat, aut non exigat dominium *proprietatis* vnius poſſe vti re in proprium commodum diſconformiter ad vſus dominij alterius ; quàm dominium *electionis*, poſſe ſe determinare, & eligere cum diſconvenientia ad determinationem liberam alterius : ergo ſi dominium *proprietatis* eiuſdem rei apud duos per nos non repugnat, nec dominium *libertatis* ad idem determinandum apùd duo agentia libera repugnabit : aut ſi in hoc repugnantiam invenimus ex ratione *dominij* ; dari etiam in dominio *proprietatis*, tenemur defendere.

77 Sed contra : quia non eſt idem, dominium eiuſdem rei penès duos dari ſimul tempore, & dominia vſuſque illorum concomitanter eſſe concomitantia *naturæ*, & *influxus* : ſicùt non eſt idem cauſam, & effectum ſimul tempore exiſtere ; & concomitanter ſe habere concomitantia *naturæ*, & *influxus*. Itaque concedimus ſimultatem *temporalem* dominij *proprietatis* eiuſdem rei apud duos ; negata tamen ſimultate *naturæ*, & *influxus* inter dominia, & vſus illorum ; cùm vnum dominium ab altero derivetur, & vſus vnius ex alterius vſu procedat. Sit exemplum, quando Petrus Dominus libri donat alteri ipſum ; dicimus in inſtanti donationis, accipientem, & donantem eſſe verè Dominos libri : *accipientem* : quia poteſt vti illo in proprium commodum, proùt voluerit : *donantem* : quia habet principalem vſum *dominij* ; ſcilicèt *donare rem* : per quem Dominus rei diſtinguitur à merè vſufructuario, qui rem non poteſt alienare, aùt donare ; in quo caſu dominium accipientis procedit ex influxu dominij, quod eſt in donante ; & vſus accipientis provenit ab vſu donantis, volentis ſe impedire ab omni alio vſu, præter vſum donandi. Vndè quid mirum quod vſus vnius dominij non poſsit diſcordare ab vſu alterius : quod ſi concomitanter *tempore*, & *natura* quoad ſe, & quoad vſus conſiderentur, eodem modo repugnarent, ac repugnant duo libertatis dominia concomitanter quoad vſus ſe habentia : quare nulla eſt inſtantia cum paria ſint apud nos ea dominia ; ſcilicet repugnantia quoad vſus concomitantes ;

poſ-

possibilia verò quoad vsus inter se priores, & posteriores *natura*; quamvis non *tempore*.

78 Altera ex sententia probabili, quam cum alijs tuetur Pater Herrera quæstione 17. de scientia sectione 1. nimirum: omnem scientiam mediam *directam*, seù de hypothesi libertatis creatæ, esse vnum, & eundem actum realiter, & virtualiter repræsentantem meum consensum, & dissensum alterius, vel è contra, sub conditione diversarum libertatum; qui totus virtualiter non existeret, impedita quavis determinatione libera, quæ defacto prævidetur sub hypothesi libertatis creatæ; & totus virtualiter non determinatur, nisi per complexum omnium determinationum liberarum, quæ defacto prævidentur. Ex qua suppositione sic initare possunt adversarij. Non repugnat mutua condeterminatio duplicis agentis liberi, quando non repugnat extremum aliquod libertatis, non aliter potens existere; quàm per condeterminationem plurium libertatum distinctarum: sed si scientia media *directa*, quæ defacto datur, est vnicus etiam virtualiter actus; non repugnat extremum aliquod libertatis, aliter non potens existere; quàm per condeterminationem plurium libertatum distinctarum: ergo non repugnat mutua condeterminatio duplicis agentis liberi. Probatur minor. Ea scientia est extremum impedibile, & determinabile per quodvis dominium creatæ libertatis; quia sicut potest impedire, & determinare scientiam mediam correspondentem suæ determinationi liberæ; sic potest impedire, & determinare quidquid cum ipsa virtualiter idem est: sed non potest eam determinare, nisi adsint condeterminationes aliarum libertatum, inter quarū determinationes nullus est ordo prioris, & posterioris; alias ego solus per meum dissensum sub auxilio potiem determinare scientiam mediam de consensu, aùt de alterius dissensu: ergo si scientia media *directa*, quæ defacto datur, est vnicus etiam virtualiter actus; non repugnat extremum aliquod libertatis, aliter non potens existere; quàm per condeterminationem plurium libertatum distinctarum.

79 Verùm, admissa ea sententia, adhuc nulla est proportio ad condeterminationem distinctarum libertatum, quam adversarij intendunt; cùm præcisè probet, esse possibile aliquid per libertatem determinabile *remotè*, quod non nisi ex concursu per accidens determinationum libertatum distinctarum posset existere. Patet: nam scientia media, quæ defacto datur repræsentans v. g. consensum Petri, & dissensum Pauli sub hypothesi libertatis cuiusvis, non aliter potest existere *determinativè* per libertatem creatam; quàm concurrentibus consensu Petri, & dissensu Pauli conditionatè prævisis: sed consensus Petri, & dissensus Pauli purè per accidens concurrunt conditionatè determinati, vtpotè qui inter se nullam habent connexionem: ergo præcisè probat instantia: esse possibilem terminum aliquem *remotum* libertatis, qui non nisi ex concursu per accidens duplicis determinationis liberæ distinctarū libertatū posset existere: in quo, quid pro sympatia, & cō determinatione per se duplicis libertatis, & voluntatis? Non magis certè; quàm si ad probandum esse possibiles lapides mutuò inter se connexos, & inseparabiles à constituendo vnum acerbum, assumeretur pro medio possibilem esse acerbum lapidum, qui non possit existere nisi ex lapidibus illis inter se coniunctis.

80 Secundò. Vel decretum hoc, quod comitans dicitur, supponit omnipotentiam sufficienter applicatam, vt concurrat cum creatura ad consensum, vel constituit eius applicationem, & expeditionem: si *hoc secundum*: ergo decretum, & antecedens est, & creatam libertatem destruit: *est antecedens*: quia decretum illud, quod omnipotentiam constituit expeditam in actu primo ad concurrendum cum creatura ad consensum, est constitutivum illius libertatis: ac per consequens præcedit in signo potestatis ad consensum. *Destruit insuper libertatem*: Nàm constitutivum potestatis ad consensum connexum cum illo opponitur indifferentiæ potestatis, præcipuè quando non est exercitium voluntatis: quod est libertatem destruere. Si *primum*: ergo decretum comitans non est necessarium ad existentiam consensus liberi. Assumptum probo.

81 Non est necessarium tale decretum, vt consensus liber existat ab omnipotentia ex determinatione

creaturæ : ergo non est necessarium, vt consensus liber existat. Consequentia bona est. Antecedens probo. Tunc non est necessarium novum decretum, vt consensus liber existat ab omnipotentia ex determinatione creaturæ, quando præintelligitur aliud constituens omnipotentiam applicatam, vt concurrat ad consensum ex determinatione creaturæ : sed si decretum comitans præsupponit omnipotentiam applicatam ad concurrendum cum creatura ad consensum liberum, antè ipsum præintelligitur aliud constituens omnipotentiam applicatam, vt concurrat cum creatura ad consensum ex creaturæ determinatione : ergo si hoc decretum, quod comitans dicitur, supponit omnipotentiam sufficienter applicatam, vt concurrat cum creatura ad consensum, non est necessarium ad existentiam consensus liberi. Confirmatur. Omnipotentiam ex parte Dei esse præparatam ad influendum in consensum ex determinatione creaturæ, est ex parte Dei nil deficere, vt existat consensus liber ab omnipotentia ex determinatione creaturæ : sed si, supposita applicatione omnipotentiæ ad consensum, adhuc esset necessarium decretum comitans, propriori ad illud aliquid deficeret ex parte Dei, vt existat consensus liber ab omnipotentia ex creaturæ determinatione : ergo si decretum comitans præsupponit omnipotentiam præparatam ad consensum liberum, non est necessarium, vt existat consensus ab omnipotentia ex determinatione creaturæ.

82 Inde fluit : neque esse ex tali suppositione possibile : quod sic suadeo. Omnipotentiam esse, quatenùs est ex parte Dei, expeditam, vt concurrat ad consensum ex determinatione creaturæ, & esse indifferentem, vt pro sensu composito talis expeditionis ex parte Dei impediatur liberè à tali concursu per impeditionem ex parte Dei, est expeditio ex parte Dei componibilis cum impeditione ex parte Dei, quod repugnat : sed præparatio omnipotentiæ componibilis cum decreto comitanti, est omnipotentiam, quatenus est ex parte Dei, esse expeditam, vt concurrat ad consensum ex determinatione creaturæ, & esse indifferentem, vt pro sensu composito talis expeditionis ex parte Dei impediatur liberè à tali concursu per impeditionem ex parte Dei : ergo præparatio omnipotentiæ, nè sit expeditio ex parte Dei componibilis cum impeditione ex parte ipsius, non est componibilis cum decreto comitanti.

83 Dices : impeditionem *consequentem*, & ex parte actus *secundi* non tollere expeditionem *antecedentem*, & in actu *primo* : vt videre est in libertate, quæ per suum exercitium se impedit ab alio ; nèc propterea desinet esse expedita *antecedenter*, & in actu *primo* ad illud : ergo quod Deus libere impediat concursum in actu *secundo* omnipotentiæ ad consensum ex determinatione voluntatis creatæ, non impedit omnipotentiam manere expeditam in actu *primo* ad talem concursum ex determinatione voluntatis. Sed contra : quia eodem modo posset defendi prædeterminationem non impedire expeditionem omnipotentiæ, vt concurrat cum voluntate ad consensum ex determinatione illius, dicendo : esse impedimentum *consequens*, & quod se tenet ex parte actus *secundi*; vt in rè dicitur à suis assertoribus ; & nihilominus libertas, quæ in Deo datur ad prædeterminandum sic, vel aliter pòst signum creatæ potestatis constitutæ per omnipotentiam, vt expeditam ad concurrendum cum creatura, impedit expeditionem omnipotentiæ ad concurrendum ex determinatione creaturæ : ergo solutio nulla est.

84 Quæ tantùm valere potest, quando impeditio *consequens* est exercitium potentiæ, *vt expeditæ*, aùt quando impeditio *consequens* non affert secùm incomponibilitatem cum expeditione *antecedente* : vt contingit in libero exercitio Dei decernendi comitanter consensum creaturæ, quod nequè est exercitium omnipotentiæ ; & aliundè affert incomponibilitatem cum expeditione omnipotentiæ ex parte actus *primi* ad concurrendum in actu *secundo* ex determinatione voluntatis creatæ. Quod sic confirmo. Esse omnipotentiam, quatenùs est ex parte Dei, præparatam ad consensum ex determinatione creaturæ, & nondùm esse certum : àn Deus nolit efficaciter : omnipotentiam concurrere ad consensum ex determinatione creaturæ, est omnipotentiam esse præparatam ex parte Dei, reservata sibi in posterum decisione de concursu illius in consensum ex determinatione creaturæ : clariùs adhùc : est omnipotentiam esse præparatam, vt significatur per hos terminos

sit

sit penes te determinatio concursus, si ego voluero liberè: ergo quod potest omnipotentiæ applicationem ad concurrendum cum creatura ex ipsius determinatione sit possibile decretum comitans, est esse possibile simul cum existentia præparationis destructivum illius.

85 Tertiò: decretum *effectivè* efficax est antecedens: sed per te decretum, quod dicis comitans consensum liberum, est *effectivè* efficax: ergo decretum, quod dicis comitans, est antecedens. Maior probatur. Decretum *effectivè* efficax, vel est causa; aut vis se ipsa causans, & producens effectum; vel est actio productiva effectus; vel est quid per se immediatè applicans potentiam exequutivam ad productionem effectus: sed quocumque ex his modis est antecedens: ergo decretum efficax *effectivè* est antecedens. Minor est certa quoad omnem partem: *quoad primam*. Nam virtus, aut causa influens in effectum est antecedens ad actionem effectus: ergo ad ipsum effectum. *Quoad secundam*. Actio productiva effectus, & ab illo distincta procedit immediatiùs à causa, & virtute; quàm effectus: sed non procederet immediatius, nisi inter ipsam, & effectum esset aliqua præcedentia: ergo etiam actio productiva effectus antecedit effectum. *Quoad tertiam*. Applicatio virtutis exequutivæ ad actionem effectus est id, ratione cuius potiùs datur actio, quia ipsum exiitit; quàm ipsum exiitit, quia exiitit actio; aliàs in ordine ad applicandam potentiam superflueret; cùm non induceret maiorem determinationem; quàm ipsa actio: ergo id, quod immediate applicat potentiam exequutivam ad actionem effectus, præcedit actionem, & effectum.

86 Probo igitur maiorem. *Effectiva* efficacia actuum divinorum non aliter potest distingui ab efficacia purè *affectiva*; quàm ex eo, quod decretum exequutivum immediatè per se efficiat id, quod efficaciter *affectivè* vult; secùs decretum purè *affectivè* efficax indigens alio actu immediatè *effectivo*: sed non est alius modus efficiendi per se, & absquè interventu vlterioris actus; quàm vel, vt virtus productiva; vel vt actio producens; vel vt immediata applicatio virtutis producentis ad exequutionem obiecti voliti: ergo decretum *effectivè* efficax; vel est vis se ipsa causans effectum; vel est actio productiva effectus; vel est quid per se applicans potentiam exequutivam ad productionem effectus. Confirmatur. Decretum *effectivè* efficax est decretum immediatè efficiens suum obiectum: sed nil est immediatè efficiens alterius; nisi vel, vt causa, aut virtus illius; vel vt actio, vel vt applicatio virtutis ad actionem productivam illius: ergo &c.

87 Dices: decretum influere vt *quo*, & vt actionem productivam consensus; quæ licèt sit pro priori ad consensum, non est pro priori ad actionem, qua procedit à voluntate; sed cum ipsa concomitanter se habet. Vnde sumit rationem decreti comitantis; & minimè lęsivi libertatis creatæ; cùm non antecedat immediatum exercitium voluntatis, ratione cuius est ipsi liber consensus. Sed contra: nàm vel actio, qua voluntas creata elicit consensum, distinguitur realiter ab ipso; vel est realiter indistincta? Si *realiter indistincta*: ergo cùm decretum per te præcedat, vt actio productiva consensus, etiam præcedet, vt actio productiva actionis voluntatis à consensu indistinctæ; eritque decretum, non comitans, vt asseris, actionem voluntatis; verùm ad ipsam præcedens. Si *distincta*: ergo quàmvis consensus voluntatis sit condeterminatus à Deo; actio voluntatis, quæ est immediatum exercitium illius, non procedit condeterminata à Deo: patet: Id tantùm condeterminat Deus per decretum, quod vult, & efficit vt *quo* per ipsum decretum: sed in ea suppositione concomitantiæ ad actionem creaturæ tantùm vult, & efficit consensum; non voluntatis actionem: ergo voluntatis actio, quæ est immediatum exercitium illius, non procedit condeterminata à Deo.

88 Iam si ita sit; subinferam: ergo sicut consensus in tantum determinatur à voluntate, inquantum determinat actionem illius; in tantum condeterminabitur à Deo, in quantum condeterminet actionem illius: sed in casu distinctionis actionis voluntatis à consensu Deus non condeterminat actionem voluntatis: ergo neque condeterminat consensum: est igitur Deus necessitatus; vel ad decernendum antecedenter exercitium liberum creaturę, quo cum, etiam per te, libertas non componitur; vel ad non decernendum concomitanter, vt inquis, manente de-

decreto comitanti : quod est se implicare in terminis hanc liberam Dei cõdeterminationem.

89 Quartò, & principaliſsimè. Id, cuius omiſsio non connectitur cum carentia actus, est id, quod, proùt existens, non requiritur necessariò ad actum: sed omiſsio decreti comitantis non connectitur cum carentia actus liberi v. g. consensus: ergo decretum comitans non est necessarium, vt existat consensus. Maior est certa: quia à contradictorio termini connexionis *metaphysicæ* valet ad contradictorium fundamenti connexionis: ergo nullum maius signum non connexionis actus liberi cum decreto comitanti; quàm non illatio à defectu decreti comitantis ad defectum actus liberi. Probatur minor. In casu præcepti omiſsio decreti comitantis ad obſervationem præcepti non connectitur cùm omiſsione actus præcepti: ergo omiſsio decreti comitantis non connectitur cum omiſsione actus liberi v. g. consensus. Prob. antecedens. Si in casu præcepti omiſsio decreti comitantis ad obſervationem præcepti connecteretur cum omiſsione actus præcepti, Deus liberè omittens decretum comitans, liberè per omiſsionem condeterminaret peccatum, & violationem præcepti; ſicut liberè per decretum condeterminat actum honestum, & præcepti obſervationem; essetque causa *per se* peccati: ergo in casu præcepti omiſsio decreti comitantis ad obſervationem præcepti non connectitur cum omiſsione actus præcepti. Probatur antecedens. Liberè concomitanter omittere necessarium *metaphysicè* ad actum, est liberè concomitanter ponere connexum cum carentia actus, quando non ſupponitur carentia actus: ſed ita Deus ſe gereret quoad omiſsionem actus præcepti, ſi omiſsio decreti comitantis connecteretur cum omiſsione actus præcepti: ergo ſi in casu præcepti omiſsio decreti comitantis ad obſervationem præcepti connecteretur cum omiſsione actus præceti; Deus liberè omittens decretum comitans, liberè per omiſsionem condeterminaret peccatum; ſicùt liberè per decretum condeterminaret actum honestum; essetque causa *per se* peccati.

90 Respondebis primò: Omiſsionem liberam decreti comitantis, quo Deus decernit adimpletionem præcepti, connecti cum peccato, & præcepti transgreſsione; cæterùm non ideò Deum condeterminare ad peccatum; nèc esse causam *per se* illius: quia ad id opus erat, quòd condeterminaret ad malitiam peccati, & ad formale illius; id autem non facit per omiſsionem liberam decreti, quæ præciſsè est condeterminatio ad materiale peccati, & ad rationem *entis* illius: modo, quo apùd prædeterminantes, etſi prædeterminatio connectatur cum formali peccati, non est prædeterminatio illius ſecundũ formale; ſed ſecũdùm materiale: qua ratione non ſubterfugit divinã causalitatẽ *per se*, neque vllã Deo affert indecẽtiam. Sed cõtra: quia hæc ſolutio tantũ potest tribui prædeterminantibus; non nobis, qui totis viribus prædeterminationem ad materiale peccati excluſimus, conantes oſtendere: idem esse prædeterminare ad materiale peccati, àc Deum esse causam *per se* formalis malitiæ, quæ in ipſo reperitur: vnde per explicationem datam non extinguitur; ſed reaſſurgit difficultas: nàm ſicùt prædeterminare ad materiale, non ſtat ſinè prædeterminatione ad formale; ita condeterminare ad materiale, non componitur abſquè condeterminatione ad formale; eiſdemque argumentis ex capite *causalitatis per se* Dei in peccatum venit impugnanda condeterminatio, àc prædeterminatio ad materiale peccati: recolantur igitur, & applicentur.

91 Reſpondebis ſecundò ex doctrina Patris Ribadeneyra: benè componi: omiſsionem decreti comitantis ad conſenſum connecti cum omiſsione conſenſus præcepti, & cum peccato; & Deum non esse causam *per se* condeterminativam peccati, nequè quoad formale, nequè quoad materiale. Et ratio est: quia omiſsio decreti, quæ cum peccato connectitur, non est *electivè*, & *determinativè* à Deo; ſed purè *permiſsivè*, in quantum ſe ſinit impediri à decreto per determinationem voluntatis creatæ ponentis ſe ſola diſſenſum, ſeù carentiam conſenſus præcepti: ſi autem Deus *permiſsivè* ſe habet erga omiſsionem connexam cùm peccato, *permiſsivè* ſe habebit erga peccatum, quod est terminus metaphyſicæ connexionis, quam fundat omiſsio decreti comitantis cum peccato.

92 Hæc ſolutio, reliquis omnibus viſa est difficilima; quàm tueri, & apud audientes inaurare va-

lue-

luerunt sola dexteritas, & rara in suadendo fælicitas inventoris. Eam impugno primò. Omnis causa *permittens* est causa *per se* permissionis: ergo si Deus permittit omissionem sui decreti, Deus est causa *per se* permissionis omissionis sui decreti. Consequentia tenet, & antecedens probatur. Si permittens non esset causa *per se*, & determinativa permissionis; verùm *permissivè* se haberet erga ipsam permissionem, tàm non esset permittens; quàm causans: cùm tàm non tribueretur ipsi permissio, quàm causalitas: sed permittens potius est permittens, quàm causans: ergo omnis causa *permittens* est causa *per se* permissionis. Iam sic: sed Deus non aliter potest esse causa *per se* permissionis omissionis sui decreti liberi; quàm *per se* liberè non determinando decretum, quod formalissimè est, determinare omissionem: ergo si Deus *permissivè* se habet erga omissionem decreti comitantis requisiti ad consensum, Deus est causa *per se determinativa* omissionis decreti; ac per consequens implicat in terminis solutio. Confirmatur: signum immediatum post libertatis signum est signum alicuius liberæ determinationis: ergo signum immediatum post libertatem Dei ad decernendum consensum obligatorium, est signum alicuius determinationis liberæ. Consequentia est legitima, & antecedens constat ex ferè omnium sententia dicente: libertatem non posse suspensivè se habere quoad suas determinationes. Nunc rogo: quando Deus non decernit comitanter consensum obligatorium; qualis est illa determinatio libera, per quam Deus satisfacit libertati decernendi, si non determinat liberè omissionem decreti? Dices: esse permissionem carentiæ decreti: verùm rursus rogo: in quo exercitio libero consistat hæc permissio? Aut enim est libera non positio decreti; & sic carentia non erit permissa; sed determinata: aut est aliud, quod nec assignatur, nec facilè post signum libertatis creatæ iam constitutæ assignari potest: ergo vel hæc permissio carentiæ decreti est inintelligibilis, vel carentia decreti est à Deo liberè determinata, & non purè permissa.

93 Confirmatur secundò. *Permittere* est liberè *determinativè* non impedire id, quod impediri potest: ergo Deum permittere carentiam sui decreti, est liberè *determinativè* non impedire illam, cum possit: ergo non impedire carentiam decreti, est liberum Deo *determinativè*: sed non impedire est *formale* contradictorium impedimenti, quod est decretum: ergo *formale* contradictorium decreti, quod est carentia ipsius, est à Deo determinativè, & electivè; ac per consequens carentia decreti comitantis est à Deo simul *permissivè*, & *determinativè*.

94 Impugno secundò. Deus liberè per te permittit carentiam sui decreti: ergo Deus liberè condeterminat ad peccatum, & est causa *per se* illius. Probo consequentiam. Non minus permissio carentiæ decreti; quã carentia decreti est connexa cum peccato: ergo Deus liberè permittendo carentiam decreti liberè condeterminat peccatum, & est causa *per se* illius. Antecedens est certum. Nam permissio carentiæ decreti est inseparabilis à carentia consensus, quæ in casu præcepti est peccatum. Probo consequentiam. Liberè concomitanter ad actionem peccaminosam ponere connexum cum tali actione, est liberè concomitanter illam determinare: sed Deus liberè permittendo carentiam sui decreti, ponit liberè concomitanter connexum cum actione peccaminosa: ergo Deus liberè permittendo carentiam decreti, liberè condeterminat peccatum, & est causa *per se* illius. Explicatur. Si Deus liberè determinaret carentiam decreti, liberè condeterminaret ad peccatum; quia liberè poneret concomitanter id, quod cum peccato connectitur: sed non minus cum peccato connectitur permissio carentiæ decreti; quàm illius carentia: ergo non minùs liberè condeterminat ad peccatum, liberè determinans permissionem carentiæ decreti; ac condeterminaret, si liberè poneret carentiam decreti.

95 Si respondeas: permissionem esse tantùm liberam Deo *permissivè*, ideoque per connexionem illius cum peccato ad istud non condeterminare: præterquamquod iam supra hæc evasio manet præclusa, eam sic iterùm refello. Ergo Deus tàm se sinit impediri à creatura ad non permissionem; quàm se sinit impediri à creatura ad decretum; cum tàm *permissivè* se habeat erga permissionem; quàm erga carentiam decreti: vnde procedo. Vel Deus, dùm se sinit impediri à non permis-

missione, se habet *electivè*, & *determinativè* circà permissionem permissionis, vel etiam *permissivè*? Si *determinativè*, & *electivè*: in hac determinatione, & electione instauratur argumentum: siquidem talis determinatio, & electio non minus connectitur cum peccato; quàm carentia decreti: si *permissivè*: ergo in hac permissionum serie nullum est exercitium à Deo electum, & liberè determinatum, in quo permissio fundetur; ac perconsequens Deus omninò determinatus ab alio permittet: quod in re est: Deum nō permittere. Assumptum probo. *Permittere*, est non impedire absquè determinatione ad non impediendum: sed *permittere ex determinatione alterius*, est permittere cum determinatione ad non impediendum: ergo Deum permittere ex determinatione alterius, est Deum in rè non permittere.

96 Si insistas: Deum, quamvis determinatum ab alio ad permittendum, posse impedire determinationem alterius; quo salvus manet conceptus *permissionis* non excludens determinationem alterius vtcùmque; sed solam inimpedibilem; inferam: ergo Deus liberè non impedit determinationem alterius, cùm possit impedire: ergo non impeditio est ex libera determinatione Dei: sed non impeditio est connexa cum peccato: ergo Deus liberè non impediendo, liberè condeterminat ad peccatum. Quod si de hac non impeditione asseras, non esse Deo liberam *determinativè*; sed *permissivè*; vanus erit recursus ad impeditionem pro explicanda permissione, quando ex explicatione impeditionis relaberis in obscurissimam, & imperceptibilem permissionem.

97 Impugno tertiò. Libertas tantùm potens determinare vnum extremum, quoad alià omninò *permissivè* se habens, est libertas determinata ad vnum, & chymærica: sed libertas, quæ in Deo datur ad decretum comitans, est libertas tantùm potens determinare decretum, quoad alia omnino *permissivè* se habens: ergo est libertas determinata ad vnum, & chymærica. Probatur maior. Talis libertas est indeterminabilis à se, nisi quoad vnum extremum: sed libertas indeterminabilis à se, nisi per vnum extremum, est libertas determinata ad vnum: ergo libertas tantùm potens determinare vnum extremum, quoad alia omnino *permissivè* se habens, est libertas determinata ad vnum, & chymærica. Maior est doctrina Adversariorum. Probatur minor. Indeterminabilitas ex se, nisi per vnum, est necessitas ex se ad vnum: sed necessitas ex se ad vnum est determinatio ad vnum: ergo libertas indeterminabilis à se, nisi per vnum extremum, est libertas determinata ad vnum. Confirmatur. Libertas indeterminabilis ex se, nisi per vnum extremum, & absque vlla determinatione in permissionem, permittens oppositum, est potestas, sicut illa, quæ datur in agentibus naturalibus ad conspectum agentium maioris activitatis, à quibus impediuntur in operando id, ad quod ex se possunt determinari: sed talis potestas est potestas determinata ad vnum: ergo libertas indeterminabilis ex se, nisi per vnū extremum, & absquè determinatione vlla in permissionem permittens oppositum, est potestas determinata ad vnū. Maior, ad quam reducitur difficultas, videtur certa; cùm sit potestas, sicut illa, quæ datur in calore ad producendum quatuor gradus caloris in cōspectu frigoris intensioris, à quo impeditur, vel omninò à productione caloris in passo, vel ab intensiore effectu, quem ex se potest producere.

98 Impugno quartò. Per te non repugnat conceptui *libertatis immediatæ* ad vnum extremum, illud non exercere liberè, & tantùm *permissive* se habere erga carentiam illius, purè sinendo ab illo impediri: ergo non est potior ratio, vt vrgente præcepto, creatura v. g. Petrus se habeat *permissivè* erga carentiam actus impletivi præcepti; quàm Deus erga carentiam sui decreti. Probo consequentiam. Vnicum fundamentum, quod posset dari, vt voluntas Petri non se haberet *permissivè* erga carentiam actus præcepti, esset libertas immediata ad illud obseruandum cum carentia liberæ obseruationis: sed per te libertas immediata actus, & non exercitium illius, non est fundamentum, vt detur plusquàm permissio carentiæ actus, per quam liberè non exercetur: ergo, posita ea doctrina, non est potior ratio, vt vrgente præcepto, creatura se habeat *permissivè* erga carentiam actus impletivi præcepti; quàm Deus erga carentiam sui decreti.

99 Respondebis. Creaturam superaddere obligationem ponen-

nendi actum, quam Deus non habet ponendi decretum comitans, ratione cuius obligationis, creatura redditur impotens purè permittendi carentiam sui actus. Nèc novum est, quod concursus alias *permissivus* in non habente obligationem impediendi effectum, constituatur *per se* ob obligationem illum evitandi. Sic Navarchus non præbens auxilium, ne navis summergatur, est causa *per se* summersionis, quando alius, cui non competit obligatio impediendi navis excidium, tantùm *permissivè* se habet, ei non succurrendo. Sed contra: ergo secluſa obligatione ponendi actum, non repugnat ex conceptu *libertatis proximæ* ad actum, non se exercere liberè in illius positione, & purè *permissivè* se habere erga carentiam illius: ergo quando actus non est obligatorius respectu creaturæ, vt non est actus consilij; non repugnat voluntatem creatam *proximè* liberam ad talem actum, non se exercere liberè in positione illius; & se habere tantùm *permissivè* erga carentiam; ideoque Deus non se exercens per decretum comitans actus consilij, erit; cui tribuetur *per se* defectus, & non existentia actus consiliati; creaturæ verò permissio non vtcumque; sed *permissivè*.

100 Si sequellà admittatur, scire desidero; cùm voluntas creata libera immediatè ad actum consilij *permissivè* se habet quoad carentiam illius; an id faciat, quia aliter se gerere non potest in carentia actus, quem licitè potest omittere; sicut Deus aliter; quàm *permissivè*, non potest ponere carentiam decreti comitantis requisiti ad actum præceptum; vel liberè, ita vt se exerceat *permissivè*, potens non se exercere *permissivè*, determinando, & eligendo carentiam actus? Si *primum*: ergo omnis carentia actus, qui licitè potest omitti, est vnicè Deo imputabilis, & determinabilis. Si *secundum*; quid differentiæ erit inter voluntatem permittentem carentiam, & voluntatem determinantem, & eligentem defectum sui actus; quando in vtroque casu eadem libertas immediata datur ad exercitium actus, & idem defectus intelligitur in signo immediatè subsequuto ad indifferentiam actus *primi*?

101 Aſt si propterea neges sequellam vt absurdam cum recursu ad conceptum *libertatis proximæ*, cuius *non determinare actum*, est determinare carentiam: ergo independenter ab obligatione impediendi carentiam per positionem actus est determinatio in conceptu ipso *libertatis proximæ* ad actum: vt si actum liberè non determinet; non se habeat purè *permissivè* in defectu; sed *determinativè*, & *electivè*; àc per consequens libertas immediata Dei ad decernendum comitanter actum præceptum se habebit *determinativè*, & *electivè* in carentia illius, quando per decretum non exercetur. Si cum recursu ad conceptum *libertatis proximæ* non *genericè*; sed *specificè* acceptæ, & vt contrahitur ad creaturas, in quibus non datur inconveniens, quod in Deo daretur, si non posset permittere carentiam sui decreti immediatè liberi; hoc facilius dicitur; quàm probatur, & est pro libito immutare conceptus, quos Deus in se non immutat; sed perficit: nèc facile est rationem congruentem detegere; cùr ista permissio nequeat inveniri in voluntate divina, & creata? sicut quòd Deus ratione *dominij* possit permittere peccata absquè indecentia, & culpa, non tollit, quod causæ etiam creatæ valeant aliquando aliorum peccata permittere absquè indecentia *morali*, & culpa.

102 Omitto alias impugnationes, quæ contra doctrinam huius Sapientissimi Magistri hic misceri solent ab alijs, vt sunt, ipsum coincidere cum sententia Durandi negantis concursum immediatum Dei in peccatum ex eo, quod asserat: nil procedere ab omnipotentia immediatè, nisi per decretum efficax: vnde cùm aliunde dicat, in permissione peccati non intercedere decretum vllum; sed puram decreti carentiam; videtur legitimè inferri apud ipsum: Deum non habere concursum immediatum suæ omnipotentiæ in peccatum. Item non benè cohærere decretum comitans scientia media non innixum cum necessitate, & vtilitate scientiæ mediæ ad auxiliorum distributionem, quam, ne se ipsum defferat, defendere conatur: vel quia non iudico necessariam consequentiam ex decreto comitanti, vt ab ipso defenditur, ad negationem concursus immediati omnipotentiæ in peccatum; nisi propter alia principia id statuat; de quibus nunc non sum solicitus; vel quia decretum comitans impugno, vt est medium ad excludendam scientiam mediam; pro quo nil conducit inconsequentia illius, qui dicat: efficaciam

talis

talis decreti à scientia media esse independentem, & tamen per id vtilitatem, & necessitatem scientiæ mediæ non excludi; de quo, qui voluerit, legat vbi supra præcitatos Izquierdum, Herreram, & Lunium.

103 Quintò, & vltimò. Decretum hoc non est sufficiens, vt Deus securè procedat in præparatione mediorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur, & per quorum distributionem fit potius prædestinans; quàm non prædestinans: ergo per illud non excluditur necessitas scientiæ mediæ. Probatur antecedens. Hoc decretum nō sufficit, vt pro priori ad collationem auxiliorum sit in Deo scientia proponens extiturum consensum infallibiliter sub existentia auxiliorum: ergo non est sufficiens, vt Deus securè procedat in præparatione mediorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur, & per quorum distributionem Deus est potius prædestinans; quàm non prædestinans. Probatur antecedens. Omnis scientia collationem auxiliorum præcedens, respicienſque decretum comitans, est scientia *naturalis*, qua cognoscit Deus, se posse sub quovis auxilio decernere concomitanter liberum consensum: sed hæc scientia non est sufficiens ad proponendum, consensum liberum extiturum infallibiliter sub existentia auxiliorum: ergo hoc decretum non sufficit, vt pro priori ad collationem auxiliorum sit in Deo scientia proponens extiturum consensum infallibiliter sub existentia auxiliorum. Maior est certa. Probatur minor. Scientia non connexa cum existentia consensus liberi sub auxilio est scientia non sufficiens ad proponendum consensum liberum extiturum infallibiliter sub existentia auxiliorum: sed scientia *naturalis*, qua Deus cognoscit, se posse sub quovis auxilio decernere concomitanter consensum liberum, est scientia non connexa cum existentia consensus liberi; tum quia est scientia *necessaria* omninò independens à veritate *contingente*: tum quia esset connexa cum decreto comitanti requisito ad consensum, à cuius existentia sub auxilio præscindit: ergo hæc scientia non est sufficiens ad proponendum consensum liberum extiturum infallibiliter sub auxiliorum existentia.

104 Confirmatur. Per te, posito auxilio, Deus est plenè indifferens ad decernendum, & non decernendum liberum consensum: ergo, posito auxilio, nil est potius connexum cum consensu libero; quàm cum defectu illius: sed posito auxilio, existit complexum auxilij, & scientiæ dirigentis: ergo complexum auxilij, & scientiæ dirigentis nullam habet connexionem cum consensu libero. Instabis immediatè. Per nos, posito auxilio, voluntas creata est indifferens ad consentiendum, & non consentiendum: sed, posito auxilio, sub quo consentit liberè, existit complexum auxilij, & scientiæ mediæ de efficacia illius, quod est connexum cum consensu: ergo quod Deus, posito auxilio, sit plenè indifferens ad decernendum, & non decernendum consensum liberum, non est antecedens, ex quo inferatur: posito auxilio, nil esse potius connexum cum consensu libero; quàm cum defectu illius.

105 Sed contra: quia in tantum antecedens *indifferentiæ* non est aptum ad inferendum consequens *non connexionis* cum determinato libertatis extremo; in quantum connexio, quæ datur, sit consequens exercitium ipsum libertatis; vt accidit in connexione complexi scientiæ mediæ de efficacia, & auxilij, cuius connexio est consequēs consensum liberum propter consequentiam, quam ad illum habet *obiectivè* scientia media de efficacia: at quando connexio est antecedens, vt esset, quæ daretur in complexo scientiæ *naturalis*, & decreti auxilij, si hoc complexum connecteretur cum decreto comitanti, benè valet ab antecedenti *indifferentiæ proximæ* ad decernendum comitanter, ad exclusionē connexionis cum existentia decreti. Vnde roboratur confirmatio. Si scientia *naturalis* dirigens collationem auxilij, constitueret cum auxilio complexum connexum cum decreto comitanti, Deus sub nullo auxilio posset non decernere comitanter propter antecedentem connexionem cum decreto comitanti sub auxilio, quæ sub omni eadem esset: at Deus per te, vt evidentissimum est, non est necessitatus ad comitanter decernēdum; cùm tot defacto dentur auxilia inefficacia: ergo complexum scientiæ *naturalis* dirigentis, & auxilij, tàm expers est securitatis quoad existentiam consensus sub auxilio, quàm connexionis.

Au-

106 Audivi aliquos ex Scotistis huic rationi occurrentes per auxilia *moraliter* connexa cum consensu, quibus superaddunt decretum comitans : itaque dicunt : Deum vi scientiæ *naturalis*, qua connexionem *moralem* auxiliorum cognoscit, reddi securissimum de existentia consensus sub ipsis, ex qua scientia directus, confert auxilium, & post comitanter decernit consensum. Cæterum vltra inconvenientia iam ponderata contra hunc modum directionis, & eius infallibilitatem, statim se offert inutilitas decreti comitantis, vt Deus obtineat consensum liberum à voluntate creata : nàm si per solam *moralem* connexionem auxiliorum, quæ Deo deficere non possunt, est potens proximè obtinere consensum liberum infallibiliter ; ad quid decretum comitans superveniens, & eius ponderata necessitas ? Præcipuè ; cum tam ingentes patiatur difficultates quoad actus pravos. Vlterius ; vel connexio *moralis* auxilij cum consensu inducit necessitatem *moralem* decreti comitantis ; vel non ? Si *non inducit* : quomodo eam potest inducere ad consensum, qui non potest existere, nisi concomitanter decretus per Deum nullam patientem *moralem* necessitatem decernendi ? Si *inducit* : ergo sicut propter *moralem* connexionem auxilij cum consensu Deus cognoscit infallibiliter futurum consensum sub auxilio ; sic propter *moralem* connexionem auxilij cum decreto Deus cognoscet infallibiliter extiturum decretum sub auxilio : vnde Deus, posito auxilio, erit necessitatus antecedenter ad decretum vi complexi scientiæ repræsentantis connexionem auxilij, & existentiæ auxilij, quorum neutrum est impedibile per potestatem proximam decernendi, quæ exiitit concomitanter ad signum creatæ libertatis ; nèc tàm Deus comitanter determinabit voluntatem creatam ad eo nsensum ; quàm antecedenter per decretum collativum auxilij, medio quo, constituit complexum connexum cum consensu, & inimpedibile à creatura.

107 Fortè respondebit alius : prædestinationem consistere in ipso decreto comitanter decernenti consensum, quod est medium proximum consensus assequutivum, quodque Deus ponit cum infallibili scientia *naturali*, & *necessaria* proponente connexionem illius *metaphysicam* cum consensu. Sed contra : quia non solum obtinet nomen *prædestinationis* præparatio medij *proximi* ; verùm præparatio omnium donorum, & beneficiorum secundùm seriem ordinatam per divinam providentiam, vsquèad assequutionem salutis, iuxta illud Apostoli ad Romanos capite 8. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt Sancti* : inter quæ enumerat, vt prædestinationis effectus vocationes, & illustrationes dicens. *Quos autem prædestinavit, hos, & vocavit* : at prædestinatio, iuxta D. Augustinum, est *Præscientia, & præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur* : ergo non modò præparatio medij *proximi* ; verùm *remoti* est præparatio sciens infallibiliter eventum sub ipso. Contra deinde : ergo quidquid sit de conceptu *præparationis prædestinativæ*, aliqua media confert Deus in ordine ad finem intentum, incerto quodam modo, & cum ignorantia conducentiæ in actu secundo ; quod minimè decet divinam providentiam, & eam cum creata, & fallibili confundit.

108 Aliter respondebis dicendo. Verum esse scientiam *naturalem* dirigentem ad collationem auxilij, quod per prædestinationem confertur, non habere connexionem, nec cum consensu, nec cum decreto illius sub existentia auxilij ; tamen inducere securitatem de eo, quod Deus est potens proximè ad reddendum efficax auxilium per determinationem suam ; quod sufficit, vt Deus securissimè procedat in electione auxilij. Nàm quæ maior securitas desiderari potest in mediorum positione ; quàm illa innitens infallibili scientia de subordinatione efficaciæ voluntati eligentis ? Sed contra : quia hæc securitas ponderata talis est, vt ea data, possit dari præparatio medij sinè cõsensu ; cùm tàm ex parte sui ; quàm ex parte scientiæ, & complexi vtriusque sit indifferens ad non efficaciam medij ; sicut est indifferens ad decretum comitans ; ac per consequens non est sufficiens. Ratio est clara : Propterea quòd securitas, & certitudo propria prædestinationis est illa, quæ communis non est providentiæ *reprobativæ* : sed certitudo, & securitas, quæ tantùm sistat in scientia proponenti : efficaciam au-

xilij subesse libertati Dei potentis decernere comitanter consensum, est securitas, & certitudo communis providentiæ *reprobativæ*: ergo non est sufficiens. Itaque requiritur certitudo talis scientiæ, quæ simul cum existentia auxilij non præscindat ab efficacia illius; nèc aliter auxilij præparatio iurè dicetur præparatio certa ea certitudine; quam prædestinatio requirit.

CAPVT V.

Diluit oppositas rationes.

109 CONveniunt condeterminantes, & prædeterminantes in fundamentis, quàmvis in conclusionibus, quas ex illis deducunt, opponantur, & arguunt primò ab authoritate Scripturæ, in qua videtur significari: ad existentiam cuiusvis rei creatæ requiri decretum Dei efficax: ergo cum hoc decretum nequeat esse antecedens, vt volunt Thomistæ, quia libertatem creatam destrueret, debet esse comitans; quod cum libertate creata componitur. Antecedens probatur ex pluribus locis, vt sunt Sapientiæ 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nil odisti eorum, quæ fecisti*; & post pauca: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Pauli ad Ephesios capite 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, id est, secundùm decretum efficax suæ voluntatis, vt videtur colligi ex acceptione *consilij* apud Isaiam dicentem capite 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Sicque in pluribus alijs, quæ de Dei potestate erga creaturas agunt: ergo ex Scriptura satis clarè comprobatur possibilitas, & necessitas decreti comitantis.

110 Respondeo: hæc, & similia cum interpretatione esse accipienda, vt Dei causalitatem *per se* in peccatum vitent, & vt decretum antecedens excludant ipsi, qui adeo rigidè ea nobis obijciunt. Intelligendus igitur est primus locus, si vniversaliter, & prout omnia, quæ sunt, comprehendit, inter quæ peccata, de dilectione *negativè* accepta, in quantum excludit odium efficax illius, quod exiuit; vel de dilectione circa permissionem; non circa peccatum; si verò contractè ad bona opera *per se* causabilia à Deo; de dilectione, vel inefficaci, si sit antecedens, vt est illa, qua Deus vult omnes homines salvos fieri; vel de dilectione, & decreto efficaci consequenti *obiectivè* id ipsum, quod ab ipso physicè exiuit media directione scientiæ mediæ; vel de dilectione efficaci mediata circa constitutionem libertatis, & potentiæ à qua *determinativè*, & *electivè* immediatè procedunt ea, quæ existunt. Secundus: de consilio sumpto pro voluntate *provisiva* & providētia, quę tā ad volūtatē *permissivam*: quàm *positivam* se extēdit; quin sit necessarium: omnia, quę Deus providet, esse volita efficaciter; sed sat sit efficaciter volitum esse id, quod prævidetur infallibiliter ex alterius determinatione ab alio effectu non separandum. Nequè quod consilium accipiatur aliquando pro voluntate efficaci, probat: semper ita esse intelligēdum; cum ex ipsa Scriptura constet applicari *consilium*, sicuti, & præceptum ad peccata, quæ non aliter, quàm *permissivè* à Deo existere possunt.

111 Replicāt: nil frequētius apud Scripturam, & Patres; quàm Deum facere, vt velimus: sed Deum facere, vt velimus, nequit itare absque decreto aliquo efficaci: ergo nè sit antecedens, debet esse comitans. Dicendum: quod vt Deus faciat, vt velimus, quando honestè volumus, non est necessarium, quod faciat, vt velimus, determinando; sed quod faciat, vt velimus, inclinando, & movendo taliter, vt causet *per se* nostram volitionem, & affectum; sicut, vt ego mea suasione, & consilio faciam, vt alter aliquid velit, non est necessarium; quòd cum invincibiliter moveam; sed quod ipsum inclinem in circunstantijs, in quibus per meum consilium opus consiliatum ab altero obtineo. Si autem volitio efficax esset requisita; vnde tua volitio comitans, & non mea prædefinitio efficax scientia media regulata colligitur, præcipuè cum in hac, propter antecedentiam physicam ad opus prædefinitum rectè concipiatur eius efficacia, quæ non nisi cum maxima difficultate in decreto comitanti explicari potest.

112 Pariter sunt intelligendi Patres quando dicunt: opera nostra bona esse à Deo in æternitate præ-

prædestinata, per quod non aliud significant; quàm esse ab æterno disposita, vi efficacis decreti quoad auxiliorum collationem sub prævisione efficaciæ, quo posito, nostra opera non deficient; vel si de prædestinatione immediata per decretum efficax loquantur; non de antecedenti, nec de comitanti: sed de regulato per scientiam mediam sunt accipiendi. Quod si Adversarijs læsio libertatis creatæ in causa est, vt non de decreto antecedenti; sed de comitanti intelligant; nobis læsio vtriusque libertatis divinæ, & creatæ cum reliquis difficultatibus ponderatis, vt non intelligamus de comitanti.

113 Arguunt secundò. Perfecta subordinatio actus creati ad Deum, vt *infinitè activum*, exigit, vt non fiat, nisi Deo simul concurrente immediatè, vt probant omnes ferè Theologi contra Durandum: ergo perfecta subordinatio actus ad Deum; *vt primum, & infinitum liberum*, exigit, vt non fiat *determinativè* liberè; nisi Deo illum immediatè liberè decernente, & determinante. Consequentia probatur. Non minus subordinatus est quivis actus creatus Deo, vt *primo activo*; quàm, vt *primo libero*; sed propter primam subordinationem Deus immediatè omnem actum efficit: ergo propter secundam omnem actum immediatè determinat.

114 Argumentum hoc, si fiat ex doctrina Patris Ribadeneyra, debet limitari ad actus tantùm honestos; vel quia iuxta ipsum Deus non concurrit immediatè ad peccatum, vel quia etsi concurrat, non condeterminat adhuc entitatem, & materiale illius; cùm sit *determinativè*, & *electivè* a creatura, per quam restrictionem suum argumentum infringit. Nam sicuti, etsi omne ens creatum sit perfectè subiectum Deo secundùm omnem rationem, quam Deus includit, ipse fatetur: esse aliqua in quibus talis subiectio, nèc concursum, nèc determinationem Dei exigit: sic dicet alius; quod quamvis actus bonus creatus sit perfectè Deo subiectus, vt *primo libero*, non ideò exigit eius determinationem liberam. Deinde instatur generalius. Perfecta subordinatio actus creati vitalis ad Deum, vt *infinitè activum* exigit, vt non fiat, nisi Deo simul concurrente immediatè: ergo perfecta subordinatio actus ad Deum, *vt primum, & infinitum vivens* exigit, vt non fiat, nisi ab ipso immediatè vitaliter operante, & conviuente per talem actum. Negabis consequentiam propter repugnantiam, quæ datur in eo, quod Deus vivat vita creata; vndè infers: non esse de ratione illius subiectionis talem conviventiam. Negabo etiam tuam propter similem rationem: nàm immediatus concursus Dei cum nullo prædicato actus creati repugnat; ideoque eius subordinatio ad Deum, vt *infinitè activum*, exigit immediatè ab illo procedere; at immediata determinatio actus pugnat cum actu, vt libero; quare perfecta subordinatio ipsius ad Deum, vt *primum, & infinitum liberum*, non exigit immediatam illius determinationem; sed potius ei repugnat.

115 Arguunt tertiò. Opera, actusque nostri magis sunt in Dei potestate; quàm in nostra: at si Deus non decerneret saltem comitanter liberos actus nostros, potius essent in nostra, quàm in Dei potestate: ergo Deus comitanter decernit actus nostros liberos. Maior constat ex celebri textu Augustini libro de correptione, & gratia capite 14. *Deus magis habet in potestate voluntates hominum; quàm ipsi suas.* Probatur minor. Deus non decernens, saltem comitanter nostros actus liberos non esset proximè potens ad illos immediatè determinandos: sed voluntas esset proximè potens ad illos immediatè determinandos: ergo si Deus non decerneret, saltem comitanter, nostros actus liberos, potius essent in nostra; quàm in Dei potestate.

116 Observavit Pater Izquierdo: per obiectionem, si aliquid probat, potius esse inferendum decretum antecedens; quam comitans: ratio est; quia cum decretum comitans sit condeterminatio actus liberi, per quem Deus condeterminatur à creatura, ex vi decreti comitantis, & potestatis ad illud; non magis; sed tàm, & æque habebit Deus in potestate voluntates hominum; quàm ipsi suas. Itaque sicut cum comitantia determinationum componunt excessum in Dei potestate quoad liberos actus comparativè ad voluntatem, & libertatem creatam; componant etiam eundem excessum absquè condeterminatione. Solutio sit: ad verificationem dicti Augustini sufficere, secluſa condeterminatione, Deum posse proximè impedire actus liberos

beros, non conferendo ad illos potestatem, qui existere nequeunt, nisi stante in Deo potestate proxima illos donandi per libertatis collationem cum infallibili præviſione conſenſus ſub ipſa: quod quidem eſt magis eſſe in Dei potestate; quàm voluntatis impotentis determinare proximè conſenſum; niſi priùs acceptum à Deo in potestate liberè donata non cœco modo; verùm cum cognitione eventus certiſsima. Quarè, vt recta ſit comparatio, & videatur, an actus noſtri liberi ſint magis in Dei potestate; quàm noſtri; non eſt attendenda vnicè proxima determinatio; ſed omne, quod Deus facit, vt ſint actus liberi, & omne, quod facit creata voluntas: invenieturque ſummè inferior potestas creata; quamvis Deus immediatè per ſuam potentiam non determinet.

117 Arguunt quartò. Repugnat, vt aliquid ſit poſsibile; & non poſsit fieri, ſivè reddi exiſtens à Deo: ſed multa poſsibilia non poſſent fieri, ſivè exiſtentia à Deo reddi, ſi Deus non poſſet determinare voluntatem creatam ad quemcumque actum liberum per ſuum decretum comitans: ergo nè hoc dicatur; dicendum: poſſe Deum per decretum comitans determinare voluntatem creatam ad actus liberos. Maiorem certam reddere videtur conceptus ipſe *omnipotentiæ*: nam quomodo Deus omnipotens erit; ſi id, quod poſsibile eſt, facere non poteſt, nèc exiſtens reddere. Probatur minor. Omne coniunctum libertatis creatæ, & actus *ſecundi*, ad quem eſt libertas, poſsibile eſt; cùm à voluntate ſub tali indifferentia potestatis valeat reddi exiſtens: ſed, Deo non potente decernere comitanter actus liberos voluntatis creatæ, multa ex his complexis poſsibilibus à Deo non poſſent fieri, nec exiſtentia reddi: ſcilicet ea omnia, quæ voluntas defacto ſub tali libertate non determinat; cùm Deus poſita libertate non poſſet voluntatem diſſentientem, facere conſentientem, aut conſentienti permittere diſſenſum: ergo multa poſsibilia non poſſent fieri à Deo, ſivè reddi exiſtentia; ſi Deus non poſſet per ſuum decretum comitans determinare voluntatem creatam ad quemcumque actum liberum.

118 Inſtat Izquierdo contra Ribadeneyram in coniuncto libertatis creatæ, & actus *ſecundi* peccati, quod eſt poſsibile; quin ideò apud ipſum, adhuc quoad entitatem, & materiale illius coniuncti poſsit fieri, aut exiſtens reddi à Deo. Inſtari poteſt generalius contra dicentes: Deum condeterminare materiale peccati: apud quos peccatum, vt peccatum, & ſecundùm formale, eſt poſsibile: ſed peccatum, vt peccatum, & ſecundùm formale, non poteſt fieri à Deo, & reddi exiſtens: ergo non omne poſsibile eò ipſo, quod tale ſit, poteſt fieri à Deo, & reddi exiſtens. Reſpondebis. Peccatum eo ipſo, quod ſit poſsibile, poſſe à Deo permitti. Sed contra: quia poſſe permitti, non eſt poſſe fieri, nèc reddi exiſtens: vnde iam falſa eſt illa propoſitio: *omne, quod eſt poſsibile, poteſt fieri, & reddi exiſtens per omnipotentiam, & divinam voluntatem*: & componibile cum conceptu, & perfectione omnipotentiæ: plura poſsibilia, vt talia, nèc eſſe factibilia, nec determinabilia per Deum. Neganda eſt igitur maior argumenti: ad cuius certitudinis explicationem dicendum: de conceptu *omnipotentiæ* non eſſe, *proximè* poſſe facere, aùt permittere, quidquid poſsibile eſt, ſed eſſe id, ſine cuius influxu, vel *poſitivo*, & *per ſe*, vel *permiſsivo*, & *per accidens* nil poteſt exiſtere; inſuper omnem virtutem creatam, & finitam deſcendere ab illa; & quod nil valeat exiſtere, quin cum illius exiſtentia coniungatur potentia proxima in Deo, vel efficiendi, & cauſandi illud *per ſe*, vel illud permittendi iuxta naturam, & cōditionem termini; & demùm, vt inquit Auguſtinus in Enchiridio cap. 96. *quod, quidquid vult, poſsit*: vide, quæ ad idem intentum diximus ſupra in quodam argumento contra creaturam inconvertibilem diſputatione 4. cap. 4.

119 Arguunt quintò. Non tantùm eſt Dei beneficium poteſtas ad conſentiendum, & ſalutariter operandum; ſed etiam ipſe conſenſus, & opus ſalutare eſt novum beneficium, quod poteſt à Deo peti: ſed, ſi poſita libertate in nobis, tota determinatio penès nos eſſet, conſenſus non eſſet novum beneficium vltra libertatem, nequè, hac poſita, eſſet Deus pro illo exorandus: ergo, poſita in nobis libertate, Deus poteſt donare nobis conſenſum per determinationem ſuam comitantem. Notavit Pater Herrera poſt alios: male vti hoc argumento condeterminantes, ſub cuius difficultate comprehenduntur. Nàm quomodo erit novum beneficium

poſt

post obtentam libertatem id, quod in nostra situm est electione; aut quomodo serio expetibile id, quod in nostra est potestate iuxta illud Augustini effatum, de Natura, & Gratia capite 18. supra à nobis latè expensum. *Quid stultius; quàm orare, vt facias, quod in potestate habes?*

120 Respondendum: cōsensum esse novum, & distinctum beneficium supra potestatem secundùm se consideratam; sed non conferendum noviter, posita iam libertate, & potestate ad illum; verùm per ipsam collationem potestatis in circunstantijs, in quibus prævidetur à Deo coniungenda cum consensu: qui modus potestatem donandi, involvit *moraliter* donationem consensus, quæ non est *moraliter* absoluta, quando Deus confert libertatem, & potestatem ad consensum prævidens coniungendam fore cum dissensu: vnde, quod à Deo petimus, quando vltrà auxilium petimus consensum, non est, quod nobis donet consensum per donationem præsupponentem auxilium; sed quod nobis donet auxilium sub previsione efficaciæ; quod est *moraliter* absolutè nobis donare consensum; secus sub prævisione inefficaciæ; quod est purè donare potestatem ad consensum.

121 Arguunt sextò. Possibilis est *mutua* connexio comitans inter duo exercitia libera, ita vt vnum sit determinatio alterius: ergo possibilis est *mutua* connexio comitans inter exercitium liberum diuinæ libertatis, & liberum exercitium creatæ libertatis. Antecedens probatur. Nam possibile est præcipi subiecto libero impeccabili, v.g. Christo Domino, actum religionis, non aliter; quàm cum actu misericordiæ; & actum misericordiæ, non aliter ponendum; quàm cum actu religionis: in quo casu propter coniunctum impeccabilitatis, & præcepti, determinatio libera religionis connecteretur cum libera determinatione misericordiæ; & è contra, libera determinatio misericordiæ cum libera determinatione religionis: ergo possibilis est *mutua* connexio comitans inter duo exercitia libera, ita vt vnum sit determinatio alterius.

122 Hoc argumentum debilissimum est. Vel quia tunc exercitia religionis, & misericordiæ non essent determinationes diversæ libertatis; sed eiusdem constitutæ per cognitionem præcepti determinantis, vt vnus actus sine alio non eligeretur: nec opponimur concomitantiæ duplicis liberæ determinationis, vtcunque; verū cōdeterminationi duplicis determinationis libere proveniētis à duplici libertate, & dominio. Vel quia; aut præceptum illud libertatem auferret subiecto impeccabili; aut servaret? Si *auferret*; quid paritatis inter exercitia potentię *necessariæ* cum exercitijs potentiæ duplicis *liberæ*. Si *servaret*: per consequens necessarium foret præceptum illud aliquomodo pendere à libertate subiecti impeccabilis, vel per potentiam petendi dispensationem, vel per alium ex modis, quo apud nostros componitur in Christo libertas ad acceptandam mortem: quo dato, etsi pro sensu composito præcepti nequiret ponere vnum actum diuisum ab alio; at absolutè, & in sensu diviso præcepti posset determinare actum religionis, non determinato actu misericordiæ; & per oppositum actum misericordię, non determinato religionis actu.

123 Haùd maioris roboris est casus aliter propositus: nempè, si Deus decerneret non concurrere cum Petro ad actum religionis, v.g. nisi simul pro eodem instanti se determinet Ioannes, vel ad actum eiusdem virtutis, vel alterius, v.g. Charitatis. In quo videtur vtriusque libertatem, ita quoàd determinationes connecti, vt vno omittente, alter omitteret; & vno ponente actum, alter similiter ad actum se determinaret absque vlla antecedentia, ac per consequens comitanter. Nam, vel tale decretum esset immediatè applicativum omnipotentiæ sub tali limitatione determinationis alterius; & sic libertates constitutæ per tale decretum essent dominia, & libertates distinctæ per se mutuò condeterminantes: quod repugnare, probavimus; ideoque adducitur in probationem rei nobis repugnantis casus eisdem titulis nobis repugnans. Vel esset decretum immediatè tantùm versans circa collationem libertatum, nolens Deus dare Petro libertatem ad religionis actum, nisi in casu, in quo pro eodem instanti conferat Ioanni libertatem ad similem actum; vel ad actum alterius virtutis sub prævisione efficaciæ illius, & nolens dare Ioanni libertatem ad actum religionis, vel alterius virtutis, nisi in casu, in quo pro eodem instanti conferat Petro libertatem ad actum religionis, sub prævisione efficaciæ illius: quod est

idem, ac decernere tantùm, dare libertates Petro, & Ioanni pro eodem instanti, si sint efficaces; & tunc casus, vel decretum illud esset impedibile per cuiusvis libertatem, vel non? Si *esset impedibile*: quivis posset, posita libertate, decretum impedire, & operari disconformiter ad alium: si *esset inimpedibile*: quivis operaretur necessariò: & ad rem non est; cùm non daretur *mutua* connexio inter exercitia *libera* duplicis libertatis; sed inter exercitia *necessaria* duplicis potentiæ antecedenter ex vi divini decreti necessitatæ.

124 Rogabis: quid sentiendum de decreto comitanti, quod ab aliquo excogitari posset, connexum *non mutuò* cum consensu libero, taliter, vt ipsum non posset existere sinè consensu, benè tamen consensus sinè ipso; cuius efficacia non innitatur scientia media de consensu; quia etiam sub scientia media de dissensu ponendo à voluntate, ipsa sola relicta, valeat existere, petensque propriori hanc, vel illā scientiam mediam, vt Deus cœco modo non coferat auxilia: modo, quo decretum indifferens collativum auxilij, quamvis non exigat determinatè scientiam mediam de efficacia, aùt scientiam mediam de inefficacia, petit essentialiter vna, vel altera dirigi: quo dato, infallibiliter creatura consentiret; & quo non dato non condeterminaretur ad non consentiendum; quia pro sensu composito defectus illius posset ponere consensum, ob defectum connexionis consensus cum ipso?

125 Respondeo breviter: hoc decretum non continere inconveniens divinæ condeterminationis ad peccatum: quia, cùm consensus aliter; quàm per decretum comitans posset existere; omissio libera decreti non esset connexa cum omissione consensus præcepti; siquidem non auferret terminum connexionis illius: nèc continere inconveniens exclusionis necessitatis scientiæ mediæ ad auxiliorum collationem; propterea quòd etsi non exigat *determinatè* pro priori scientiam mediam de consensu; tamen exigit *vagè* aliquam, vel efficaciæ, vel inefficaciæ. Impugnandum ergo est tantummodo ex inconvenienti concomitantiæ determinationum libertatibus diversis, & dominijs distinctis competentium; & ex capite efficaciæ, quæ ipsi tribuitur; cum qua non componitur concomitantia ad id, quod efficit: quodque ab eo, sivè per modum *actionis*, sivè per modum *virtutis*, sivè per modum *applicationis* potentiæ exequutivæ *effectivè* procedit.

* * *

DIS-

DISPVTATIO IX.

APPENDIX PRÆCEDENTIS.

An saltem inter libertates solo numero distinctas eiusdem voluntatis possibilis sit concomitantia liberæ determinationis? seù an ex determinatione libera agentis sub libertate determinata inferatur similis determinatio eiusdem agentis sub alia libertate solo numero distincta.

CConcomitantiàm liberæ determinationis inter voluntates *primi*, & *secundi* liberi, vt libertati cuiusvis oppositam, immediatè in præcedentibus excluſimus. Iam, vt pàritatem, ex qua fortè impugnari posset doctrina præcedens, vitemus, quæstionem hanc adiungimus; quam alij tractatu de Actibus Humanis; alij tractatu de Voluntate Dei excitant. Sub his terminis generalibus proposita locum tenet, tàm in nostra Schola, & doctrina; quàm in extranea: quia, cùm ita excitata comprehendat, tàm agens liberum *increatum*; quàm *creatum*, ab omnibus exagitari, & resolvi debet quoad agens liberum *increatum*: secùs esset, si proponeretur sub alijs contractioribus terminis, sub quibus ab Authoribus solet excogitari: *An scilicet ex consensu voluntatis creatæ sub auxilio, & libertate A inferatur, fore consensum sub auxilio, & libertate B omnino simili, casu, quo pro A subrrogaretur*. Hoc igitur modo proposita, tantùm in nostra schola potest exagitari: nàm, cum extra ipsam necessaria sint, vt agens liberum *creatum* operetur, vel physica prædeterminatio, vel decretum antecedens, & inimpedibile; certum debet esse, quod si voluntas creata constitueretur sub similibus principijs solo numero distinctis ab his, quibus defacto instruitur, foret elicitura consensum, si modo consentit, aùt dissensura, si modò dissentiat: sed quia sub hoc secundo titulo specialem continet difficultatem ex defectu discretionis inter libertates solo numero distinctas, quæ non competit creatæ voluntati; cùm ab intellectu lucem de distinctione individuorum accipere non possit; sub eo quæstionem resolvemus: ex cuius resolutione; quid quæstioni generaliter propositæ sit dicendum, facilè constabit.

CA-

CAPVT I.

Quæstionis sensus, sententia, & notabilia proponuntur.

1 AVxilia similia, soloque numero distincta possunt considerari, vel respectu diversarum libertatum Petri, & Pauli v. g. vel respectu eiusdem voluntatis; & adhuc, vel respectu eiusdem, vel diversæ durationis. Igitur non procedit quæstio de auxilijs comparativè ad diversas voluntates: cùm certum sit in nostris principijs: ex duobus æqualiter omninò vocatis, sivè per diversas individualiter vocationes, sivè per eandem numero duobus communicatam, posse alterum dissentire, consentiente alio, & è contra; quin determinatio vnius inferat determinationem alterius: sunt enim diversa dominia plenè electiva, & à se determinativa: quarè quodcumque pro suo nutu sinè dependentia ab alio potest operari vniformiter, aut difformiter; quin ab vno ad aliud valeat consequentia.

2 Nèc procedit quæstio respectu eiusdem voluntatis, comparativè tamen ad diversas durationes: nàm similiter certum est apud nostros (vno Patre Esparza excepto) voluntatem instructam cogitatione *A* in vna duratione, eidemque consentientem, posse in sensu compositò, vel eidem cogitationi, vel alij omninò simili dissentire in alia duratione: quia instantium, & durationum diversitas, quàmvis non constituat libertates specie differentes; ipsas tamen in tali gradu independentiæ collocat, vt nec *physicè*, nèc *moraliter* idem valeant reputari: vndè neque ex exercitio vnius alterius exercitium conforme potest deduci.

3 Procedit ergo quæstio de auxilijs similibus omnino, tantùmque numericè distinctis respectu eiusdem voluntatis, & in eodem instanti, & inquirit: vtrùm ex hac veritate: *Si Petrus vocetur auxilio A in instanti A, consentiet*, vel ex hac: *Petrus vocatur in instanti A auxilio A, & consentit*: inferatur hæc: *si Petrus vocaretur in instanti A auxilio B. purè individualiter, & numericè distincto ab A, consentiret*: vel an possit stare prima veritas cum defectu secundæ taliter, vt valeat esse verum: *si Petrus vocaretur auxilio A in instanti A, consentiret; si tamen in eodem instanti pulsaretur auxilio B. omninò simili, dissentiret, vel è contra?*

4 Hinc: cùm illatio vnius ex alio nil aliud sit; quàm connexio vnius cum alio, totidem modis potest intelligi illatio, àc connexio; & hæc in triplici differentia: *moralis*, scilicet, *physica*, & *metaphysica*. Ex quo præsens disputatio, quæ de illatione vnius veritatis ex alia disquirit triplex dubium debet resolvere: videlicet: *An ex eo, quod Petrus prævideatur consensurus, vel absolute consentiat vocationi A in instanti A, inferatur moraliter, physicè, aut metaphysicè fore consensurum sub auxilio B. omninò simili, & tantum individualiter distincto*: principaliùs tamen devolvitur ad illationem *metaphysicam*, in qua præcipua contentio, & Authorum oppositio constituta est.

5 Vltimò advertendum est. Auxilium posse in præsenti sumi dupliciter; vel *strictè*, & *presse*, pro adiumento scilicet augente vires voluntatis, sivè naturaliter, sivè supernaturaliter, à quo modò præscindimus, vel *late*, pro tota scilicèt libertate: in vtraque igitur acceptione *auxilij* procedit quæstio, & inquirit. An variata tota libertate numericè tantùm respectu eiusdem agentis, possit stare diversitas operationum, & àn etiam ad hanc diversitatem operationum sufficiat varietas numerica inadæquata libertatis, taliter, vt quamvis reliqua libertatis *A* constitutiva, præter auxilium *presse* sumptum, invariata numericè perseverent, sola numerica diversitas auxilij sit sufficiens ad disconformitatem exercitij, & operationis.

6 In qua quæstione sic intellecta, & proposita, duplex est sententia. Prima asserentium repugnare *metaphysicè*: Ioannem v. g. prævideri consensurum vni auxilio, & non alij numericè tantùm distincto; sed consensum sub vno esse legitimum antecedens, ex quo *metaphysicè* infertur consensus sub alio conditionatè. Ita Eminentissimus Pater Esforcia prima secundæ disput. 4. quæst. 2. art. 15. num. 15. Pater Quiros tractatu de scientia disput. 54. tùm tractatu de Prædestinatione disput. 12. sic etiam Pater Es-

Esparza de Angelis quæst. 28. art. 9. qui à præcedentibus discrepat, quatenus docet: eodem modo esse discurrendum respectivè ad diversas durationes; quàm comparativè ad eandem. Secunda sententia communis apùd nostros, (& etiam apùd externos, loquendo de agente libero *increato*) negat talem repugnantiam. Sic Pater Izquierdo de Deo tom. 2. tract. 10. disp. 30. de libertate quæst. 16. propositi. 3. Ribadeneyra tractatu de actibus humanis disput. 16. cap. 3. Herrera tractatu de voluntate quæst. 18. & alij sapientissimi Recentiores tractatu de auxilijs disputatione vltima. Pro cuius resolutione.

7 Noto primò: Non quamcumque diversitatem, sivè *numericam*, sivè *specificam* in libertate constituere diversam libertatem, aut *specificè*, aut *numericè*; sed solam illam esse sufficientem ad distinguendas libertates, quæ est variatio intrinseca, & secundum libertatis constitutiva: nàm quotiescumque non est diversum, aut *numericè*, aut *specificè* id, quod est libertas, non potest esse diversa libertas: sed quotiès non est diversum, aut *numericè*, aut *specificè* aliquod constitutivũ libertatis, non est diversum *numericè*, aut *specificè* id, quod est libertas: ergo quoties non est variatio intrinseca, & secundùm libertatis constitutiva, non est libertatis distinctio: quarè si voluntas modo consentiat libertati collatæ per decretum *A*, eodem modo consentiret eidem libertati, si conferretur per decretum *B*, aut *numericè*, aut *specificè* distinctum ab *A*.

8 Noto secundò: Potentiam *liberam*, prout distinctam a *necessaria* iuxta Aristotelem, Physiosophos, & Theologos, esse, *quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest sic, vel aliter operari*: sivè, quod idem est: dominium quoddam, ita absolutum, & independens à libera determinatione immediata alterius in operationem, vt à se, & pro se immediatè *electivè* possit ponere, vel non ponere operationem: hinc: modo, quo fuerint distinctæ aliquæ libertates, debent distingui dominia in ratione *dominij*: quia cum formaliter libertas sit idem cum dominio, necesse est: eo modo distingui libertatem, quo dominium, & è contra.

9 Noto tertiò. Eo modo, quo vnum dominium non potest facere oppositum illius, quod facit aliud, non distinguitur ab illo. Probo assumptum. Eo modo, quo vnum dominium, non potest facere oppositum illius quod facit aliud, est necessitatum ad faciendum id, quod facit aliud: sed eo modo, quo est necessitatum ad faciendum id, quod facit aliud, non distinguitur ab illo in ratione *dominij*: ergo eo modo, quo non potest facere oppositum illius, quod facit aliud, non distinguitur ab illo. Confirmatur primò. Eo modo, quo non potest facere oppositum illius, quod facit aliud, non potest velle, nisi, prout vult aliud: sed eo modo, quo non potest velle, nisi prout vult aliud, non constituit diversum dominium ab illo; sed vnicum: ergo eo modo, quo non potest facere oppositum illius, quod facit aliud, non distinguitur ab illo.

10 Confirmatur secundò. Omnia constitutiva libertatis *A* v.g. constituunt vnicum dominium, & non multiplex; quamvis realiter distinguantur inter se: quia nullum potest facere oppositum illius, quod facit aliud; sed omnimoda vniformitate debent operari: ergo duo cumuli principiorum, quamvis inter se distincta realiter, non constituerent diversa dominia realiter, si cumulus *A* non possit operari disconformiter ad *B*. & è contra.

11 Confirmatur tertiò. De ratione *dominij* eo modo, quo distinguitur ab alio, est posse vti extremis *dominij* sine respectu ad immediatam determinationem alterius: sed vnicus modus vtendi extremis sinè respectu ad determinationem, & electionem alterius, est posse facere oppositum illius, quod facit aliud, & inverso modo se exercere, ac se exercet aliud: ergo quodlibet dominium eo modo, quo distinguitur ab alio, non potest esse determinatum, vt se exerceat, sicùt se exercet aliud.

12 Noto quartò: Implicare contradictionem, ea, quæ distinguuntur *realiter*, esse idem *moraliter*, si per identitatem *moralem* destruantur prædicata, quæ ipsis conveniunt, quia distincta *realiter*: quia si per identitatem *moralem* destruitur id, quod est de conceptu essentiali rei, per identitatem *moralem* redditur implicatoria res: sed si per identitatem *moralem* destruatur distinctio *realis* aliquorum essentialiter requisita ad talem identitatem, per hanc

des-

destruitur id, quod est essentiale rei: ergo implicat contradictionem ea, quæ distinguntur *realiter*, esse idem *moraliter*, si per identitatem *moralem* destruantur prædicata, quæ ipsis conveniunt, quia distincta *realiter*.

13 Noto quintò: ad identitatem *moralem* inter duo distincta *realiter*, non requiri æquivalentiam inter ipsa quoad omnia munera, & prædicata: quia sic non tam identitas *moralis*; quàm *realis* foret: sicut non sufficit æquivalentia in ordine ad aliquod munus, & prædicatum; aliàs omnia essent *moraliter* idem, cùm nullum sit quod alteri non æquivaleat, saltem in prædicato *entis*; nèc sufficit identitas *specifica*; cùm non omnia, quæ distinguuntur purè individualiter, sint *moraliter* idem: vt patet inter libertates omninò similes Petri, & Pauli: quarè identitas *moralis*, vt omnis æquivocatio recedat, non absolutè proferenda est; sed cum restrictione ad illud munus, & prædicatum, in quo distincta realiter æquivalent: nèc aliter, aliquid certum, & fixum valet esse in identitate *morali*; sed quisque pro libito, aut statuet, aùt destruet *moralem* identitatem; præcipuè quando munus, aut prædicatum, per ordinem ad quod explicatur æquivalentia, aùt *moralis* identitas, non est notum apud disputantes.

14 Noto sextò: rectè componi, operante agente *A physicè*, *moraliter* operari agens *B*, quod nèc *physicè absolutè* operatur, nèc *conditionatè physicè* esset operaturum: quod, vt pateat: pone existere calorem *A*, & *B* solo numero distinctos, & passo approximatos, & tamen Deum negare concursum calori *B*, vt operetur: in tali casu essent veræ hæ conditionales: *Si existat calor A, calefaciet: si existat calor B, physicè non calefaciet*. Pergo: sed in illo casu existente calore *A*, & operante, operatur *moraliter* calor *B*: cùm calor *A* solo numero distinctus à *B* sit *moraliter* calor *B*: ergo rectè stat, operante *physicè* agente *A*, operari *moraliter B*, quod nèc *physicè absolutè* operatur, nèc *conditionatè physicè* esset operaturum. Cuius ratio est: quia operari *moraliter B* in *A*, nil aliud est; quàm *A* in æstimatione *moralî* valere tantum; quam *B*, in ordine ad calefaciendum; cumque hæc æstimatio *moralis* permaneat; quamvis detur carentia *physicè* operationis agentis *B*, tam *absolutæ*; quàm *conditionatæ*; ideo solum infertur hæc conditionalis: *si operetur A, moraliter operatur B*, & è contra: *si operetur B, moraliter operatur A*; minimè verò infertur altera conditionalis: *si operetur A, physicè conditionatè esset operaturum agens B*; vel è contra.

CAPVT II.

Resolvitur quæstio.

15 SIt conclusio cum Authoribus secundæ sententiæ, quæ communis, & vera est: non inferri ex determinatione voluntatis sub libertate *A* fore operaturam simili operatione sub alia libertate solo numero distincta, & conferenda respectu eiusdem durationis. Probatur primò. Non infertur *metaphysicè* consequens ex antecedenti, quoties antecedens ex sua natura potest cõiungi cum carentia consequentis: sed hoc antecedens: *voluntas consentiens, vel consensura in hoc instanti sub libertate A*, ex sua natura potest coniungi cum carentia huius consequentis: *voluntas foret consensura sub libertate B*: ergo ex tali antecedenti non infertur *metaphysicè* consequens. Probo minorem. Voluntatem fore consensuram sub libertate *A*, est dari conditionatè consensum sub libertate distincta à libertate *B*: sed exercitium libertatis distinctæ à libertate *B*, est antecedens ex sua natura potens cõiungi cum carentia illius consequentis: ergo voluntatem consentire vel fore consensuram sub libertate *A*, est antecedens ex sua natura potens coniungi cum carentia huius consequentis: *voluntatem fore consensuram sub auxilio, & libertate B*. Probo minorem. Exercitium libertatis distinctæ à libertate *B* est exercitium omninò independens ab exercitio libertatis *B*; quia eo modo, quo determinatio vnius libertatis dependet à determinatione alterius, non est determinatio distinctæ libertatis; sed vnicæ: ergo exercitium libertatis distinctæ à libertate *B*, est antecedens potens ex sua natura coniungi cum carentia illius consequentis.

16 Confirmatur. Exercitium libertatis realiter distinctæ à libertate *B*. non potest esse determinatio ad exercitium libertatis *B* in vllo genere determinationis; ergo neque ante-

ce-

cedens ad inferendum exercitium libertatis *B*. Probatur antecedens. Non potest esse determinatio *à priori*: quia sic vna libertas determinaret antecedenter aliam; quod chymæra est, si sint duæ libertates realiter distinctæ: non *à comitanti*: quia sic vnicum ex illis resultaret dominium: non *à posteriori*: quia non stat determinatio in hoc genere sinè dependentia *à priori*: ergo exercitium libertatis *A* in nulla linea determinationis potest determinare ad exercitium libertatis *B*.

17 Probatur secundò: libertas *A* iuxta Aduersarios, & iuxta quæstionis suppositionem, distinguitur realiter, quamvis numericè tantùm à libertate *B*: ergo est dominium electivum distinctum à dominio libertatis *B*; cum libertas, vt constat ex secundo notabili, sit *formaliter* dominium: sed vbi est dominiorum distinctio, necesse est, posse dari determinationum disconformitatem: ergo exercitium libertatis *A* numericè distinctæ à *B*, neque *absolutè*, neque *conditionatè* sumptum potest *metaphysicè* inferre exercitium conditionatum alterius libertatis. Probo minorem, applicando doctrinam, quam generaliter dedimus in notabilibus. Implicat dominiorum distinctio, & quod necesse sit vnum determinari, sicut determinatur aliud; vnum velle, sicut vult aliud: hoc enim non esset dari duplex dominium; sed vnicum conflatum ex duabus potestatibus: ergo impossibilis est necessitas conformitatis determinationum: ergo necessaria contingentia conformitatis in operatione: sed vbi necessaria est contingentia conformitatis in electione, & determinatione, necesse est, posse non dari conformitatem in determinatione: ergo vbi est dominiorum distinctio, necesse est, posse dari determinationum disconformitatem.

18 Vrgetur. Non posse velle libertatem *B*, nisi, prout vult libertas *A*, est esse libertatem *A* regulam, ad quam in operando debeat conformari libertas *B*: sed libertatem *B* solùm posse operari regulatam per libertatem *A*, est libertatem *B* solùm gaudere dominio libertatis *A*: ergo in libertate *A*, & *B* solùm residet dominium libertatis *A*: sed vbi residet idem dominium, tantùm adest vnica libertas: ergo implicat libertatem *A* in *esse* libertatis, esse distinctam à liberate *B*; & esse antecedens, ex quo *metaphysicè* inferatur determinatio libertatis *B*. Confirmatur. Ideo in diuinis personis datur vnicum dominium, & vnica libertas, quia quælibet diuina persona est determinata, vt velit, quod vult alia: ergo ideo in his complexis, quæ libertates distinctas vocas, dabitur vnica libertas, quia vnumquodque est determinatum, vt velit, sicut vult aliud.

19 His rationibus respondent oppositæ sententiæ defensores: verum esse dari duas libertates, & dominia *realiter* distincta; sed *moraliter*, & *æquivalenter* identificata: quia cùm sint solo numero distincta, eum gradum similitudinis attingunt, vi cuius in æstimatione *morali*, *operari vnū* reputatur *operari aliud*; ac per consequens determinatio vnius est determinatio alterius; quia cùm ratione summæ similitudinis vna potestas sit *moraliter* alia, necessum est, *operari* vnius, reputari *operarì* alterius.

20 Sed contra: quia vt constat ex doctrina data in tertio notabili, implicat constituere identitatem *moralem* inter duo, quæ destruat distinctionem realem ipsorum essentialiter prærequisitam ad ipsam: sed hæc identitas *moralis* ab aduersarijs concessa, destrueret distinctionem realem harum libertatum: ergo est implicatoria. Probatur minor. Hæc identitas *moralis* constitueret necessitatem *metaphysicam* inter has potestates, vt vna operaretur, sicut operatur alia: ergo impossibilitatem *metaphysicam*, vt vna verè & realiter non operaretur, sicut operatur alia: sed eo modo, quo vna verè, & realiter operari non potest aliter, ac alia, non distinguitur ab illa in ratione *dominij*, & *libertatis*; sed purè *materialiter*; sicut distinguuntur constitutiva eiusdem libertatis: ergo identitas *moralis* ab aduersarijs concessa, destruit distinctionem *realem* libertatum. Explicatur amplius. Tūc non datur duplex libertas realiter distincta in duobus complexis principiorum, sed vnica tantùm libertas realis; quando duo complexa necessariò debent conuenire in operando, & in non operando: sed iuxta aduersarios duo complexa principiorum *A*, & *B*; necessariò *metaphysicè* debent conuenire in operando, & non operando ergo nō duplex libertas realiter distincta; sed vnica tantùm ipsis debet conuenire,

21 Impugnatur secundò.

Vel

vel hæc identitas *moralis*, quæ datur inter libertatem *A*, & *B* consistit in eo, quod libertas *A* æquivalet libertati *B* in ordine ad *posse determinare consensum*, vel in ordine ad *ipsum determinare consensum præ dissensu*: si *primum*: vnde probabis ex consensu sub vna, inferri *metaphysicè*: alteram fore consensuram; cum stet, vnam, & alteram posse consentire; & tamen vnam exercere potestatem consentiendi; alteram non? si *secundum*: ergo ideo ais: vnam potestatem posse determinare aliam ad consensum; quia vna est *moraliter* alia in ordine ad hoc munus, *determinandi consensum*: in quo supponis probandum: cùm ego intendam, vnam potestatem non posse determinare aliam; quia sunt distinctæ, & independentes: & tu respondes, benè posse; quia sunt *moraliter* idem in ordine ad munus se determinandi.

22 Sed demus gratis, hanc identitatem *moralem* inter libertatem *A*, & *B*, quam prædicti Doctores adeò confuse, & indiscriminatim concedunt; quid inde in ordine ad intentum illationis *metaphysicæ* determinationis vnius ex alia: quia vt constat ex quinto notabili, stat: *physicè* operante Agente *A*, *moraliter* operari Agens *B*, quod neque *physicè absolutè* operatur, neque *physicè conditionatè* esset operaturum: sed ad illationem *metaphysicam* vnius veritatis ex alia necessum est inferri ex consensu sub vna libertate, alteram *conditionatè* fore *physicè* operaturam: ergo si hoc non stat, impertinenter omninò se habet identitas *moralis*, quam hi Authores concedunt ad illationem *metaphysicam*, quàm introducere tentant.

23 Roboratur idem intentum duabus paritatibus, à quibus facile non se expediunt adversarij. *Sit prima*. Non minus identificantur *moraliter* libertas *A*, & *B*: solo numero distinctæ, ac libertas constituta per durationem *A*, & *B*: patet: quia non magis sunt idem *moraliter* duo tantùm numero distincta; quàm alia duo numericè tantùm distincta: sed non infertur *metaphysicè* ex consensu sub libertate *A* in duratione *A*, consensus sub eadem libertate in duratione *B*: ergo neque infertur *metaphysicè*, quamvis libertas *A*, & *B*; sint idem *moraliter*, ex consensu sub vna consensus conditionatè sub alia.

24 Nèc tenet, si dicas pro disparitate; tum quod voluntas implicitè experitur diversitatem instãtium, & durationum; quia rem existere in instanti *A*, & *B*, est æquivalenter habere duplicem existentiam, potuitque habere vnam sinè alia: vnde in *esse principij determinativi* distinguitur voluntas in *A* à voluntate in *B*: tùm quia res, & defectus rei simpliciter talis, & non sumptus præcisse pro defectu durationis, possunt existere in diversis instantibus: ergo dùm res transfertur ab instanti ad instans, quasi *physicè*, & *entitativè* immutatur, induitque diversitatem in *esse principij*: quæ omnia non reperiuntur in diversis libertatibus, & auxilijs.

25 Hæc sunt pura verba, meo iudicio, sonantia disparitatem, & continentia identitatem vnius, & alterius casus. Non tenet primum: quia sicut voluntas non potest discernere inter vnum, & aliud auxilium, inter vnam, & aliam libertatem; sic discernere nequit inter vnum, & aliud instans; optaremque, discretores istos enumerare instantia labẽtia; siquidem adeò distinctè ea discernunt: nèc maiorem vim habet probatio, quam in secundo adducunt: tùm quia si volũtatem existere in instanti *A*, & *B*: æquivalenter est habere duplicem existentiam; cum tamen eadem realiter existentia, quæ est in *A*, est in *B*: cùr habere duplicem libertatem realiter distinctam, erit æquivalenter habere vnam solam? Tùm quia si defectus voluntatis existentis in instanti *A*, qui potest dari in *B*, facit quod voluntas sit virtualiter diversum principium in *A*, & in *B*; cùr similiter, quod libertas *A* possit existere cum carentia libertatis *B*; & è contra, libertas *B*, cum carentia libertatis *A*; non erit in causa, vt libertas *A* non sit virtualiter, & æquivalenter libertas B.

26 Deinceps: quia vt rectè ponderat Pater Ribadeneyra, adhùc dato, quod voluntas discerneret *implicitè*, vt dicunt, inter durationes; & non discerneret inter auxilia; hæc discretio esset impertinens ad diversitatem exercitiorum: quia, vel conduceret ad vitandam contradictionem, quæ daretur sinè ipsa in hoc, quod est, *velle in hoc instanti, & non velle in alio*: & hoc est falsum; cum nulla detur contradictio inter rem, & carentiam pro diversis durationibus: nèc conducit, vt ostendat aliquam novam rationem allicientiæ: tùm quia sic non esset iam libertas tantùm numericè distincta: tùm quia in ipsa duratione secundùm se, & prout præs-

præscindit ab alijs extrinsecis circunstantijs, non resplendet aliqua conducentia, quæ non sit in quacumque duratione: nec conducit quatenus voluntas possit se determinare signatè, sic: *volo in hoc instanti, nolo in hoc instanti*: quia nō est necessarius iste modus tendendi ad diversitatem exercitiorum pro durationum variatione: ergo adhuc data tali discretione impertinenter se haberet ad prætensam disparitatem.

27 Imò hinc accipit novam confirmationem nostra doctrina: quia iuxta adversarios, si daretur discretio inter vnum, & aliud auxilium; inter vnam, & aliam libertatem, posset voluntas respectu eiusdem durationis prævideri vni cōsensura, alteri verò dissensura: ergo quamvis non discernat. Probatur consequentia. Quoties deficit id, quod impertinenter se habet ad disconformitatem exercitiorum, & determinationum, potest existere talis discōformitas: sed vt probatum manet, talis discretio impertinenter omninò se habet; cum non sit assignabile munus, cui deserviat: ergo ipsa deficiente, potest voluntas disconformiter operari.

28 Secunda paritas desumitur à diversis voluntatibus Petri, & Pauli v.g. æqualiter vocatis, & æqualibus libertatibus instructis, in quibus iuxta Adversarios, & iuxta veritatem in nostra Schola, (omitto Patrem Gabrielem Vazquium, qui peculiariter iuxta sua principia discurrit) non infertur ex consensu sub vna consensus sub alia, quamvis tantùm numero differant: ergo idem accidet in duabus libertatibus tantùm numero distinctis respectu eiusdem voluntatis. Probo consequentiam. Ideò primum evenire potest; quia dantur diversa dominia, & diversa principia elective: sed etiā in diversis libertatibus dantur diversa dominia, & principia electiva: ergo si in primo casu non stat illatio, neque in secundo: cùm eadem militet ratio, vt illæ duæ libertates respectu eiusdem voluntatis sint, vel non sint *moraliter* idem, vel vt hæ duæ voluntates eisdem instructis libertatibus distinguātur, vel identificentur *moraliter*.

29 Vltimò impugnatur hæc *moralis* identitas libertatum, vi cuius ex vnius determinatione inferatur *metaphysicè* determinatio similis alterius. Quia magis *moraliter* est idem in ordine ad consensum libertas *A* constituta per gravissimam tentationem in instanti *A* cum libertate omninò simili pro instanti *B*; quàm libertas constituta per indifferentiam adhuc *moralem* ad consensum pro instanti *A* cum libertate omninò simili pro eodem instanti: sed ex libertate constituta per gravissimam tentationem in vno instanti, & ex consensu sub ipsa ad summum infertur *moraliter* consensus sub simili libertate in alio instanti: ergo ex determinatione, & consensu sub libertate constituta per indifferentiam *moralem* ad consensum, non infertur *metaphysicè* similis determinatio sub alia libertate omninò simili respectu eiusdem instantis. Probatur maior discursus, in qua est difficultas. Magis *moraliter* est idem cum alia libertate simili in ordine ad consensum illa libertas, quæ est impotēs *moraliter*, sicut alia ad dissensum; quàm illa libertas, quæ est indifferens *moraliter*, sicut alia ad dissensum: sed libertas constituta per gravissimam tentationem in instanti *A*, est impotens *moraliter* ad dissensum, sicùt alia similis respectu instantis *B*: & libertas constituta per *moralem* indifferentiam ad dissensum in instanti *A*, est indifferens *moraliter*, sicut alia similis respectu eiusdem instantis: ergo magis *moraliter* est idem in ordine ad consensum libertas *A* constituta per gravissimam tentationem in instanti *A* cum libertate omninò simili pro instanti *B*; quàm libertas constituta per indifferentiam adhuc *moralem* ad consensum pro instanti *A*, cum libertate omninò simili pro eodem instanti.

30 Probatur tertiò conclusio: & vt clarius percipiatur discursus: pone duo complexa libertatum respectu eiusdem instantis, quorum primum resultet ex libertatibus inadæquatè distinctis, quia vna constet cognitione allicicnte ad consensum, *vt octo*, & altera cognitione alliciente, *vt quatuor*: Secundum ex duabus libertatibus inadæquatè distinctis, quia in vna datur diversa numero cognitio, *vt quatuor* alliciens ad consensum: tunc sic. Stat in primo complexo respectu eiusdem instantis, voluntatem Petri v.g. prævideri consensuram minori allicientiæ, & dissensuram maiori: ergo stabit in secundo complexo, voluntatem prævideri dissensuram vni allicientiæ, *vt quatuor*, & consensuram alteri allicientiæ, *vt quatuor*. Antecedens admittitur à ferè omnibus Adversarijs. Consequentia probatur. Magis distat à dissensu cum

allicientia, *vt octo*, qui consentit cum allicientia, *vt quatuor*; quàm distat cum allicientia, *vt quatuor*, qui consentit alteri allicientiæ, *vt quatuor* : hoc enim ex ipsis terminis apparet notum : sed cum illa maiori distantia stat, voluntatem prævideri consensuram minori allicientiæ, & dissensuram maiori : ergo cum hac minori distantia stabit, voluntatem prævideri consensuram libertati constitutæ per allicientiam, *vt quatuor*, & dissensuram libertati constitutæ per distinctam allicientiam, quamvis æqualem.

31 Probatur quartò : posito, voluntatem consentire, aùt prævideri consensuram sub libertate *A* in instanti *A*, id potest sub libertate *B* omninò simili, & respectu eiusdem durationis, quod non implicat contradictionem ex tali suppositione : sed ex tali suppositione prævideri dissensuram libertati *B*, non implicat : ergo ex tali suppositione id potest. Probo minorem. Ex tali suppositione, & ex dissensu præviso libertati *B*, præcisè infertur positio consensus sub vna libertate, & negatio consensus sub alia, non in sensu composito ; sed in sensu diviso : sed ex hoc non infertur contradictio : cum consensus, & negatio consensus sub distinctis, & divisis durationibus non sint contradictoria : ergo ex tali suppositione voluntatem prævideri dissensuram libertati *B* omninò simili libertati *A*, non implicat : ergo non datur impossibilitas *metaphysica*, nec necessitas *metaphysica* ad oppositum.

32 Probatur quintò: non est *metaphysicè* necessarium illud, ex quo infertur esse *metaphysicè* necessarium id, quod est impossibile *moraliter* : sed ex necessitate *metaphysica*, quam adstruit opposita sententia, infertur esse *metaphysicè* necessarium id, quod est impossibile *moraliter* : ergo talis necessitas *metaphysica* non datur. Probo minorem. Impossibile *moraliter* est, voluntatem, vel prævideri restituram, vel prævideri consensuram infinitis auxilijs eiusdem rationis : sed hoc infertur ex necessitate *metaphysica* oppositæ sententiæ : ergo, &c. Maior ex terminorum propositione apparet nota : quid ergo erit impossibile *moraliter*, si impossibile *moraliter* non est : voluntatem instructam infinitis libertatibus individualiter distinctis fore omnibus consensuram, aut omnibus dissensuram? Probatur minor. Necessarium *metaphysicè* est in omni sententia, voluntatem sub auxilio, aut libertate *A*, *vt quatuor* v.g. aùt cosentire, aùt dissentire; a duobus enim contradictorijs præscindi non potest : sed necessarium *metaphysicè* est in opposita sententia, quod si prævideatur voluntas consensura tali libertati, *vt quatuor*, prævideatur consensura omnibus libertatibus similibus, & individualiter distinctis, quę infinita sùt; aùt dissensura, si primæ dissentiat. ergo ex necessitate *metaphysica* oppositæ sententiæ infertur, esse necessarium *metaphysicè*, voluntatem prævideri, aùt consensuram, aut dissensuram infinitis libertatibus, quamvis eiusdem rationis, & purè individualiter distinctis.

33 Confirmatur. Impossibile *moraliter* est ex infinitis complexis indifferentibus, & independentibus inter se ad determinationem *A*, præ *B*, omnia convenire in determinatione *A*, aut in determinatione *B*: sed hoc infertur *metaphysicè* ex opposita sententia : ergo ex ipsa infertur, esse *metaphysicè* necessarium, quod est impossibile *moraliter*.

34 Dices forsan: hoc non esse impossibile *moraliter*: sicùt apud negantes possibilem creaturam inconvertibilem, non est impossibile *moraliter*; sed *metaphysicè* necessarium prævideri voluntatem consensuram infinitis auxilijs, & infinitis dissensuram. Sed contra: quia hæc responsio, aùt instantia contra me non militat, qui firmissimè teneo possibilem talem creaturā sinè divini dominij præiudicio: deinde quia adhuc admissa tali sententia, est manifesta disparitas ; cum Authores asserentes talem *metaphysicam* necessitatem non loquantur de aliquo infinito *determinatè* sumpto ; sed de aliquo *vagè* hoc, vel illo; in præsenti tamen loquimur de infinito *A* v.g. & in hoc conceditur, esse *metaphysicè* necessarium, voluntatem prævideri, aùt omnibus consensuram, aùt omnibus dissensuram.

35 Consultò omissi in antecedentibus singularitates, quas in doctrina opposita defendit P. Esparza, eas sigillatim impugnādo: quia quamvis aliqua, quæ vt absurda deduximus ex opposita sententia, libenter admittat iste Author; tamen in generalibus probationibus nostræ conclusionis, & oppositę impugnationibus, quidquid speciale asserit, manet impugnatum: cum ab eodem descēdat fundamēto, scilicet identitatis *moralis* libertatum numericè tantùm distinctarum, & indiscretionis auxiliorum quod, vt cōstat, proùt potui, impugnavi: vt-

vtque melius innotescāt impugnationes, eluceatque quid earum admittendum, quidvè accipiendum contra Patrem Esparza, scies: ipsum concedere, voluntatem consentientem sub auxilio, vel libertate *A* necessario fore consensuram sub libertate omnino simili, sivè respectu eiusdem, sivè diversarum durationum; item libertatem consentientem sub auxilio, *vt quatuor*, necessariò *metaphysicè* fore consensuram sub auxilio, *vt quinque*, vel *vt sex*.

36 Ex dictis inferes primò; æquè repugnare ex determinatione voluntatis sub vna libertate, esse necessarium *physicè* determinandam forè eodem modo sub alia libertate omninò simili; ac repugnat, esse necessarium *metaphysicè*, propter easdē rationes; quę, vt vides, æquè impugnant ex tali suppositione impotentiam *physicam* ad disconformitatem exercitiorum, ac impotentiam *metaphysicam*: non enim minus pugnat cum pleno dominio, quod essentiale est cuicumque libertati impotentia *physica*; quàm *metaphysica* ad operandum independenter à determinatione alterius dominij.

37 Inferes secundò: nèc *moraliter* necessarium esse, Ioannem consentientem in hoc instanti cogitationi *A*, forè consensurum alij simili cogitationi substitutæ in hoc instanti. Ratio est: quia, vt bene Pater Ribadeneyra, vel nulla necessitas debet dari ab vna ad aliam voluntatis determinationem, vel *metaphysica*: sed hæc repugnat, vt probatum manet: ergo nulla datur: cum ergo duæ illæ libertates sint dominia absoluta, & independentia in suas operationes, æquè contingens manet *metaphysicè*, *physicè*, & *moraliter* operatio vnius post alterius determinationem; ac erat ante ipsam: quarè si ante determinationem libertatis *A* nulla dabatur necessitas *moralis* ad determinationem libertatis *B*, nec dabitur postea; cum id, quod est omninò impertinens ad *B*, nullo modo possit esse antecedens ad inferendum *B*.

38 Nèc apprehensioni fidas: nàm si hanc consulas, non minus necessarium *moraliter* apparet: Petrum consentientem in instanti *A* libertati *A* fore consensurum eidem libertati collatę in *B*: tum, Ioannem consentientem auxilio, *vt quatuor*, fore consensurum auxilio, *vt octo*: tum; consentiente vno homine libertati v.g. *vt sex*, fore consensurum alium hominem simili omnino libertate constitutum; quàm est *moraliter* necessarium, posito consensu sub libertate *A*, futurum prævideri sub libertate numericè tantùm distincta: sed in illis tribus casibus, etiam iuxta Adversarios, ratio apprehēsionem superat, vt necessitas *moralis* negetur: ergo in præsenti, apprehēsione cōtēpta, rationis ductū sequentes, *moralē* necessitatē negare debemus: præcipuè cū si supra apprehēsionē aliquantulum reflectamus, ratio delusionis in apprehēdendo, sese mētis oculis statim offerat, desumiturque ex eo, quod intellectus ex notis ad ignota cognoscenda procedat; cumquè causæ *necessariæ* notiores sint, & hæ semper vniformiter operentur; ad harum modum primò *liberas* apprehendit, donec ratio, & discursus apprehensionem corrigit.

39 Inferes tertiò: quid respondendum sit quæstioni generaliter propositæ, proùt comprehendit, tàm agens liberum *increatum*, quàm *creatum*. Sit ergo fixū pro resolutione, loquendo de vtroque agēte: semper, ac detur libertatis diversitas, sivè adæquata, sivè inadæquata, quamvis tantùm numerica, æquè contingentem esse exercitiorum, & determinationum vniformitatem, ac difformitatem; quin exercitium, & determinatio sub vna possit in vlla linea esse antecedens ad inferendum exercitium sub alia: quia tali variatione posita, est diversum dominium omninò independens; nec licet sinè repugnantia, & implicatione in ipsis terminis, ex independentia dependentiam facere: quod necessarium erat ad formandū antecedēs, ex quo deducatur consequens ab Adversarijs intentum.

40 Hinc: si decreta Dei connexa cum hac numero libertate, à qua procedunt, statuas; quamvis ex defectu huius libertatis, & positione alterius defectum huius decreti numero benè arguas; at positio alterius similis omninò est contingens; deficietque antecedens, ex quo valeat inferri: si verò decreta, quamvis cum hac, vel illa libertate connexa, quia intrinsecè libera; non autē cum hac numero, à qua procedunt, constituas; ex positione huius decreti, vel negatione sub hac libertate, ad positionem, vel negationem ipsius determinatè sub libertate alia numericè distincta malè argues: cùm æquè contingens sit vnum, ac aliud; nèc possit defectus, aùt positio decreti determinatè argui, nisi ex positione alicuius cōnexi cū decreto; quod nō da-

datur; vel ex ablatione alicuius essentialiter requisiti ad decretū; quod non invenies.

CAPVT III.

Solvuntur obiectiones Adversariorum.

41 OBijcies primò. Ex suppositione, quod voluntas consentiat libertati *A*, necessarium *metaphysicè* est, consentire sub omni eo, quod impertinenter se habet, vt non consentiat: sed libertas *B* ex tali suppositione impertinenter se habet, vt non consentiat: ergo ex suppositione, quod consentiat sub *A*, necesse est, fore consensuram sub *B*. Maior præterquamquod apparet certa, probatur. Voluntas consentiens necesse est consentire sub omni eo, quod sivè existat, sivè non existat, deficiet dissensus, seù non consensus: sed id, quod impertinenter se habet ad dissensum, est id, quod sivè existat, sivè non existat, deficiet dissensus, aùt non consensus: ergo ex suppositione, quod voluntas consentiat sub libertate *A*, necessarium est consentire sub omni eo, quod impertinenter se habet, vt existat dissensus. Iam minor primi syllogismi, in qua stat difficultas, probatur sic. Voluntati consentienti rationaliter sub libertate *A* omne illud est impertinens ad dissensum, quod nil includit præter id, quod est ipsi ratio consentiendi liberè: sed libertas *B* nil includit, quod non sit voluntati ratio consentiendi liberè in actu secundo: ergo libertas *B* impertinenter se habet respectu voluntatis consentientis sub *A*, vt non consentiat. Maior apparet certa. Minor probatur. Ratio consentiendi liberè, & rationaliter voluntatem sub *A*, est ratio *obiectiva*, & obiecti bonitas, taliter proposita per intellectum: sed per *B* eadem ratio *obiectiva*, taliter proposita, datur: ergo libertas *B* nil includit, quod non sit libertati ratio liberè consentiendi.

42 Confirmatur. In voluntate, & agente rationaliter operante velle sub ratione *obiectiva* taliter proposita, est nolle defectum obiecti, perseverante ratione *obiectiva* taliter proposita: sed consentiente voluntate sub libertate *A*, sub libertate *B* omninò simili perseverat eadem ratio *obiectiva*, & eodem modo proposita: ergo voluntatem velle sub libertate *A* obiectum, est excludere defectum ipsius, existente libertate *B*: ergo determinatio sub *A* est determinatio, vt existat obiectum sub *B*; ac per consequens ex existentia consensus sub libertate *A* infertur *metaphysicè*, non defecturum sub *B*.

43 Argumentum hoc, si aliquid probat, æquo, aùt potiori iure probat de voluntate pro diversis durationibus, & de voluntate consentiente sub auxilio, *vt quatuor*, comparativè ad ipsam instructam auxilio, *vt sex*, vel *vt octo*; sed hoc transmisso, sicut, & maiori argumenti, de qua non curo, nego minorem: ad eius probationem: distinguo maiorem. Omne illud est impertinens ad dissensum, quod nil includit, *tàm obiectivè, quàm subiectivè*, præter id, quod est ratio liberè assentiendi: concedo maiorem. Quod nil includit *obiectivè tantùm*, præter id, quod est ratio liberè assentiendi: nego maiorem: & deinde distinguo minorem: libertas *B* nil includit, quod non sit voluntati *ratio obiectiva* consentiendi liberè: concedo minorem: *ratio subiectiva*: nego minorem, & consequentiam. Ad confirmationem: distinguo maiorem. In voluntate, & agente rationaliter operante velle sub ratione *obiectiva* taliter proposita, est nolle defectum obiecti perseverante ratione obiectiva taliter proposita *per talem individuam propositionem*: permitto maiorem: *per talem propositionem purè specificè*: nego maiorem: & distinguo minorem: perseverat eadem ratio *obiectiva*, & eodem modo proposita *individualiter*: nego minorem: *specificè*: concedo minorem: ergo: nego consequentiam.

44 Explicatur solutio. Ea est: verum esse in vna, & altera libertate proponi eandem *obiectivam* bonitatem per cognitionem allicientem, & eodem modo, sicut per cognitionem retrahentem eandem *obiectivam* difficultatem, & eodem modo: cæterùm licèt eadem sit bonitas *obiectiva*, & quoad propositionem per intellectum idem sit modus proponēdi ipsā *specificè*; quia libertates specie non differunt; tamen diversa est *individualiter*: cumque eo modo, quo variantur libertatis constitutiva, varietur libertas; dato diverso numero constitutivo, dari diversum numero dominium, necesse est; ac per consequens aliquid conducens, vt sit dissensus, si voluntas velit; quamvis relate ad aliud dominium, & libertatem prævideatur voluntas con-

consensura; quia sub ipso vult sic se determinare.

45 Obijcies secundò: implicat duo contradictoria simul dari, quamvis per diversa media, aut principia proveniant: sed si voluntas sub libertate *A* consentiens, sub libertate *B* dissentiret, darentur simul, & in eodem instanti duo contradictoria, quamvis per diversa media, & principia: ergo implicat voluntatem sub *A* consentientem, sub *B* prævideri dissensuram. Probatur minor. Verificaretur pro instanti *A* bonitatem obiecti propositam per cognitionem *A* v.g. esse voluntati rationem assentiendi pro hoc instanti: deinde hanc eādem bonitatem non esse rationem volendi propositam per cognitionem *B*: ergo darentur simul duo contradictoria, quamvis per diversa media. Probatur consequentia. *Esse rationem volendi, & assentiendi pro instanti A, & non esse rationem volendi pro eodem instanti*, sunt duo contradictoria: sed hæc verificantur pro eodem instanti: ergo darentur duo contradictoria pro eodem instanti.

46 Probat argumentum: quòd quamvis libertates essent specie distinctæ, non posset voluntas sub vna consentire, non consentiente sub alia; quia verificaretur similiter: idem obiectum esse rationem assentiendi, & non esse rationem assentiendi. Ad argumentum concessa maiori, negatur minor. Ad probationem: distinguo antecedens: verificaretur esse rationem volendi, & non esse rationem volēdi respectu eiusdem instantis *absolutè*: nego antecedens: *conditionatè*: subdistinguo: *sub eadem conditione*: nego antecedens: *sub diversa conditione*: concedo antecedens, & nego consequentiam: ad huius probationem: distinguo maiorem: esse rationem volendi, & non esse rationem volendi pro instanti *A absolutè* sunt contradictoria: concedo maiorem: *conditionatè*: subdistinguo, *sub eadem conditione*: concedo maiorem: *sub diversa*: nego maiorem, & sub eisdem terminis distincta minori; nego consequētiam. Itaque sicùt implicatorium non est, respectu eiusdem instantis, quod existētia Petri v.g. sit ratio existendi ipsum in rebus, si producatur, vel conservetur, & non sit ratio actualiter ipsum constituendi in rebus, si nec producatur, nec conservetur; esset tamen implicatorium, quod *absolutè*, vel sub eadem conditione esset, & non esset ratio existendi actualiter pro aliquo instanti: sic in nostro casu, quamvis sit chymæricum voluntatem *absolutè* moveri, & non moveri à bonitate obiecti, vel *conditionatè* sub eadem libertate; secùs non *absolutè*; sed *conditionatè* sub diversa conditione, & libertate.

47 Obijcies tertiò. *Petrum fore consensurum auxilio A, & non fore consensurum auxilio B solo numero distincto*, sunt contradictoria, saltem virtualia: ergo non possunt dari. Consequentia est legitima. Probant Adversarij antecedens. In casu, in quo quis vellet pomum, aut ovum *A*, sibi virtualiter contradiceret, nolendo pomum, vel ovum *B* omninò simile, & quod à primo non discerneret: ergo similiter sibi virtualiter contradiceret, volendo obiectum sub libertate *A*, & nolendo ipsum sub libertate simillima, & quam non discerneret, vt distinctam. Vrgetur: si aliquis habens propositum sibi, & præsens pomum *A*, decerneret ipsum retinere per quatuor instantia; non posset absquè contradictione in sensu composito talis determinationis, nolle retinere pomum *B* simillimum, & à primo indiscretum, ipso inscio, loco primi substitutum: ergo pari titulo esset implicatorium, quod si ei proponeretur pomum *A* pro hoc instanti, ipsum esset voliturus; noliturus tamen aliud omninò simile, loco alterius pro eadem duratione propositum.

48 Hoc argumentum, sicut, & alia Adversariorum, peccat in eo, quod facit sensum compositum exercitij vnius potestatis, & libertatis cum collatione alterius libertatis: quid ergo mirum, quod pro tali casu operatio disconformis, sit repugnans? dividant ergo exercitium vnius potestatis à coexistentia cum altera, & vacuum argumentum reperient. Respondeo ad obiectionem, negando antecedens. Ad probationem: distinguo antecedens: sibi contradiceret, nolendo pomum, vel ovum *B* omninò simile, &c. *In sensu composito volitionis pomi A*: trāseat antecedēs: *impedita volitione pomi A*: nego antecedēs, & consequentiam: quia in casu quæstionis si voluntas dissentiret, esset in sensu diviso consensus alterius potestatis: nam quamvis conditionales de consensu, & dissensu sub vna, & altera potestate simùl verificentur; non tamen *pro simul*: vndè voluntas, nec *formaliter*, nec *virtualiter* sibi cōtradiceret.

49 Nèc magis vrget confirmatio : in qua, conceſſo antecedenti, negatur conſequentia. Si enim ſupponitur : determinationem illam retinendi pomum *A* per quatuor inſtantia coniungi cum ſubſtitutione pomi *B* pro *A*, & cum iudicio de eo, quod eſt pomum *A*; quid mirum, quod nolendo pomum *B*, ſibi contradiceret : idem enim eſſet reſpectu talis voluntatis iudicantis pomum *B* eſſe pomum *A*, nolle pomum *B*, volendo *A*; ac nolle *A* per quatuor inſtantia ex ſuppoſitione determinationis retinendi *A* per quatuor inſtantia ; ſed quid ad noſtrum caſum, vbi determinatio, & exercitium ſub vna libertate nunquam coniungeretur abſolutè cum collatione alterius libertatis, qua poſita, daretur plena ad vtrumvis indifferentia, nilque determinans ad poſitionem vnius ? Corrigatur ergo apprehenſio de coexiſtentia exercitij vnius poteſtatis cum purificatione conditionis alterius, & dum argumentum quæras, non invenies.

50 Obijcies quartò : caſu, quo Deus poneret ſimul in voluntate auxilium *A*, & auxilium *B* omninò ſimile, amboque ſubiecta determinationi voluntatis, hæc non poſſet velle operari, vtendo potius vno auxilio, quam alio : quia non poteſt ſe determinare *quoad individuationem* ; ſicut erat neceſſarium, vt inter vnum, & aliud auxilium eligeret : ergo voluntas conſentiens ſub auxilio *A* in hoc inſtanti, etiam conſentiret, ſi loco auxilij *A* conferretur auxilium B in eodem inſtanti. Probatur conſequentia : quia ſi propter voluntatis indiſcretionem inter vnum, & aliud auxilium ſe determinaret ſub vtroque ſimul collato, propter eandem indiſcretionem ſe determinaret ſub vtroque, etiam ſi diviſim conferretur. Confirmatur. Si Petrus v. g. conſtitueretur proximè potens ad duo individua amoris *A*, & *B*, quæ non diſcerneret ; determinatio ad vnum eſſet determinatio ad aliud ; aliter inter vnum, & aliud diſcerneret, determinaretur que *quoad individuum* : ergo ſimiliter : ſi diviſim conſtitueretur proximè potens caſu, quo eliceret, & ſe determinaret ad *A* ſub proxima potentia ad *A*; ſe determinaret ad *B*, ſub proxima potentia ad *B*.

51 Neſcio : àn his obiectionibus potius reſplendeat animus, & ſtudium arguendi ; quàm argumentum : cui reſpondeo, obijcientem rogans : an dum loquitur de ſimultanea collatione auxiliorum ſimilium, reputet auxilia conſtituere duas libertates ſimùl inadæquatè ſaltem diſtinctas, vel vnicam : ſi *primum* : implicat in terminis caſus ; quia ſub qualibet poſſet voluntas ſe determinare, proùt vellet ; : ſin minus non eſſet libertas : & aliunde non poſſet ſe determinare ſub vtraque, niſi vniformiter : aliàs ſimùl, & abſolutè in eodem inſtãti conſentiret, & diſsẽtiret obiecto, quãvis per diverſa principia : quod totũ chymæricum eſt. Si *ſecundum* : verum eſt : voluntatem ſe determinaturam ſub vtroque ; ſed non ob rationem obiectam indiſcretionis individuorum ; ſed quia dum voluntas liberè ſe determinat in hoc inſtanti, neceſſe eſt determinari ſub tota libertate, quam in ipſo habet : cumque vtrumque auxilium conſtitueret individuã libertatem, quam defacto haberet, neceſſarium foret ; vel nõ ſe determinare, vel ſe determinare ſub vtroque. Hinc negatur cõſequẽtia argumẽti. Ad cuius probationem negatur antecedens : cum, vt dictum eſt, non ſit ratio ad ſimilem determinationem ſub vtroque indiſcretio auxiliorum, aut incapacitas determinandi individuationem ; ſed conſtitutio vnius libertatis.

52 Confirmatio implicat in terminis. Nàm ſi voluntas conſtitueretur proximè potens ad duo individua, neceſſariò, vt proximè potens ad ipſa, diſcerneret illa, & poſſet eligere vnum, relicto alio : quare confirmatio deſtruit id, quod adſtruit ; dùm *voluntati proximè potenti ad duo individua*, addit : *non diſcernere ipſa* : niſi velis hanc proximam potentiam ad duo individua, eſſe potentiam purè *phyſicam*, & non *libertatis* inter individua, taliter, vt licet voluntas non ſit neceſsitata ad conſentiendum *abſolutè*, quia poſsit ponere carentiam conſenſus ; ſit tamen neceſsitata, vt caſu, quo determinet ſe ad conſentiendum, vel amandum, ponat duos conſenſus, vel amores, tùncque determinatio vtriuſque non proveniet ex indiſcretione individuorum ; ſed ex præparatione concurſus, quo Deus volet *negativè* determinare ad duo individua, ſicut modo determinat ad vnum. Nego igitur conſequentiam confirmationis, quæ nèc quoad ſpeciem tenet ; cum caſu, quo voluntas conſtitueretur proximè potens ad *A*, & *B* diviſim, eſſent diſtinctæ potentiæ proximæ, quarum

quæli-

quælibet posset operari, prout vellet.

53 Objicies quintò: voluntas per nos non se determinat *quoad individuationem* effectus: ergo dùm amat, non se determinat ad individuationem amoris: ergo dùm voluntas amat amore *A*, non magis se determinat ex se ad amorem *A*, quàm ad amorem *B*: patet consequentia. Quia si voluntas ex se magis determinaretur ad *A*, quàm ad *B*, iam determinaret individuum *A* præ *B*; quod esset determinate individuationem effectus. Iam sic. Voluntatem, dùm amat amore *A*, non magis ex se determinari ad *A*, quàm ad *B*, est voluntatem, quatenus est ex se, ponere vtrumque extremum, quamvis absolutè, & defacto non ponat; quia non habet potestatem expeditam ad *B*; sed ad *A*: sed ponere, quatenus est ex se, vtrùque extremum, & de facto non ponere *B*, quia ad ipsum non habet potestatem expeditam, est *formaliter* voluntatem eliciturum esse *B*, si ad *B* potestatem haberet: ergo voluntatem non magis determinari ad *A*, quàm ad *B*, est fore eliciturum amorem *B*, si haberet potestatem ad ipsum: quod absque dubio est idem cum eo, quod si constituatur libera libertate *A* ad amorem, quem sub ipsa ponit, fore necessario eliciturum amorem, si libera per libertatem *B* constitueretur. Minor probatur. Deficiente tota ratione, quarè non sit *B*, existit *B*: patet: quia quodlibet existit, dum nulla adest ratio, vt non existat: sed totà ratio, vt non existat individuum *B*, est defectus potestatis: ergo existente potestate, existeret *B*.

54 Huic argumento satis pulchrò, & apparenti brevissimè respondet Pater Herrera asserens: solùm probare, quod si daretur potestas ad extremum *B*, & simul poneretur *A*, poneretur etiam *B*; non autem probare, quod si daretur potestas ad *B*, etiam divisim ab extremo *A*, daretur *B*: quarè concesso primo entimemate: distinguit maiorem quoàd secundam partem: defacto ideò non ponit *B*, quia non habet potestatem ad *B*, *sumpto* ly *defacto*, *praecisse pro instanti*, *in quo ponit A, & non B*: negat maiorem: *sumpto* ly *defacto*, *pro casu*, *quo ponat liberè amorem A*: concedit maiorem, & distinguit minorem quoàd secundam partem: ideo defacto non ponere *B*, quia non habet potestatem, est *formaliter* eliciturum esse *B*, si haberet potestatem: *præcisse si haberet potestatem*: negat minorem: *si haberet potestatem*, *& simul poneret amorem A*: concedit minorem; & sub eisdem terminis distinguit consequens: similiter quàmvis explicatius, respondet Pater Ribadeneyra.

55 Non capio quomodo argumentum probet, adhuc id, quod concedit Pater Herrera: nam vel, posito amore *A* sub libertate *A*, potestas, quæ daretur ad *B*, esset libera ad ponendum *B*; vel necessaria: si *libera*: adhuc posito amore *A* sub potestate *A*, vnde infertur, esse ponendum individuum *B*, quamvis poneret *A*: si *necessaria*: ideo esset, quia Deus taliter præparavit concursum ad amorem, vt quàmvis voluntas maneret indifferens ad amandum, & non amandum; esset tamen determinata, vt casu, quo amaret, amaret per duplex individuum amoris, quo casu, tantum daretur vnica potestas libera ad hæc individua: ergo non duplex potestas libera, quarum vnius liberum exercitium inferret exercitium alterius, adhuc in sensu composito: convenio ergo cum his Doctoribus in eo, quod supra notavi, scilicèt: Adversarios arguere à sensu composito ad probandum sensum divisum vnius, & alterius potestatis; sed iudico aliquantulum esse immorandum in investigandis propositionibus argumenti, vt detecta fallacia, clarior, & expeditior fiat solutio.

56 Prima propositio argumenti est: *voluntatem non posse determinare individuationem effectus*, *est non magis determinare ad amorem A v.g. quàm ad B*: hæc propositio æquivoca est, & in vno sensu vera, & in altero falsissima: *est vera*, si solum significet, voluntatem non habere potestatem *indifferentiæ*, & *electionis* inter individua *A*, & *B*, ità, vt pro suo nutu possit eligere *A*, relicto *B*; sed antecedenter ad positionem individui, quod ponit, esse determinatam ad non ponenda alia. *Est falsa*; si denotet, quod voluntas, neque absolutè, neque ex suppositione præparationis concursus ad hoc individuum præ illo, non determinare ad ipsum, potius quàm ad aliud, quasi ipsa, dùm operatur amorem, ponat, quatenus est ex se, rationem quamdam abstractam amoris indifferentem, vt contrahatur per individuationem *A*, vel *B*: hoc enim falsissimum est; & per consequens falsum est

in

in eodem sensu : voluntatem non determinare vnum individuum præ alio. Probatur. Id determinat ad individuum *A* præ *B*, quod ponit connexionem cum *A*, & non cum *B*: sed voluntas, posita præparatione concursus ad operandum amore *A*, dum amat, ponit connexionem cum amore *A*, & non cum *B*; quia ponit actionem *metaphysicè* connexam cum hoc individuo, & ipsum individuum quod repugnat, non esse individuum *A*: ergo voluntas in aliquo sensu determinat ad vnum individuum præ alio.

57 Secunda propositio: *voluntatem, dùm defacto elicit A, non magis se determinare ad A; quàm ad B, est: voluntatem, quatenus est ex se: determinare, & ponere vtrumque extremum; defacto verò non ponere, quia non habet potestatem expeditam ad B.* Hæc propositio est vera, si ly *non magis se determinare ad A; quàm ad B*: accipiatur pro *non determinatione* tam absolutas; quàm ex suppositione taliter, vt significet, voluntatem ponere, dum elicit amorem *A*, rationem quamdam abstractam, & præscindentem ab individuatione *A*, & *B*; sed negatur suppositum in hoc sensu: quia hoc non convenit voluntati, dùm elicit amorem *A*, vt iam explicuimus: est falsa, si ly *non determinari potius ad A; quàm ad B*, loquatur de non *determinatione* absoluta, & electiva individuorum; secùs de *non determinatione* consequenti, & ex suppositione præparationis concursus.

58 Tertia propositio. *Defacto voluntas non ponit amorem B, quia non habet potestatem ad ipsum*: hæc propositio vera est, sensu significante, ly *non habere potestatem*, esse rationem sufficientem; non tamen vnicam, vt deficiat amor *B*; imò esse rationem *illativam*; non verò *formalem* deficiendi *B*: est falsa, sensu significante, ly *non habere potestatem*, vel esse rationem *formalem*, vel vnicam deficiendi *B*. Explicatur propositionis sensus: benè stat: modo aliquid deficere propter aliquam rationem, quæ sufficiens sit, vt illud deficiat; & tamen quod non sit ratio vnica, nec necessaria, vt deficiat: quia adhùc, hac ratione deficiente, potest existere alia sufficiens ad inferendum defectum: patet hoc in casu, quo Deus denegaret concursum creatæ voluntati ad amorem: non dabitur amor liber, quia denegatio concursus sufficiens est ad inferendum non amorem liberum voluntatis; cæterum stante præparatione concursus ad amorem, adhùc potest deficere amor liber, quia potestas libera constituta per talem præparationem potest ipsum excludere. Ecce: *non præparationem* esse rationem sufficientem, vt non existat amor liber; sed non vnica: quia dùm ipsa deficit, potest existere libertas sufficiens etiam ad talem exclusionem: quod in alijs pluribus exemplis conspicuum est: quarè non est immorandum.

59 Quarta propositio. *Non ponere defacto voluntatem amorem B, quia non habet potestatem ad ipsum, est fore elicituram voluntatem amorem B, si potestatem haberet.* Hæc propositio est falsa, loquendo de potestate libera, quia cùm defectus potestatis non sit ratio vnica deficiendi amorem *B*, non benè valet ab eius defectu ad existentiam amoris: quia cùm defectus carentiæ potestatis sit existentia potestatis, & sub hac, vtpotè libera, possit voluntas non elicere amorem; inde est: malè argui ab existentia potestatis ad amoris existentiam. Ex quo colligitur, in quo sensu sit vera quinta propositio, quæ in probationem quartæ adducitur; nempè: *deficiente tota ratione, quarè non existat B, existit B*: est inquam vera, si tota ratio, quæ deficit, sit ratio vnica ad defectum, vel comprehendat, non tantùm aliquam; sed omnes rationes sufficientes ad defectum; secus si sit ratio aliqua præcisè sufficiens, & non vnica.

60 Iam ad argumentum in forma. Concesso entimemate: distinguo secundum consequens: voluntas dùm amat amore *A*, non magis se determinat ex se ad amorem *A*; quàm ad amorem *B*, tàm *absolutè*; quàm *ex suppositione*: nego consequentiam: *absolutè tantùm*: concedo consequentiam. Deinde in progressu argumenti: distinguo maiorem. Voluntatem non magis ex se determinari *tàm absolutè*; *quàm ex suppositione*, est voluntatem, quatenus est ex se, ponere vtrumque extremum, quàmvis absolutè non ponat, quia deficit potestas: concedo maiorem: *absolutè tantùm*: nego maiorem: & distinguo minorem. Ponere, quatenus est ex se, vtrumquè extremum *sumptum pro non determinatione, nequè absoluta, nequè ex suppositione*, & defacto non ponere, quia defacto non habet potestatem expeditam, est formaliter &c. nego suppositum, vel permitto minorem: *sumptum*

pro

pro non determinatione præcisse absoluta, & defacto non ponere, quia non habet potestatem &c. subdistinguo minorem: ly *quia denotante rationem præcisse sufficientem*: nego minorem: ly *quia denotante rationem totalem, & vnicam*: nego suppositum, vel permitto minorem: & sub eisdem terminis distincto consequenti: nego, vel permitto consequentiam. Ad minoris probationem: distinguo maiorem. Deficiente tota ratione *vniversaliter sumpta*, quarè non sit *B*, existit *B*: concedo maiorem: deficiente tota ratione, *quæ modo existit*: subdistinguo, *si sit vnica ratio, & formalis deficiendi*: permitto maiorem: *si sit ratio purè sufficiens*; *sed non vnica*: nego maiorem, & sub eisdem terminis distincta minori: nego consequentiam.

61 Objicies sextò: Petrum consentire cum cognitione *A* collata à Deo ex fine misericordiæ, infert infallibiliter fore consensurum eidem cogitationi ex alio fine collatæ: ergo Petrum consensurum fore auxilio *A*, infert infallibiliter fore consensurum auxilio *B* omnino simili. Antecedens est certum: quia motivum, ex quo confertur auxilium, aùt libertas, est extra libertatem, ideoque impertinenter se habet ad diversificandas operationes sub libertate, quod conferatur ex hoc, vel alio motivo. Consequentia probatur: quia dum Deus confert auxilium ex fine misericordiæ, actus, quo applicat suam omnipotentiam, intrinsecè respicit finem misericordiæ: ergo si auxilium conferretur ex alio motivo, decretum applicativum intrinsecè respiceret aliud motivum; ac per consequēs esset diversum: ergo iam vna libertas inadæquate saltem distingueretur ab alia: sed hæc diversitas impertinenter se haberet ad disconformitatem operationum: ergo diversitas, quæ daretur inter auxilium *A*; & *B*, etiam impertinenter se haberet: ergo si in vno casu infertur *metaphysicè* consensus, tenet consequentia ad alium.

62 Implicat in terminis totum argumentum, vt bene notat Pater Herrera: nam ex vna parte supponit: variationem motivorum non inducere distinctionem in intrinsecis libertatis, & ex alia ex tali diversitate arguit distinctionem in decreto applicativo vnius, & alterius libertatis; quod est diversificare quoad intrinseca vnam, & aliam libertatem. Quare vno verbo respondeo. Quoties motivū sit *extrinsecum* non tantùm respectu alicuius constituētis libertatem; sed etiam respectu totius libertatis, variatio motivi impertinens est ad disconformitatem exercitiorū; si vero sit intrinsecum, aut respectu totius libertatis, aùt respectu alicuius constitutivi; variato motivo, variatur libertas, aùt *adæquatè*, aùt *inadæquatè*: ideoque est idem casus disputationis, cui nil præter dicta, addendum.

63 Objicies septimò: variato aliquo constitutivo libertatis, stat *metaphysica* necessitas ad eandem operationem: ergo distinctio libertatis, quæ est fundamentum nostræ sententiæ, non obstat necessariæ vniformitati operationum. Probatur antecedens. Variata præsentia subiecti, cui confertur libertas, variatur aliquod constitutivum libertatis: sed variatio præsentiæ non obstat necessitati eiusdem operationis; quis enim dicat: ex eo quod Petrus, dum est in loco *A*, consentiat libertati *A*, non fore necessarium similiter: consensurum, si esset in loco *B*: (supponitur ad argumentum: locum non habere specialem conducentiam, vel ad consensum, vel ad dissensum, vt locus facer &c.) ergo variato aliquo constitutivo libertatis, stat *metaphysica* necessitas ad eandem operationem. Probatur maior. Non minus necessaria est præsentia ad libertatem; quàm duratio: sed variata duratione, variatur aliquod constitutivum libertatis: ergo, variata præsentia, variatur aliquod constitutivum libertatis.

64 Nego antecedens argumenti. Ad cuius probationem: nego maiorem: & ad paritatem per quam probatur, similiter nego maiorem. Disparitas est, quam tradidit Pater Ribadeneyra: nam hoc, quod est, *fuisse liberum*: *esse liberum*: *futurum esse liberum*, est maxima libertatis distinctio: sed hoc provenit formaliter à duratione: ergo duratio aliquid est libertatis: nam nil distinguitur per id, quod non est: deinde quia hoc, quod est *voluntatem esse simpliciter liberam*, est formaliter habere libertatem de præsenti: sed habere libertatem de præsenti, includit *constitutivè* durationem: ergo duratio præsens est constitutivum libertatis: àt habere hanc vel illam præsentiam, neque vt sit libertas, neque vt distinguatur ab eo, quod fuerit, vel futura sit, est formaliter necessaria, vt per se patet.

Obij-

65 Objicies octavò; & vt clarius innotescat argumentum, supponendum est cum Theologis: ignorantiam *antecedentem*, proùt distinguitur à *comitãti* respectu alicuius actionis, emissionis sagittæ v.g. in obiectũ è regione propositum, eam esse, quæ causat operationem, non *positivè*; sed *negativè*, & tamquàm *removens prohibens*: hoc est, tamquàm excludens, & occultans illam rationem, quæ si adesset proposita per intellectum voluntati, non daretur talis operatio: vnde talis influxus stat in hac veritate conditionali: *si ratio, quæ ignoratur, proponeretur; non esset hæc operatio.* Supponendum etiam est: hunc influxum, per quem ignorantia constituitur *antecedens*, cognoscibilem esse ab operante, & per ipsum regulare involuntarietatẽ actionis: quo supposito, arguitur sic, intendendo evertere fundamentum nostræ sententiæ. Stat ex exercitio libero vnius libertatis inferri *metaphysicè* exercitium, quod foret alterius libertatis dissimilis: ergo potiori iure stabit absquè repugnantia, ex exercitio libero vnius libertatis inferre exercitium liberum alterius libertatis similis. Consequentia apparet legitima, cum arguat à difficiliori ad facilius.

66 Antecedens probatur. Stat, influxum ignorantiæ *antecedentis* fundatum in hac veritate conditionali: *si adesset ratio, quæ per ignorantiam non appareret; non fieret emissio sagittæ, quæ modo fit*, discerni ab operante: sed hoc non stat absquè illatione ex vno exercitio libero vnius libertatis ad exercitium liberum alterius potestatis dissimilis: ergo stat, ex exercitio libero vnius libertatis inferri exercitium liberum alterius dissimilis potestatis. Probatur consequentia. Influxus ille, & conditionata veritas est futurum contingens conditionatum de operatione libera: ergo in se non potest cognosci ab agente creato; sed tantùm in aliqua connexione fundata in his, quæ de præsenti cognoscit operans: sed hoc, quod de præsenti cognoscit operans, est exercitium liberum emittendi sagittam sub libertate, quam defacto habet, per ignorantiam constituta: ergo ex exercitio libero, quod facit sub hac libertate constituta per ignorantiam, infertur, quid faceret sub alia libertate dissimili, & per carentiam ignorantiæ constituta. Confirmatur, & explicatur. Agens liberum sub tali ignorantia cõstitutum indiget aliquo antecedenti de præsenti existente ad cognoscendam illam veritatem conditionalem de operatione libera: sed nullum est aliud antecedens de præsenti præter id, quod liberè facit sub libertate, quam defacto habet, vel assigna: ergo id, quod de facto facit sub libertate, quam defacto habet, est antecedens, ex quo legitimè infertur id, quod faceret sub libertate, quam haberet.

67 Bene dignoscitur: hoc argumentum, si probat, contra Aduersarios probare, qui dicunt: inter libertates dissimiles non dari illationem: sed detecta æquivocatione, quam involvit, contra nullos probabit. Manifestabitur igitur, si notetur id, quod Pater Ribadeneyra advertit tractatu de Actibus Humanis disp. 9. cap. 1. scilicet; duplicem esse distinguendam ignorantiam antecedentem in actione emittendi sagittam v.g: *vnam*, quæ de præsenti coniungitur in operante cum animo *affectivè* efficaci detestanti homicidium: *alteram*, quæ sinè tali animo datur, quãvis non detur cum opposito; vtraque influit, quatenus vera est illa conditionalis *contingens*: *si non adesset, non emitteretur sagitta*; sed non vtraque coniungitur cum altera veritate conditionali *necessaria*, nempè: *si deficeret talis ignorantia in sensu composito affectus non patrandi homicidium, non emitteretur sagitta*; sed tantùm prima. Iam: id, quod agens liberè sub tali ignorantia potest cognoscere, non est veritas illa conditionata *contingens*: quia ad hoc nullum habet antecedens, neque in eo, quod liberè facit, nequè in alio, quare Deo soli reservata est talis cognitio, sicut, & cognitio influxus ignorantiæ, quæ cum tali præcisse veritate contingenti coniungatur; sed veritas illa conditionata *necessaria*, & influxus, qui in ea consistit: quia ad hanc cognoscendam habet antecedens sufficiens; cùm in se experiatur propositum efficax non patrandi homicidium; & evidens sit, emissionem liberam sagittæ incomponibilem esse cum tali proposito pro casu, quo adsit scientia de eo, quod vivens è regione positum est homo, & non fera: cæterum hoc non est, ex vno exercitio libero inferre aliud exercitium liberum; sed ex vno libero inferre alterum necessarium cõditionate: nempe *non emissionem*, quæ necessaria foret pro casu coniunctionis carentiæ ignorantiæ cum animo, & proposito efficaci non occidendi. Ex quo

quo ad formam argumenti : negatur primum antecedens, & ad eius probationem etiam negatur antecedens: nam influxus, qui ab operante discernitur, non est ille, qui fundatur in conditionali *contingente*; sed in conditionali *necessaria* : nec confirmatio est ad rem propter eandem rationem.

68 Objicies nonò. Iuxtà communissimà sententiam Theologorum potest fieri aliquod bonum opus *morale* facile sinè gratia : sed hæc sententia defendi non valet, nisi asserendo: consentientem auxilio *A*, consensurum auxilio *B* omnino simili: ergo nè communissima sententia deseratur, oppositum nostræ conclusionis defendendum est. Probatur minor. Si consensurus sub auxilio *A*, non eo ipso foret consensurus auxilio *B* omnino simili, qui de facto elicit bonum opus *morale* vocatus auxilio *A*, posset prævideri dissensurus auxilio *B* omnino simili : ergo vt eliciat consensum, & bonum opus *morale*, indiget gratia Dei consistente in eo, quod Deus conferat auxilium efficax præ sufficienti : ergo iuxtà nostram sententiam, in qua non tenet illatio ab vno auxilio ad aliud, nullum potest elici opus *morale*, quamtùmvis levissimum, absque Dei gratia.

69 Concessa maiori argumenti, nego minorem. Ad probationem : concesso antecedenti, nego consequentiam. Nam aliud est, quod ex consensu sub vno auxilio non inferatur *metaphysicè*, *physicè*, aut *moraliter* consensus sub alio auxilio simili; aliud, quod non possit coniungi *Petrum v. g. consentire auxilio A, & fore consensurum simili auxilio, vel etiam omnibus similibus* : primum asserimus; non secundum; vtque non sit necessaria gratia pro opere *morali* levi sufficit, quod quamvis, qui consentit vni auxilio, non sit necessitatus ad consentiendum reliquis omninò similibus; defacto tamen omnibus prævideatur consensurus, quo casu possibili, & practico non intercederet gratia Dei in elicientia operis *moralis* levis. Sic respondet, & benè Herrera : sed si placet, aliter potest responderi ex doctrina Patris Oviedo de necessitate gratiæ, distinguendo maiorem: communissima sententia Theologorū est: posse fieri aliquod bonum opus *morale* facile absque gratia, *sumpta gratia pro beneficio supernaturali, & excedente donum creationis* : concedo maiorem : *sumpta gratia absolutè pro quovis beneficio* : nego maiorem, & sub eisdem terminis distincta minori, negatur consequentia. Itaque verum est, quod si omnia auxilia similia non sint efficacia ad bonum opus *morale*, necessarium est : intercedere beneficium Dei eligentis auxilium efficax præ ineffacaci; sed hoc beneficium non est gratia illa supernaturalis, & donum creationis excedens, quam pro *gratia stricte* intelligunt, & quo sensu communis sententia eam non requirit ad bonum opus *morale*; sed gratia *latè* sumpta, & quamvis non debita creationi; ipsam tamen non superans.

70 Adde : hoc argumentum, ni fallor, æquè pugnare contra adversarios, qui asserunt, consentientem sub auxilio *A* in instanti *A*, non necessariò fore consensurum, vel eidem, vel simili auxilio in instanti *B*. Vndè gratiam, quam nobis objciunt contra communem sententiam respectu auxiliorum, possunt sibi objcere respectu instantium : nam sicut est beneficium dare auxilium efficax præ ineffacaci in hoc instanti; ita similiter gratia, & beneficium est; conferre auxilium pro instanti, pro quo est efficax, & non pro illo, pro quo inefficax est.

71 Objicies decimò. In illa quæstione apùd Patres Ecclesiæ celebri, scilicet. *Cur Deus constituat hominem in circunstantijs, in quibus scit peccaturum?* plures ex eis respondent: hoc accidere, vt Deus adimpleat munus causæ *primæ*; quæ ratio nulla esset, si dissensurus vni auxilio, posset prævideri consensurus alij : sed hoc dicendum non est; imo totis viribus Patrum ratio, vt efficax defendenda : ergo nè negetur rationis Patrum efficacia, nostra sententia est defferenda. Minor facilè probatur. Nam si dissensurus vni auxilio, alteri posset esse consensurus, Deus tribuens auxilium efficax, adimpleret munus causæ *primæ*: ergo adimplere munus causæ *primæ*, non ipsum cogeret ad constituendum hominem in circunstantijs, in quibus esset peccaturus : ergo ipsum constituere in talibus circunstantijs, aliunde; quàm ex motivo adimplendi munus causæ *primæ*, debet provenire : quo corruit ratio, quam ad resolvendam quæstionem Patres tribuūt. Vide Patres citatos præbentes hanc rationem apùd Patrem Aldrete disputatione 2. de prædestinatione sectione 5. numero 10; & apùd Patrem Antonium

nium Perez prima parte pagina 352.

72 Satius erat Adversarijs, non arguere; quàm arguere contra se, dùm conclusionem nostram impugnare tentant: nàm argumentum ipsos percellit: probat igitur, si aliquid probat: dissentientem auxilio *A*, nèc alij simili, nèc dissimili posse consentire: nàm si dissimili posset consentire, æquè inefficax redderetur Patrum ratio, cum Deus valeret adimplere munus causæ *primæ* tribuens auxilium dissimile. Probat etiam contra omnes; imò contra Patres ipsos Ecclesiæ, quod Deus, dùm confert auxilium inefficax, nullum habet in auxiliorum collectione, quo possit creaturam convertere: quod quidem, àn sit devorandum, videant Adversarij; sin minus; respondeant, sanum, & debitum sensum rationi Patrum præbentes, & nostram causam agent.

73 Quarè pro omnibus respondetur: Patres, dum talem reddunt rationem, non ita esse intelligendos, vt velint significare, Deum quasi coactum à munere causæ *primæ*, quod vt talis, debet adimplere, constituere hominem in circunstantijs, in quibus prævidet ipsum peccaturum, taliter, vt Deo non pateat alia via adimplēdi munus causæ *primæ*: sic enim ratio Patrum intellecta, esset falsissima, nè dicam amplius; sed ita debent intelligi, vt significent: hoc, quod est, *permittere hominibus peccata*, esse munus causæ *primæ* summè independentis; sicut est Deus, qui, ratione sui supremi dominij, non tenetur evitare hominum peccata: sed potius in eo, quod concurrat cum hominibus, etiam ad actiones pravas, non *per se* causando ipsas, resplendet dependentia, quam habet creatura à causa *primâ* in operando, quæ dependentia creaturarum à Deo, vt *prima* causa, facit, vt talis permissio sit munus proprium, & non alienum causæ *primæ*.

74 Itaque ratio Patrum sic clarè, & breviter se habet: ingerebat difficultatem primo aspectu, quomodo Deus cùm infinitè iustus, & sanctus sit, hominem possit constituere in circunstantijs, in quibus videt ipsum peccaturum: quia hoc apparet esse causam peccati: quia superior, qui potens impedire actionem pravam subditi, & non impedit, est causa peccati. Cui difficultati respondebant Patres: Deum posse hoc facere absque inconvenienti: quia causa *prima* potest exercere omnia munera propria ipsius: vnum autem ex muneribus proprijs causæ *primæ* est posse permittere peccata; quin propter summum dominium, & independentiam ipsi attribuantur: quarè dum dicunt: sic operando adimplere munus causæ *primæ*, non volunt relegare à Deo, quod pro illis circunstantijs aliter operari posset, se exercendo, vt causa *prima*; sed quod sic operari, ipsum non dedecet, quia etiam est munus causæ *primæ*.

75 Obijcies vndecimò. Divus Augustinus, vt probet, & commendet plenissimam potestatem Dei ad convertendam quamlibet creaturam semper recurrit ad auxiliorum dissimilitudinem: quod non faceret, si de mente sua esset nostra sententia: hac enim posita, solum recurreret ad multitudinem auxiliorum; non autem ad diversitatem plusquam numericam: ergo nostra sententia de mente Augustini non est. Antecedens probant ex totâ quæst. 2. ad Simplicianum, & præcipuè ex illis verbis: *cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, ecquis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad fidem converteret.*

76 Permitto in verbis allegatis: Sanctum Doctorem loqui de libertatibus dissimilibus, quod colligi non potest ex ipsis; cùm, vt clarè sese ostendit, indifferentia sint, vel ad significandam puram distinctionem auxiliorum, vel etiam dissimilitudinem; sed hoc dato, nil contra nos: nàm Divus Augustinus in hoc dirigebat animum, vt indubitatam relinqueret potestatem Dei: quarè vsus est argumento, quod indubitanter ipsam persuaderet; cum autem si ad multitudinem præcisse recurreret, possent adversarij respondere, vt Authores nobis oppositi respondent, asserendo, quod quamvis daretur multiplicitas auxiliorum; voluntas tamen eò ipso, quod dissentiret vni, omnibus similibus foret dissensura, ideò ad dissimilitudinem recurrit, vbi talis evasio parari non valet.

77 Objcies duodecimò concionatorem potius; quàm Scholasticum agens. Nam ais: quis dicat, quod si Deus annuat huic meæ orationi *A*, fortasse non annueret meæ orationi *B*? item, quod si Deus voluit redimere peccatum Adami *A*, similiter non fuisset redempturus peccatum *B* omninò simi-

simile ergo apparet, rationem ipsam naturalem, ipsamque terminorum apprehensionem tantum opponi nostræ sententiæ, quantum oppositæ favere. Respondeo: hoc dicere, qui iura libertatis benè penetrat, ac distinguit, & qui pro se habet rationes, quas latè pro mea conclusione proposui: nec sapientis est, ex apprehensione iudicium facere; cum potius apprehensionis errores per discursum debeat corrigere; vtque Aduersarij apprehensionem sedent; animum applicent ad instantium diuersitatem, in qua primo aspectu similem dissonantiam invenient, concludantque contra se ipsos asserentes: *Quis dicat, quod si Petrus auxilio A pulsatus consentiret in instanti A, non consentiret in B, si vel eodem, vel simili auxilio pulsaretur?*

78 Obijcies decimotertiò: in voluntate *primi* agentis liberi ex exercitio libero vnius libertatis infertur, idem exercitium extiturum sub altera libertate dissimili: ergo multò plus in voluntate *secundi* agentis liberi ex exercitio vnius libertatis inferetur simile, vel idem exercitium sub altera libertate omninò simili, & tantùm numericè distincta. Consequentia appareret legitima, cùm magis dissita, & disparata sit vna libertas ab altera dissimili; quàm vna libertas ab altera solo numero distincta, & omninò simili. Antecedens probatur. Deum conferre defacto auxilium sub libertate constituta per scientiam mediam consensus, infert *metaphysicè* eodem modo collaturum sub libertate constituta per scientiam mediam dissensus: ergo in voluntate *primi* agentis liberi ex exercitio libero vnius libertatis infertur idem exercitium extiturum sub altera libertate dissimili. Probatur antecedens. Deum conferre defacto auxilium sub libertate constituta per scientiam mediam consensus infert *metaphysicè*, quod si voluntas dissentiret, perseveraret idem auxilium; alias libertas defacto collata non esset componibilis cum vtroque extremo, & potius esset antecedens necessitas; quàm libertas: sed inferre *metaphysice*, quod si voluntas dissentiret, perseveraret idem auxilium, est inferre *metaphysicè*, quod si existeret in Deo libertas dissimilis constituta per scientiam mediam dissensus, existeret similiter auxilium; cum non aliter ex suppositione dissensus possit existere auxilium; quàm vt collatum sub libertate Dei dissimili, & constituta per scientiam mediam dissensus: ergo Deum conferre defacto auxilium sub libertate constituta per scientiam mediam consensus, infert *metaphysicè* eodem modo collaturum sub libertate constituta per scientiam mediam dissensus.

79 Respondeo ad argumentum negando primum antecedens. Ad cuius probationem: distinguo antecedens: Deum conferre defacto auxilium sub libertate constituta per scientiam mediam consensus, infert *metaphysicè* eodem modo collaturum sub libertate constituta per scientiam mediam dissensus *per solam purificationem conditionis alterius libertatis*: nego antecedens: per *purificationem alterius libertatis, & exercitij eiusdem; necnon libertatis creatæ; à quo illa libertas diuina dependeret*: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad antecedentis probationem. Concessa maiori: distinguo minorem. Inferre *metaphysicè*, quod si voluntas dissentiret, perseveraret idem auxilium, est inferre *metaphysicè*, quod si existeret in Deo libertas dissimilis constituta per scientiam mediam, existeret similiter auxilium, *posita ex parte hypothesis sola libertate dissimili* nego minorem: *positis ex parte hypothesis libertate dissimili, exercitio eiusdem, necnon alterius libertatis creatæ, à quo illa libertas diuina dependeret*: concedo minorem, & nego consequentiam. Ratio solutionis argumenti fallacis est: *Deum defacto conferre auxilium sub libertate constituta per scientiam mediam consensus*, si consideretur in statu conditionato, prout verificat hanc propositionem: *si prævidero auxilium efficax, dabo*, non infert similem veritatem conditionalem sub hypothesi alterius libertatis dissimilis, scilicet: *si prævidissem inefficax, darem*: cum sæpè Deus conferat auxilium efficax, *non daturus, si esset inefficax*. In statu autem absoluto illius veritatis: *Deum defacto conferre auxilium sub libertate constituta per scientiam mediam consensus*, etiam non infert: *Deum collaturum sub libertate dissimili constituta per scientiam mediam dissensus*, prout hæc veritas est contingens, & dicit ex parte hypothesis solam libertatem diuinam dissimilem: nàm si sic inferret, nunquàm posset coniungi cum veritate oppositа, vt

coniungitur, quoties verificatur: *Deum conferre auxilium efficax; non collaturum, si prævideret inefficax.* Quarè solum infert sub conditione includente ipsum exercitium conferendi auxilium, & insuper dissensum creaturæ, sub quibus resultat veritas conditionalis omninò *necessaria*, scilicèt: *quod si existat dissensus sub auxilio, existet auxilium determinatum per libertatem divinam constitutam per scientiam mediam dissensus*, quod idem est, ac inferre: *quod si libertas divina constituta per scientiam mediam dissensus se determinet ad dandum auxilium, erit prædicta determinatio sub tali libertate:* quo quid ineptius ad intentum.

DIS-

DISPVTATIO X.

De Decreto applicativo, seù præparativo Omnipotentiæ.

CAPVT I.

An, vt Deus operetur ad extra necessarium sit aliquod decretum, aùt aliquod exercitium liberum applicans omnipotentiam ad operandum?

1 SVpposito cum communi Theologorum sententia contra Durandum, & Dolam, Deum immediatè concurrere ad omnes effectus causarum secundarum, ita, vt nil contingenter existat, aùt possit existere, quod immediatum influxum Dei non terminet; certum debet esse primò: dari in omnipotentia determinationem quamdam intrinsecam, & essentialem, vt nil quod in rebus contingenter existat subterfugere possit eius immediatum influxum, sivè *positivum*, & *per se*, sivè *permissivum*, & *per accidens*. Ratio est: quia ad omne illud est omnipotentia intrinsecè, & essentialiter determinata, sine quo non esset summè, & infinitè perfecta: sed sinè influxu immediato in omnes effectus non esset summè, & infinitè perfecta; cùm non esset talis, cui immediatè omnia creata subijcerentur, & à qua immediatè dependerēt in *esse*, & *cōseruari*: ergo est ab intrinseco determinata, vt verificet: *quod quidquid possibile est, positivè contingenter existere, ab ea (si existat) immediatè existat*. Verùm cum hæc intrinseca determinatio omnipotentiæ non sit *absoluta*; sed *conditionata* quoad existentiam effectus; namque componibilis est cum eo, quòd Deus nil velit extra se producere, inquirimus: an vltra hanc determinationem intrinsecam, & essentialem necessaria sit alia contingens, & Deo libera in exercitio suæ voluntatis consistens, per quam appli cetur omnipotētia ad operādū in actu secūdo

2 Certum debet esse secundò: quòd cum Deus quidquid ad extra operatur, non operetur ex necessitate naturæ; nil in rebus valet contingenter existere, quin interveniat aliquod exercitium liberum erga eius existentiam: ac per consequens actus aliquis divinæ voluntatis. Constat hæc veritas authoritate; & ratione: authoritate: Sapientiæ capite 12. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.* Apocalypsis 4. *Propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Ad Ephesios capite 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Psalmi 148. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Ratione. Omne quod est Deo liberum, aùt *mediatè*, aùt *immediatè* liberum est: sed nil *immediatè*, aùt *mediatè* Deo liberum est, quin intercedat actus divinæ voluntatis, vt per se patet: ergo si quidquid in rebus contingenter existit; a Deo non ex necessitate naturæ; verùm liberè procedit; vt taliter existat, necessarius est in Deo actus aliquis divinæ voluntatis Restat tamen controversia: àn hoc contingens; & liberum ex parte divinæ voluntatis requisitum, vt quidquid in rebus contingenter existit, ab omnipotentia existat; debeat esse actus prævius ad actionem omnipotentiæ; eam ex parte actus *primi*, seù antecedenter applicans ad operandum, vel quid indistinctum ab actione omnipotentiæ, & applicatione illius in actu *secundo*?

3 Vnde colligitur: non

controverti in præsenti quæstione: àn vltra illam determinationem intrinsecã,& essentialẽ;quæ indubitanter omnipotentiæ convenit, vt quidquid in rebus contingentèr existat ab illa immediatè fluat,requiratur alia determinatio actualis, & cotingẽs vltimò omnipotẽtiã determinãs per modũ *influxus in actu secundo* ad existentiam effectus? Id enim certum est requiri propter contingentiam, quam omnipotentia ex se habet,vt alijs extra se coexistat;sed àn vltra istam determinationem actualem, & contingentem per modum *influxus in actu secundo* necessarius sit actus *prævius* divinæ voluntatis omnipotentiam applicans pro priori ad actum *secundum* producendi,vt ita dispositа,& præparata prodeat in effectum per immediatam actionem illius? An verò ipse divinæ voluntatis actus sit ipsissima omnipotentiæ actio, determinans non *prævie*; sed *formaliter*, vt quivis effectus ab omnipotentia immediatè contingenter existat?

4 In qua negativam partem clarè tuetur Magister Palanco toto suo tractatu de Providentia, qui non aliam actionem concedit omnipotentiæ, quàm intrinsecè divinam, & immanentem, consistentemque in decreto exequutivo divinæ voluntatis, quod non applicat *prævie* omnipotentiam ad operandum; sed est ipsissima *formalis* operatio, & influxus in actu secundo habens pro termino actionem creaturæ, quæ vtpotè creata & secunda,actio Dei non est. Propterea in eius sententia nulla erit alia applicatio ex parte actus *primi* ad actionem omnipotentiæ;quam quæ se habeat per modum *efficacis intentionis*, aut per modum *imperij*. In eadem sententia debent esse, quot quot asserunt, attributum omnipotentiæ non distingui adhùc *formaliter* ab attributo divinæ voluntatis, vt sunt Pater Hemelman, & alij Recentiores citati à Patre Munieſſa de essentia, & attributis disputatione 9.sectione 2. Ratio est: quia si attributum omnipotentiæ non distinguitur adhùc *formaliter* à divina voluntate, actus,& exercitia omnipotentiæ erunt actus, & exercitia voluntatis; ideòque actus divinæ voluntatis non se habebit *præsuppositivè* ad omnipotentiæ actionem;sed erit *formaliter* exercitium ipsius, quo ad extra producit: nècnon omnes illi,qui actus liberos Dei constituunt per extrinseca connotata, vel temporalia, vel æterna;apud quos nulla alia ex parte omnipotentiæ, *pròut in actu primo* ad terminos possibiles, est necessaria præparatio præter determinationem intrinsecam, & essentialem omnipotentiæ, qua metaphysicè est determinata, vt omne ens positivum, quod existat, ab ipsa immediatè procedat,

5 Affirmativam tenent reliqui omnes tàm exteri, quam nostri, qui Deo concedunt actiones transeuntes,pro quibus, vtpotè contingentibus omnipotentiæ, cuius concursum in actu secundo potest suspendere Deus, est necessarius actus liber divinæ voluntatis proximè expediens, & applicans potentiam operativam ad extra, vt prodeat in actiones externas, non quidem per modum *actus secundi*; sed per modum *actus primi*. Videantur Eximius Doctor disputatione 22. metaphysicæ sectione 4.numero 14. in opusculis libro 1.capite 15.numero 3. & tomo 1. de Gratia prologomen.2.capite 8.Pater Ribadeneyra disputatione 9.de prædestinatione.Pater Izquierdo disputatione 33.de Deo à numero 63.Pater Herrera quæstione 8. de prædestinatione. Pater Iunius sectione 7. de providentia, & Pater Munieſſa disputat. citata sect.12.

6 Sit conclusio cum communi,& mihi verissima sententia.datur in Deo potentia exequutiva ad extra pro cuius actione necessarius est actus *prævius* divinæ voluntatis eam applicãs, & in actu *primo* expediens ad exequendum.Suadetur primò authoritate, sapè à me inculcata, Divi Thomæ dicentis 1.part.quæst.25.art. 1. ad 4. *Dicendum: quod potentia non ponitur in Deo, vt aliquid differens à scientia, & voluntate secundùm rem;sed secundum rationem;in quantum scilicet, potentia importat rationem principij exequentis id,quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit*: & art.5.ad primum: *Potentia intelligitur,vt exequens,voluntas autem vt imperans, sapientia,vt dirigens*: sed potentia *formaliter* distincta à voluntate, quæ *pròut exequens* imperatur à voluntate, & non aliter; quàm pròut sic imperata, potest ponere suam actionem distinctam quidem ab actu voluntatis; alias *formaliter* à voluntate non distingueretur, est potentia exequutiva ad extra, pro cuius actione necessarius est actus *prævius* divinæ voluntatis eam applicans, & in actu *primo* expediens ad exequendum: ergo datur in Deo potentia exequutiva ad extra,

tra, pro cuius actione necessarius est actus *prævius* divinæ voluntatis eam applicans, & in actu *primo* expediens ad exequendum.

7 Confirmatur ad mentem Sancti Doctoris. Potentia operativa ex se *formaliter* distincta a voluntate, & non operans necessario, est potentia ex se indifferens ad suum exercitium, quod non est voluntatis actus, & quod per liberam voluntatis determinationem potest impediri, aut determinari: sed talis potentia, vt se exerceat in actu *secundo*, indiget *prævio* voluntatis actu: ergo si in Deo potentia operativa ad extra est *formaliter* à voluntate distincta, indiget ad suum exercitium *prævio* voluntatis imperio. Maior videtur certa: siquidem omnes potentiæ distinctæ à voluntate in his, quæ ex necessitate naturæ non operantur, pendent à voluntatis libertate auferenti indifferentiam earum ad operandum, & non operandum. Probatur minor. Talis potentia comparatur ad divinam voluntatem, sicut in nobis potentiæ aliæ à voluntate distinctæ: sed in nobis potentiæ aliæ à voluntate distinctæ, dùm non operantur necessariò, & sunt indifferentes ad suum exercitium, quod non est voluntatis actus, & quod per liberam voluntatis determinationem potest impediri, aut determinari; vt se exerceant in actu *secundo*, indigent *prævio* voluntatis imperio: ergo talis potentia, vt se exerceat in actu *secundo*, indiget *prævio* voluntatis imperio.

8 Secundò à ratione. Datur in Deo potentia operativa ad extra, indifferens ad operandum, & non operandum, cuius actio, & exercitium non est voluntatis actus: sed talis potentia indiget actu voluntatis *prævio* ad suum exercitium: ergo est in Deo potentia operativa ad extra, pro cuius actione, & exercitio est necessarius *prævius* voluntatis actus. Minor est certa: nàm talis potentiæ determinatio in actu *secundo* aliunde non potest provenire; quàm à divina voluntate *proximè*, vel *remotè*. Probatur maior. Datur in Deo potentia operativa ad extra indifferens ad operãdu, & non operandum, qua Deus producit effectus, vel quod se solo non potest producere; vt sunt in communi sententia actus vitales, & in omnium iudicio actus liberi, vt tales; vel quos etsi se solo producere valeat: defacto tamen se solo non producit, vt sunt omnes illi, quos simul cum causa *secũda* producit: sed hæc potentia operativa ad extra indifferens ad operandum, & non operandum, talis est, cuius actio, & exercitium non sit voluntatis actus: ergo datur in Deo potentia operativa ad extra indifferens ad operandum, & non operandum, cuius actio, & exercitium non est voluntatis actus.

9 Probatur minor. Actio, & exercitium talis potentiæ est quid Deo extrinsecum, & transiens: sed Deo extrinsecum, & transiens non est voluntatis ipsius actus, vtpotè intrinsecus, & immanens: ergo hæc potentia operativa ad extra indifferens ad operandum, & non operandum, talis est, cuius actio, & exercitium non sit voluntatis actus. Probatur maior. Actio, & exercitium talis potentiæ est ipsissima actio causæ *secundæ*: ergo est quid Deo extrinsecum, & transiens. Cõsequentia est legitima. Probatur antecedens. Actio talis potentiæ, quæ non sit ipsissima causę *secundæ* actio, aut esset actio immanens Dei comitans actionem causæ *secundæ*, & immediatè producens effectum; vel actio *reflexa* habens pro termino actionem causæ *secundæ* mediatè tantùm terminata ad effectum: si *primum*: ergo actio causæ *secundæ* immediatè non dependet à divina potentia, cùm neque sit actio, nec terminus immediatus illius: si *secundum*: ergo terminus, & effectus productus non aliter dependet ab influxu causę *primæ*, quã purè mediatè, & ratione actionis respicientis alium terminum immediatius: quod vtrumque, aùt est incidere in sententiam Durandi, aùt penitùs infirmare fundamentum immediatę dependentię, quod contra ipsum vrgent reliqui Theologi: nè ergo tale incommodũ devoretur, fatendum est: potẽtiam operativam ad extra, qua Deus se solo non producit effectus, esse potentiam se exercentem per actionem transeuntem, ad quam per *prævium* voluntatis actum debeat applicari.

10 Si fortè, vt difficultatem vites, & immediatam dependentiam effectus creati salves, recurras ad duplicem actionem immanentem divinæ potẽtiæ, vnam *reflexam*, & *præcedentem*, cuius terminus sit actio causæ *secundæ*; alteram *directam*, & *concomitantem*, cuius terminus sit effectus per actionem causæ *secundæ* immediatè productus; præter inauditam phylosophiam concedentẽ defacto has actionum reflexiones, quæ contra

Arist. est lib. 5. Physicorum textu 11. & contra Sanct. Thomam ibi Physiosophum exponentem lect. 3. & 4: quia alias daretur motus motus, atque generationis generatio; statim se offert difficultas quoad effectus liberos volùtati creatæ, cuius dominium electivum non permittit determinationem liberam alterius agentis, nèc simpliciter *antecedentem*, nèc *comitantem*; quales essent actiones illæ immanentes *reflexæ*, & *directe* à divinis decretis indistinctæ: quarum impugnationi in præcedentibus, prout in nostra fuit potestate, copiosè satis dedimus operam. Quarè non possum non mirari Hemelmanum nostrum, & alios Recentiores præcitatos defendentes, attributum omnipotentiæ non distingui *formaliter* ab attributo divinæ voluntatis; cum difficile appareat non incidere, aùt in sententiam Durandi, aut in principia alia non cohærētia cum doctrina nostræ Scholæ.

11 Objicies primò plures Patres, qui apud Patrem Munièssam ex efficacia divinæ voluntatis ponderata in Sacris litteris, videntur eruere: omnipotentiam non distingui *formaliter* à voluntate, nec actiones eius ab actibus immanentibus, & decretis, iam dicendo: *Deus, cuius voluntas potentia est*: vt Sanct. Leo Magnus: iam: *Ipsius Dei potentia nihil aliud est; quàm bona ipsius voluntas*: vt Sanct. Damascenus: iam: *omnia, quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti*: vt Sanctus Augustinus: ergo nulla datur in Deo potentia operativa ad extra distincta *formaliter* a voluntate, & quæ per huius imperium ad actionem transeuntem applicetur. Respondetur, vt benè idem Munièssa: efficaciam divinæ voluntatis expressam in Sacris litteris, sicut & loquutiones Patrum, nil aliud intendere; quam, quod Deo non desunt vires ad exequendum omne illud, quod efficaciter *affectivè* vult; sicut deficiunt creaturis multa efficaciter ex se volentibus, quæ ex defectu potentiæ assequi non possunt: propter hanc igitur identicam determinationem divinæ voluntatis ad *posse*, quod vult efficaciter, explicant potentiam per voluntatem, nil curantes de sensu *formali*, in quo procedimus distinguentes potentiam à voluntate: cuius efficacitatem non minuit, quod, non per actionem immanentem; sed per transeuntem a se imperatam assequatur id, quod efficaciter intendit.

12 Objicies secundò, Deus per eandem *formaliter* omnipotentiam operatur ad extra ea, quæ se solo contingenter producit; ac ea, quæ simul cum causa *secunda*: sed ea, quæ se solo contingenter ad extra producit, operatur per volùtatē, & per actionē immanētē illius: ergo etiam ea, quæ simul cum causis *secundis* facit, operatur per voluntatem, & per actionem immanentem illius; ac per consequens omnipotentia non distinguitur *formaliter* à divina voluntate. Maior videtur certa: quia alias attributum omnipotentiæ non esset simplicissimum *formaliter*. Probatur minor. In his, quæ Deus se solo contingenter ad extra producit, non est ratio, ob quam actio productiva distinguatur à decreto; nec titulus aliquis, vt hæc immediata efficacia denegetur divinæ voluntati *formaliter* producenti, & non tantùm productionem alterius potentiæ imperanti: ergo ea, quæ se solo contingenter Deus ad extra producit, operatur per voluntatem, & per actionem immanentem illius.

13 Responderi posset concessa maiori, negando minorem: quia etiam respectu effectuum, quos Deus se solo producit, non datur actio immanens omnipotentiæ; propterea quod, vt iam alibi insinuavi, mihi probabilissimum sit, nullum esse terminum creatum, qui non identificet secum actionem, qua procedit ab omnipotentia propter determinationem intrinsecam, quam ex se habet, vt aliter non existat; quàm pendens immediatè à Deo: quo cessante, videtur fundamentum physiosophorum ad concedendas actiones intermedias causæ, & effectus propter separabilitatem, quæ sæpè datur inter coniunctum causæ determinatę, & determinati effectus ab influxu eiusdem causæ in talem effectum: vnde inferunt esse necessariam determinationem aliquam superadditam tali coniuncto, qua determinetur vltimò causa, vt ab ipsa in actu secundo existat effectus, eamque *actionem* vocant. Verùm quia hæc doctrina longius, & prolixius exposcit examen, absolutè respondeo

14 Ad argumentum, distinguendo maiorem. Deus per eandem omnipotentiam *formaliter constitutivè* operatur ad extra ea, quæ se solo contingenter producit, & ea, quæ simul cum causa *secunda*: concedo maiorem:

per

per eandem omnipotentiam *formaliter indivisibiliter* : nego maiorem : & permissa minori : nego consequentiam. Ad maioris probationem dicatur : non esse inconveniens attributum omnipotentiæ non esse *formaliter* indivisibile ; sed resultare ex perfectionibus *formaliter* distinctis : sicut non est inconveniens, quòd attributum Authoritatis infallibilis in dicendo resultet ex pluribus perfectionibus *formaliter* distinctis ; vt tenet communis sententia : & iuxta alios attributum ipsum omnipotentiæ ex intellectu, & voluntate, ex quibus *complexivè* sumptis resultat adequatè *formaliter* attributum. Itaque animus mihi non est in præsenti excludere divinam voluntatem à ratione *potentiæ operativæ ad extra* ; sed solum ostendere attributum omnipotentiæ adæquatè, & complexivè *formaliter* sumptu includere potentiam *formaliter* distinctam à voluntate; cuius actio non sit immanens, quamvis prævie requirat voluntatis actum, tamquàm applicationem ad operandum : quod saltem convincunt authoritas Divi Thomæ, & rationes adductæ; quin ideo denegetur divinæ voluntati efficacia immediatè *effectiva* aliquorum effectuum per suum decretum.

15 Obijcies tertiò: distinguere in Deo potentiam exequentem a sua voluntate, & actiones à decretis, derogat efficacitati voluntatis, & perfectioni actuum illius : ergo omnipotentia non distinguitur à voluntate, nec actio omnipotentiæ à decreto. Probatur antecedens. Id derogat perfectioni divinæ voluntatis, & illius actuum, quod facit concipi à nobis sinè virtute exequutiva perfecta, & infinita, vtpote quæ indiget alia virtute exequutiva rerum, quas intendit : sed distinguere in Deo potentiam exequentem a sua voluntate, & actiones à decretis, id facit : ergo distinguere in Deo potentiam exequentem a sua voluntate, & actiones à decretis, derogat efficacitati voluntatis, & perfectioni actuum eiusdem. Respondetur : non esse contra perfectionem attributorum, si divisim considerentur, eis denegare purè *formaliter*, & præcisivè ex modo nostro concipiendi ea munera, quæ ad illorum lineam non pertinent : quomodo non est in adversariorum sententia contra perfectionem divini intellectus indigere alia potentia distincta *formaliter* ad exequendum id, quod exequibile cognoscit. Ideo, cùm probaverimus, esse necessariam in Deo potentiam aliquam exequentem, cuius actio sit transiens, & à divina voluntate dependens *applicativè*; non est contra rationem perfectissimam divinæ voluntatis, & actuum ipsius, eis denegare *formaliter* talem efficacitatem *formalem*, & exequutivam : quia per id non denegamus perfectionem aliquam possibilem in propria linea, per cuius defectum duntaxat derogatur perfectioni attributorum.

16 Obijcies quartò : eo tantùm quod intelligamus Deum efficaciter volentem, aut decernentem, rem tempore determinato existere, secluſa quacumque alia virtute exequutiva, res, vt decernitur, existeret : ast non sinè aliqua virtute exequutiva, & productiva ad extra: ergo intellecta sola divina voluntate *formaliter*, intelligitur potentia exequutiva ad extra. Permisso, quod omnia, quæ Deus decernit, efficaciter, exequatur per ipsum decretum, non convincit omnipotentiam Dei non claudere potentiam exequutivam *formaliter* distinctam à voluntate, cuius actio sit transiens : nàm ex tali suppositione plura essent, quæ Deus non posset decernere efficaciter *exequutivè*, v. g. peccatum, & actus liberos, quæ cùm dependeant ab influxu immediato Dei, per aliam potentiam operantem *transeunter* deberent existere. Deinde nego maiorem. Nam in eo casu tantùm daretur affectus divinus sinè effectu, modo, quo in tua sententia, si conciperes divinam voluntatem efficaciter *affectivè* volentem, & decernentem, quin esset *formaliter* omnipotentia, diceres : Deum repugnanter se habiturum ; sicut creaturas, quibus sæpè efficaciter *affectivè* volentibus deest *posse* ad exequutionem obiecti intenti cum affectus frustratione.

¶ Alia, quæ contra hanc conclusionem obijci possunt ex Magistro Palaneo intendente omnem actionem Dei debere esse *primam*, & *divinam*, ac per consequens Deo intrinsecam, & immanentem, iam manent in superioribus impugnata, & soluta.

CA-

CAPVT II.

Quale debeat esse hoc decretum applicativum, & præparativum potentiæ operativæ ad extra.

17 DEcretum hoc debere esse antecedens, efficax, absolutum, connexumque, non tantùm cum præparatione, & expeditione potentiæ executricis, tàm pro effectibus, qui à solo Deo procedunt; quàm pro effectibus, sivè necessarijs, sivè liberis, quos per concursum simultaneum elicit, tenent prædeterminantes omnes, sive prædeterminationem intrinsecam concedant, sivè extrinsecam solam admittant. Tale decretum debere esse efficax, absolutum, & connexum cum determinato extremo; ast pro effectibus liberis Scientia media regulatum, nè libertati noceat, tenent apud Izquierdo ex Scotistis Philippus Faver, Hugo Cabellus, Hieronymus Tamarit, Meurisse, & Ludovicus Caspensis. Connexum absolutum, & efficax; non tamen antecedens; sed comitans pro actibus creaturæ liberis, & honestis defendit, vt vidimus, Pater Ribadeneyra.

18 Pater Munielsa disp. 9. de attributis sect. 12. tria statuit. *Primum*: pro effectibus, qui à solo Deo procedunt applicari omnipotentiam per decretum efficax, & absolutum, quo liberè vult illos fieri: tum quia omnes hi effectus sunt ex se honestè volibiles; cùm nil, quod à Deo solo fit, possit esse turpe; tum quia vnicè liberè eos producit: quarè nil est, quod retardet, aut impediat efficaciam suæ voluntatis erga illos. *Secundum*: pro effectibus honestis, aut non *moraliter* malis, qui fiunt à Deo, & creatura, sivè liberi, sivè non liberi sint voluntati creatæ, applicari omnipotentiam per decretum absolutum *prosequutivè* in ipsos tendens, hac sola interveniente distinctione; quod si liberè procedant à voluntate creata, tale decretum debeat etiam velle instruere voluntatem creatam requisitis ad actum oppositum, vel potestate sibi acquirendi pro libito requisitum, quo forte non sit actu instructa. *Tertium*: pro effectibus liberis, & *moraliter* malis voluntati creatæ, contingentem, Deoque liberam *formaliter* applicationem omnipotentiæ non posse consistere in decreto, sivè *absolutè*; sivè *vagè* tendente in illos: quia cùm turpes sint, nullo modo possunt esse à Deo volibiles. quarè talis applicatio præcisè consistet in volitione efficaci requisitorum in actu *primo* ad eundem actum; vel in potestate acquirendi ea pro libito; simulque in nolitione omnium impedimentorum in alterutram libertatis partem pro libito voluntatis inimpedibilium, quæ ex efficaci modo tendendi ea omnia excludat.

19 In secunda ex his assertionibus, in qua stat specialitas huius Authoris, quamvis non dicat: àn decretum illud absolutum, quo Deus applicat suam omnipotentiam pro actibus honestis, aut *moraliter* non malis creaturæ liberis sit efficax, àn inefficax, àn medium inter efficax, & inefficax; iudicandum tamen apparet ex mente ipsius loqui de decreto efficaci, & connexo cum determinato libertatis extremo. Ratio est: quia cùm totus sit hic perdoctus Magister, vt constat ex alijs tractatibus, in tuendo pro viribus principium connexum, & libertatis constitutivum libertati non officere; quia adhùc potest esse impedibile; non est titulus, quare à decreto præparativo absoluto efficaciam, & connexionem cum extremo libero ad cuius concursum omnipotentiam præparat, ex timore læsionis libertatis releget, cuius iura, & indifferentiam requisitam tàm latè vsurpat.

20 Communior nostrorum sententia tenet: omnipotentiam ad effectus à solo Deo pendentes, vel ad eos, qui etsi à Deo, & creatura dependeant; procedunt tamen à causa secunda *necessario*, applicari per decretum Deo liberum efficax, & absolutum, connexumque cum determinato extremo, ad quod paratur concursus; ad effectus autem creaturæ liberos, sivè honestos, sivè peccaminosos applicari per decretum, quod etsi sit efficax ad præparationem in actu *primo*, & cum illa connexum; non tamen sit efficax, & absolutum quoad concursum in actu *secundo determinatè* sumptum; sed indifferens, & compatibile cum carentia cuiusvis libertatis extremi *determinatè* accepti; vt sic salvetur libertas, quæ aliter

ter determinata per decretum *prævium* omnino corrueret. Ita Eximius Doctor Pater Suarez, Molina, Lessius, & cum his reliqui Authores communiter, quos citatos invenies apud Izquierdo disp. 38. & apud Oviedo controversia 10. physicorum puncto 4.

21 Sit nostra assertio. Pro effectibus, qui à solo Deo procedunt per actionem distinctam à decreto, & qui à Deo, & causa secunda *necessaria* procedunt, neque vllam continent malitiam *moralem materialem*, Deus applicat suam omnipotentiam in actu *primo* per volitionem efficacem, & absolutam existentiæ illorum, inseparabilemque, vel ab influxu in actu secundo omnipotentiæ solius, vel ab influxu in actu secundo omnipotentiæ, vt simul, & in divisibliter concurrentis cum causa *secunda*. Pro effectibus vero causæ *secundæ* necessarijs; continentibus tamen aliquam malitiam *moralem materialem*, & pro effectibus eidem causæ liberis applicat suam omnipotentiam in actu *primo* per volitionem, & decretum compatibile cum defectu illorum, & concursus in actu secundo, proindeque per decretum indifferens, vt sub ipso prædicti effectus ab omnipotentia existant, aut non existant.

22 Probatur prima pars: pro effectibus qui à solo Deo procedunt per actionem distinctam à decreto, & qui à Deo, & causa secunda *necessaria* procedunt, neque vllam continent malitiam *moralem*, nulla aptior potest esse applicatio; quàm volitio efficax existentiæ illorum, seu concursus omnipotentiæ in actu secundo: ergo pro talibus effectibus applicatio omnipotentiæ in actu *primo*, & *prævia* ad actum secundum consistit in volitione efficaci, & absoluta existentiæ illorum inseparabili, vel ab influxu in actu secundo omnipotentiæ solius, vel ab influxu in actu secundo omnipotentiæ, vt simul concurrentis cum causa *secunda*. Probatur antecedens. Quando effectus ab omnipotentia procedens, est à Deo efficaciter volibilis, & decernibilis absque inconvenienti, nulla aptior potest esse applicatio omnipotentiæ ad actum *secundum*; quàm prævia, & efficax voluntatis, à qua in suo exercitio dependet, determinatio ad tale exercitium: sed prædicti effectus sunt à Deo efficaciter volibiles, & decernibiles absque vllo inconvenienti: ergo pro illis nulla aptior omnipotentiæ applicatio in actu primo excogitari potest; quàm volitio efficax existentiæ illorum, aut concursus omnipotentiæ in actu *secundo*. Probatur minor. Omne inconveniens, quod posset dari, vt non essent à Deo efficaciter volibiles, esset, aut turpitudo *obiectiva*, quam in se continerent, aut eversio libertatis creatæ cum efficacia decreti incomponibilis: sed prædicti effectus, nec turpes sunt, nèc liberi voluntati creatæ: ergo sunt à Deo efficaciter volibiles, & decernibiles absque vllo inconvenienti.

23 Confirmatur primò. Ea applicatio omnipotētiæ in actu *primo* debet assignari per liberum divinæ voluntatis exercitium, quæ pro conditione effectuum, ad quos applicatur, magis congruat divino dominio: sed pro cōditione effectuum, de quibus loquimur, magis congruit divino dominio applicatio, quæ consistat in decreto, & volitione efficaci concursus in actu secundo, & existentiæ illorum: ergo in dicta volitione efficaci præparatio omnipotentiæ consistit. Probatur minor. Pro conditione effectuum, in quibus non intervenit libertas creata; sed sola divina, magis congruit divino dominio; quod effectus non dependeat tantùm à Deo, vt immediatè efficienti; verum vt *immediatè* liberè determinanti: sed in effectibus, de quibus loquimur, non intercedit libertas creata; sed sola divina: ergo pro conditione effectuum, de quibus loquimur, magis congruit divino dominio applicatio, quæ consistat in decreto, & volitione efficaci concursus, & existentiæ illorum. Confirmatur secundo. Si in effectibus creaturæ, liberis divina *prævia*, efficax, & immediata determinatio per decretum libertati ipsorum non obstaret, nullus esset bene sentiens de divino dominio, qui hanc determinationem Deo non concederet; aliter, iudicans, divinum dominium deprimi: ergo in effectibus, in quibus libertatis creatæ ratio non obsistit, planè est concedenda.

24 Diximus in hac conclusionis parte, *pro effectibus, qui à solo Deo procedunt per actionem distinctam à decreto*: quia pro effectibus, quos Deus vnicè producat per actionem identificatam cum decreto, quam non repugnare, multi censent, & ego modo non disputo; sed suppono; applicatio omni-

nipotentiæ in actu *primo* non consistit in volitione, aut decreto concursus in actu *secundo*; sed in libertate proxima, & expedita, quam Deus habet ad tales effectus producendos. Probatur. Respectu actionis identificatæ cum decreto omnipotentia consistit *formaliter* in divina voluntate: sed applicatio in actu *primo* divinæ voluntatis ad operandum liberè est proxima libertas decernendi: ergo applicatio in actu *primo* omnipotentiæ pro effectibus, qui à solo Deo procedunt per actionem identificatam cum decreto, consistit in libertate proxima ad eos producendos. Maior est certa: nam principium, quod *formaliter* correspondet actioni immanenti, quæ sit actus voluntatis, est voluntas. Probatur minor. Applicatio in actu *primo* potentiæ liberè eligentis ad eligendum liberè, est expeditio, & dominium proximum eligendi: sed expeditio, & dominium proximum eligendi est libertas proxima electionis: ergo applicatio in actu *primo* divinæ voluntatis ad operandum liberè est proxima libertas decernendi. Brevius: proxima libertas est proxima expeditio potentiæ ad suum exercitium immediatè liberum: ergo quando actio termini creati nō distinguitur ab exercitio immediatè libero divinæ voluntatis, proxima expeditio potentiæ operantis ad extra est proxima libertas decernendi.

25 Probo secundam partem. Deus non potest *antecedenter* liberè determinare, aut quod malum *moraliter obiectivè*, aut quod liberum creaturæ est: sed Deus applicans suam omnipotentiam in actu *primo* per decretum connexum cum effectu causæ *secundæ* necessario continente malitiam *moralem obiectivam*, & cum effectu causæ *secundæ* libero, determinaret *antecedenter*, & quod malum *moraliter*, & quod liberum creaturæ est: ergo pro effectibus causę *secundæ* necessarijs continentibus malitiam *moralem obiectivam*, & *materialem*, & pro effectibus causæ *secundæ* liberis applicat suam omnipotentiam in actu *primo* per decretum compatibile cum defectu illorum, & concursus omnipotentiæ in actu *secundo*. Maior est certa; nam Deus *antecedenter* determinans, aut quod malum *obiectivè*, aut quod liberum creaturæ est, esset causa *per se* mali *moraliter obiectivè*, & destrueret libertatem creatam. Probatur minor. Illa est determinatio *antecedens* ad effectum, quæ, cùm nullam determinationem illius præsupponat, expedit potentiam ad omnem aliam determinationem: sed applicatio omnipotentiæ in actu *primo* nullam aliam determinationem ad effectum supponit, & expedit potentiam ad omnem aliam determinationem: ergo si Deus applicet omnipotentiam per decretum connexum cum effectu causæ *secundæ* necessario continente malitiam *moralem obiectivam*, & cum effectu causæ *secundæ* libero, determinaret *antecedenter*, & quod malum *moraliter*, & quod liberum creaturæ est.

26 Amplius ostenditur inconveniens dictæ applicationis loquendo divisim de effectu *obiectivè moraliter* malo, & de effectu libero creaturæ. *De effectu obiectivè moraliter malo:* quia applicatio omnipotentiæ connexa cum illo esset volitio efficax obiecti *moraliter* mali, & prædeterminatio ad illud; cùm non ex alio capite posset esse cum effectu connexa, nisi quia illum efficaciter vellet, & decerneret: sed repugnat Deum velle, aut prædecernere id, quod malum *moraliter* est: ergo repugnat applicare suam omnipotentiam per decretum connexum cum effectu, qui; quamvis necessario proveniat à causa *secunda*, continet malitiam *moralem obiectivè*. Minoris veritas constat ex his, quæ diximus contra prædeterminationem, & decretum efficax Dei ad actiones, quæ sinè *formali* malitia procedunt à voluntate creata: vnde præcavetur solutio, quæ adhiberi posset, dicendo: nullum esse inconveniens in eo, quod Deus velit efficaciter, aut prædecernat actū causæ *secundæ materialiter* oppositum legi, quando absque libertate, & malitia *formali* exercetur.

27 *De effectu libero:* Primò authoritate Divi Thomæ prima parte, quæstione 19. articulo 8. dicentis: *Cum igitur divina voluntas sit efficacissima, non solum sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri; sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri contingenter; & ideo quibusdam aptavit causas contingentes, ex quibus effectus contingenter eveniant:* ergo pro effectibus, qui contingenter fiunt à voluntate creata, Deus aptat causas contingentes, & compatibiles cum carentia effectus: at omnipotentia, provt applicata ad concurrendum cum voluntate creata ad suos actus liberos, & contingentes, est causa, quæ aptatur à Deo pro effectibus contin-

gen-

gentibus: ergo omnipotentia, prout applicata ad cōcurrendum cum voluntate creata ad actus liberos, est indifferens, & contingens ad tales effectus.

28 Deinde ratione: siquidem ea applicatio connexa cum actu libero non potest esse inimpedibilis: sed neque potest esse impedibilis: ergo repugnans. Maior est certa: nàm si sit connexa, & inimpedibilis, erit applicatio prædeterminans, & cum libertate incomponibilis. Probatur minor. Nullum libertatis constitutivum potest esse impedibile per eiusdem libertatis exercitium: sed applicatio omnipotentiæ in actu primo ad actus liberos est constitutivum libertatis ipsorum: ergo non potest esse impedibilis per exercitium libertatis, quam constituit. Maior alioquin mihi evidentissima probatur propter singulares doctrinas, quas ingeniosi Recentiores suscitarunt. Nulla potestas potest impediri per suum exercitium: sed impedito libertatis constitutivo per exercitium eiusdem libertatis, potestas ad vtrumvis, qualis est libertas, impediretur per suum exercitium: ergo nullum libertatis constitutivum potest esse impedibile per eiusdem libertatis exercitium. Maior si certa non sit, quid certum erit? Etenim exercitium potestatis coexistit cum potestate: quomodo ergo poterit impedire id, quocum necesse est, coexistere. Probatur minor. Impedito constitutivo rei, impeditur res: ergo si per exercitium libertatis impediretur constitutivum libertatis, impedito libertatis constitutivo per exercitium eiusdem libertatis, potestas ad vtrum vis, qualis est libertas, impediretur per suum exercitium.

29 Nec dicas: potentiam, & libertatem non posse impediri quoad aliquod constitutivum sui per exercitium proveniens à tota potentia, & libertate adæquate sumpta; at benè posse ita impediri per exercitium, quod tantùm proveniat à potentia, & libertate inadæquatè sumpta: quia sic inferam: ergo applicatio illa connexa in tantum est impedibilis, in quantum voluntas potest se exercere necessario per exercitium incomponibile cum tali applicatione: patet: talis applicatio solum potest per se impediri per exercitium libertatis inadæquate sumptæ: sed exercitium libertatis inadæquatè sumptæ est exercitium necessarium, cùm sit exercitiū potestatis duntaxat ad vnum: ergo applicatio illa connexa in tantum est impedibilis, in quantum voluntas potest se exercere necessariò per exercitium incomponibile cum ea applicatione. Ex quo rursus ostendam libertatem esse chymæricam. Assumptum probo. Libertas chymærica est ea, quæ tantùm potest ponere necessariò oppositum exercitij, quod defacto elicit: sed libertas, quæ tantùm potest impedire per exercitium necessarium id, quod est connexum cum exercitio, quod defacto elicit, est libertas, quæ tantùm potest ponere necessariò oppositum exercitij, quod defacto elicit: ergo est chymærica.

30 Minor est certa. Nam exercitium, per quod potest impedire connexum cum exercitio, quod defacto elicit, est exercitium oppositum: ergo libertas, quæ tantùm potest impedire per exercitium necessarium id, quod est connexum cum exercitio, quod defacto elicit, est libertas, quæ tantùm potest ponere necessariò oppositum exercitij, quod defacto elicit. Probo igitur maiorem. Libertas, quæ tantum ponere potest necessariò oppositum exercitij, quod defacto elicit, est libertas determinata ad vnum: ergo est chymerica. Probo antecedens. Libertas, quæ tantùm potest ponere necessariò oppositum exercitij, quod defacto elicit; aut habet defacto necessitatem ad illud oppositum, quod tantùm necessario potest ponere; vel caret tali necessitate? Si *habet necessitatem*: ergo est determinata ad illud: cùm quævis potentia sit determinata ad illud exercitium, ad quod habet necessitatem. Si *caret necessitate*: ergo determinata est ad oppositum. Id probo. Carentia necessitatis ad illud, quod tantùm necessariò potest poni, est impossibilitas ad illud: sed impossibilitas *antecedens* vnius contradictorij est *antecedens* necessitas alterius: ergo si caret necessitate ad oppositum illius, quod de facto ponit, est antecedenter determinata ad illud exercitium, per quod defacto se exercet: ergo libertas, quæ tantùm potest ponere necessariò oppositum exercitij, quod defacto elicit, est libertas determinata ad vnum.

31 Hæc mihi reddunt penitùs imperceptibilem doctrinam istam RR. quibus accessit Doctor Castell. defendens: principium connexum cum

actu

actu, immediatum, essentialiter prærequisitum, & constitutivum libertatis, & potestatis non tollere libertatem actus, si sit destructibile per omissionem actus; qua ratione esse non repugnat. Contra quem breviter insisto. Omnis casus possibilis omissionis est casus defectus potestatis ad actum: sed omnis casus defectus potestatis ad actum est casus omissionis necessariæ: ergo omnis casus possibilis omissionis est casus omissionis necessariæ: qualis ergo erit libertas ad actum, cuius omissio aliter existere non valet, quàm necessariò.

32 Exemplum imperij efficacis non auferentis libertatem immediatam actus imperati, vt nos cum Eximio Doctore, & multis alijs nostræ Scholæ defendimus, parum iuvat, vt communis fiat hæc difficilis sententia. Tùm: quia plures loquuntur de imperio non essentialiter requisito ad actum imperatū, à quo actus imperatus, propter independentiam, & inconnexionem separari potest: vnde asserunt: quòd tale imperium, quando datur, etsi constituat potestatem superabundantem, & non requisitam ad imperatum, proindeque non pertinentem ad libertatem ipsius; non tamen constituere potestatem indispensabiliter requisitam ad actum, & quæ libertatem ingreditur: quid ergo hæc cum decreto essentialiter prærequisito immediate ad actum, & sine quo nulla remanet libertatis potestas? Tum: quia dato, imperium esse essentialiter exactum ad existentiam actus imperati, qui in hac hypothesi, adhùc libertatem immediatam actus imperati defendimus; ideo hoc dicimus; quia imperium est exercitium voluntatis omittentis actum imperatum, in qua sub tali omissione remanet vera potestas ad actum imperantem ponendum in sensu diviso omissionis actus imperati; quapropter nulla est paritas cum decreto applicativo, quod ex vna parte non est exercitium voluntatis creatæ; sed divinæ; & ex alia, dùm deficit, quia voluntas se exercet per omissionem actus; nulla remanet in voluntate creata potestas ipsum acquirendi.

33 Visa certitudine maioris nostri syllogismi probativi, vt applicationem omnipotentiæ in actu *primo* connexam cum actu libero defendant, ad minorem se convertunt, negantes, decretum applicativum libertatem creatam constituere. Dicunt enim: id solum competere omnipotentiæ secundum se cùm reliquis comprincipijs, decreto se habente, vt pura applicatione principij, quæ remanet extra libertatis constitutionem: modo, quo decretum collativum auxilij vnicum, & connexum cum determinato libertatis extremo in communi sententia libertatem non evertit, cùm purè *mediatè* se habeat applicando voluntati auxilium, quod libertatem constituit, per cuius exercitium potest impediri decretum. Cæterum si vera est maior, verior debet esse minor; nèc sub hac explicatione admitti potest hoc decretum præparativum, quod toto Cœlo distat à decreto collativo auxiliorum vnico, & connexo cum determinato libertatis exercitio v.g. consensu.

34 Primò: quia decretum applicativum non solum est connexum cùm vno libertatis extremo; sed etiam essentialiter ad illud requisitum; quod non evenit in decreto collativo: nàm etsi sit connexum cum vno libertatis extremo, non est ad illud requisitum, vtpote quod potest existere sub decreto indifferenti. Secundò, ex eo, quod decretum applicativum non potest excludi à libertatis constitutione; secùs decretum collativum auxilij. Probatur argumento mihi semper efficacissimo. Id, quo mente secluso, & reliquis manentibus, non datur aliquod constitutum, est constitutivum illius: sed deficiente decreto applicativo, & reliquis manentibus, non datur libertas: ergo est constitutivum illius. Maior constat ex Philosophia contra cōnotatores. Minor probatur. Existente omnipotentia intimè præsenti voluntati creatæ, & reliquis comprincipijs necessarijs, tum ad actum, tum ad oppositum illius, liberum est Deo non concurrere ad actum per subtractionem sui concursus: ergo omnia reliqua sunt coniungibilia cum nolitione efficaci concurrendi: sed data nolitione antecedenti, & efficaci non concurrendi, non datur libertas ad actum, quia necessariò ponitur carentia illius: ergo reliquis manentibus, & deficienti decreto applicativo, non datur libertas.

35 Vel aliter: omnipotentia, provt coniuncta cum reliquis comprincipijs, coniungibilis est cum carentia decreti applicativi: siquidem liberum est Deo, positis reliquis distinctis ab applicatione, istam negare, in

quo

quo pariter procedunt agentia libera, & necessaria : in his autem , positis dispositionibus , & reliquis , quæ ex parte actus *primi* potentiam necessariam expediunt ad suum actum , potest negare concursum , vt potuit in igne Babylonico : sed, illa negata , voluntas est antecedenter necessitata ad omittēdum : ergo negata , & deficienti applicatione , reliquisque manentibus , deficit libertas. Non ita res se habent in decreto collativo : nam si loquamur determinatè de decreto connexo , hoc præcisse deficienti , & reliquis manentibus , non deficit libertas , cùm, data voluntate , præparatione omnipotentiæ , & reliquis comprincipijs immediatis , nil sit requisitum , quod Deus possit negare ad determinationem liberam creaturæ : si autem loquamur de decreto collativo hoc , vel illo *vagè* sumpto , qua ratione essentialiter requiritur ad existentiam libertatis , adhùc sub tali consideratione libertatem non constituit. Ratio est. Illud non constituit aliquod constitutum , per cuius præcisum defectum non intelligitur defectus constituti : sed per præcisum defectum omnis decreti circà auxilium , si etiam non intelligatur defectus auxilij , non deficit libertas : ergo adhuc sub tali vaguitate non est libertatis constitutivum : ergo decretum collativum auxilij , sivè connexum , sivè inconnexum non est libertatis constitutivum ; at decretum omnipotentiam applicans necessario debet libertatem constituere.

36 Insistet aliquis. Id, quod dependet à scientia media consensus v.g. etsi sit connexum cum consensu, est impedibile , & libertatem non constituit : sed decretum applicativum omnipotentiæ, sub quo voluntas liberè ponit consensum, dependet à scientia media consensus : ergo etsi sit connexum, est impedibile , & libertatem non constituit. Maior vera est : nequè ob aliam rationem , vt suo loco dicemus , prædefinitio efficax *intentiva* consensus liberi cum libertate componitur , nisi quia dependet à scientia media consensus, qua regulatur. Minor probatur. Omne decretum , quod defacto datur , regulatur scientia media *directa*, quæ defacto existit : quia cum scientia media non innitatur decreto existenti, nil est, quod ipsam retardet à signo anteriori ad quodvis decretum, quod defacto existit : sed regulari scientia media , quæ defacto existit , est dependere ab illa : ergo decretum applicativum omnipotentiæ , sub quo voluntas liberè ponit consensum , dependet à scientia media consensus.

37 Sed contra : quia non est idem scientiam mediam præcedere ad decretum regulando ; & decretum dependere à tali scientia media: quia pro primo sufficit prævenire scientiam mediam decretum , existendo in signo priori : pro secundo requiritur , decretum connecti cum tali scientia , & sine ipsa non posse existere : sic decretum indifferens collativum auxilij dirigitur scientia media de consensu sub auxilio , quæ defacto existit ; nec propterea dependet à tali scientia , aut per scientiam dissensus est impedibile : diversum quid ergo est : scientiam mediam defacto existentem præcedere ad decretum , & hoc dependere à scientia media , quæ defacto existit. Itaque verum est decretum applicativum regulari scientia media , quæ defacto existit , v. g. consensus ; sed non ideo est impedibile per scientiam oppositam , quia licèt reguletur scientia media , quæ defacto existit , ab illa non dependet , nèc dependere potest ; sed indifferens , vt sub illa , & sub opposita existat : non aliter, ac auxilium , quod, etsi præcedat scientia media , quæ defacto datur de operatione sub ipso , eodem modo persisteret sub scientia opposita ; quin impeditio scientiæ , quæ defacto datur , fit , aùt possit esse impeditio auxilij. Prædefinitio autem *intentiva* non solùm regulatur scientia media consensus ; sed cum illa connectitur : vnde potestas impediendi scientiam mediam de consensu est potestas impediendi prædefinitionem extra libertatem existentem.

38 Contra primam partem nostræ sententiæ , quatenus asserit : pro effectibus , qui à Deo , & causa *secunda necessaria* procedunt , applicari omnipotentiam per decretum efficax , & absolutum effectus ; vnicè se offert difficultas, quam solvemus in hoc capite , relictis alijs contra secundam partem procedentibus ad subsequens. Obiectio sic se habet. Deus præparat suam omnipotentiam ad concurren-

dum cum igne v. g. ad producendum alterum ignem, vel calorem per decretum indifferens: ergo non per decretum efficax, & absolutum prosequutivum effectus producendi. Probatur antecedens. Ex parte ignis, vt *agentis necessarij*, ponitis his, quæ requiruntur ex parte actus *primi*, datur determinatio ad producendum suum effectum: ergo superfluit decretum efficax Dei, quo in effectum feratur, & sufficit decretum indifferens; quo dato, per determinationem agentis necessarij determinabitur actualis concursus omnipotentiæ. Respondeo: agentia necessaria esse ex se determinata ad suos effectus non immediatè; sed media determinatione efficaci Dei, cui subijciuntur; cum in ipsis non vrgeat libertatis ratio excludens talem determinationem: vnde, vt diximus, perfectio divini dominij exigit, vt effectus procedat ab ipso; non solùm, vt ab immediato efficienti; verùm vt ab immediato determinanti: quare non obstanti determinatione agentis *necessarij*, minimè superflua est determinatio *primi* agentis, ad quam dicit ordinem determinatio *secundi*.

39 Vel si mavis, dic: agentia necessaria esse ex se determinata ad speciem effectus; secus ad individuationem; cum per exiitentiam cuiusvis effectus in individuo fiat satis eorum exigentiæ, & fœcunditati: ergo determinatio individuationis aliunde debet provenire; scilicet, ex modo præparationis concursus determinatè ad hoc individuum potius; quam ad aliud. Hæc determinatio in causis *liberis*, vt libertati consulatur, est solum *negativa*; nempè per exclusionem aliorum distinctorum ab vno determinato, & per indifferentem præparationem ad illud, quod remanet; vt voluntatis sit, determinare exiitentiam præ carentia: in causis vero *necessarijs* intendimus: sic res non contingere; sed per actum efficacem, non solùm quod alia individua excludat; sed quod tale determinatum efficaciter velit. Ratio est: quia vbi libertas creata non obstat, Deo debet concedi immediata determinatio, quæ non superfluere constat ex eo, quod hæc determinatio non tendat ad determinandam speciem, respectu cuius est determinatio in agentibus *necessarijs*; sed ad determinandum individuum, ad quod ex parte ipsorum est indifferentia.

CAPVT III.

Occurrit obiectionibus contra secundam partem, & indifferentem applicationem omnipotentiæ.

40 OBijcies primò. Posito decreto applicativo, & inconnexo, pro actibus liberis non est maior ratio, quare creatura sit determinans *immediatè*, & *formaliter* actum liberum; quàm Deus: ergo non datur prædictum decretum applicativum, indifferens, & inconnexum pro actibus liberis. Probatur antecedens. Posito hoc decreto, tàm indifferens est Deus ad efficiendum actum liberum cum creatura, ac creatura ad efficiendum cum Deo eundem actum: sed quando concurrunt duo principia æquè indifferentia, non est maior ratio, quare primum determinet secundum; quàm ab oppositò: ergo posito decreto applicativo indifferenti, & inconnexo, pro actibus liberis, non est maior ratio, vt creatura determinet Deum; quàm vt Deus determinet creaturam ad elicientiam illius. Confirmatur. Determinari liberè ad consensum præ dissensu, est ponere consensum cum omnimoda indifferentia ad dissensum, & absque prævia alterius determinatione: sed Deus ex vi decreti indifferentis ita ponit actum liberum: ergo vel creatura non determinat suos actus liberos, vel non est maior ratio, vt ipsa potiùs; quàm Deus eos determinet.

41 Instò argumentum in habitibus virtutum, qui saltem, quando non vrget præceptum virtutis, sunt indifferentes ad actus, quos cum voluntate eliciunt; quin ideo verificetur: non dari specialiorem titulum, vt potius ex determinatione voluntatis; quàm ex determinatione habitus pro-

procedant. Pro solutione : distinguenda est in principijs concurrentibus ad eundem effectum duplex indifferentia, vna *contingentiæ* ; altera *dominij* , & *libertatis*. *Prima* constituitur per puram exclusionem connexionis : *secunda* vltra exclusionem connexionis dicit potestatem dominativam supra effectum , vt pro arbitrio potentiæ , & principij , in quo residet , existat actus, & effectus præ carentia , vel è converso. Ex his indifferentijs, quæ datur ex parte Dei , posito decreto applicativo indifferenti , & inconnexo pro actibus liberis , est indifferentia *contingentiæ* , in quantum omnipotentia , vt applicata , non habet connexionem cum actu potiùs ; quàm cum carentia illius ; quæ verò datur ex parte voluntatis creatæ , est indifferentia *electionis*, & *dominij* supra actum , quo potest eum eligere præ carentia.

42 Vnde ad formam. Nego primum antecedens. Ad cuius probationem : distinguo maiorem : posito hoc decreto , tàm indifferens est Deus ad efficiendum actum liberum cum creatura ; quàm hæc ad efficiendum cum Deo eundem actum , *indifferentia contingentiæ* , & *inconnexionis* : concedo maiorem : *indifferentia dominij* , & *libertatis* : nego maiorem : & distinguo minorem : quando concurrunt duo principia æquè indifferentia , *tàm indifferentia contingentiæ* ; *quam dominij* non est maior ratio , vt vnum ; quam alterum determinet : concedo minorem : æquè indifferentia , *indifferentiæ solius contingentiæ* : nego minorem , & consequentiam. Ad confirmationem : distinguo similiter maiorem : determinare liberè ad consensum præ dissensu , est ponere consensum cum omnimoda indifferentia *solius contingentiæ* , & *inconnexionis* : nego maiorem : cum omnimoda indifferentia *dominij* : concedo maiorem. Sub quibus terminis distincta minori : nego consequentiam.

43 Replicabis. Difficultatem in sua vi manere ; dum non explicetur , quid addat indifferentia *dominij* , & *libertatis*, prout contradistinguitur ab indifferentia *contingentiæ* , & *purè inconnexionis*; aliter cuivis liberum erit vnam cum altera confundere , & vtrique determinationem liberam applicare , aut neutri concedere. Respondeo : indifferentiam *dominij electivi* , & *determinativi* addere supra indifferentiam *contingentiæ*, & *inconnexionis* , quod principium sit volitivum ; quod sit instructum iudicio indifferenti , hoc est , cognitione , aut cognitionibus alliciente , & retrahente : quod careat omni connexione cum actu , quam impedire non possit: & demùm , quod principium liberum , sine cuius influxu determinari non potest, ipsam non præveniat ; sed potius ei committat determinationem sui influxus per liberum decretum applicativum potentiæ executricis. Requiritur *primum* : quia sola voluntas est potentia libera : cùm enim ex proprijs terminis, *principium operari libere* , sit operari, *quia vult* , ei soli potentiæ competit *libertatis* dominium, quæ velle potest. Requiritur *secundum* : quia cùm libertas sit potestas ad vtrumvis , & aliunde agens rationale nequeat operari , nisi propter rationem ; si non adesset ratio ad actum , & oppositum actus , non duo extrema ad libertatem requisita ; sed vnũ tantùm , vt determinabile, proponeretur. Requiritur *tertium* : nàm determinatio antecedens principij ad vnum opponitur indifferentiæ *contingentiæ* ad libertatem requisitæ. Requiritur *quartum*: propter dependentiam, quam habet libertas creata a divina, quæ , cum possit actum voluntatis creatę prædecernere, & determinare antecedenter , non vult sic se gerere ; sed determinationem suorum actuũ illi relinquere: iuxta illud Ecclesiast. cap. 15. *Deus ab initio constituit hominem , & reliquit illum in manu consilij sui ; apposuit tibi ignem , & aquam , ad quod volueris , porrige manum tuam.* Vnde constat : quare habitus , etsi habeant indifferentiam *contingentiæ* , sicut , & Deus, prout applicatus ad concurrendum, non habeant indifferentiam *dominij* erga actus liberos creaturæ ; cùm habitus non sint volitivi , & Deus vti nolit suo dominio *elective* ; sed voluntatem creatam taliter instruere , vt penès ipsam sit determinatio suorum actuum.

44 Obijcies secundò. Deum applicare suam omnipotentiam per decretum indifferens , & inconnexum cum determinato effectu , est Deũ applicare suam omnipotentiam per decretum aliunde determinabile ad effectum : sed Deum ita applicare suam omnipotentiam implicatorium est : ergo implicat Deum applicare suam omnipotentiam per decretum , quod non sit connexum , absolutum ,& determinatum ad effectum. Prob. min.

Decretum applicativum se tenet ex parte causæ ad effectum : ergo implicatorium est , Deum ita applicare suam omnipotentiam. Probatur consequentia. Implicatorium est , quod causa , vel id , quod se tenet ex parte causæ , supponat, vel expectet suum effectum ; quin potius illum causet , & præveniat prioritate saltem *causalitatis*, & *naturæ* : sed decretum applicativum indifferens , & aliundè determinabile ad effectū expectaret suum effectum, vt in illum influeret : ergo si decretum applicativum se tenet ex parte causæ, Deum applicare suam omnipotentiam per decretum indifferens , implicatorium est.

45 Hoc argumentum, quod ex Mag. Goneto disputatione 5. de Voluntate articulo 3. §. 1. proponit Pater Herrera ; non nisi ex ardore impugnandi potuit oriri ; cùm manifestissimam habeat instantiam , tùm in habitibus virtutum , tùm in ipsa voluntate creata , *proùt libera* : nam si inconnexio , & indeterminatio principij ad effectum reddit influxum eius implicatorium ; repugnabit influxus libertatis ad suas electiones , & determinationes, quia cum nulla determinatè connexa, aut saltem influxus habituum , in quibus vltrà inconnexionem desideratur determinatio alterius principij , vt suos actus efficiant. Itaque , quod implicationem involveret , esset , si causa ad suum influxum expectaret suum effectum aliunde ponendum ; quàm per suum influxum ; quia id convinceret causam omninò inutilem ad effectum: cæterum quod causa , vel id , quod se tenet ex parte causæ ad effectum , dicat in actu *primo* aptitudinem inconnexam, & indifferentem ad illum , ideòque indigeat , actionem , & suum influxum determinari ab alio principio, sicut non impedit influxum ab ipsa provenire ; sic nèc impedit præcedentiam eius ordine *naturæ* , tàm quoad actionem ; quàm quoad effectum , qui per actionem ponitur.

46 Instat Gonetus. Si decretum applicativum determinationem , quam ex se non habet , causaret, iam non esset amplius indifferens ; sed determinans ; imò, & prædeterminans, quia illam determinationem alterius principij prioritate *naturæ* antecederet: quod cum repugnet, repugnabit etiam, decretum indifferens influere in effectum aliunde determinandum. Peior est instantia argumento. Aliter absurdissimè dicat similiter : nèc habitum esse indifferentem ad actum , quem cum voluntate ponit : nec libertatem indifferentem ad actum , quem eligit : quia hæc causat suam determinationem , & ille determinationem voluntatis : est ergo necessarium , vt principium influens non sit indifferens , non solum, quod influat in determinationem effectus ; sed quod præcedat prioritate *naturæ* , vt connexum cum tali determinatione , & vt ab ipsa inseparabile.

47 Obijcies tertiò. Deum, vt præparatum ad influxum , expectare determinationem causæ *secundæ* ad effectum producendum , est imperfectio divinæ potentiæ , veluti ex se non sufficientis ad illum : sed Deus , vt applicatus per decretum indifferens ad concurrendum cum ipsa expectaret determinationem causæ *secundæ* ad productionem effectus : ergo Deum sic applicare suam omnipotentiam ad concurrendum cum creatura , est quid divinæ perfectioni repugnans . Respondeo: quod sicut divinam potentiam se sola non posse producere aliquos effectus; sed in consortio virtutis creatæ , vt actus vitales , & liberos, non arguit imperfectionem vllam in Deo ; quia id non provenit ex defectu activitatis ; sed ex conditione termini , & effectus, cuius naturæ divina potentia se conformat : sic non est imperfectio divinæ potentiæ, quod vt præparata ad aliquos effectus , expectet determinationem causæ *secundæ* , quam exigit conditio termini , præcipuè quando hæc expectatio non respicit determinationem exemptam à divino influxu , nec per potentiam à Deo independentem , nèc cum aliqua incertitudine eventus ex parte divini intellectus : qua ratione imperfectionibus denudata intellectus , est illa , quam vt optimè convenientem divinæ perfectioni proponunt Sacræ litteræ , vt Isaiæ capite 5. *Expectavi , vt faceret vbas , & fecit labruscas : expectavi , vt faceret iudicium , & ecce iniquitas .* Apocalypsis 3. *Sto ad ostium , & pulso , &c.* Machabæorum lib. 2. capite 6. *Non enim , sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat , vt eas , cùm iudicij dies advenerit , in plenitudine peccatorum puniat.*

Obij-

48 Obijcies quartò ex Illustrissimo Godoy. Nostra libertas tam *subiectivè* in se; quàm *terminativè* in actu libero procedit ex efficacia divinæ voluntatis: sed non est efficacia in divina voluntate, quando non datur decretum efficax: ergo tàm quoad libertatem creatam; quàm quoad actum liberum illius, datur in divina voluntate decretum efficax absolutum, & connexum, quod cum applicatione indifferente non componitur. Maiorem probat ex Divo Thoma pluribus in locis docente, & reducente ad efficaciam divinæ voluntatis decernentis non tantùm substantiam; sed modum libertatis in actibus voluntatis creatæ, illorum libertatem: ergo nostra libertas tàm *subiectivè* in se; quàm *terminativè* in actu libero procedit ex efficacia divinæ voluntatis. Respondeo: ipsum Sanctum Doctorem quæstione 19. citata primæ partis articulo 8. nos docuisse, quo sensu dixerit: nostram libertatem *subiectivè*, & *terminativè* provenire ab efficacia divinæ voluntatis; non quidem, quia tàm nostram libertatem; quàm eius actus, & electiones efficaciter prædecernat; sed quatenus ab eius efficacia descendit præparatio causarum *contingentium*, à quibus, prout distinctis à *necessarijs*, contingenter procedit effectus, & ideo concludit corpus articuli dicens: *quia Deus voluit: contingenter eos evenire; contingentes causas ad eos præparavit*: si ergo loqueretur de decreto efficaci applicativo, quod intendunt Adversarij, inverso modo loqueretur, nempè: *quia Deus causas contingentes ad eos præparavit, voluit eos contingenter evenire*; cum in eorum sententia decretum applicativum efficax sit post signum præparationis *contingentium* causarum: igitur mens Divi Thomæ procedit de efficacia divinæ voluntatis, quæ tota ad præparationem causarum terminatur, & medijs ipsis, respicit effectus.

49 Obijcies quintò duas illas propositiones damnatas ab Innocentio XI. *vnam*: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, vt ea vtamur, sicut aliquis donat alteri librum, vel Villam: alteram: Deus subijcit nobis suam omnipotentiam*: quæ videntur habere locum, si in Deo detur decretum indifferens applicativum omnipotentiæ in actu *primo*. Ratio est: nam omnipotentiam sic esse paratam, nil aliud est; quàm committi omnipotentiæ influxum actualem determinationi «causæ *secundæ*», quod quidem apparet esse, quasi donare omnipotentiam creaturæ, & determinationi ipsius subijcere: nè ergo sub damnatione prædictarum propositionum comprehendamur, videtur necessarium recurrere ad præparationem omnipotentiæ efficacem, absolutam, & connexam cum effectibus, ad quos præparatur.

50 Antè solutionem notare non desinam: aliquos audivisse Thomistas sibi plaudentes per hanc Pontificis repulsam: actum esse de Societatis doctrina, non videntes præ animi turbatione in nostros Doctores, sub illa quoad primam speciem potius videri comprehendi sententiam apud ipsos communissimam de obligatione Dei ex iustitia ad creaturas, quam libentissimè, vt consonam Angelico Doctori, amplectuntur: dicant ergo, vbi maior similitudo cum donatione, & subiectione omnipotentiæ factis creaturæ; quàm vbi Deus per suum actum, ita facit proprium creaturæ illud, quod sub obligatione iustitiæ offert, vt non aliter; quàm iniustè pro sensu composito possit recuperare. Quod si pacato animo respondent per terminos *impossibilitatis antecedentis, & consequentis*, quibus iudicant, omnia in tuto esse, dicant: quid contra Scholam Societatis potest inferri, in qua illa præparatio indifferens ex libera Dei voluntate descendit.

51 Noto etiam: prædictas propositiones, prout iacent, in nullo Societatis Authore inveniri, quem ego sciam: non *primam*: quia nèc cum aliqua modificatione reperi: non *secundam*: quia si in aliquibus invenitur, non est absolutè prolata; sed cum limitatione, *quasi subijci*: quod maximè distat à subiectione *non restricta*: nec mirum, cùm in Scriptura inveniatur Isaiæ 43. *Servire me fecisti in peccatis tuis*, quod solum *hyperbolicè* dictum est ad manifestandam gravitatem offensæ cum similitudine ad offensas hominum; non aliter ac de Deo dicitur: *pœnituisse eum fecisse hominem*: Genes. cap. 6; tamen propositiones, vt iacent, meritissimè sunt damnatæ sub censura *novitatis*, & *temeritatis*, veluti continentes modum loquendi dissonum, per quem, aut Deum abdicare à se dominium, aut inferiorem creatura remanere denotatur.

52 Ad argumentum respondeo: pro indifferenti applicatione omnipotentiæ tuenda, & explicanda; nil me cogere ad vtendum terminis, & vocibus illis à Summo Pontifice proscriptis, vt per se patet: quoad rem insuper, nec Deum dominio suo privo, nec inferiorem creatura constituo; sed potius è converso actum ipsum præparandi omnipotentiam *inconnexe*, & *indifferenter*, vt ortum ex infinito dominio, & vt exercitium illius profiteor, quod non Deum creaturæ; sed creaturam Deo summè subiectam reddit, ob id, quod, Deo nolente, & liberè subtrahente concursum suæ potentiæ, nil operari possit. Quid in his, quæso, cum propositionibus damnatis?

53 Obijcies sextò textum Concilij Tridentini sess. 6. Canone 8. *Si quis dixerit mala opera, ita vt bona Deum operari non permissivè solùm; sed etiam propriè, & per se, anathema sit*: ex quo in hunc modum formatur argumentum. Iuxta Concilium Deus non æqualiter operatur bonos, & malos actus; sed hos *permissivè* tantùm; illos verò *propriè*, & *per se*: ast si Deus præpararet omnipotentiam ad nostros actus liberos per decretum indifferens, & inconnexum tam cum bono; quàm cum malo actu, committensque determinationem concursus actualis libertati creatæ, æqualiter se haberet quoad bonos, & malos actus: ergo si Deus applicat suam omnipotentiam ad concursum actuum nostræ libertatis, & dominij electivi per decretum indifferens, & inconnexum cum existentia illorum, causat vniformiter actus bonos, & malos, quod est contra Concilium.

54 Attigerunt obiectionem istam Ribadeneyra, Herrera, & Munièssa, cui satisfieri variè potest. Primò communiter dicendo: Concilium duntaxàt definijsse esse differentiam in modo, quo operatur Deus bonum, & malum opus, attentis omnibus, quæ interveniunt in vno, & altero concursu; at non dixisse differentiam istam esse desumendam ex quocumque actu particulari, v.g. præparativo. Inde quamvis attento modo præparandi omnipotentiam, nulla sit diversitas, datur in re, attentis alijs actibus, qui cum decreto præparativo concurrunt, vt sunt *consilium* de bono opere, & multoties *præceptum*, *intentio seria*, & iuxta plures *prædefinitio*, *propositio præmij pro bono*, & *suplicij pro malo opere*; ex quibus resultat causalitas *per se* boni operis in hac providentia, quamvis nulla, iuxta plures, sit repugnantia in alia, non attacta per Concilium, in qua Deus se haberet *permissivè* respectu vtriusque. Propter hanc actuum multiplicitatem, ex quibus causalitas *per se* boni operis est desumenda, quamvis ex solo actu præparativo non appareat, reddetur argumentum tam inutile; ac si quis contra nostram sententiam deduceret: *Deus prohibet peccatum: sed decretum, quo iuxta nos Deus præparat omnipotentiam, peccatum non prohibet: ergo iuxta nos Deus peccatum non prohibet.*

55 Secundò. Actum præparativum, etsi æquè inconnexum cum actu bono, & malo; non tamen æquè ex se ordinatum ad actum bonum, & malum; sed vnicè ad bonum, & nullo modo ad malum: modo, quo libertas nostra ad observationem præcepti, etsi non sit potius connexa cum observatione, quàm cum violatione præcepti; est tamen ex se, & ex sua natura vnice ordinata ad bene operandum, & nullo modo ad malum, quod est libertatis abusus. Hinc, cum Deus præparando suam omnipotentiam ad actus liberos, etsi per decretum indifferens, & compatibile cum actu peccaminoso, ponat id, quod ex se ordinatur ad actum bonum, & minimè ad malum; quando existentia actus boni datur, causa *per se* illius constituitur, adhuc attento solo decreto præparativo indifferenti. Tertiò: decretum præparativum indifferens, & inconnexum identificari semper, adhuc virtualiter cum intentione inefficaci boni operis, ordinando ad illud ipsam præparationem indifferentem omnipotentiæ, in quo nulla est implicatio, neque ex parte *libertatis*; quia tendentia illa non est affectus efficax erga bonum opus; ac proindè, nec cum illo connexus; neque ex parte *applicationis*: cum non consistat præcisè in illa tendentia inefficaci erga bonum; sed in alijs formalitatibus superadditis tali tendentiæ; vt iam videbimus.

* *
*

CA-

CAPVT IV.

Tendentia, & obiectum decreti applicativi indifferentis investigatur: vbi de alienis sententijs fertur iudicium.

56 STatuta necessitate decreti applicativi omnipotentiæ indifferentis, & inconnexi, tùm pro actibus liberis; tũ pro omnibus alijs, quæ ob suam turpitudinem *obiectivam* à Deo decerni non possunt, gravis insurgit difficultas circa modum tendendi, & obiectum talis decreti, quàm etsi obvia ex se sit, proponere non renuo. Itaque ratio difficultatis est. Nam vel talis actus tendit in concursum in actu secundo, vel non? Si *hoc secundum*: imperceptibilis apparet conducentia, & efficacia decreti pro applicanda omnipotentia ad tales effectus; non aliter ac si ego ad expediendam potentiam deambulativam in ordine ad motum localem haberem voluntatis actum, quo vellem cantare: si *primum*: vel tendit in concursum actualem efficaciter, vel inefficaciter: si *efficaciter*: cùm tale decretum se teneat ex parte actus *primi proximi*, & sit cum vno extremo connexum, libertatem penitùs evertet: præterquamquòd, hoc transmisso, adhùc in peccato est specialis difficultas, quod non potest esse obiectum efficaciter volitum à Deo; ni causa *per se*, & Author peccati constituatur: si *ineffícaciter*: compatibile erit cum carentia concursus in actu *secundo*: malè ergo omnipotentiam applicabit, quod est compatibile cum nolitione efficaci concursus in actu *secundo*; vlteriusque in concursu peccati locum non habebit; siquidem Deo repugnans est volitio adhuc inefficax peccati. Eccè difficultatis præsentis nodum, pro quo solvendo, multa, & diversa excogitarunt nostri Authores. Ex quibus.

57 Alij cum Eximio Doctore disp. 22. metaphysic. sect. 4. num. 24. & in opusculis libro 1. cap. 15. num. 3. & tomo 1. de Gratia prologom. 2. cap. 8. asserunt: decretum præparativum omnipotentiæ esse non omnino efficax, & *absolutum*; sed *conditionatum*, aut quasi conditionatum, quo statuit: *concurrere cum voluntate nostra ad consensum determinatum sub conditione, quod nostra voluntas se determinet ad illum*: quod eadem proportione censendum est de decreto præparativo ad concurrendum cum voluntate creata ad peccatum, quomodo satisfieri ipsis videtur difficultati præsenti: tum quia efficacia illa conditionata, aut quasi conditionata, cùm non sit connexio *absoluta* ante purificationem conditionis, quæ consistit in exercitio libero, non potest officere libertati: tùm etiam quia cùm sit volitio, quasi conditionata concursus in actu *secundo*, etiam quando tendit in peccatum, nullam indecentiam infert Deo, vt postea magis explicabitur, dùm de hac sententia iudicium feramus.

58 Alij cum nostræ Scholæ Principe Patre Molina dicunt: decretum præparativum omnipotentiæ esse illud, *quo Deus offert creaturæ suum concursum in actu secundo, relinquendo dominio, & determinationi ipsius, quod talem concursum generaliter oblatum determinet potius ad consensum; quàm ad dissensum; ad amorem; quàm ad odium, vel è contra*, & sic de reliquis, quo satis liquet; nèc libertatem creatam, nèc Sanctitatem divinam manere læsas; cum determinatio consensus tota sit penès voluntatem creatam, & penès Deum solùm, dare ipsi tale dominium.

59 Alij inter quos Pater Doctor Augustinus de Herrera quæst. 8, de prædestinatione sect. 3. citans pro se plures Recentiores, defendunt: applicationem omnipotentiæ ad actus liberos voluntatis creatæ nil addere vltra cogitationem allicientem, & retrahentem, & reliqua principia necessaria ad actum, præter exclusionem necessitatis *antecedentis* ad aliquod extremum determinatum: cuius ratio est: quia his præcisse datis, intelligitur voluntas libera, & expedita ad suos actus, taliter vt pro suo nutu iam hunc, iam illum possit eligere: sed esse proximè expeditam, involvit, concursum omnipotentiæ esse sibi paratum: ergo his positis, rectè explicatur decretum præparativum omnipotentiæ. Hanc sententiam etiam amplectitur Pater Ribadeneyra disput. 9. de Prædestinatione cap. 4; superaddendo tamen suum comitans decretum, sine quo omnia pro divino dominio, & libertate creata tuendis inutilia,

lia, & insufficientia esse iudicat.

60 Ipse Ribadeneyra refert aliam sententiam quorundam Recentiorum, qui cùm asseruissent: Deum non concurrere ad actus pravos; quia hi nullam dicunt *physicam* perfectionem; pro concursu ad actum bonum decretum præparativum explicant per particulas exceptivas *nisi*, & *præter*, hoc, vel æquivalenti modo tendendi: *volo simul cum voluntate creata efficere hanc actionem honestam in quolibet eventu, nisi ea, (quod nollem) eligere maluerit hunc actum peccati*; quam tendentiam exceptivam, vt in divina voluntate non repugnantem, probant ex ipso Apocalyps. 2. & 5. *Movebo candelabrum de loco suo, nisi pœnitentiam egerint*: poterantque probare ex alijs quamplurimis decretis; vt fuit illud de eversione Ninivitarum, nisi pœnitentiam egissent.

61 Moderniores alij Sapientissimi Magistri tàm pro actu honesto; quàm pro turpi decretum applicativum explicant per tendentiam *obiectivè* vagam inter actum positivum, & carentiam, seu *formale* contradictorium illius: quod cùm displicuisset meritò Patri Iunio, aliam viam aggressus sectione 7. de providentia, in qua præsentem difficultatem prolixè satis per duodecim capita discutit, in eam incidit cogitationem sui ingenij propriam asserens: omnipotentiam applicari, sive ad actum bonum, sive ad actum malum per tendentiam inefficacem *disiunctivam* vagantem inter actum positivum, & alium, sive contrarium, sivè disparatum: vnde planè concedit: rectè applicari omnipotentiam ad concursum peccati per actus similis tendentiæ: *volo peccatum, vel actum bonum*: *volo peccatum, vel lapidem*, se protegens inter alia, paritate divinæ Scientiæ, cui etsi repugnet attingere falsitatem determinatè; non tamen est impossibile eam attingere *disiunctivè* in hac propositione: *vel Petrus existit, vel non existit*: aut in hac: *vel Petrus sedet, vel Ioannes cantat* supponendo, quod vera sit per solam Petri sessionem.

62 Prima sententia Patris Suarez, quæ cõmunior inter nostros ab aliquibus nominatur, quamque tuetur Pater Izquierdo disp. 38. de providentia adiutrice, sectione 2. displicet multis de causis: quia vel illud decretum est strictè *obiectivè* conditionatum, vel *laxè, impropriè*, & *gramaticaliter*, vt aiunt: si *primum*: sivè efficax, sivè inefficax illud constituas, est fatuum, indecens divinæ voluntati titulo *summæ sanctitatis* & deniquè inutile pro omnipotentiæ applicatione. Probo per partes: *est fatuum*: quia decernit quod *metaphysicè* necessarium est, & quod independenter ab omni decreto eo modo, quo decernitur, verificabitur: patet: hæc conditionalis: *si existat actus à voluntate, existet procedens ab omnipotentia*: est *metaphysicè* necessaria: sed hoc decernit decretum applicativum: ergo decernit *metaphysicè* necessarium. Probo maiorem. Id, cuius contradictorium est *metaphysicè* impossibile, est *metaphysicè* necessarium: sed contradictorium huius veritatis: *si existat actus à voluntate creata, existet procedens ab omnipotentia*, est *metaphysicè* impossibile; cùm sit hæc veritas, *non si existat actus, existet procedens ab omnipotentia*, cuius verificativum tàm chimæra est; quàm defectus omnipotentiæ; qui ex veritate illius propositionis necessario inferretur: ergo veritas hæc conditionalis: *si existat actus à voluntate creata, existet procedens ab omnipotentia*, est *metaphysicè* necessaria. Pergo. Omne *metaphysicè* necessarium est independens ab omni contingenti: sed id, quod decernit decretum à te positum, est *metaphysicè* necessarium: ergo independens est à tali decreto cõtingente: sed decernere, sivè efficaciter, sivè inefficaciter id, quod sivè detur, sivè non detur actus divinæ voluntatis, eodem modo dabitur, fatuitas est: ergo decretum illud conditionatum est fatuum.

63 Confirmatur. Fatuum esset, & nugatorium decretum, quo Deus, sivè efficaciter, sivè inefficaciter decerneret consensum voluntatis creatæ esse possibilem, & omnipotentiam esse infinitè perfectam in sua linea: sed existere consensum voluntatis ab omnipotentia ex suppositione, quod existat, est consensum possibilem esse; & omnipotentiam infinitè perfectam: ergo decernere Deum, quod si existat consensus à voluntate, ab omnipotentia existat, est decernere fatuè, & nugatoriè. Confirmatur secundò. Non minus necessarium est: quod si existat actus à voluntate creata, existat concursus omnipotentiæ in actu *secundo*; quàm quod si existat homo, sit animal rationale: sed Deum id decernere, titulo *fatuitatis* repugnat: ergo primum ex eodem titulo est Deo impossibile. Reliqua

qua non egent probatione, si maior teneat, quam sic probo. Tam essentiale est cuilibet effectui creato ab omnipotentia procedere, necnon omnipotentiæ in quemcumque effectum immediatè influere; quàm homini esse animal rationale; cùm vtrumque, eo deficienti, repugnaret: ergo non minus necessarium est, quod si existat actus a voluntate creata, existat concursus omnipotentiæ in actu *secundo*; quàm quod si existat homo, sit animal rationale. Confirmatur tertiò. Implicat decretum, quo Deus decernat: *quod si aliquid existat, coexistat localiter, & temporaliter Immensitati, & Æternitati*: ergo implicat decretum, quo Deus decernat: *quod si existat effectus, existat ab omnipotentia.* Antecedens est certum. Consequentia probatur. Non minus est de ratione intrinseca, & essentiali *omnipotentiæ* influere in omnem effectum, quã est de ratione essentiali *immensitatis*, & *æternitatis* penetrari *durativè*, & *localiter* cuilibet existenti: sed quia id est de ratione horum attributorum, repugnat Deo decretum id decernens: ergo quia illud est de ratione *omnipotentiæ*, repugnat decretum, quod in illud *affectivè* feratur.

64 *Esset indecens divinæ sanctitati.* Ille actus non cohæret cum divina sanctitate, quo sivè efficaciter, sivè inefficaciter fertur voluntas Dei in peccatum: sed dato illo decreto conditionato, divina voluntas ferretur *prosequutivè* in peccatum: ergo modus ille præparandi omnipotentiam, repugnat divinæ sanctitati. Maior est mihi certa: siquidem velle *moraliter* turpe, malum *moraliter* est: sed velle aut efficaciter, aut inefficaciter peccatum, est velle *moraliter* turpe: ergo voluntas illa mala *moraliter* est; propterea quæ cum divina sanctitate non cohærens. Probo igitur minorem. Dato illo decreto conditionato applicativo omnipotentiæ, non aliter Deus applicaret suam omnipotentiam ad actum pravum creaturæ; quàm volendo *conditionatè*, quod si existat peccatum, existat concursus in actu secundo omnipotentiæ ad illud: sed hoc est tendere *prosequutivè* in peccatum; quia est velle conditionatum sub existentia conditionis; quod quidem conditionatum est ipsissima actio prava creaturæ: ergo dato tali decreto conditionato, divina voluntas ferretur *prosequutivè* in peccatum.

65 Vrgetur: affectus *absolutus*, quo Deus *prosequutivè* tendat in actionem pravam creaturæ, est Deo, titulo *summæ sanctitatis*, repugnans: ergo affectus *conditionatus*. Antecedens est certum: aliàs, cur tibi repugnaret decretum prædeterminativum non modo, quando malitia in positivo; sed etiam, quando in privativo consistat; & hoc quidem non solum ex læsione creatæ libertatis; sed ex summa Dei sanctitate. Consequentiam probo. Omnis affectus *conditionatus* est prosequutio *absoluta* conditionati, si non *formaliter*, saltem *virtualiter*, purificata conditione: sed existente peccato voluntatis creatæ, purificaretur conditio, sub qua actus divinus præparativus vult *conditionatè* concursum in actu *secundo* omnipotentiæ, qui à peccato non distinguitur: ergo per talem actum vellet *absolutè*, si non *formaliter*, saltem *virtualiter*, existentiam peccati.

66 Nec dicas cum Patre Izquierdo, & alijs, quod admiratione dignum est: in concursu illo actuali, & esse considerandum respectum, quẽ dicit ad Deum ratione omnipotentiæ, & respectum, quem dicit ad creaturã, à qua *determinativè* procedit: clarius: actionem illam posse considerari, *prout est ab omnipotentia*, & *prout est à creatura*: Deus enim fertur in peccatum *prosequutivè*, *prout est ab omnipotentia*: qua ratione malum *moraliter* non est: quia non est peccatum Dei: sed creaturæ; secus in peccatum, *prout est à creatura*: qua ratione malum, & turpe *moraliter* est. Quod explicat exemplo duorum hominum portantium grave pondus alicuius ingentis lapidis, in quibus, si vnus sit æger, alter sanus; idem exercitium, quod ab vtroque provenit, alteri est proficuum, nocivum alteri: quã ratione concursus in actu *secundo*, etsi sit idem exercitium ab omnipotentia, & voluntate creata procedens, huic turpe, & moraliter indecorum; alteri honestum, & decens *moraliter* est. Egregia sanè solutio, & viro Iesuitæ doctissimo, & in Schola, & principijs Societatis nõ parũ instructo indigna, quæ ipsissima est, qua se protegunt Thomistæ, vt nostra solvant argumenta, distinguentes, & dividentes quæ *realiter* identificantur; ac si essent distincta, & *realiter* separata.

67 Scire vellem ab hoc Sapientissimo Magistro: an eadem so-

lu-

lutio locum teneat in affectu *absoluto* determinato, & prosequutivo actionis peccaminosæ? *quod si neget*; consequentiam non calleo: tùm quia si illa actio, *prout à Deo*, bona, & honesta est, cur non poterit Deus velle *absolutè*, & *determinatè*, quod sibi bonum, & honestum *moraliter* est: tùm quia id, quod, vt volitum, *absolutè*, & *determinatè* Deo indecens est, nec volitum *conditionatè* potest congruere: nàm vt diximus, & verum est, volitio *conditionata* alicuius extremi sub aliqua conditione est *virtualiter* volitio *absoluta* eiusdem extremi, purificata conditione: *si verò affirmet*: omnia, quæ contra Thomistas nostri objiciunt in prædeterminatione ad materiale peccati, mihi evanescunt. Igitur diversitas illa respectuum non est sufficiens, vt affectus ille prosequutivus ab indecentia Deo indigna deputetur.

68 Cuius ratio est: nam vel ly *affectum prosequutivum divinum tendere in actionem malam creaturæ, quatenus est ab omnipotentia*, denotat: ex parte obiecti correspondere tantùm decreto applicativo rationem procedendi ab omnipotentia, secluſa omninò ratione intrinseca procedendi à creatura: & hoc est impossibile; dum vna, & altera ratio, vnus, & alter respectus intrinsecè sint idem realiter; ni per identitatem realem, distinctionem realem intelligas: necessarium ergo est actui voluntatis divinæ tendenti in illam actionem vnum, & alterum respectum correspondere: vel denotat solum modum tendendi actus divini prosequentis actionem illam peccaminosam, non quia talis est; sed quia titulo entis ab omnipotentia exigit procedere: & hoc non sufficit, vt vitetur indecentia affectus divini; cùm non impediat, malitiam esse volitam *indirectè*; quamvis non *directè*: alias nequè illa actio esset mala creaturæ, quæ regulariter non tendit in peccatum, *qua tale*; sed *quia sibi vtile*, & *delectabile*, optansque, si possibile foret, vt quidquid commodi, & vtilitatis in actione turpi inveniatur, à malitia *morali* separaretur: vide quæso: An tendentia illa in peccatum, *quia delectabile, quia vtile*, honestum reddat affectum creaturæ, & turpitudine *morali* privet? quod si non facit, male consulitur rectitudini divinæ voluntatis per modum tendendi indirectum respectu malitiæ his terminis explicatum: *volo quia est ens*; *vel, vt ens est*: *volo, quia ab omnipotentia procedit*; *vel, vt ab omnipotentia procedens*: quod si vim elidas, dicens, vt in simili Pater Iunius: plura licere Deo, quæ non licent creaturæ; vt apparet in permissione peccatorum, quæ absque incommodo potest evitare: vide, ne per hanc latam viam deducaris in baratrum concedendi Deo mendacium, & consilium, & præceptum rei turpis; & alia huiusmodi: certum igitur est: aliqua esse, quæ neque Deo, neque creaturæ licent, inter quæ quivis affectus prosequutivus turpitudinis *moralis* iurè anumeratur.

69 Ad exemplum adductum portantium lapidem benè respondet Munieſa: primò, assignando discrimen: quia ibi commodum vnius realiter distinguitur à nocumento alterius: quid mirum, vt possit vnus velle commodum proprium; quin vellet alterius damnum. At in nostro casu commodum, & incommodum idem realiter sunt; nimirum actio realiter eadem ab omnipotentia, & creatura proveniens: quarè ly *ab omnipotentia* non est realiter præscindibile à ly *procedere à creatura*. Secundò: firmando ex ipso exemplo nostram doctrinam: siquidem quamvis homo sanus posset velle suam actionem gestandi lapidem, vt sibi ad augendas vires proficuam, at nullo modo posset velle, aut procurare gestationē illam lapidis *adæquatè* sumptam; ex qua mors, aut maximum detrimentum alteri imminet: quia hoc esset velle, aut procurare saltem *indirectè* mortem, aut grave detrimentum alterius: sic in actu creaturæ, in quo non est vnum, quod ab omnipotentia procedat, & alterum à creatura; sed idem realiter indivisibile, quod ab vtroque provenit: cùmquè aliunde in tali actu contineatur *moralis* turpitudo creaturæ, non potest Deus ferri *prosequutivè* in talem actum adæquate sumptum, volendo illum, *vt sibi bonum*: non *vt malum alteri*. Deinde respondeo: actum turpem creaturæ non esse Deo *positivè* honestum; sed merè *negativè*; quatenus nulla indecentia est in eo, quod ad illum concurrat purè *permittendo*; honestas autem hæc *negativa* constituitur per carentiam omnis affectus prosequutivi talis actus: vnde si Deus tenderet prosequendo illam actionem, *vt sibi bonam*, per id ipsum destrueret honestā-

neſtatem *negativam* ſui concurſus, & relicto munere *Permiſſoris*, cauſam *per ſe* actionis turpis ageret. Hinc ad exemplum permitto, idem exercitium vni commodum, alteri nocivum poſſe amari ſub ratione *commodi*, quando hoc per carentiam proſequutionis non conſtituitur; ſecus quando commodum carentiam affectus proſequutivi involvit.

70 *Eſſet inutile pro applicanda omnipotentia ad concurſum in actu ſecundo*: quod ſic oſtendo. Primò. Actus ille eſt impertinens, & inutilis pro applicatione omnipotentiæ, qui nil ſuperaddit determinationi intrinſecæ, quā ex ſe habet omnipotentia ad concurrendum in actu ſecundo: ſed decretum conditionatum concurſus ſub conditione operationis creaturæ nil ſuperaddit determinationi intrinſecæ, quam ex ſe habet omnipotentia ad concurrendum in actu ſecundo: ergo inutile, & impertinens eſt ad eam applicandam. Maior eſt certa. Nam omnipotentia cum ſua determinatione intrinſeca, & eſſentiali ad concurrendum in actu ſecundo non eſt ſufficienter applicata; aliàs non egeret nova applicatione Deo libera: ergo ſi actus, vi cuius applicatur, nil determinationis auget præter illam, quam omnipotentia ex ſe habet; inutilis erit ad munus applicandi. Probo minorem. Omnis determinatio ad concurrendum, quam ſuperaddere poteſt omnipotentiæ actus liber Dei præparativus, eſt vi illius, quod decernit: ergo ſi nil aliud decernat præter id, quod omnipotentia ex ſe habet determinationis ad actum *ſecundum*, nil determinationis addet: ſed decretum illud conditionatum id ipſum decernit, ad quod omnipotentia eſt ex ſe determinata, & eo modo decernit, quo eſt omnipotentia determinata; videlicet conditionatè ſub conditione operationis creaturæ: ergo decretum conditionatum concurſus omnipotentiæ ſub conditione, quod creatura operetur, nil ſuperaddit determinationi, quam ex ſe habet ab intrinſeco omnipotentia.

71 Confirmatur: novus titulus ad id, quod ex ſe inſufficiens eſt ad aliud, non reddit illud ſufficientius ad aliud: patet in homine inſufficienti ad conſtituendum canem; in quo, etſi multiplicentur determinationes, vt ſit, in actione productiva, in vnione conſtitutiva, & in decreto decernente ea, ex quibus reſultat, non ideo homo redditur aptior ad conſtituendum canem: ſed decretum præparativum conditionatum ad ſummum eſt novus titulus ad determinationem conditionatam omnipotentiæ pro caſu, quo creatura operetur, quæ eſt inſufficiens applicatio pro concurſu in actu ſecundo: ergo tale decretum inutile planè eſt pro applicatione omnipotentiæ, quæ requiritur, vt ſit proximè expedita ad concurrendum in actu ſecundo.

72 Impugno ſecundò: decretum, quod eſt coniungibile cum carentia applicationis omnipotentiæ ad concurrendum in actu ſecundò, inutile eſt pro applicanda omnipotentia ad actum ſecundum: ſed decretum conditionatum de concurſu omnipotentiæ ſub conditione effectus creati eſt coniungibile cum carentia applicationis omnipotentiæ ad concurrendum in actu ſecundo: ergo eſt inutile pro applicanda omnipotentia ad actum ſecūdum. Maior eſt certa: ni dicas eſſe coniungibilia: *omnipotentiam eſſe applicatam*: & *non eſſe applicatam*. Minor probatur. Decretum tale conditionatum eſt coniungibile cum nolitione divina abſoluta concurrendi in actu ſecundo: ſed nolitio abſoluta, & efficax concurrendi in actu ſecundo eſt carentia, vel *formalis*, vel *illativa* applicationis omnipotentiæ ad actum ſecundum: ergo eſt coniungibile cum carentia applicationis omnipotentiæ ad concurrendum in actu ſecundo. Minor probatione non eget: ſiquidem impedimentum ſe tenens ex parte Dei, vt omnipotentia concurrat, eſt excluſivum, vel *formale*, vel *illativum* volitionis divinæ, qua velit omnipotentiam concurrere in actu ſecundo: ergo carentia, vel *formalis*, vel *illativa* applicationis omnipotentiæ ad concurrendum in actu ſecundo. Probo igitur maiorem. Decretum conditionatum eſt coniungibile cum illo actu, qui cùm non ſit *formalis* nolitio ipſius; vlterius neque *formaliter*, neque *illativè* coniungit carentiam conditionati cum exiſtentia conditionis: ſed nolitio abſoluta, & efficax non concurrendi in actu ſecundo cum creatura, neque eſt *formalis* nolitio decreti cōditionati concurrendi, ſi creatura operetur; neque *formaliter*, aut *illativè* coniungit carentiam conditionati cum exiſtentia conditionis; ſed ſolùm aufert exiſ-

existentiam conditionis; nimirum operationis creaturæ; quia est decretum de re Deo libera, & possibili, qualis non esset, *non concurrere*, operante creatura: ergo decretum tale conditionatum est coniungibile cum nolitione divina absoluta, & efficaci concurrendi in actu secundo.

73 Confirmatur, & explicatur. Actus, qui non tollit efficaciam decreti conditionati, est coniungibilis cum decreto conditionato: sed nolitio absoluta concurrendi in actu secundo per ablationem conditionis *operationis creaturæ*, qui est modus non concurrendi cum creatura vnicè Deo possibilis, non aufert efficaciam decreti conditionati, quæ tota est erga conditionatum, purificata conditione; qua ratione si non daretur, esset frustrabile: ergo nolitio efficax, & absoluta non concurrendi cum creatura in actu secundo est coniungibilis cum tuo decreto applicativo. Clariùs adhùc. Nolitio efficax, & absoluta concurrendi in actu secundo est coniungibilis cum verificativo huius propositionis: *si existat actus A, v. g. consensus creaturæ, existet concursus omnipotentiæ ad illum*: patet: quia omne contingens est coniungibile cum necessario, vt est verificativum illius propositionis: ergo est coniungibile cum illo contingenti, quod pro sua efficacia nil aliud exigit; quàm verificativum illius propositionis: sed decretum conditionatum, in quo per te consistit applicatio, nil aliud exigit pro sua efficacia; quàm verificativum illius propositionis: ergo nolitio efficax, & absoluta concurrendi in actu secundo est coniungibilis cum decreto præparativo: neque huic argumento

74 Paretur instantia desumpta ex prædefinitione efficaci regulata Scientia Media communiter in nostra Schola propugnata, qua stante sententia, hoc conficitur argumentum. Prædefinitio efficax consensus, seu actus charitatis sub libertate ad amorem, & odium, est volitio efficax concurrendi in actu secundo ad amorem: ergo est nolitio efficax, saltem *virtualis*, non concurrendi in actu secundo ad odium: tamen hæc nolitio efficax concurrendi in actu secundo ad odium est compatibilis cum decreto præparativo omnipotentiæ ad odium; aliter sub tali prædefinitione deficeret libertas ad odium contra suppositionem admissam: ergo quod decretum præparativum conditionatum sit coniungibile cum nolitione efficaci, & absoluta concurrendi in actu secundo, non removet ab ipso conceptum *præparationis*. Non, inquam, hac instantia vllo modo vis nostræ probationis, & discursus infringitur: quia nolitio *virtualis* concurrendi in actu secundo ad odium, quæ continetur in prædefinitione ad amorem, est nolitio *consequens* exercitium eiusdem libertatis ad odiū; proindeque non destruens applicationem omnipotentiæ ad odium, quæ ex parte libertatis se tenet; nolitio autem, de qua in impugnatione loquimur, est nolitio efficax *antecedens* libertatis exercitium, quæ stare nequit cum applicatione omnipotentiæ requisita ad iura libertatis servanda. Ideo, vt omnis æquivocatio auferatur, probationem sic instauro, & instruo. Nolitio efficax, absoluta, & *antecedens* concurrendi in actu secundo est carentia, vel *formalis*, vel *illativa* applicationis ad concurrendum in actu secundo: hæc nolitio est coniungibilis cum decreto illo conditionato: ergo vel decretum conditionatum non est applicatio omnipotentiæ ad concurrendum in actu secundo, vel applicatio est coniungibilis cum sua carentia, vel *formali*, vel *illativa*: hæc pro decreto strictè conditionato.

75 Quod si propterea dicas; decretum applicativum omnipotentiæ non esse in re conditionatum; sed solum explicari ad modum *volitionis conditionatæ*; modo quo dicitur de habitibus, ita esse paratos ad concurrendum pro nutu voluntatis creatæ, vt si hæc velit, detur concursus in actu secundo habituum; cum tamen *ipsum velle* voluntatis sit realiter, habitum concurrere: quem modum se explicandi obseruant Concilium Arausicanum secundum, & Tridentinum: illud canone 25. inquiens: *Fideles, Christo auxiliante, posse, & debere, si fideliter laborare velint, adimplere, quæ ad salutem pertinent*: neque ideo *fideliter laborare* distinguitur ab *adimplere, quæ ad salutem pertinent*: hoc sessione 6. canone 4. per hæc verba, *Liberum Arbitrium posse dissentire gratiæ excitanti, si velit*; quamvis *velle dissentire*, sit realiter ipse dissensus: vnde explicatio illa decreti applicativi per verba sonantia volitionem conditionatam, tantùm denotat: decretum

tum applicativum omnipotentiæ tali modo disponere, & præparare omnipotentiæ concursum in actu secundo, vt determinatio illius concursus tota sit penès humanum arbitrium: si ergo hoc asseratur, intacta', & irresoluta relinquitur præsens quæstio.

76 Ratio est: quia dicere, decretum applicativum omnipotentiæ pro causis *secundis* liberè operantibus relinquere determinationi ipsarum concursum actualem omnipotentiæ, est asserere, quod nullus desiderat scire: quod autem investigatur, est, quale sit decretum, quodvè obiectum respiciat illud, quo posito, in manu est creatæ voluntatis concursum actualem omnipotentiæ determinare? quod si non resolvatur; ad quid Conciliorum verba? Ad quid Ambages conditionalium? Quæ omnia extra intentum sunt: distinguatur ergo id, quod in re evenit, posito decreto applicativo, & id, ratione cuius ita contingit; quod est decretum applicativum: & ostensa natura huius, videamus: àn sit, & quare proportionatum tali effectui? Quod dum non præstent hi Authores, irritum suum laborē plenè fateantur: nec dicatur: id satis ostendi per explicationem ipsam decreti conditionati: nam si verba illa, quæ volitionem conditionatam innuunt, nil denotant præter decretum, quod in re non est conditionatum; sed tale, vi cuius arbitrio committitur determinatio concursus pro suo libito, & electione; planè convincitur, decretum illud esse talis tendentiæ, quæ feratur absolutè *prosequutivè* in constitutionem libertatis creatæ, in qua est dominium determinandi pro suo nutu concursum actualem omnipotentiæ: quod si decretum per suam tendentiam absolutam fertur in libertatis creatæ constitutionem; hæc erit obiectum illius; proindeque clarè constabit, tum modus tendendi, tum obiectum decreti præparativi.

77 Absit, dico, evasio ista ab his Authoribus, quæ multis titulis ipsis incommoda videtur. Primò: quia est omninò præter intētum, cum, vt testatur P. Izquierdo fidus huius sententiæ Patronus, decretum præparativum debet respicere pro obiecto volito ipsum actualem concursum, qui ab exercitio libertatis creatæ non distinguitur; vt ita divinæ perfectioni consulatur, quæ exigit, nè aliquid ad extra fiat, nisi Deo volente, iuxta illud Sapientiæ 12. *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, neque enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti, quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*: & Psalm. 134. *Omnia, quæcumque voluit Dominus, fecit*: sed si decretum præparativum, quod explicas ad modum *volitionis conditionatæ*, quoad rei veritatem respiceret per tendentiam absolutam prosequutivam, solam constitutionem dominij, vt penès voluntatem creatam esset determinatio concursus actualis omnipotentiæ; non haberet pro obiecto exercitium libertatis in actu secundo, & concursum actualem; sed solum actum primum, in quo libertas consistit: ergo esset præter intentum. Secundò: quia suam sententiam cum sententia Patris Molina confundunt. Ea est, vt vidimus: decretum præparativum omnipotentiæ esse illud, vi cuius Deus, taliter offert creaturę suum concursum, vt per ipsam stet determinatio ad concursum determinatum huius actus præ illo: sed dicere decretum præparativum in id tendere *affectivè*, vt per voluntatem creatam stet determinatio concursus actualis, idem formalissimè est, ac asserere: decretum præparativum esse illud, quo Deus offert suum concursum actualem determinationi creaturæ: ergo post multa verba, quæ aliquid diversum ab alijs sententijs sonant, incidunt in sententiam, quam vt sibi ingratam reijciunt. Tertiò: quia cæteris transmissis, obiectum decreti non explicant: vel ergo ly *velle penès creatum arbitrium esse determinationem concursus actualis*, est velle reliqua constitutiva extra decretum præparativum; vel velle reliqua constitutiva distincta à decreto præparativo, simulque ipsum decretum præparativum; vel velle aliquid distinctum ab omnibus his? Si *primum*: non sufficit pro præparanda omnipotentia: siquidem, positis omnibus constitutivis libertatis distinctis à decreto, adhuc liberum est Deo præparare omnipotentiam ad concurrendum cum creatura, potestque liberè suum concursum negare: ergo velle reliqua distincta à decreto, non est omnipotentiam præparare. Si *secundum*: aut dùm Deus vult reliqua distincta à decreto, & decretum; decretum istud præcisè reflectit supra se, vt est prosequutivum reliquorum constitutivorum, quæ non sunt decretum, vel prout

est prosequutivum alterius ab his distinctum : si *illud* : sicut decretum tendens *prosequutivè* in constitutiva distincta à decreto non sufficit ; sic nec volitio illius sufficiens erit : nam velle volitionem rei insufficientis, nullatenus est velle sufficiens : si *hoc* : assigna, quid sit, vt conducentiam agnoscam: si *tertium* : illud distinctum non se tenet ex parte actus *secundi*, vt fateris ; non ex parte actus *primi* : quia vltra distincta a decreto præparativo, & libertatis constitutiva, nil desideratur, nisi decretum præparativum : ergo de primo ad vltimum incognitum manet obiectum decreti præparativi.

78 Propter eundem explicationis defectum displicet sententia Patris Molina, quam alioquin explicatam, verissimam iudico ; eam tamen, prout iacet, vltra immediatè dicta, sic impugno. Decretum applicativum omnipotentiæ eam applicat non aliter, quam in vi efficaciæ, quam exercet circa suum obiectum : sed hæc efficacia est imperceptibilis sistendo præcisse in terminis, quibus vtitur iste Author : ergo ni amplius explicetur, manet inutile pro resolutione difficultatis. Maior est certa : nam decretum tendens ad ponendum id, quod, ipso secluso, non intelligitur, non aliter id assequitur ; quàm per efficacem prosequutionem, qua respicit suum obiectum. Probo minorem. Vel illud *offerre, & parare concursum determinationi liberæ creaturæ*, est aliquod exercitium creaturæ, vel aliquod exercitium divinæ voluntatis: si *aliquod exercitium creaturæ*: proprium erit creaturæ ; imo ipsi liberum; quod Deus ipsi paret suum concursum. Vnde vlterius inquiro : per quod exercitium obtinet sibi concursum ad tale exercitium ? nam si *per aliud reflexum* ; de hoc reflexo erit eadem difficultas, abibimusque in infinitum: si *per ipsum solum*: præparatio omnipotentiæ erit semper connexa cum extremo ad quod paratur concursus : quo evertitur libertas creata, & deinde novam superaddis difficultatem in concursu ad peccatum, quod est incapax terminandi divinam volitionem, præcipue determinatam, & efficacem : si *sit exercitium divinæ voluntatis*: hoc exercitium, aut est *ipsum decretum, quo offertur concursus creaturæ* : & inde fiet: decretum applicativum nil aliud respicere præter se ipsum, eritque æquivalens decreto, quo Deus decernat: *volo me ipsum*, cuius ineptitudo, & fatuitas per se est manifesta : si *aliud decretum* : de hoc scire desidero quodnam sit obiectum : igitur aliquid addendum est huic sententiæ, ne obscurior reliquis appareat. Quod si explicetur, vt vult Ribadeneyra, dicendo : decretum illud tendere *disiunctivè* in libertatis exercitia ; hoc planè erit confundere sententiam huius Authoris cum alijs, de quibus postea, & insuper explicationem tribuere alienissimā à mente P. Molina.

79 Tertia sententia Patris Herrera non aptiùs præcedentibus rem expedit, & difficultatem componit dicendo : decretum præparativum vltra cogitationes allicientem, & retrahentem, reliquaque comprincipia necessaria ad actum nil addere præter carentiam omnis impedimenti, seu necessitatis *antecedentis* ad aliquod libertatis extremum. Ratio est : carentia omnis necessitatis *antecedentis*, & impedimenti inevitabilis à libertate creata ; aut dicit carentiam omnis impedimenti præcisse *positivi* ; aut omnis tam *positivi*, quàm *negativi* ? Si *solum carentiam omnis impedimenti positivi*: hoc non sufficit pro applicanda omnipotentia. Probatur, Id non sufficit pro applicāda omnipotētia, quo dato potest dari carētia applicationis: sed data carentia omnis impedimenti *positivi*, potest non dari applicata omnipotentia; cum non applicari omnipotentiam sit impedimentum *antecedens* purè *negativum* ; impedimenta que *negativa* possunt existere sine impedimentis *positivis*, cum quibus nullam habent connexionem : ergo si præparatio omnipotentiæ explicetur, aut per exclusionem impedimenti, & necessitatis *positivæ* antecedentis, & inevitabilis, aut per decretum tendens in hanc exclusionem, male explicatur. Si propterea dicas, consistere in exclusione omnis impedimenti inevitabilis, sivè *positivi*, sivè *negativi* : ergo supponis probandum. Probo sequelam. Vnum ex impedimentis *negativis* est carentia applicationis, seu omissionis liberæ applicationis : ergo defectus huius impedimenti est applicatio libera omnipotentiæ : benè : ergo dum dicis, applicationem omnipotentiæ consistere in existentia omnis principij requisiti ad actum, & in carentia omnis necessitatis *antecedentis* ; asseris per consequens, applicationem omnipotentiæ consistere in existentia omnis *positivi* requisiti ad actum simul

cum

cum existentia applicationis : optima sanè explicatio in qua vltimò dicitur: applicationem omnipotentiæ consistere in omnipotentiæ applicatione : quid autem hæc sit, explicent alij.

80 Explicatur. Vel est in Deo possibilis pura omissio, vel non? Si *est possibilis*: defectus puræ omissionis liberæ applicandi omnipotentiam est volitio applicandi omnipotentiam : si *non sit possibilis* : defectus nolitionis applicandi omnipotentiam, qui erit defectus impedimenti *positivi*, solùm poterit determinari per aliam volitionem positivam, quæ sit volitio præparativa concursus : ergò semper deveniendum est ad aliquem actum divinæ voluntatis tendentem *prosequutivè* in præparationem concursus, cuius obiectum, dum non explices, ignoro : vnde vanus, & inutilis est circulus exclusionis impedimẽtorum, in quo pervenitur ad id, quod inexplicatum relinquitur.

81 Dices neutrum sequi, nequè in vna, nequè in altera sententia; sed omnia bene disponi per exclusionem omnis impedimenti *positivi*. Ratio est : quia volitio defectus concursus omnipotentiæ, aut nolitio eiusdem concursus sunt impedimenta inauferibilia à voluntate creata, cuius ablatio bene percipitur absque decreto, & volitione, quæ tendant *prosequutivè*, aut in exercitium voluntatis, aut in præparationem omnipotentiæ : patet : quia si Deo possibilis sit pura omissio libera, volitio illa de defectu concursus, aut nolitio concursus excluduntur per purum defectum sui procedentem suo modo à libertate divina : si autem non sit possibilis Deo pura omissio libera, actus illi excludentur per nolitionem reflexam eorum, cuius obiectum per se patentissimum est : vndè si detur exclusio totalis, & adæquata omnis impedimenti *antecedentis* actus, & à voluntate creata inevitabilis, dabitur ex vna parte quidquid est necessarium pro omnipotentiæ applicatione, & ex alia nullus est actus, cuius obiectum desideretur.

82 Sed contra. Non solum est impedimentum *antecedens*, & inevitabile actus positivus excludens concursum omnipotentiæ, aut volens defectum illius; sed carentia actus, quo Deus *positivè* velit præparare suam omnipotentiam : sed deffectus actus *positivi* applicantis omnipotentiam; sivè Deus possit purè omittere; sive non, solùm excluditur per tendentiam *positivam prosequutivè* tendentem in præparationem : ergo in nulla sententia salvari potest applicatio omnipotentiæ ad concurrendum cum causis *secundis* absque existentia alicuius actus divini, qui vltra existentiam reliquorum, quæ requiruntur ad actum, tendat in aliud, ex cuius prosequutione resultet applicatio omnipotentiæ : cætera constant præter maiorem, quam probo. Omnis potentia voluntati subiecta non aliter movetur ad exequendum suum actum; quàm per *positivum* voluntatis imperium eam determinans ad actum, vel eam disponens; vt ex aliena determinatione concurrat : sic intellectus creatus in his, in quibus propter obiecti evidentiam non est necessitatus, exigit *positivum* voluntatis actum, eum determinans ad assentiendum, vel dissentiendum; quin præcisse sufficiat non contramotio voluntatis consistens in exclusione actus repugnantis exercitio intellectus : sic reliquæ facultates, quæ à voluntate moventur : neque in hoc est disparitas inter creatas facultates, & divinam potentiam; sed solùm ex capite perfectionis infinitæ, & ex eo, quod sit expeditissima semper ad obediendum divinæ voluntati : sed actus hic *positivus* requisitus essentialiter ad concursum actualem omnipotentiæ non datur; quamvis alij actus *positivè* repugnantes, aut per puram omissionem, aut per nolitionem reflexam excludantur : ergo per solam ablationem impedimenti *positivi* concursus actualis non intelligitur sufficiens applicatio; nisi vltimò deveniamus ad aliquem actum *positivè* applicantem omnipotentiam, & excludentem impedimentum *negativum* sui defectus : ergo sine ipsa mutila relinquitur omnipotentiæ applicatio : quod si admittatur per ly *exclusio omnis impedimenti*; quousque obiectum designetur, nihil profecimus.

83 Arguo secundò specialiter contra Patrem Herrera ex his, quæ sibi obijcit numero 59. Posito iudicio indifferenti, & carentia necessitatis antecedentis *positivæ*, adhuc Deus est liber ad concurrendum, & non concurrendum : pone ergo possibilem esse Deo puram omissionem liberam, poterit per consequens non concurrere per solam omissionem concursus absque aliquo

actu *positivo*: sed tunc daretur exclusio omnis necessitatis *positivæ*, & non daretur omnipotentia applicata: ergo huius applicatio aliquid aliud dicit vltra exclusionem necessitatis *positivæ*, quam vnicè assignas pro omnipotentiæ applicatione, supposito iudicio indifferenti. Discursus rectus est, si præmissæ constent. Probo eas successivè: maiorem prius. Non est maior ratio, vt exclusa necessitate antecedenti defectus iudicij indifferentis per exitentiam illius, sit Deus liber ad concurrendum, & non concurrendum, vel libertate *contrarietatis*, si sit impossibilis pura omissio libera, vel libertate *contrarietatis*, & *contradictionis*, si possibilis sit; quàm, vt exclusa necessitate antecedenti quacumque per defectum omnis actus *positivè* necessitatis ad aliquod libertatis exercitium, sit liber simili libertate ad concurrendum, & non concurrendum; siquidem exclusio omni actu *positivè* necessitante, potest Deus negativè necessitare per subtractionem concursus: ergo posito iudicio indifferenti, sublataque omni necessitate antecedenti *positiva*, adhuc Deus est liber ad concurrendum, & non concurrendum. Probo iam minorem. Tunc datur exclusio omnis necessitatis *positivæ* absque omnipotentiæ applicatione, quando exclusio omni actu *positivè* determinante ad aliquod libertatis extremum, adhuc Deus libere excludit concurrere cum creatura: sed admissa possibilitate puræ omissionis liberæ, exclusio omni actu *positivè* determinante ad aliquod libertatis extremum, Deus libere non concurreret per puram non positionem concursus: ergo admissa possibilitate puræ omissionis, daretur exclusio omnis necessitatis *positivæ* simul cum defectu applicationis.

84 Huic obiectioni respondet: Posito iudicio indifferenti, & carentia prædeterminationis, Deum posse negare concursum per actum *positivè* determinantem ad aliquod libertatis extremum; at non posse per puram carentiam concursus; imo ait: argumentum in hoc supponit probandum: quia posito iudicio indifferenti, & exclusa omni necessitate *positiva*, asserit restare aliud necessarium ad præparationem, per cuius purum defectum hæc deficiat; quod cùm probare debuisset, non probat. Sed contra: quia solutionis potiùs, quàm argumenti peccatum est, supponere probandum: tum quia supponit, & non probat: supposito iudicio indifferenti, solam antecedentem necessitatem *positivam* posse nocere præparationi indifferenti omnipotentiæ; cùm non minùs noceat pro concurrendo cum creatura id, quod *positivè* repugnat; quàm defectus illius, quod *positivè* requiritur: tum quia supponit, & non probat; cur admissa possibilitate puræ omissionis in Deo, sicut potest purè omittere quodvis positivum distinctum à concursu, non possit purè omittere ipsum positivum concursum? Tum denique, quia asserit, & non probat: omnipotentiam subditam diuinæ voluntati non egere tendentia *positiva*, quæ sit imperium applicativum illius: argumentum verò non deficit in probando necessaria: quia, supposita in Deo possibilitate puræ omissionis, eam infert possibilem respectu concursus, sicut respectu cuiusque alterius positivi; vrgetque efficaciter sine vlterioris probationis indigentia, quousque diversitatis ratio assignetur, quam non video, nisi dicendo: hoc præiudicare conclusioni assertæ circa omnipotentiæ præparationem: quod quis non videat esse planè oneri succumbere, propriam sententiæ tenacitate iudicij; non ratione firmãdo.

85 Tertio: tam liberè, & absque fundamento dicitur: ponita per Dei libertatem carentia necessitatis *positivæ* antecedentis, non esse Deo liberum necessitare voluntatem creatam per puram negationem sui concursus; quàm liberè, & absque fundamento diceretur. posito iudicio indifferenti, Deũ non posse inijcere voluntati necessitatem *positivam* antecedentem: ergo falsũ est: stante iudicio indifferenti, & exclusa necessitate antecedente *positiva*, Deum esse necessitatum ad applicandam suam omnipotentiam. Probatur antecedens. Posito iudicio indifferenti, & carentia necessitatis antecedentis, asseritur purè: ex terminis Deo non restare aliud impedimentum concursus: sed qui dicat: (vt dicunt multi Thomistæ) posito iudicio indifferenti, Deum non posse necessitare antecedenter voluntatem creatam, etiam id asserit; quia ex terminis ipsi videtur: omnem necessitatem antecedentem constitui per carentiam iudicij indifferentis: ergo tam liberè, & absque fundamento vnum, quàm aliud dicitur: quod si dicatur: iudicium in-

indifferens existens solùm probare non esse necessitatem ex illo capite, quod compatibile est cum necessitate ex alio: idem ego respondeam, posita tua carentia necessitatis *positivæ* antecedentis; si verò id neges, eodem iure in altero casu id, quod assumis, negabo.

86 Reijciendi etiam veniunt Recentiores illi, qui per decretum exceptivum applicationem componunt; & omisso, quod concursum in peccatum negent, aliunde impugnantur. Primò: decretum, quo Deus decernit: *volo concurrere ad actum honestum, nisi (quod nollem) voluntas se determinet ad peccatum*, vel est volitio actus honesti *secundum se*; vel actus honesti, *prout liberi*: si *primum*: inepta applicatio erit pro libertate servanda: si *secundum*: quodnam obiectum respicit vltra entitatem actionis honestæ? Est ne principia requisita ad actum? Et hoc non sufficit, cùm possit actus necessarius esse, stantibus omnibus requisitis ad actum. Aut est principia omnia necessaria cum indifferentia ad oppositum? & hoc est velle libertatem actus, in qua clauditur præparatio omnipotentiæ: ergo vel vult se ipsum; quod refugis, vel quid velit, non cognoscimus. Secundò, vt benè Pater Iunius. Illud decretum cum illa particula exceptiva, aùt reddit hunc sensum: *Volo actum bonum, & nolo actum pravum*; aùt, *volo actum bonum, si non sit actus pravus*; aut, *volo actum bonum præcisivè ab actu pravo*. Non *primum*: quia incomponibile cum permissione peccati; siquidem volitio vnius actus non est permissio alterius, vel oppositi *formaliter*: non *secundum*: ex quo infertur, quod si libertas tantùm sit *contradictionis* inter actum præceptum, & oppositum illius; vellet Deus fatuè existentiam actus boni sub conditione exclusionis sui contradictorij; quod est velle actum bonum, si sit actus bonus, quo quid ineptius? Non *tertium*: nè decretum efficax circa extremum bonum cum totali præcisione ab altero libertatis extremo reddat actum bonum *simpliciter antecedenter* necessarium.

87 Tertiò: propter limitationem, quam includit modus iste præparandi, ex qua non potest deservire pro omni casu. Pone igitur circunstantias, in quibus voluntas sit libera ad actum amoris non præceptum, simulque ad odium prohibitum: in quo casu sunt extrema libertatis, amor, odium, & carentia vtriusque, vel simultanea, vel divisa: quid pro præparanda omnipotentia præparatione sufficienti ad libertatem horum extremorum deserviet decretum illud: *volo actum bonum, nisi (quod nollem) sit peccatum*: ex quo ad summum infertur. Deum præparare suam omnipotentiam, vt voluntas se exerceat *contrariè* inter amorem, & odium; secùs *contradictoriè* inter amorem, & odium ex vna parte, & carentias vtriusque ex alia: ideòque aliquid addendum restat, vt pro diversis libertatis suppositionibus concursus Dei necessarius sit paratus.

88 Probanda similiter non est doctrina illorum, qui per decretum disiunctivum inter contradictoria præparationem componere tentant pro libertate *contradictionis*, quorum opinio merito displicuit pluribus: quia, aut decretum hoc est planè fatuum, aut inexplicabile: vtrumque simul probo in hunc modum. Vel decretum disiũgit contradictoria secundùm se sumpta, nempè amorem, & carentiam illius, vel disiungit contradictoria, prout libera voluntati creatæ: si *illud*: est fatuum: si *istud*: inexplicabile: ergo vel est fatuum, vel inexplicabile. Maior comprehendit omnem modum disiungendi contradictoria ad id, quod intenditur pertinentem. Probo igitur minorem per partes. Quoad primam. Si decretum tendit disiunctivè in contradictoria *secundum se* sumpta, vult, ne deficiat vnum ex illis: sed non deficere vnum è duobus contradictorijs, est antecedenter *metaphysicè* necessarium: ergo decretum illud tendit in id, quod antecedenter *metaphysicè* necessarium est: sed tendere *affectivè*, & *procurativè* in id, quod antecedenter ad eam procurationem est necessarium, fatuum est, vt per se constat: ergo decretum illud tendens disiunctivè in contradictoria *secundum se* sumpta, fatuum est: inde etiam apparet inutilitas huius decreti; vt enim in simili dicebamus, si disiunctio duplicis contradictorij, quæ necessaria est, componi potest cum defectu concursus, qui est contingens; determinatio contingens ad talem disiunctionem, quæ præcisè id habet, compatibilis erit cum defectu concursus; perconsequensque cum defectu applicationis.

89 Dices : tendentiam disiunctivè pocurativam contradictoriorum *secundum se* non esse fatuam, ex eo quod intendat disiunctionem necessariam : quia si hoc sufficeret pro fatuitate tendentiæ *intentionalis*, ipsa libertas *cõtradictionis* esset per se fatua, & ridicula; cum ex vna parte sit determinata ad vnum ex contradictorijs, & ex alia sit *physica* tendentia, & via ad vnum ex illis : vnde si hæc non arguunt fatuitatem, & ineptitudinem quamdam *physicam* in libertate *contradictionis*; nec debent arguere in tendentia illa *intentionali* vagante *procurativè*, & *affectivè* inter vnum, & aliud contradictorium. Sed contra: quia quod attinet ad connexionem libertatis cum disiunctione necessaria, nil favet respondenti : etenim de ratione *connexionis* non est, terminum aliunde non supponere; sed solùm ab ipso non separari, vt patet in omnibus contingentibus connexis cum existentia Dei, quam indefectibilem, & necessariam supponunt : neque, vt vnum sit ab alio inseparabile, cum ipsoque connexum, opus est, vt per existentiam fundamenti detur, seu procuretur existentia termini : quod attinet ad tendendentiam *physicam* libertatis, vi cuius est via ad terminum, etiam minus aptè adducitur : patet : quia dato, quod competat libertati, proùt tali, ratio *tendentiæ physicæ*, & *viæ* ad aliquod extremum, non est tendentia, & via ad disiunctionem contradictionis, quæ non est determinabilis per voluntatem; sed solùm ad id, quod voluntas pro suo nutu determinare potest : nempè existentiam huius contradictorij determinati in sensu diviso alterius, & existentiam alterius in sensu diviso huius : quomodo contradictoriorum existentia contingens est, & defectibilis : aliter non posset ex determinatione cõtingẽti volũtatis oriri; eùm à contingenti, *vt contingenti*, non possit primò oriri necessarium : igitur nulla est paritas ex libertate *contradictionis* ad tendentiam voluntatis, cuius obiectum præcisè est, nè deficiant duo contradictoria, quod *metaphysicè* necessarium est, sicut eius contradictorium *metaphysicè* impossibile.

90 Vlteriùs : evolvamus aliquantulum terminos illos *tendentia physica*, & *via* : qui libertati *contradictionis* applicantur, in quibus nescio : an sit aliqua proprietas. Vel enim loquimur de libertate *contradictionis* secundùm se sumpta, & proùt dicit indifferentiam ad quodcumque contradictionis extremum; vel de libertate, proùt coniuncta cum actu secundo, & determinatione voluntatis ad vnum ex contradictorijs ? Si *de libertate secundum se sumpta*: rursùs, aut hæc est in perfecto æquilibrio, & ad pondus, vt ita dicam; quin cognitio alliciens præponderet cognitioni retrahenti; aut est inæqualis propter excessum allicientiæ respectu retrahentiæ, sivè è contra : si *est in perfecto æquilibrio, & indifferentia* : nil *tendentiæ physicæ, procurativæ, aut viæ* ad aliquod extremum in ipsa invenitur; sed mera aptitudo ad quodvis in sensu diviso alterius simul cum inseparabilitate ab existentia alicuius contradictorij; quod est, esse connexam cum disiunctione: secus tendentem in illam : si *est inæqualis*: tota determinatio, & inclinatio, quæ datur, est intentionalis ratione vivacioris cognitionis; & vltra non est vaga, nec *subiectivè*, nec *terminativè*; sed summè determinata ad illud determinatum extremum, quod proponit, quin tendat in vnum, vel alterum. Si *de libertate, proùt coniuncta cum actu secundo, & determinatione voluntatis* : sic claudit actionem, & verum est, viam esse ad terminum ratione illius, quod reduplicat, quod est actio; de cuius ratione est, quando à termino distinguitur, esse viam ad terminum, cæterum rogo, *proùt sic*, tendit in aliquid *vagum*, aut saltem *vagè* in aliquod *determinatum* ? Minimè; sed *determinatè*, & in *determinatum* extremum, per quod excluditur coexistentia duplicis contradictorij : quarè videatur, vbinàm sit tendentia illa *physica* voluntatis, & *physica* procuratio disiunctionis duplicis contradictorij.

91 Replicabis adhùc : ex alio capite posse vitari fatuitatem illius actus, dicendo : volitionem illam vagam, etsi respiciat contradictoria secundum se, quatenus illa non respicit, proùt libera; non tamen respicere illa secundum se, id est, proùt præscindunt ab omni non ipsis; sed potius vult illa *vagè*, proùt sibi coexistentia, qua ratione ipsa disiunctio contingens est : nam licèt existere vnum è duobus contradictorijs, sit necessarium; at existere vnum è duobus contradictorijs, coexistẽs decreto volenti vnum, vel aliud, est contingens; siquidem deficienti tali decre-

decreto, esset falsa hæc propositio: *disiunctio duplicis contradictorij coexistit decreto*: aut hæc: *vnum contradictorium coexistit decreto*. Solutio ista ex eo solùm suam falsitatem ostendit propter multum, quod probat: probat enim: nullum affectum procurativum necessarij esse fatuum: vnde poterit Deus serio decernere: *quod si existat homo, sit animal rationale: si existat mundus, existente decreto illius, existat*: imo quod plus est, poterit decernere suam indefectibilem existentiã; cum hæc omnia, prout coexistentia tali decreto, sint *complexivè* contingentia; verificabiturque, deficienti decreto, omnia ea necessaria illi non coexistere: quod si hæc non admittantur, vt admitti non possunt, ideo est; quia illud decretum decernit coexistentiam illam, & complexum contingens, aut volendo distributivè omnem partem illius complexi, aut volendo vnam solam, id est, se ipsum: si *volendo, & decernendo omnem partem illius complexi*: ergo volendo, & procurando id, quod sinè tali decreto existit, & possidetur: quid ergo stolidius, & alienius à serietate, & perfectione divinæ voluntatis? Si vero *vult præcisse se ipsum*: ergo non est volitio disiunctiva inter *esse*, & *non esse*, quæ sunt exercitia libertatis *contradictionis*; ac proinde longè per te distabit ab applicanda omnipotentia pro tuenda libertate, quæ, vt asseris, non potest applicari, nisi per volitionem tendentem aliquomodo in exercitium creatæ voluntatis.

92 Probo iam secundam partem de inexplicabilitate decreti applicativi, si tendat *vage* in contradictoria, *vt libera*. Tendere *vagè* in contradictoria, *vt libera*, est velle disiunctionem illorum, & libertatem: ergo est velle id, quod libertatem constituit: sed aliquid ex eis, quibus libertas constituitur, est decretum applicativum: ergo velle vnum, vel alterum contradictorium, *vt liberum*, est velle decretum applicativum: ergo in tantum tuum decretum applicativum applicat omnipotentiam, in quãtum vult existere decretum applicativum: sed hoc decretũ applicativũ non explicatur: ergo remanet incognitum, & inexplicatum. Probo hanc vltimam minorem. Hoc decretum, quod respicit decretum vagans inter contradictoria, aut est distinctum ab ea volitione *vaga*, aut idem realiter, & virtualiter cum ipsa volitione? si *distinctum*: donèc explices eius obiectum, applicatio non cognoscitur; & vlterius volitio *vaga* superfluit, solo decreto *directo* sufficienti pro applicatione: si *indistinctum*: ergo ideo applicat hoc decretum omnipotentiam, quia vult se ipsum: quod, vel tu ipse reputas inexplicabile, & inutile: nec immeritò: quia dum actus aliquis ex obiecto *directo*, quod respicit, est inutile in ordine ad aliquod munus; ex *reflexa* tendentia non redditur vtile: patet: quia velle inutile ad aliquid, non est constituere vtile ad aliquid: ergo si hoc decretum ex *directa* tendentia, qua fertur in vnum, vel alterum contradictorium, non sufficit, vt omnipotentiam applicet; ex eo, quod velit *reflexe* hanc tendentiam, nil additur, ex quo vtilitas huius volitionis innotescat.

93 Impugnatur secundò ex indecentia, quam Deo affert prædictus modus applicandi omnipotentiam pro concursu ad peccatum. Ratio est: dum datur libertas *contradictionis* ad peccandum, & non peccandum, Deus per te applicat omnipotentiam suam per volitionem *vagè* tendentem in peccatum, & carentiam peccati; qua Deus vult, vel existere peccatum, vel defectum illius: sed hæc volitio est Deo indecora: ergo applicatio omnipotentiæ, quam assignas, est Deo repugnãs. Probo minorem. Indecens, & indecorus est Deo affectus, cui æquè fit satis per existentiam peccati; quàm per defectum illius: sed volitioni *disiunctivè* peccati, vel defectus illius fit æquè satis per vnum; quàm per aliud: ergo est indecens. Minor est mihi certa: nam quid aliud est velle *disiunctivè* vnum, vel aliud; quàm esse in vi affectus æquè paratum ad vnum; quàm ad aliud. Probo maiorem. Affectus, cui æquè fit satis per existentiam peccati; quàm per defectum illius, est actus, quo Deus non magis vult, aut non vult carentiam; quàm existentiam peccati: sed actus, quo Deus non magis vult, aut non vult carentiam; quàm existentiam peccati, est Deo indecens; cum non reddat peccatum magis involuntarium; quàm eius oppositum; contra id, quod asserunt Sanctus Thomas, & alij Patres dicentes: peccatum potius esse Deo involuntarium; quàm voluntarium: ergo indecorus est Deo affectus, cui fit æquè satis per existentiam; quàm per defectum peccati.

94 Vrgeo: Deus concurrit ad peccatum, prohibendo peccatum: sed cum hac prohibitione non cohæret volitio *vagè* tendens in peccatum, & carentiam peccati: ergo modus applicandi omnipotentiam per hanc volitionem est Deo repugnans. Probo minorem. Non cohæret in Deo seriò prohibere vnam actionem, & seriò talem habere affectum, ex quo non magis velit in subdito carentiam illius, quod prohibet; quàm id, quod prohibet: sed ex vi volitionis *vagè* tendentis in peccatum, & carentiam peccati Deus non magis vult defectum; quàm actionem prohibitam: ergo non cohæret cum seria prohibitione peccati. Confirmatur. Per te implicat Deum seriò velle materiale peccati, & prohibere seriò peccatum; aliàs creatura peccaret adimplendo divinam voluntatem: ergo implicat Deum seriò velle, vel exilientiam, vel carentiam peccati, & simul seriò prohibere peccatum; aliàs peccaret creatura, faciendo id, quod Deo æquè placet; ac eius oppositum. Confirmatur secundò. Creaturam *disiunctive* velle, vel peccatum, vel carentiam peccati, est habere affectum pravum ex obiecto, & ex modo illud respiciendi: ergo Deum habere similem affectum, vtpote pravum, & peccaminosum, est repugnans, eiusque infinitæ Sanctitati adversans.

95 Doctissimus Pater Iunius, qui solus sibi placens, reliquorum omnium sententias explodit, singularem; sed asperissimam viam meditatus, aliena suo ingenio perturbans, propria mihi satis non firmat: & in primis, vt bene observat Pater Munièssa, qui toties aliorum modus, ineptiam, stoliditatem, & fatuitatem vocat; videamus; quid serium adducat pro applicanda omnipotentia? Eccè: *volo peccatum, vel pulicem: volo actum charitatis, vel cucurbitam: volo blasphemiam, vel saltationem*: quæquidem venia tanti Magistri, si ridicula ex terminis non sunt, quid est ridiculum, & nugatorium? quæ dissonantia, vt magistraliter ponè, inter homines vnum egere concursu alterius ad aliquod opus præstandum, v. g. ad portandum lapidem; & ad explorandam auxilij promptitudinem alterum rogare: an sibi adiuvare velit; quo audito, respondeat: *volo vel tecum portare lapidem, vel tecum comedere*; nè hæc concursus præparatio acciperetur irrisoriè; quia aut est potens ad volendum *determinatè* comportare pondus, vel non? *Si est potens, & habet animum concurrendi*: ad quid recursus ad aliud extremum disparatum, vt est *prandere*: *si impotens ad volendum determinatè portare pondus*: eodem iure impotens erit ad volendum *disiunctivè*: nam volitio *disiunctiva* duplicis extremi perseverans cum exclusione vnius fit *determinata* alterius. Nec dici potest: Deum, vt servèt libertatis iura, teneri ad volitionem *disiunctivam*: quia, vt conceditur ab hoc Authore, volitio, in qua consistit applicatio, quàvis habeat efficaciam *formalem* applicandi omnipotentiam, non est efficax respectu sui obiecti, in quod *disiunctivè* fertur: ergo ex hoc capite non est impotens velle inefficaciter, quamvis inefficacià *media* inter affectus omninò efficaces, & omninò inefficaces, extremum determinatum, ad quod parat cōcursum: quod si illud inefficaciter *determinatè* velle nequit, nec poterit inefficaciter adhùc *vagè* idem prosequi.

96 Secundò ex indecentia ponderata contra præcedentem sententiam, quam non vitat Pater Iunius in suis volitionibus *disiunctivis*; quæ, cùm affectum prosequutivum peccati involvant, non possunt non dedecere divinam sanctitatem, quæ propter suam infinitam puritatem, & perfectionem non potest peccato coinquinari. Probatur. Omnis affectus prosequutivus peccati malus *moraliter* est: omnis volitio *disiunctiva* peccati affectus prosequutivus peccati est: ergo omnis volitio *disiunctiva* peccati affectus pravus *moraliter* est: ergo, & Deo repugnans, cui pravè *moraliter* operari, repugnat. Discursus est legitimus, & minor certa: cùm actus voluntatis eo modo, quo est volitio sui obiecti, sit prosequutio illius: ergo si sit *disiunctiva* volitio, erit *disiunctiva* prosequutio. Probo maiorem. Omnis affectus prosequutivus peccati afficit voluntatem erga malum *morale*, ipsum *affectivè* amplectendo: sed affectus afficiens voluntatem erga malum, ipsum *affectivè* amplectendo, malus *moraliter* est: ergo omnis affectus prosequutivus peccati malus *moraliter* est. Confirmatur. Omne *velle malum moraliter*, turpe *moraliter* est: omnis affectus prosequutivus peccati eo modo, quo est prosequutivus, vult malum *moraliter*: ergo omnis

nis affectus prosequutivus peccati malus *moraliter* est.

97 Vrgetur: Affectus disiunctivus peccati non est immunis à *morali* turpitudine, *quia volitio mali*; non *quia volitio disiunctiva*: ergo ex nullo capite Deo convenire potest. Probo antecedens quoad vtramque partem: quoad primam quamvis per se manifestam. Si volitio, & prosequutio mali, qua talis, immunis esset à malitia *morali*, nullus esset affectus prosequutivus peccati Deo indecens: ergo non modo *disiunctivè*; verum *determinatè*, & efficaciter posset Deus prosequi peccatum, quod quis dicat: quoad secundam. Non datur maior ratio, vt disiunctio affectum prosequutivum peccati à malitia liberet; quàm vt inefficacia, modus tendendi conditionatus, & intentio finis honesti, actum prosequutivum mali *moralis* à malitia liberent: sed quod affectus sit inefficax, dummodo sit absolutus, & determinatus, quod sit conditionatus, quod sit ex fine honesto, per te non probat: esse honestum, & Deo congruum: ergo quod sit disiunctivus, si tamen est prosequutio mali, non arguet esse immunem à turpitudine Deo indigna. Probatur maior. Sicut libere asseritur: actum, qui prosequutivè fertur in malum, malitia non contaminari; quia in illa non fertur *determinatè*, sed *vagè*: sic cuique liberum erit, dicere: malitiam obiecti solùm refundi in actum, quando prosequutio est *efficax*, aut quando est *absoluta*, aut quando respicit finem pravum: nec scio quomodo hic posset impugnari; nisi, quia hæc additamenta non auferunt actui prosequutionem mali; qua non ablata, chymæra est, actum esse honestum: ergo non datur maior ratio, vt disiunctio affectum prosequutivum peccati à malitia liberet; quam vt inefficacia, modus tendendi conditionatus, & intentio finis honesti, actum prosequutivum mali *moralis* à malitia mundent.

98 Vim huius rationis manifestat considerare similes affectus in creatura, in qua, quis sanè mentis non iudicabit turpe, & inhonestum prosequi *disiunctivè* malum per has tendentias: *volo observare divina præcepta, vel divinam legem violare: volo orare fervide, vel peierare: volo divitias acquirere, vel iustè, vel iniustè*, & alias eiusdem rationis? Quarum malitiam nullatenus impedit indeterminatio, seu disiunctio affectus; cùm ipsas non extrahat à ratione *tendentiæ prosequutivæ* in malum, sed solùm limitet ad rationem *talis tendentiæ*: cur ergo hos actus sinè præiudicio Sanctitatis adscribemus, qui sanctitati finitæ creaturæ sunt oppositi: vtque præcidatur disparitas ex eo, quod Deus hos affectus coniungit cum alijs, in quibus odio habet peccatum, ipsum detestatur, & prohibet, simul amando, præcipiendo, & conciliando honestatem; pone superiorem aliquem, qui prohibens aliquam actionem, subditum ad observationem hortetur, eique media, vt facilior sit exequutio, præstet: poterit nè licitè, his præsuppositis, aut comitantibus, velle *disiunctivè* observationem, vel violationem *formalem* præcepti? Minimè quidem: cuius ratio est: quia honestas aliorum actuum non impedit pravitatem huius, qui licèt associatus alijs, tendit *prosequutivè* in malum: sicut honestas audiendi sacrum non facit, nè sit malus *moraliter* actus concomitans occidendi, aut furandi. Nec ad latebras divini dominij confugias, dicens: plura licere Deo, quæ non licent creaturæ, vt occidere, occulta peccata revelare &c. siquidem eadem latissima doctrina posses asserere, omittendo affectus *vagos*: Deum suam omnipotentiam applicare per affectum efficacem, & determinatum, volendo nimirum, peccatum existere: quia licet ille affectus in creatura sit pravus, in Deo ratione sui dominij, & muneris causæ *primæ* est honestus: quod si id respuis, motus ex eo, quod licet aliqua obiecta respectivè ad Deum sint licita, quæ creaturæ non licent; aut velle determinate malum *moraliter* nūquam potest cohonestari: idem dicam de volitione disiunctiva, qua Deus etsi non determinatè, verè fertur prosequutivè in malum *moraliter*, quod nullis circunstantijs cohonestari valet.

99 Indecentiam harum volitionum aliter persuadeo. Per te Deus non potest ferri in peccatum, vel inefficaciter, volendo *determinatè* concursum in actu secundo, qui ab actione peccaminosa creaturæ non distinguitur: ergo nec potest eundem concursum *disiunctivè* velle. Probo consequentiam. Volitio *disiunctiva* vagans inter duo extrema, & perseverans cum ex-

exclusione vnius, est virtualiter determinata volitio alterius : sed volitio præparativa concursus ad peccandum, vagatur inter peccatum, & actum bonum, vel indifferentem, sivè contrarium, sivè disparatum, & est compatibilis, seu perseverans cum exclusione libera actus boni, vel indifferentis : ergo est virtualiter volitio determinata peccati. Minor quoad vaguitatem, quã affirmat, est certa, quoad perseverantiam etiam negari non potest : nam si excluso actu bono, aut indifferenti, esset incomponibilis cum existentia peccati, dum creatura peccat, id ageret sinè concursu in actu secundo, qui existere nequit, nõ existente sufficiente applicatione ad illum. Probo igitur maiorem. Volitio *disiunctiva* vagans inter duo extrema, & perseverans cum exclusione vnius, est actus, quo voluntas ita *affectivè* fertur in illa extrema, vt contenta cum existentia cuiusvis, solum *affectivè* repugnet defectui vtriusque : sed volitio, qua voluntas ita *affectivè* fertur in disiunctionis extrema, vt ipsi fiat satis per existentiam cuiusvis & solum aversetur non existentiam vtriusque, est virtualiter volitio determinata vnius sub exclusione alterius: ergo volitio *disiunctiva* vagans inter duo extrema, & perseverans cum exclusione vnius, est virtualiter determinata volitio alterius. Maior est mihi certa, ex coditione volitionis *disiunctivæ*, quam quisque in se facile experitur, & vi cuius reputat affectum suum non irritum ; dum cuivis ex his, quæ *disiunctivè* procurat, coexistit ; quem vanum reputaret, si cum vtriusque extremi defectu coniungeretur. Probo minorem. Affectus non volens cõiunctum aliquorum extremorum; sicut nec volens *determinatè* vnum ex extremis, aliundeque *affectivè* incomponibilis cum defectu omnium, est affectus, si non *formaliter*, saltem *virtualiter* prosequens hoc, si non existant reliqua; illud, si cætera deficiant : sed volitio huius conditionis est *virtualiter determinatè* prosequutiva vnius sub exclusione aliorum : ergo volitio, qua voluntas ita *affectivè* fertur in disiunctionis extrema, vt ipsi fiat satis per existentiam cuiusvis, & solùm aversetur non existentiam vtriusque, est *virtualiter* volitio *determinata* vnius sub exclusione alterius. Probo minorem. Volitio virtualiter *conditionata* alicuius extremi est virtualiter *determinata* volitio illius sub existentia conditionis : sed volitio vagans inter peccatum, & aliud extremum, cui fit satis per existentiam cuiusvis, & solùm aversans defectum vtriusque, est virtualiter volens vnum, si deficiat aliud, & è converso : ergo purificata conditione, defectus vnius est virtualiter volitio *absoluta*, & determinata alterius ; inde subsumo : sed quando deficit actus bonus, vel indifferens, purificatur conditio, sub qua virtualiter vult existentiam peccati: ergo hanc virtualiter *absolutè*, & determinatè prosequutivè respicit.

100 Hinc difficile satis redditur percipere, qualiter Deus sit peccati pure permissor, & non causa *per se*. Negari non potest esse rem dificilimam, si quæ est in Theologia, componere, Deum *physicè* cõcurrere ad peccatum per actionem immediatam, & quæ sit eadem realiter cum actione creaturæ, & tamen quod se habeat vt purè permissor, quando permissio innuere videtur puram non impeditionem effectus. Cui difficultati non aliud restat effugium ; quàm Deum concurrere quasi coactum, & præter intentionem : modo, quo natura concurrit ad formationem monstri, cui non tribuitur, veluti se habenti purè permittendo determinationem aliarum causarum ad talem effectum : vnde ab Aristotele vocatur causa purè *peraccidès*: modo quo etiam ait Sanctus Thomas obliquitatem motus provenientem à curbitate tybiæ non tribui potentiæ locomotivæ, quæ ex se imperat motum rectum. Hic, inquam, additus ad evadendam gravissimam hanc difficultatem omninò præcluditur in sententia Patris Iunij : si enim Deus ita concurrit ad peccatum per concursum derivatum ex affectu, cui ex modo tendendi fit satis per existentiam peccati, & qui vlterius, quando peccatum existit, redditur absolutus, & determinatus erga ipsum ; vbi coactio illa, & involuntarietas à Patribus ponderata, vt dissonantiam concursus vitent ? Vbi ly *præter intentionem*, cui causalitas *peraccidens*, & permissio debetur ? Certè hæc omnia in vocibus duntaxàt permanebunt, quarum si deponatur larva, in causalitatem *propriam*, & *per se* incidemus, à qua solus prædictus Author suo magno ingenio se expediet : nescio àn quoad rem, & veritatem : àn per so-

lam

lam lusionem terminorum : de quo alius iudicet; mihi sat sit pro repellenda hac sententia;(cùm alius restet modus componendi difficultatem) ad has angustias non reduci.

101 Tertiò ex inutilitate huius applicationis : etenim fatetur eius Patronus , affectum disiunctivum , quem assignat , non esse efficacem respectu sui obiecti:ex quo infero, esse compatibilem ex se cum nolitione efficaci obiecti , quod respicit , & eo modo , quo illud respicit : quod si ita est , vnde illi provenit esse incomponibilem cum defectu præparationis?Hoc enim est colligendum ex efficacia in suum obiectum:hanc per te non habet: ergo inutilis est ad præparandum. Dices : hoc provenire ex efficacia *formali*, quam per sui positionem inducit. Sed contra : quia vt hæc *formalis* efficacia fiat perceptibilis , aliqua firma regula est assignanda , nè ad incognitum recurras : sed hæc non alia esse potest; quàm efficacia , qua respicit extrema libertatis ; sin minus de quocumque affectu etiam distantissimo , cuique liberum erit asserere: esse applicationem omnipotentiæ ; quia , etsi non habeat conducentiam ex obiecto, illam habet ex existentia sui : ergo si illa regula deficiat , nil firmum de hoc decreto probari potest.

102 Nec in contrarium adducatur paritas ex voluntate generali , qua Deus iuxta Apostolum : *vult omnes homines salvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire* , quæ à multis Theologis explicatur media inter efficacem, & inefficacē, taliter, vt quamvis componibilis sit cum carentia salutis in omnibus , qui reprobantur ; tamen ex ardore , quo respicit ; quamvis inefficaciter , suum obiectum ,derivat talem efficaciam in media ad salutem obtinendam sufficientia , vt cum defectu eorum non componatur;ad cuius normam decretum præparativum , etsi inefficaciter respiciat suum obiectum, poterit germinare efficaciam in præparanda omnipotentia . Quæ non vrget , cùm in ea voluntate generali media inter efficacem , & inefficacem detur aliquid, in quo eius efficacia manifestatur , nempè auxiliorum , & mediorum sufficientium collatio;ex quorū distributione rectè colligitur , quod licet Deus efficaciter non amet omnium hominum salutem ; quia in sensu composito huius affectus perduntur multi;tamen eo affectus ardore in eam fertur , vt habeat efficaciam , ex qua per Deum non stet , qui media sufficientia omnibus tribuit , eorum , qui salutem non adipiscuntur , non assequutio ; at in decreto præparativo quidnam aliud datur , vltra decretum , præter libertatis exercitium, in quo possit cognosci eius efficacia?ergo si libertatis exercitia per te inefficaciter solùm vult;solùm per consequens restat existentia actus , in qua , quia dicis, & non amplius , efficacia ad præparandum consistit.

103 Vltimò examinare placet exemplum , quo se munit Pater Iunius , desumiturque ex actu disiunctivo divini intellectus, v. g. *Petrus currit, vel loquitur* : ad cuius veritatem non requiritur , Petrum currere , & loqui; sed sufficit quodvis extremum , altero deficienti : videlicet currere , deficienti loquutione , aut loqui , deficiente cursu : ex quo sic in suum favorem arguit. Non minus repugnat divino intellectui falsitas ; quàm divinæ voluntati malitia : hoc non impedienti , intellectus divinus sinè præiudicio divinæ sapientiæ , & infinitæ veritatis in cognoscendo , potest *disiunctivè* iudicare falsum : ergo divina voluntas sinè nocumēto sanctitatis infinitæ, & impeccabilitatis poterit *disiunctivè* velle id,quod est *moraliter* pravum : ergo ex capite sanctitatis, in quo præcipua dissonantia sui decreti applicativi continetur ; nulla datur repugnantia ; quamvis in peccatum , illud *disiunctivè* volendo , feratur : èn exemplum tàm apud Iunium; quàm apud Asseclas versatissimum;quo putant suam sterni viam; & ex in accessa , in placidam , & facilem converti. In quo sanè miror , eo vti , qui capite vltimo à numero 6. totus est in probanda falsitate huius propositionis sibi obiectæ numero 4. *sicut intellectus ad verum , & falsum , ita voluntas ad bonum , & malum* ; quam meritò falsissimam probat instantijs , quæ quia verissimæ , & quia ab Adversario constructæ nobis sunt magnificiendæ.

104 Prima . (Transcribam ferè ad verbum) Deus potest determinatè velle malum , nempè molestum , vel incommodum , & nolle bonum , nempè iucundum , vel vtile: ergo potest determinatè affirmare falsum, & negare verum: vel aliter: Deus

potest determinatè velle malum *physicum*, & nolle bonum *physicum*: ergo & poterit affirmare determinatè errorem *physicum*, & negare determinatè veritatem *physicam*. Secunda: voluntas creata potest velle determinatè id, quod evidenter novit esse turpe: ergo intellectus creatus potest determinatè affirmare id, quod evidenter novit esse falsum. Tertia. Intellectus divinus fertur necessariò in omne verum, sivè creatum, sivè increatum: ergo divina voluntas fertur necessariò in omne bonum, sivè increatum, sivè creatum. Quarta. In nullo iudicio intellectus, iuxta omnes, datur medium inter verum, & falsum: ergo neque in actibus voluntatis, iuxta omnes, datur medium inter bonum, & malum, proindeque apud nullos erit possibilis actus indifferens in individuo. Quinta. Intellectus creatus, quin neget, aut affirmet verum, aut falsum, potest per actum incomplexum, id est, per apprehensionem attingere veritatem, & falsitatem: ergo voluntas poterit per actum incomplexum, scilicet per simplicem complacentiam, aut displicentiam attingere, quin amet, aut odio habeat, bonum, & malum. Sexta. Iudicium nostri intellectus vagum inter verum, & falsum est necessariò verum: ergo volitio nostræ voluntatis vagans inter honestum, & turpe est necessariò bona: hæc ille: ex quibus, quæ libenter accipio, sic retorqueo.

105 Per te paritas intellectus ad voluntatem, & è converso, adeo est infirma, & debilis, vt tot probatis exceptionibus, eam vilipendas: ergo male assumitur, vt fidem faciat alijs, quæ tibi tot titulis non probatur: quod si dicas: id solùm habere locum comparatis in genere, & vniversaliter intellectu, & voluntate; secus in aliquo casu particulari, & in actu speciali, vt est actus disiunctivus, & vagus. Contra est: nam non aliter probatur ineptitudo paritatis intellectus, & voluntatis, quando sumuntur in genere, & vniversaliter; quàm per exceptiones particulares, comparando potentiam cum potentia, actum cum actu, obiectum cũ obiecto in hoc, & illo casu particulari: detur ergo fundamentum, vt actus disiunctivus sit assequutus privilegium æquiparationis cum actu disiunctivo alterius potentiæ; præcipuè, cùm etiam ex te nobis constet in intellectu, & voluntate creatis claudicare, in quibus non valet: *Intellectus creatus absque affirmatione falsa potest iudicare vagè verum, vel falsum: ergo voluntas absque volitione mala potest velle disiũctivè bonũ, vel malũ*: deinde cur non infert: *Intellectus divinus potest disiunctivè affirmare verum, vel falsum: ergo voluntas divina potest disiunctivè amare bonum, vel malum*? Quod negat, distinguens *velle* ab *amore*, & hoc, vel sub disiunctione, reputans divinæ sanctitati indignum: cur etiam non deducit: *Intellectus divinus potest per affirmationem simpliciter talem vagè iudicare verum, & falsum: ergo divina voluntas potest per volitionem simpliciter talem, qualis est volitio efficax, velle disiunctivè bonum, & malum*? Quod respuit, vt Deo iniurioſum: futile ergo est, venia sapientissimi Magistri, exemplum istud, vt inde doctrina alioquin difficilis, & obscura lucem accipiat.

106 Iam ad argumentum responderi potest primò. Negando, Deum cognoscere illo modo vago, & disiunctivo; qui proprius solummodò est nostri imperfecti modi cognoscendi: quarè; aut extrema sunt ex his, inter quæ non datur medium, vt duo contradictoria; aut ex his, quæ necessariò coexistunt, vt Deus, & possibilitas creaturarum; aut ex his, quæ contingenter, vt Petrus, & decretum de eius productione; aut ex his, quorum quodlibet existere potest cum alio, & sine alio, vt Petrus, & Paulus: si *primum*: Deus sinè modo vago cognoscit: nec posse simul existere, nec simul deficere; & aliunde, hoc determinatum existere, & illud determinatum non existere: si *secundum*: vtrumque, vt existens iudicat: si *tertium*: aut determinatè cognoscit, vtrumque existere, aut vtrumque deficere: si *quartum*: ea cognoscit, vt sunt, cognoscendo nimirum, aut vtrumque existere, aut vtrumque deficere, aut vnum existere, & alterum deficere, vel è contra: quo cessat argumentum: quia cessat paritas.

107 Respondeo secũdò: transmisso antecedenti: negando consequentiam. Diversitas consistit in eo, quod iudicare falsum, non est idem, ac iudicare falsò: at verò velle malum, semper est velle male. Cuius ratio est: quia falsitas desumitur ex disconformitate obiecti ad actum eo modo, quo per actum repræsentatur: vnde, quamvis actus attingat intentionaliter falsum, si taliter attingat, & repræsen-

ter,

tet, vt ex falso *obiectivo* nulla resultet disconformitas ad actum; vt non resultat in actu disiunctivo intellectus, cuius conformitas consistit, & constituitur sufficienter per existentiam vnius; actus erit verus, neque errori, expositus: at malitia volitionis sumitur præcisè ex tendentia ad turpe; cumque disiunctio tendentiam ad malum non impediat, nec impedit malitiam actus. Quæ ratio displicere nequit Patri Iunio, dum mihi rationem præbeat; cur intellectus creatus iudicando *vagè* verum, & falsum, non iudicet falsò; & voluntas creata, volendo *vagè* bonum, & malum, velit malè? Et in divinis cur intellectus, iudicando verum, vel falsum, non admittat errorem; & voluntas, amando bonum, vel malum, inficiatur malitia?

CAPVT V.

Probabilior modus nobis proponitur, & ab obiectionibus vindicatur.

108 SIt conclusio. Pro effectibus necessarijs, qui à Deo, & creatura procedunt, continentque malitiam *moralem* materialem: insuper pro effectibus creaturæ liberis, Deus applicat suam omnipotentiam in actu primo per volitionem, qua vult, omnipotentiam esse paratam; vt ex determinatione agentis creati concurrat in actu secundo. Hæc est conclusio difficilior in hoc puncto, quam tenent Sapientissimi Recentiores huius Vniversitatis olim Doctores, & Magistri, eamque sic probo. Deus pro his effectibus non potest applicare suam omnipotentiam ad concurrendum in actu secundo per volitionem tendentem efficaciter in tales effectus: ergo solùm per volitionem assignatam habentem hunc modum tendendi, vel æquivalentem: *Volo meam omnipotentiam esse paratam, vt pro determinatione creaturæ concurrat in actu secundo ad hos, vel illos effectus (prout fuerint.)* Antecedens patet: quia respectu effectuum necessariorum continentium malitiam *moralem*, vt sunt actus primò primi voluntatis, volitio in illos tendens prosequutive esset *formaliter* mala; siquidem velle liberè, & deliberatè, quod materialiter malum est, peccare *formaliter* est; respectu verò actuum liberorum creaturæ, volitio efficax, & antecedens ipsorum cum libertate creata non cohæret. Probo igitur consequentiam. Volitio cum modo tendendi assignato ex vna parte est indifferens, & ex alia aptissima est ad præparandam omnipotentiam in actu *primo* pro actuali concursu eorum effectuum: ergo sic præparatur omnipotentia. Prima antecedentis pars est clara: quia illa volitio solùm connectitur cum illo, quod efficaciter vult: sed solùm vult efficaciter: omnipotentiam esse paratam in actu *primo*; quin ad concursum in actu *secundo* prosequutivè feratur: ergo compatibilis ex se est cum carentia concursus in actu *secundo* determinati exercitij.

109 Secunda pars probatur. Ex terminis ipsis nulla aptior excogitari potest volitio pro præparanda in actu *primo* omnipotentia in ordine ad aliquem effectum, ea, quæ vult efficaciter hoc, quod est, omnipotentiam esse paratam ad aliquem effectum ponendum in actu *secundo* ex determinatione alterius agentis: sed id vult volitio assignata: ergo aptissima est ad præparandam omnipotentiam. Roboratur maior ex his, quæ Magistri supra citati, bene in præsenti ponderant. Nam sicut inane, & futile est, totis viribus procurare, ne obiectum actus divini in id tendentis, vt omnipotentia sit parata, distinguatur ab hoc, quod est, *omnipotentiam præparare*: sic eadem censura est dignum, simili conatu reijcere modum tendendi in actu præparativo, quo feratur in ipsum *præparare*: non aliter ac si quis volens explicare aliquem esse determinatum ad eundum Matritum, vehementer aversaretur dicere, *ille habet volitionem efficacem eundi Matritum*; adhibendo per oppositum animum ad id significandum per ambages terminorum significantium aliquem affectum erga Complutum, aut aliam Civitatem: frustra ergo laborant, qui cum ad manus habeant modum tendendi volitionis præparativæ pro recensitis actibus,

quique maximè communi apprehensioni favet, ad alia confugiunt, quibus post multam, & prolixam explicationem, nil, nisi tenebræ deprehenduntur.

110 Dices: neminem recti iudicij posse reputare ineptum hunc modum tendendi, dummodo posteà explicetur, quid sit ly *præparare*? Quid ly *Omnipotentiam esse paratam, vt ex determinatione alterius agentis concurrat*? sed in hoc difficultas: nam vel est aliquid distinctum ab ipso actu, quod per ipsum sit efficaciter volitum, vel non? Si *primum*: hoc non est concursus in actu secundo, vt fatemur; non omnipotentia, quæ incapax est, vtpote necessaria, terminandi volitionem efficacem sui: quid ergo est? Si *secundum*: ergo talis actus nil vult efficaciter præter se ipsum: optima ergo præparatio, & sanè Deo digna, ex qua nil nobis constat, nisi esse actum, sic tendentem: *volo me ipsum*: igitur iurè nos reprehendemur de obscuritate, quam in alijs exprobramus. Sed contra: nam quamvis id, quod respicit decretum præparativum, & id, quod est *præparare*, non distinguatur, nec realiter, nec virtualiter ab ipsa volitione præparativa, non ideo redditur obscura, & inexplicabilis præparatio. Id mihi persuadent duo exempla efficacissima. Primum: ex amore Dei necessario, quo Deus se, & sua prædicata necessario amat; in quo id, quod amatur, nec realiter, nec virtualiter distinguitur ab amore in communi sententia: licebit nè propterea arguere: hunc divinum amorem esse fatuum, & inexplicabilem? Idem cernere licet in odio, quo Deus detestatur peccatum, quod est amor, & reflexa volitio sui ipsius, & prout talis, non distinguitur ab obiecto amato, videlicèt ab odio peccati. quis tamen dixit: esse fatuum hunc amorem? Idem etiam reperitur in cognitione necessaria, qua Deus se, & sua necessaria cognoscit. *Secundum* in actione identificata cum termino, quam possibilem propugnat frequens Authorum iudicium, & mihi videtur necessariò concedenda ex his, quæ in philosophia docui; quæquidem actio, etsi ex conceptu *actionis* sit determinatio, & tendentia physica ad terminum; sinè repugnantia, aut fatuitate componit esse determinationem ad se ipsam, sicut actio distincta à termino id habet respectu sui.

111 Vnde sic arguo. Non minus debet esse de conceptu *amoris, cognitionis*, & *actionis* ferri in aliquid distinctum à se ipsis; quàm de conceptu *volitionis* velle aliquid distinctum a se ipsa: sed de conceptu *amoris, cognitionis*, & *actionis* non est distingui vllo modo ab eo, in quod feruntur: ergo nec de conceptu *volitionis* distingui à re volita, in quam prosequutivè fertur. Cuius ratio est: quia longè distat: volitionem nil velle distinctum à se ipsa, & præcisè habere hunc modum tendendi: *volo me ipsam*: nam hic secundus modus, nec realiter, nec formaliter explicat aliquid distinctum à se ipsa, & ideo reddetur inexplicabilis: at licèt non tendat in aliquid distinctum, potest habere plures formalitates, per quarum explicationem reddatur perceptibilis: sic amor divinus non tendit in se ipsum, quia habeat hunc præcisum modum tendendi: *volo me ipsum, aut amo me ipsum*; sed modum tendendi, qui à nostro modo concipiendi partitur in formalitates *amoris, essentiæ, immensitatis, æternitatis, sapientiæ. &c.* Sic actio identificata cum termino non habet præcisè id, quod his vocibus significatur: *tendentia, & determinatio ad me ipsam*; sed iuxta naturam termini plures subit explicationes accommodatas: vt si v. g. talis terminus sit homo identificatus cum sua actione; explicabitur sic: *hic homo est determinatus, vt procedat ab hac causa*; quin obstet hoc, quod est *esse determinatum, &c.* identificari cum homine: sic denique *volitio applicativa*, quam designavimus, non explicatur per illum prætensum modum fatuum, & ridiculum: *volo me ipsam*: sed sic: *volo omnipotentiam esse paratam*: in qua sinè reali distinctione sunt formalitates *volitionis*, & *præparationis*.

112 Contra secundò: quia non debet confundi *volitionem nil velle distinctum à se ipsa*; & *nil respicere distinctum à se ipsa*: licet enim solùm tendat prosequutivè in præparationem, proindequè in se ipsam; at non solùm respicit præparationem; verùm etiam omnipotentiam, & extremum liberum, vel necessarium modo dicto, quod est effectus proveniens *effectivè* ab omnipotentia, & causa *secunda*. inde nō redditur inexplicabilis,

pro

pro quo non est solùm attendendum, quid velit ille actus; sed quid respiciat: neque hæreas in eo, quod illud *respicere omnipotentiam præparativè, & effectum, vt terminum concursus* debet vltimò reduci in aliquam volitionem: quia non omne, quod respicitur per actus voluntatis, est necessarium, quod terminet affectum, vt volitum, vel nolitum, vt amatum, vel odio habitum: quia ea, quæ se habent, vel vt conditiones, vel vt modificationes obiecti voluntatis, possunt respici ab ipsa sinè aliquo affectu ex relatis, vi cuius denominentur: vt patet in affectu, quo fur vult determinatè palium Petri; in quo Petrus est respectus; quin sit necessarium illum denominari *amatum*, aut *odio habitum*, *volitum*, aut *nolitum*: quomodo etiam multi dicunt, præceptum, aut legem consistere in actu voluntatis respiciente materiam, & subditum obligatorie; idemque censent de condonatione iniuriæ; sicut in actibus intellectus de imperio intellectuali, & de interrogatione: ergo similiter, quamvis de nostro decreto præparativo solùm dicatur, velle se ipsum modo explicato, falsò dicetur, respicere tantùm se ipsum.

113 Dices: affectum hunc divinæ voluntatis, in quo per nos consistit omnipotentiæ præparatio, debere respicere aliquid efficaciter, vt inde cognoscatur effectum sortiri, & non esse componibilem cum nolitione efficaci antecedenti concursus in actu secundo; nil autem est efficaciter respectum per ipsum: quia *non aliud distinctum ab ipso*; vt planè concedimus: non *aliquid identificatum cum ipso*: nam omnis affectus divinus ponit aliquid extra se, si efficax sit; quod competere non potest actui respectu sui ipsius; cùm non sit extra illum, quod cum ipso identificatur: vlterius: quia de ratione *affectus efficacis* est esse procurativum sui obiecti, in quo involvitur non possessio illius, quod procuratur: vnde actus ille, cum dum existit, se ipsum possideat, non poterit seriò, & efficaciter se ipsum procurare. Contra tamen est: quia hæc non vrgent, si distinguatur duplex efficacia in affectibus voluntatis etiam divinæ: *vna effectiva*; *formalis*, & *affectiva alia*. *Effectiva* est, quam intendis, & quæ invenitur in decretis, quibus Deus decernit efficaciter alia distincta à se, vt puta: mundum, homines, & Angelos; sed hæc male adstruitur generalis omnibus affectibus divinis efficacibus: *formalis* est illa, quæ in vi affectus procurativi alicuius, licet non à se distincti, connectitur cum obiecto: hanc habent omnes affectus inefficaces, quibus Deus vult alia distincta a se, qui quatenus sunt volitiones reflexæ sui ipsorum, habent efficaciam *affectivam*, & *formalem*, vi cuius existunt: hanc etiam concedit Sanctus Thomas amori Deo necessario, quem intentionem, aut desiderium vocat, & hanc tribuimus decreto præparativo, quin obstet ad hanc procurationem, se ipsum possidere: procurationi etenim seriæ, & efficaci solùm obstat possessio aliunde habita; sed non, quæ datur dependenter ab illa procuratione: huic ergo, vt patet, non nocet; sed prodest, sicuti physicæ procurationi actionis identificatæ cum termino non obest; sed iuuat possessio termini, quæ datur; quia datur talis actio, & determinatio ab ipso non distincta.

114 Ex dictis inferes primò, & facile, quomodo pro diversitate libertatum; nempe *contradictionis*, *contrarietatis*, *mixtæ quoad modum*, *quoad substantiam*, &c. applicatur omnipotentia, tùm indifferenter; tum proficue, quod assequeris, addendo tendentiæ decreti applicativi modum illum libertatis: vt pro libertate *contradictionis*: *volo meam omnipotentiam esse paratam, vt ex determinatione arbitrij creati determinetur inter contradictoria ad actum secundum concurrendi*: & pro libertate *contrarietatis*: *volo meam omnipotentiam esse paratam, vt ex determinatione arbitrij creati inter contraria determinetur*, &c. quod facile erit traducere ad quamvis libertatis speciem. Inferes secundò: quomodo hæc applicatio componatur cum determinatione ad individuum, qua indiget creatura, impotens ex se ad eligendum inter individua, quæ non cognoscit, & discernit: quod fit limitando tendentiam præparativam ad vnum determinatum individuum tantùm in quavis specie: v. g. *Volo meam omnipotentiam esse paratam ad concurrendum cum creatura ad hunc individuum amorem, taliter, vt ex arbitrio creatæ voluntatis inter ipsum, & oppositum sit determinata ad actum secundum concurrendi*, quod per nolitionem exclusivam aliorum poterit etiam explicari.

115 Rogabis: quid ve-

tet, decretum applicativum respicere reliqua comprincipia necessaria ad actum, & oppositum actus, decernendo eorum existentiam simul cum tendentia à nobis assignata pro applicatione omnipotentiæ in actu primo; quo apparet, perceptibilius reddi decretum, non vnicè sistendo in applicatione. Respondeo: nullum esse impedimentum in eo, quod decretum decernens reliqua ad libertatem necessaria, identificetur realiter, & virtualiter cum tendentia applicativa; idque à divina libertate pendebit, quæ divisim, vel simul ea omnia poteit disponere. Cæterùm tendentiam decreti applicativi vnicè proposuimus, tum quia de ea est dissidium, & difficultas, qua resoluta, nulla remanet in eo, quod Deus pro nutu simul adhuc virtualiter alia decernat, sivè pertinentia, sivè impertinentia ad libertatis creatæ constitutionem: tum quia amplitudini divinæ libertatis consuluimus, cui non solum liberum est præparare, & non præparare concursum omnipotentiæ, simul decernendo, aut non decernendo alia requisita ex parte actus primi ad actum, & carentiam actus; sed etiam positis reliquis ad libertatem requisitis, concursum suum negare, aut præparare: non secus ac in agentibus necessarijs, positis his, quæ ex parte actus primi potentiæ necessariæ concursum exigunt, potest Deus eorum exigentiæ non annuere; id autem evenire non posset, si ex necessitate, & non ex contingentia Deo libera, tendentia applicativa deberet esse eadem cum decreto respiciente alia comprincipia: nam si decretum aliorum à præparatione est etiam virtualiter volitio præparativa, quomodo potit decretum aliorum, quæ ad libertatem creatam pertinent, manebit Deus liber ad vlteriorem actum præparandi? Constet igitur, Deum vtroque modo, prout libuerit, posse omnipotentiam suam ad concurrendum pro effecta creaturæ libero præparare. Proposui sententiam mihi expeditiorem, ad quam amplectendam, præcipuè me impulit, vnico ictu alias quæstiones prolixas præcidere, quas supra notavi: videlicet de obiecto actus condonativi, & præceptivi, quæ ex doctrina data facile resolvuntur, sicut etiam aliæ de supplemento principij creati per extrinsecam assistentiam divinæ potentiæ.

116 Iam contra conclusionem obijcies primò omnes illas authoritates, quas proposuimus cap. 1. num. 2. in quibus denotari videtur, nil produci, aut fieri, nisi volente Deo, vt fiat, id est, volitione directa ad ipsos effectus; præcipuè cùm accedat authoritas, & intelligentia Divi Augustini aientis in Enchiridio cap. 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit*: vbi clarè censet: non quamcumque voluntatem Dei intercedere in rerum productione; sed illam, quæ sit sufficiens, vt Deus denominetur prosequens, & volens eos effectus: sed iuxta nostrum modum assignatum præparandi omnipotentiam ad actus liberos creaturæ, etsi interveniat divina voluntas; non tamen per actum, quo velit ipsos fieri: ergo conclusio asserta circa præparationem omnipotentiæ pro actibus creaturæ liberis aliena est ab authoritate Scripturæ, & Patrum, & præcipuè Sancti Augustini.

117 Poterat Doctissimus Pater Iunius, qui maximè hanc obiectionem inculcat, sibi eam obijcere, & solutionem, quam in alijs desiderat, sibi parare. Ratio est: quia si authoritates, quas memoratur, ad actum divinum præparativum sunt referendæ, sonant non voluntatem vagam; sed determinatam; non inefficacem; sed efficacem: loquuntur enim de voluntate, cui nunquam deficit *posse*, vt Sapientiæ 11. *Subest enim tibi, cùm volueris, posse*: & de ea, quæ cum obiecto volito semper coniungitur: Psalm. 113. *Omnia, quæcumque voluit, fecit*: & denique loquuntur de voluntate eorum, quæ Deus verè, & propriè facit: cumquè Deus peccatum non faciat, quid in his locis pro firmanda sententia huius Authoris in præparatione omnipotētiæ ad peccatum. Comprehenduntur etiam in hac obiectione Pater Doctor Molina, qui quoad rem à nobis non est differens: insuper Eximius Suarius, & Pater Izquierdo, quatenus conditionales illas, quibus explicant decretum applicativum, vltimo referunt in actum, quo Deus committit voluntati creatæ determinationem concursus actualis. Solutio multiplex aptari potest.

118 Prima: nil ex his authoritatibus ad intentum convinci, cùm aliud sit *Deum facere, & posse omnia, quæ vult*: scilicet efficaciter: aliud *omnia, quæ facit, & potest, velle*. Primum continetur in Scriptura, vt manifestet, decreta efficacia Dei esse infrus-

frustrabilia ; secundum verò minimè: sed ex primo argui secundum, aut saltem erat necessarium verificari, si aliquid in nostram sententiam erat probandum: ergo donec hoc probetur, nil probatur : quod si alibi denotatur : in omnibus, quæ à Deo fiunt, divinam voluntatem intervenire : vt Apocalyp. 4. *Propter voluntatem tuam erant, & creata sunt* Ephes. 1. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ* : solum probat, omnia pendere à voluntate libera Dei : ad quod, vt per se patet, non est necessarium, Deum habere voluntatem, qua positivè, & directè feratur in omnes effectus ; sed sufficit, quod per non applicationem suæ omnipotentiæ omnia, quæ fiunt, possit impedire. Consonat explicationi datæ Divus Augustinus in textu Enchyridij supra obiecto, vbi post illa verba, *non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit* : subdit immediatè, exponendo sensum propositionis : *vel sinendo, vt fiat, vel ipse faciendo* : quid clariùs ? Ex quo iure notandum, quàm immeritò Sanctus Doctor proponatur nobis contrarius, & quanti stet, verba Patrum truncata, & mutila, aut integra referre.

119 Secunda, & satis expedita sit : Deum velle omnia, quæ facit non in se, sed in præparatione : quia cùm actus *primus* potentiæ operantis sit virtualiter actus *secundus*, quem in sua virtute continet ; non absre, qui vult actum *primum*, dicitur velle actum *secundum*, nempè æquivalenter, & virtualiter : quo sensu, etiam dicitur de causis, esse suos effectus propter continentiam virtualem, aut eminentem, vnivocam, vel æquivocam, quam de illis habent. Tertia : aliud est : in omnibus, quæ Deus facit, intercedere voluntatem ipsius, non vtcumque, sed positivam, directam, atque efficacem modo sufficienti, vt Deus propriissimè denominetur *volens*, quod facit : aliud: prædictam voluntatem pertinere ad præparationem omnipotentiæ : patet in omnibus admittentibus prædefinitiones efficaces regulatas scientia media, qui quamvis concedant actum efficacem intentivum operis honesti ; non ideò illum collocant ex parte actus primi, neque cum decreto præparativo confundunt ; imò id maximè vitare studeant, ne libertatem creatam evertant: constat etiam in omnibus decreta efficacia reijcientibus, qui in Deo, vt à munere solius *permissoris* boni operis extrahant, voluntatem ineffi-cacem aliquam, directam tamen, ad opus bonum concedunt, & debent concedere, saltem illam generalem ex mente Apostoli, qua vult, *omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* : incumbit ergo Adversarijs munus probandi, Scripturam, & Patres vnicè loqui de voluntate præparativa, & non de alio actu, qui cum decreto præparante coniungitur, quod dum non probent, nil nostræ sententiæ infensum concludunt.

120 Obijcies secundò : nos inter impugnandum aliorum sententias, sæpè deduximus, vt absurdum decretum præparativum habiturum se ipsum solum pro obiecto : vndè reddebatur inexplicabile, & fatuum; post id sine inconvenienti devoramus; imò vt probabilius amplectimur : ergo vel absurdum pro sententia tuemur, vel immeritò alios ea illatione carpimus. Respondeo : ex duplici titulo sine inconsequentia, aut præiudicio propriæ sententiæ rectè alios per eam sequelam impugnamus : tum quia ibi arguitur ad hominem contra illos, qui reputantes dissonum tale concedere ; alios excogitant opinandi modos, quibus ab illo dimoveantur ; contra quos rectè arguitur incidere in id, quod reprobant; quamvis ex se non modo absurdum non sit ; verum veritati valdè conforme : tum quia decretum præparativum in se ipsum tendere, in tantum est rationi congruum, in quantum liberetur ab illo modo tendendi fatuo : *volo me ipsum*, quod nos pro viribus curamus, sub qua ratione alijs non obijcimus; sed in quantum inexplicabile relinquitur; quin habeat illum modum tendendi affectivum in omnipotentiæ præparationem, ratione cuius, fatuitate, & obscuritate deposita, lucem satis perceptibilem assequitur.

121 Obijcies tertiò: per nos modus tendendi decreti applicativi omnipotentiæ, quo indifferenter applicatur, est hic, vel æquivalens : *Volo meam omnipotentiam esse paratam, vt ex determinatione arbitrij creati determinetur inter contradictoria, vel inter contraria, &c. ad concurrendum in actu secundo* : ergo Deus in vi talis præparationis, tàm vult bonum ; quàm non bonum, malum; quàm non malum, aut malum ; quàm bonum. Probatur seque-

ſa. Qui ex ſe parat ſuum concurſum ex fine operationis in actu ſecundo, & non magis *affectivè* fertur in bonum ; quàm non bonum, in malum ; quàm non malum, aùt in malum ; quàm bonum; tàm ex ſe vult bonum ; quàm non bonum ; malum ; quàm non malum ; aut malum ; quàm bonum : ſed Deus applicans ſuam omnipotentiam indifferenter per modum tendendi aſsignatum, ex ſe parat ſuũ cõcurſum ex fine operationis in actu ſecundo, & non magis *affectivè* fertur in bonum ; quàm non bonum, in malum ; quàm non malum, aut in malum ; quàm bonum : ergo Deus in vi talis præparationis tam vult bonum ; quàm non bonum ; malum ; quàm non malum ; aut malum ; quam bonum.

122 Reſpondeo primò: particulam *vt* appoſitam in modo tendendi decreti applicativi non denotare finem operationis creatæ *disiunctivè* attactæ ; ſed puram conſequutionem vnius, vel alterius operationis ad decretum applicativum omnipotentiæ iuxta acceptionem vulgarem talis particulæ apud Scripturam, & Patres, qua vſus eſt Divus Petrus, Actor. cap. 1. loquens de Apoſtolatu : *de quo prævaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum* : vbi ly *vt* non denotat finem intentum à Iuda ; ſed eventum ſequutum ad prævaricationem. Similiter intellexit particulam *in* Divus Thomas prima ſecundæ quæſtione 79. articulo 1. adillud Sapientiæ capite 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum* : dicens: *quod cum dicitur creaturæ factæ ſunt in odium, &c. hæc præpoſitio,* in, *non ponitur cauſaliter ; ſed conſequutivè : non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum; ſed hoc conſequutum eſt propter inſipientiam hominum.*

123 Reſpondeo ſecundò: modum illum tendendi non aliter à nobis accipi ; quàm prout æquivalet huic: *Volo ex fine operationis bonæ, aut non malæ non eſſe impeditam meam omnipotentiam ad concurrendum cum creatura ex determinatione ipſius, vel inter contradictoria, vel inter contraria, &c.* proùt fuerit libertatis modus: ex quo, vt apparet, divinus affectus inſumitur, tum inefficaciter in operationem bonam, aut non malam; tum efficaciter in ipſam non impeditionem ex parte omnipotentiæ, quæ ſanctiſsima, & honeſtiſsima eſt ; quin affectus tranſcendat, adhuc *disiunctivè*, operationem pravam.

124 Obijcies quartò. Si decretum indifferens applicativum omnipotentiæ, prout tale, reſpiceret ſe ipſum, Deus eſſet neceſsitatus ad applicandam omnipotentiam indifferenter: ſed Deus libere tantùm applicat indifferenter ſuam omnipotentiam : ergo quia decretum applicativum indifferens omnipotentiæ habet obiectum diſtinctum à ſe ipſo. Probatur maior. Obiectum infinitum in ratione *boni* rapit neceſſariò divinam voluntatem in amorem ſui : ſed ſi decretum applicativum indifferens, proùt tale, reſpiceret ſe ipſum, haberet pro obiecto infinitum in ratione *boni* : ergo ſi decretum indifferens applicativum omnipotentiæ, prout tale, reſpiceret ſe ipſum, Deus eſſet neceſsitatus ad ad applicandam indifferenter omnipotentiam.

125 Vrget hæc difficultas omnes illos, qui cum veriſsima, & communiſsima ſentẽtia conſtituunt actus divinos contingentes per terminationem Deo intrinſecam, & divinam, quæ cum infinite bona ſit ; rapiet per conſequens divinam voluntatem in ſui amorem, quin detur locus indifferentiæ requiſitæ ad libertatem pro tali actu. Dicendum ergo pro omnibus: bonum infinitum, & divinum, vel habens pro obiecto aliquid creatum, vel ſaltem dicens ordinem ad illud, vt decretum applicativum indifferens ad conſtitutionem libertatis creatæ, & expeditionem cauſæ *ſecundæ* ad ea exercitia, quæ à Deo non poſſunt determinari; non rapere neceſſariò divinam voluntatem in ſui amorem : vel quia id exigit divina libertas : vel quia tali bono iam eſt ſatisfactum per amorem neceſſarium, quo Deus fertur in ſua prædicata *neceſſaria*, à quibus realiter non diſtinguitur terminatio contingens, & in quibus virtualiter neceſſariò amatur. Et hæc dicta ſufficiant pro hac diſputatione de applicatione divinæ omnipotentiæ ad concurrendum in actu ſecundo cum cauſis *ſecundis*, tùm liberis, tum neceſſarijs ad ſuas operationes, &c.

* *
*

DIS-

DISPVTATIO XI.

De decreto collativo auxilij.

CAPVT I.

An ad libertatem cum auxilio ſervandam neceſſarium ſit, quod auxilium conferatur per decretum indifferens, & cum nullo libertatis extremo determinatè connexum.

1 SVppoſitis intrinſeca indifferentia auxiliorũ, & cuiuſvis alterius libertatis conſtitutivi, inter quæ decretum applicativum omnipotentiæ enumeravimus, neceſsitate ſcientiæ mediæ, vt Deus providè, & ſecurè auxilia largiatur, & demum principio noſtræ Scholæ firmiſsimo, videlicet; *Omne connexum cum determinato libertatis extremo, & per ipſam inimpedibile libertatem pœnitus obruere*: ad ea, quæ remotè comparantur cum exercitio libero, quæſtio convertitur; & de decreto, quo à Deo liberè decernitur, & ſinè quo ſtare nequit cuiuſvis libertatis conſtitutivum, inquirit: quale debeat, aùt poſſit eſſe: indifferensnè ad omnia libertatis extrema, àn cum determinato connexum? & claritatis gratia, eam ad decretum collativum auxilij efficacis, in quo præparatio prædeſtinativa conſiſtit, reſtringimus: ex cuius reſolutione quid dicendum circà decretum cuiuſvis alterius libertatis conſtitutivi per Deum conferibilis, ſicut, & auxilij inefficacis, facilè conſtabit. Vnde iam apparet, litem hanc eſſe domeſticam, & intra principia noſtræ Scholæ incluſam.

2 Pro qua notandum eſt primò: certum eſſe apud omnes noſtros, nullum vrgere inconveniens ex libertatis titulo in eo, quod auxilium conferatur per decretum connexum cum determinato libertatis extremo, v. g. conſenſu, dummodò tale decretum aſſocietur cum altero indifferenti collativo eiuſdem auxilij, quod permanere poſsit dando *eſſe* auxilio, caſu, quo loco conſenſus, qui eſt terminus connexionis alterius decreti, poneretur diſſenſus, & per hunc impediretur decretum connexum cum conſenſu. Fatentur enim omnes: conferri ſic auxilium per decretum connexum, nullam continere difficultatem ex libertatis noſtræ diſpendio, cum qua optimè cohæret. Cuius ratio eſt: nàm cùm tale decretum, etſi connexum cum conſenſu, non influat immediatè, neque ad ipſum ſit eſſentialiter prærequiſitum, nequè cùm vllo poteſtatis proximæ ad conſenſum, & diſſenſum conſtitutivo opponatur, aliundequè decretum indifferens requiſitum ad diſſenſum exiſtat; non eſt, cùr per diſſenſum non ſit à voluntate impedibile. Quarè controverſia tantùm eſt de decreto connexo vnicè exiſtenti, & cum carentia cuiuſvis alterius decreti indifferentis ad auxilium terminati cõiuncto, & inquirit: àn decretum indifferens collativum auxilij ſit indiſpenſabiliter neceſſarium, vt libertas creata ſub auxilio ſervetur? Seù, an decretum collativum auxilij connexum cum conſenſu vnicè, & ſolitariè exiſtens ſit cum libertate conſenſus ſub auxilio compatibile?

3 Dixi *ex capite libertatis*, quia modò præſcindimus ab altera difficultate, in qua non oportet implicari cum Patre Herize cenſente tractatu de Prædeſtinatione diſputatione 23. capite 14, non poſſe Deum conferre auxilium per duplex decretum exequutivum, alterum indifferens, & alterum cõnexum: vnde cùm aliundè iudicet, defectum decreti collativi indifferentis libertatem

tem tollere, infert, non posse dari per decretum connexum: in quo ostendit, illud non provenire ex eo, quod si daretur decretum collativum connexum coexistens alteri indifferenti, libertati noceret, verùm ex eo, quod in Deo non sit possibilis talis decreti multiplicitas circà eundem terminum per eam exequendum.

4 Noto secundò: connexionem decreti collativi auxilij cum determinato libertatis extremo posse provenire, vel ex eo, quod feratur *affectivè* efficaciter, non tantùm in auxilium; sed in tale extremum, decernendo auxilium propter efficaciam ipsius efficaciter amatam, hoc modo tendendi: *confero auxilium, quia est efficax*: & rursus hæc efficacia *affectiva* erga efficaciam, seù determinatum libertatis extremum, potest esse, aut *intentiva purè*, aùt *exequutiva* talis extremi: erit *intentiva*, si per se non applicet omnipotentiam ad actualem concursum consensus, seù exercitij liberi indigens alio decreto, cui id munus exequendi competat. Erit *exequutiva*, si per se immediatè, & independenter ab alio decreto determinet omnipotentiam, non modo ad productionem auxilij; sed exercitij liberi consensus v. g; vel ex respectu intrinseco, quem ex modo tendendi dicat ad scientiam mediam, qua regulatur, quæ si sit scientia media *efficaciæ*, reddet ipsum connexum cum consensu per hanc, vel per similem tendentiam: *confero auxilium, quod prævideo efficax*; si autem *inefficaciæ*, reddet ipsum connexum cum dissensu per hanc, vel per similem tendentiam: *confero auxilium, quod prævideo, vel quamvis prævideo inefficax*. Ratio est; quia cõnecti cum scientia media conditionatè connexa cum determinato libertatis extremo, si sit auxilium; & connecti cum purificatione conditionis existentiæ auxilij, est connecti cum determinato libertatis extremo, prout fuerit scientia media, à qua dependet.

5 Noto tertiò, vt benè in præsenti observarunt alij, extra omnem controversiam requiri simpliciter, & essentialiter ad absolutè exercendum dissensum, seu non consensum sub auxilio, quod tale auxilium existat, & causetur per decretum compatibile cum dissensu: quia coniunctio dissensus cum auxilio debet esse cum illo, vt existente; àc per consequens, vt causato à Deo per decretum non repugnans tali coniunctioni: sed omne decretum incompatibile cùm dissensu est repugnans coniunctioni auxilij, & dissensus: ergo, vt existat absolutè dissensus cum auxilio, necessarium simpliciter est, tale auxilium conferri per decretum compatibile cùm dissensu: vnde quæstio, quæ remanet est: àn sicùt tale decretum cõpatibile cùm dissensu requiritur ad dissensum, proùt existentem absolutè in re; similiter requiratur, vt existat potestas plenè expedita dissensus, & libertatis constitutio? Quod idem proportione servata, intelligendum est modo inverso de decreto compatibili cum consensu: nàm decretum compatibile cum dissensu, si sit cum illo connexum, repugnat essentialiter coniunctioni auxilij, & consensus absolutè existentis.

6 Noto quartò: certum etiam esse: decretum compatibile cum determinato libertatis extremo sub auxilio; àc per consequens necessarium simpliciter ad existentiam absolutam extremi v. g. dissensus, si non sit aliquomodo acquiribile per existentiam talis extremi, pertinere, vel *formaliter*, vel *arguitivè* ad potentiam expeditam ponendi tale extremum. Ratio est; quia potentia expedita ad vnum extremum, v. g. dissensum, vel includit, vel requirit essentialiter, quidquid est necessarium indispensabiliter ad existentiam extremi, & per talem existentiam non est acquiribile: ergo si decretum compatibile cum determinato libertatis extremo non sit per illud acquiribile, pertinebit, vel *formaliter*; vel *arguitivè* ad potestatem expeditam se exercendi per tale extremum. Inquiritur ergo. An quando auxilium conferatur per decretum connexum cum determinato libertatis exercitio, v. g. consensu, vnicè, & solitariè existens, in quo casu deficit decretum compatibile cum dissensu, & ad eius existentiam essentialiter requisitum, vel è contra; tale decretum compatibile cùm determinato libertatis extremo, & ad ipsum essentialiter requisitum, quod deficit, maneat acquiribile à voluntate per existentiam exercitij, cuius requisitum est: quomodo duntaxat poterit vnicitas decreti connexi cum determinato libertatis extremo libertatem sub auxilio servare.

7 Quæstio vtramque con-

ne-

nexionem amplectitur scilicet *respectivam* ad scientiam mediam, & *affectivam* ad libertatis exercitium; dummodo hæc sit tantùm *intentiva* exercitij liberi: nam de *exequutiva* est specialis difficultas alibi dirimenda; vbi dicemus, quomodo decretum *exequutivum* connexum cum determinato libertatis extremo auferat, vel permittat libertatis creatæ indifferentiam.

8 Quibus circà sensum quæstionis statutis: parti affirmanti necessitatem decreti collativi indifferentis, vt sub auxilio libertas salvetur, adhæret Pater Ribadeneyra, quam latè probat disputatione 2. de Prædestinatione referens pro se Patrem Lesium, pro eadem stat Pater Herize vbi supra à numero 190. & Pater Aldrete tomo 1. de Incarnatione disputatione 22. sectione 9. numero 19. citatus à Recentioribus apud Izquierdo. Contrariam sententiam communem esse inter nostros Doctores testatur idem Izquierdo, qui eam amplectitur disputatione 38. de Providentia quæstione 1. cum Patre Quiros disputatione 7. de Prædestinatione, quos sequuntur Pater Herrera quæstione 3. de Prædestinatione sectione 2. & Pater Iunius tractatu de Providentia à sectione 11. post alios sapientissimos Recentiores huius Vniversitatis dignissimos Magistros.

9 Sto pro communi sententia, cum qua statuo: decretum indifferens collativum auxilij non esse necessarium ad libertatem salvandam; ac per consequens sinè libertatis dispendio posse conferri à Deo auxilium per decretum vnicum, & connexum cum determinato libertatis exercitio. Probatur primò. Posito decreto collativo auxilij connexo cum consensu simul cum carentia decreti indifferentis, & compatibilis cum dissensu, stat libertas consensus: ergo decretum compatibile cum vtroque extremo necessarium non est ad libertatem sub auxilio salvandam. Consequentia est legitima. Antecedens probatur. Posito decreto collativo auxilij connexo cum consensu simul cum carentia decreti indifferentis, & compatibilis cum dissensu, nullum deficit constitutivum libertatis ad consensum: sed non deficiente constitutivo libertatis ad consensum, existit libertas ad consensum: ergo posito decreto collativo auxilij connexo cum consensu, simul cum carentia decreti indifferentis, & compatibilis cum dissensu stat libertas consensus.

10 Minor est certa: nam libertas ad consensum non deficit, quãdo non deficit aliquid, quod sit talis libertas: sed quando non deficit vllum illius constitutivum, non deficit aliquid quod sit libertas, cùm nil sit *physicè* id, quod est extra suam constitutionem: ergo non deficiente constitutivo libertatis ad consensum, stat libertas ad consensum. Probo igitur maiorem. Omnia constitutiva libertatis ad consensum sunt ea omnia, quæ proximè necessariò præcedunt ad consensum, & dissensum: sed posito decreto collativo auxilij connexo cum consensu simul cum carentia decreti indifferentis, & compatibilis cum dissensu, nil deficit eorum, quæ proximè necessariò præcedunt ad consensum, & dissensum: ergo posito decreto &c. nullum deficit constitutivum libertatis ad consensum. Maior est certa: Propterea quod libertas ad consensum nil aliud sit, quàm potestas expedita ad consensum cum indifferentia ad illum: potestas autem expedita ad consensum cum indifferentia ad illum includit *constitutivè* quidquid ad consensum, & dissensum proximè necessariò præcedit. Probatur minor. Coniunctum decreti collativi connexi cum consensu, & carentiæ decreti compatibilis cum dissensu, indifferentisque ad vtrumvis non excludit aliquid eorum, quæ necessario proximè debent præcedere ad consensum, & dissensum; nèc *quia connexum cum determinato libertatis extremo*: aliàs dùm associaretur cum decreto indifferenti etiam libertatem destrueret; quod negas: nèc *quia excludat decretum indifferens, & compatibile cum dissensu*; quia, cùm decretum indifferens, & compatibile cum dissensu præcedat ad libertatem, *remotè* tantùm præcedit ad libertatis extrema; ac per consequens tantùm excludit id, quod *remotè* tantùm debet præcedere ad determinatum libertatis exercitium; quod contra rationem libertatis non est: vt patet in scientia media dissensus sub auxilio excludente scientiam mediam consensus sub auxilio necessariam essentialiter ad consensum, & *remotè* tantum præcedentem: ergo posito decreto collativo auxilij connexo cum consensu simul cum carentia decreti indifferentis, & compatibilis cum dissensu, nil deficit eorum, quæ *proximè* neces-

necessariò præcedunt ad consensum, & dissensum.

11 Confirmatur : coniunctum decreti collativi connexi cum consensu, & carentiæ decreti indifferentis, & compatibilis cum vtroque extremo non opponitur *formaliter*, aut *arguitivè* cum libertate consensus : sed id, quod, nèc *formaliter*, nèc *arguitivè* cum libertate opponitur, est cum libertate compatibile : ergo complexum assignatum cum libertate consensus non opponitur. Probo maiorem. Prædictum complexum, nèc *formaliter*, nec *arguitivè* opponitur cum libertate consensus, qua parte includit decretum collativum connexum cum consensu ; vt ipsi adversarij concedunt, apud quos connexum cum vno libertatis extremo, dummodo sit per libertatem impedibile, ei non nocet ; deinde nèc *formaliter*, nec *arguitivè* opponitur cum libertate consensus, qua parte dicit carentiam decreti indifferentis, & compatibilis: ergo prædictum coniunctum, nec *formaliter*, nèc *arguitivè* opponitur cum libertate consensus. Probo minorem. Carentia decreti compatibilis non opponitur *formaliter*, nisi cum suo contradictorio, quod est decretum indifferens; cumque decretum indifferens libertatem non constituat ; sed prævie ad libertatem se habeat, nil libertatis *formaliter* excludit per exclusionem *formalem* decreti : deinde non opponitur *arguitivè* : quia in tantum sic opponeretur, in quantum *formaliter* aufert id, quod est necessarium ad non consensum, aut dissensum, quod, prout sic ablatum, inferret defectum alicuius ex *proximè* præcedentibus ad consensum, & dissensum, inquibus libertas *formaliter* constitit : sed auferre necessarium ad dissensum, prout sic ablatum, non infert defectum alicuius ex *proximè* præcedentibus ad consensum, & dissensum ; vt patet in carentia scientiæ mediæ de inefficacia auxilij, quæ datur, quando Deus confert auxilium efficax, & aufert id, quod est necessarium ad dissensum, quin prout sic ablatum, inferat defectum alicuius ex *proximè* præcedentibus ad consensum, & dissensum ; in quibus libertas *formaliter* consistit : ergo nèc *formaliter*, nec *arguitivè* opponitur cum libertate consensus, qua parte dicit carentiam decreti indifferentis, & compatibilis.

12 Respondebis primò: Carentiam decreti compatibilis excludere *formaliter* libertatem per exclusionem *formalem* decreti quia, etsi decretum in linea *causæ* se habeat purè *remote* ad dissensum ; in linea tamen *conditionis proximè*, & *immediatè* ad dissensum prærequiritur. Ratio est : quia in linea *conditionis immediatè* prærequiritur ad dissensum exclusivum *formale* impedimenti inauferibilis per dissensum ; quale est carentia decreti compatibilis, quæ ex vna parte est incomponibilis cum dissensu ; cùm sit incomponibilis cum decreto necessario simpliciter ad dissensum ; & ex alia est inauferibilis per dissensum ; siquidem vnum contradictorium non est per exercitium libertatis auferibile, quando alterum non est per tale exercitium determinabile : decretum autem compatibile cum dissensu, quod est *formale* contradictorium suæ carentiæ, non est determinabile per dissensum, vtpotè quod est quid præcedens ipsum dissensum : vnde, vt intelligatur *proxima* potestas ad dissensum, est necessarium, quod intelligatur ablata carentia decreti compatibilis ; quæ sic non intelligeretur, quando auxilium existeret collatum sinè decreto compatibili cum dissensu.

13 Sed contra primò per instantiam : nàm sub eadem distinctione influxuum per modum *causæ*, & per modum *dispositionis* potest vrgeri contra respondentem, carentiam scientiæ mediæ de dissensu excludere potestatem *immediatam* dissentiendi ; & carentiam scientiæ mediæ de consensu excludere potestatem *immediatam* consentiendi ; ac per consequens non aliter posse salvari libertatem sub auxilio collato per scientiam mediam ; quàm data simultanea coexistentia chymærica scientiæ mediæ de consensu, & dissensu: quod si præsuppositio *mediata* scientiæ mediæ non relinquit locum, vt *immediatè* per modum *dispositionis* libertatem constituat, faciatque carentiam sui inimpedibilem; cùr in decreto compatibili, *mediata* præsuppositio sui, *vt causæ*, inferet *immediatam*, *vt dispositionis*, & reddet inimpedibilem carentiam sui per dissensum ? Contra secundò. Per te decretum compatibile formaliter, *vt causa*, & vt existit in signo priori ad auxilium, nèc præcedit *immediatè* ad dissensum, nèc constituit *proximam* potestatem illius : ergo, nèc prout excludit carentiam sui, & est conditio essentialiter

liter necessaria, vt existat dissensus. Probo consequentiam. Decretum, *prout causa*, & existens pro priori ad auxilium, *formaliter* excludit suum contradictorium: sed decretum, *prout causa*, & existens pro priori ad auxilium, existit tantùm *remote* ad dissensum, non constituens potestate n *proximam* illius: ergo, prout excludit carentiam sui, & est conditio necessaria essentialiter, vt existat dissensus, non præcedit *proximè* ad dissensum, nèc constituit *proximam* potestatem illius.

14 Confirmatur: carentia decreti compatibilis cum dissensu solùm est carentia *formalis*; non auxilij, aùt libertatis *secundum se*; sed auxilij, aùt libertatis, proùt procedentis à decreto compatibili *reduplicativè*; sed carentia *formalis* auxilij, aùt libertatis proùt procedentis à decreto compatibili *reduplicativè*, non excluditur ex signo libertatis, aùt auxilij: ergo exclusivum *formale* talis carentiæ est in signo anteriori ad libertatem, aùt auxilium. Probo minorem. Carentia *formalis* auxilij, aùt libertatis, proùt procedentis à decreto compatibili *reduplicativè*; solùm excluditur *formaliter*, aùt in signo decreti, aùt in signo processionis ab illo: sed tàm decretum; quàm processio ab illo est in signo anteriori ad suum effectum, qui est libertas, aùt auxilium, vt per se patet: ergo carentia *formalis*, aùt libertatis, aut auxilij, prout procedentis à decreto compatibili *reduplicativè*, non excluditur in signo libertatis, aùt auxilij.

15 Respondebis secundò: carentiam decreti compatibilis cum dissensu, etsi non opponatur *formaliter* cùm potestate *proxima*, & libertate consensus; opponi tamen *arguitivè*: quia est quid connexum cùm consensu, & inevitabile per dissensum: quod autem sic se habet, cùm sit incomponibile cum libertate consensus, necesse est, quod si non *formaliter*, libertatis ad consensum constitutivum *arguitivè* excludat. Inevitabilitas carentiæ decreti compatibilis, nàm de connexione nullus dubitat, probatur: carentia decreti compatibilis impediri nequit, nisi determinando per dissensum eius contradictorium, quod est decretum compatibile: sed dissensus determinare non potest decretum compatibile; cùm hoc sit causa necessaria ad dissensum; & nullus effectus possit acquirere, & determinare causam necessariò prærequisitam sui: ergo carentia decreti compatibilis est quid connexum cum consensu, & inevitabile per dissensum.

16 Sed contra repetendo instantiam factam: quia hæc solutio, si aliquid probat, probat carentiam scientiæ mediæ de dissensu, quæ existit quando confertur auxilium sub scientia media de consensu, esse quid connexum cum consensu, & inimpedibile. Ratio est: quia, vt benè Pater Herrera, tam dificile est: me posse per meum dissensum acquirere libertatem *remotam*, & necessariam ad existentiam dissensus; quàm causam aliam *remotam*, & necessariam, vt sit dissensus: ergo si carentia decreti compatibilis cùm dissensu est quid connexum cum consensu, & inevitabile per dissensum; quia est carentia decreti requisiti necessariò, vt *remotè* causantis dissensum; etiam carentia scientiæ mediæ de dissensu erit quid connexum cum consensu, & inevitabile per dissensum; quia est defectus scientiæ mediæ requisitæ necessariò ad constituendam libertatem Dei collativam auxilij inefficacis *remote* se habentem ad dissensum: ergo si carentia decreti compatibilis est quid connexum cum consensu, & inimpedibile per dissensum; carentia scientiæ mediæ de dissensu erit quid connexum cùm consensu, & inimpedibile per dissensum.

17 Confirmatur; sicut decretum compatibile est quid necessarium ad dissensum præcedens *remote* ad ipsum; sic divina libertas ad conferendum auxilium ineficax constituta per scientiam mediam de dissensu est quid necessarium ad dissensum *remotè* præcedens ad ipsum: sed non obstante necessitate, & præcedentia *remota* ad dissensum libertatis divinæ, vt constitutæ per scientiam mediam de dissensu, potest voluntas creata per dissensum sub auxilio impedire carẽtiam talis libertatis in Deo, determinando existentiam illius per determinationem scientiæ mediæ de dissensu: ergo non obstante necessitate, & præcedentia *remota* decreti compatibilis, poterit voluntas creata impedire per dissensum carentiam talis decreti, determinando existentiam illius per impeditionem scientiæ mediæ de consensu necessaria, vt existat auxilium sinè decreto compatibili cum vtroque extremo, & vnicè per decretum

tum connexum cum determinato libertatis extremo.

18 Quorum ratio esse debet pro omnibus: nam cùm præcedentia *remota* decreti compatibilis ad dissensum in genere *physico* non tollat precedentiam *obiectivam* dissensus ratione scientiæ mediæ, quam determinat ad tale decretum; manet locus, vt tale decretum sit per dissensum determinabile: modo, quo, etsi media, per quæ defacto finis causatur, præcedant *physicè* ad existentiam illius; non obstat, vt sint per finem determinabilia; in quantum ad illa præcedit *obiectivè* media cognitione sui, vt conditionatè futuri sub applicatione mediorum: qua cognitione dirigitur voluntas, vel ad habendam intentionem efficacem determinativam electionis distinctæ; vel ad habendam intentionem, quæ simul sit mediorum electio. Idem contingit in scientia media *physicè* præcedente, vel ad consensum, vel ad dissensum; cuius præcedentia non impedit subsequutionem in linea *obiectiva*, ex qua determinabilis redditur per id ipsum, quod *physicè* antecedit: ergo medium necessitatis, & precedentiæ decreti ad dissensum, quod assumitur in solutione ad probandam eius indeterminabilitatem per dissensum, inefficax reputari debet etiam ab ipso respondente.

19 Probatur secundò: carentia decreti compatibilis cum dissensu v. g. etsi sit connexa cum consensu, est impedibilis per dissensum: sed connexum cum determinato libertatis exercitio, dummodo sit per eiusdem libertatis exercitium impedibile, nèc *formaliter*, nec *arguitivè* cũ libertate opponitur: ergo carentia decreti compatibilis cum dissensu componibilis est cum libertate consensus. Minor est certa: siquidem connexum impedibile per libertatis exercitium est id, quod sivè adsit, sivè desit, voluntas est expedita ad vtrumvis: aliàs, ipso existenti, non remaneret facultas expedita ad ipsum impediendum cum indifferentia ad non impediendum. Probatur maior in qua est difficultas. Id, cuius contradictorium est verè acquiribile per libertatis exercitium, est verè impedibile per libertatis exercitium: sed contradictorium carentiæ compatibilis decreti est verè acquiribile per dissensum, qui exercitium est libertatis: ergo carentia decreti compatibilis cum dissensu, etsi sit cum consensu connexa, est impedibilis per dissensum.

20 Probatur minor: nil est in decreto compatibili, quod est contradictorium carentiæ decreti compatibilis, repugnans acquiribilitati sui per dissensum: ergo contradictorium carentiæ decreti compatibilis, est verè acquiribile per dissensum, qui est libertatis exercitium. Probatur antecedens. Id, quod in decreto compatibili cum dissensu posset repugnare eius acquiribilitati per dissensum, esset; aùt antecedẽtia necessaria ad dissensum; aùt quod sit exercitium liberum alterius libertatis, scilicèt divinæ: vel assigna aliud repugnantiæ caput; sed neque antecedentia necessaria ad dissensum; quia alia antecedentia necessariò ad dissensum sunt per dissensum acquiribilia; vt patet in scientia media dissensus, neque quod sit exercitium alterius libertatis, scilicèt divinæ: quia alia, quæ sunt exercitia libertatis divinæ, sunt verè acquiribilia per exercitium libertatis creatæ: ergo nil est in decreto compatibili, quod est contradictorium carentiæ decreti compatibilis, repugnans acquiribilitati sui per dissensum.

21 Probo hanc vltimam partem, & simul totam rationem explico, & confirmo. Non minùs sunt prærequisita, & antecedentia ad consensum liberum *coniunctum ex auxilio, & scientia media de consensu*, & hæc veritas conditionalis de conditionato pertinente ad divinam libertatem: *si prævidissem auxilium efficax, illud conferrem*; quàm decretum compatibile cum dissensu: quia sinè illis, prout existentibus in signo anteriori, non potest consensus existere, vt per se patet: deinde non minùs; quàm ipsum, pertinent ad divinam libertatem; cùm coniunctum ex scientia media consensus, & auxilio existat pro libertate divina absque necessitate vlla conferendi auxilium sub scientia media consensus; & veritas illa conditionalis, cùm sit de conditionato Deo libero, sit etiam per divinam libertatem determinabilis, & tamen sunt per consensum liberum creaturæ acquiribilia: ergo id, quod est prærequisitum necessariò ad determinatum libertatis extremum, & ad divinam libertatem pertinens, est verè acquiribile per creatæ libertatis exercitium.

22 Probatur minor, ad quam

quam vltimò reducitur efficacia rationis. Si coniunctum ex scientia media consensus, & auxilio, & veritas illa conditionalis de conditionato ad divinam pertinente libertatem: *si prævidissem auxilium efficax, conferrem*, non esset per consensum acquiribilia; dissentiens, in quo deficit semper coniunctum ex scientia media consensus, & auxilio, & multoties veritas illa conditionalis; quia Deus habet oppositam, scilicet: *si prævidissem auxilium efficax, non conferrem*, nec haberet id, quod est necessarium ad consensum; nec in potestate sua esset illud acquirere; ac per consequens liberè non dissentiret: cum in nostris principijs firmum sit: eum, qui non habet, nec potest habere necessarium ad aliquod exercitium, esse antecedenter determinatum ad illud omittendum: ergo, aut est fatendum: coniunctum ex scientia media de consensu, & auxilio, & scientiam illam conditionalem de conditionato pertinente ad divinam libertatem esse per consensum vere acquiribilia; aut dissentientem sub auxilio, non liberè; sed necessario dissentire.

23 Confirmatur. Potest Deus per liberam determinationem alicuius indifferentis ad exercitium liberum creaturæ, constitutivi tamen libertatis illius, acquirere determinatum exercitium liberum creaturæ: ergo poterit voluntas creata per liberam determinationem sub auxilio alicuius indifferentis ad exercitium liberum Dei; constitutivi tamen libertatis illius, acquirere determinatum exercitium liberum Dei. Consequentia videtur legitima: nàm si aliquid obstaret, vt creatura per suum exercitium liberum acquirere posset decretum compatibile, quod est exercitium liberum Dei, maximè, quod per dissensum tantùm potest determinare scientiam mediam de illo; quæ est quid indifferens constituens divinam libertatem ad donandum, & non donandum auxilium: ergo si hoc non sit inconveniens respectu Dei, vt possit acquirere exercitium liberum creaturæ, neque erit inconveniens respectu creaturæ, vt possit acquirere exercitium liberum respectu Dei; cum in hoc nulla appareat disparitas inter Deum, & creaturam.

24 Probo igitur antecedens. Potest Deus supposita scientia media de consensu per liberam collationem auxilij indifferentis, & constitutivi libertatis ad consensum, acquirere consensum liberum à creatura, donando illum in auxilio indifferenti, vt liberè ponendum infallibiliter à creatura: nàm consensum, quem liberè ponit creatura, liberè accipit à Deo, vt est certum: ergo potest Deus per liberam determinationem alicuius indifferentis ad exercitium liberum creaturæ, constitutivi tamen libertatis illius, acquirere determinatum exercitium liberum creaturæ. Hinc procedo: sed creatura suppositio auxilio, potest determinare per dissensum scientiam mediam illius, quæ est quid indifferens; constitutivum tamen libertatis divinæ dandi auxilium per decretum compatibile: ergo poterit voluntas creata per liberam determinationem scientiæ mediæ de dissensu sub auxilio indifferentis ad liberum exercitium Dei donandi auxilium per decretum compatibile, tale decretum acquirere.

25 Explico. Non magis connectitur, posita ex parte libertatis divinæ scientia media de consensu, existentia auxilij Deo libera cum consensu creaturæ libero; quam posito auxilio ex parte libertatis creatæ, existentia scientiæ mediæ dissensus creaturæ libera cum decreto compatibili Deo libero: deinde non minus pertinet ad electionem liberam creaturæ consensus liber ipsius; quàm ad electionem liberam Dei decretum compatibile cum dissensu: sed Deus ponendo liberè auxilium sub existentia scientiæ mediæ de consensu sibi non libera, potest acquirere consensum liberum creaturæ: ergo creatura determinando liberè scientiam mediam de dissensu sub existentia auxilij sibi non libera, poterit acquirere decretum compatibile Deo liberum: ac per consequens dùm ipsi deficit decretum compatibile cum dissensu, non erit impotens ad dissensum.

26 Dices: Deum ponendo liberè auxilium sub existentia scientiæ mediæ de consensu purificare conditionem, sub qua scientia media constitutiva libertatis divinæ repræsentat infallibiliter extiturum consensum liberum creaturæ; quarè adiungendo liberè scientiæ purificationem conditionis, sub qua scientia media affirmat consensum liberum extiturum, potest obtinere consensum liberum à creatu-

ra. At voluntas creata determinando liberè scientiam mediam de dissensu constitutivam divinæ libertatis ad donandum auxilium per decretum compatibile, conditionem non purificat, sub qua sit infallibiliter verum, Deum collaturum auxilium per decretum compatibile: quia sub scientia media dissensus potest esse verum oppositum; scilicet, *Deum non collaturum auxilium, si prævideat inefficax*: quo casu, determinare scientiam mediam de dissensu, non erit purificare conditionem, sub qua sit infallibiliter verum, Deum collaturum auxilium per decretum indifferens, & compatibile.

27 Sed contra: quia licet attento solo statu conditionato, prout præscindit ab absoluto existentiæ auxilij, sit verum: voluntatem creatam liberè determinando scientiam mediam de dissensu non purificare conditionem, sub qua sit infallibiliter verum, extiturum decretum collativum auxilij compatibile cum dissensu; at non est verum, si statui conditionato addatur status absolutus per existentiam libertatis, & auxilij, (ex qua suppositione tantùm loquimur,) voluntatem creatam liberè determinando scientiam mediam de dissensu, non purificare conditionem, sub qua verum, sit decretum compatibile collativum auxilij esse infallibiliter extiturum: & ratio est: quia sicut est necessarium, quod si existat scientia media consensus sub auxilio *A*, & existat auxilium *A*, existat consensus: sic necessarium est, quod si existat auxilium, constituendo libertatem creaturæ, & existat scientia media dissensus sub auxilio constitutiva libertatis divinæ ad conferendum auxilium, existat auxilium liberè à Deo collatum per decretum compatibile: sed propter primam necessitatem Deus, liberè adiungendo scientiæ mediæ de consensu auxilium, potest liberè acquirere consensum liberum à creatura: ergo propter secundum, voluntas creata, liberè adiungendo auxilio sibi non libero scientiam mediam de dissensu, poterit acquirere decretum compatibile cum dissensu Deo liberum.

28 Hactenus que probavimus *positivè* conclusionem propositam; nunc vltimò adiungimus *negativam* probationem satis efficacem in quæstionibus de possibili, scilicèt: Deum conferre auxilium per decretum collativum, vnicum, & connexum cum determinato libertatis creatæ exercitio nullam dicit repugnantiam, aut cum creata, aut cum divina libertate: sed decretum collativum auxilij, ita non repugnans, possibile est: ergo decretum collativum auxilij vnicè existens, & connexum cum determinato libertatis exercitio possibile est. Discursus est legitimus, & minor certa: siquidem non est alius repugnantiæ titulus excogitabilis. Maior, ad quam reducitur difficultas constabit ex solutione argumentorum, quæ in promptu est.

CAPVT II.

Solvuntur obiectiones pro repugnantia talis decreti.

29 OBijcies primò: connexum cum consensu, & inimpedibile per dissensum tollit libertatem consensus: sed decretum collativum auxilij vnicè existens, connexum cum consensu est inimpedibile per dissensum: ergo tollit libertatem consensus. Probatur minor. Omne constitutivum potestatis expeditæ ad consensum est inimpedibile per dissensum: sed decretum vnicè existens connexum cum consensu est constitutivum potestatis expeditæ ad consensum: ergo inimpedibile per dissensum. Maior est certa: alioquin libertas ad consensum esset impedibilis per exercitium eiusdem libertatis, quod esset existere, & deficere simul cum exercitio. Probatur minor. Decretum vnicum connexum cum consensu est carentia necessitatis *simpliciter antecedentis* ad dissensum: sed carentia necessitatis *simpliciter antecedentis* ad dissensum est constitutivum potestatis expeditæ ad consensum: ergo decretum vnicè existens connexum cum consensu est constitutivum expeditæ potestatis ad consensum. Probatur maior. Carentia omnis decreti erga auxilium est necessitas *simpliciter antecedens* non consentiendi sub auxilio, vt per se patet: cùm sit exercitium vnicè Deo liberum, & nullo modo impedibile à voluntate, quæ sinè auxilio, vt esset, si nullum decretum Dei existeret erga auxilium, nil posset impe-

di-

dire, aut determinare sub auxilio: sed carentia omnis decreti divini erga auxilium, solùm excluditur defacto per decretum vnicè existens, & connexum cum consensu: ergo decretum vnicum connexum cum consensu est carentia, seu defectus *formaliter* excludens necessitatem *simpliciter antecedentem* dissensus.

30 Respondetur: verum esse carentiam omnis decreti collativi auxilij esse necessitatem *antecedentem* non consensus sub auxilio; quia si non sit decretum vllum erga auxilium, non erit auxilium, ac per consequens, nec consensus sub auxilio. Insuper conceditur: decretum vnicè existens connexum cum consensu esse defectum *formalem* talis necessitatis antecedentis; at negatur, vt falsum: carentiam omnis necessitatis antecedentis esse constitutivam libertatis. Ratio est: quia, vt necessitas antecedens simpliciter alicuius extremi libertatem illius destruat, non est necessarium *determinatè*, quod sit exclusivum *formale* libertatis; sed *vagè*, & *indeterminatè*, vel exclusivum *formale*, vel *arguitivum* libertatis, & potestatis ad vtrumvis; necessitas autem simpliciter antecedens non consensus consistens in carentia omnis decreti erga auxilium, non est necessitas excludens *formaliter* libertatem; verùm tantùm *arguitivè* ratione defectus auxilij constituentis libertatem, quem infert: vndè cùm defectui solùm *arguitivo* alicuius rei non correspondeat, vt *formali* exclusivo, existentia rei; si decretum vnicè existens, & connexum cum consensu est exclusivum *formale* carentiæ omnis decreti circa auxilium, quæ tantùm *illativè* cum libertate opponitur; decretum vnicè existens, & connexum cum consensu non erit constitutivum libertatis illius.

31 Pro forma argumenti distinguenda est illa propositio: *carentia necessitatis simpliciter antecedentis dissensus, seu non consensus est constitutiva potestatis expeditæ ad consensum*: sub his terminis: carentia *omnis* necessitatis simpliciter antecedentis ad dissensum, seu non consensus: nego: *alicuius*, scilicèt, *formalis*; & non purè *arguitivæ*: concedo: quæ distinctio, cum sit tenenda, vt vera difficultatis solutio ab omnibus nostræ sententiæ assertoribus; mirum est; quàm cæco impetu tractatu de actibus humanis statuant, carentiam physicæ prædeterminationis esse libertatis nostræ constitutivam eo nixi fundamento, quod prædeterminatio sit necessitas simpliciter antecedens extremi prædeterminati; immemores omnino distinctionis inter necessitatem simpliciter antecedentem *formalem*, & *purè illativam*; quarum primæ respondet carentia libertatis constitutiva; secùs secundæ, in cuius specie necessitatem prædeterminationis non esse, minimè probant. Hæc monere placuit propter præcipites admirationes aliquorum, quos vidi perterrefactos, dum audiunt: carentiam physicæ prædeterminationis non esse apud nos, libertatis constitutivam.

32 Replicabis: id quod se tenet ex parte hypothesis scientiæ affirmantis conditionatè consensum liberum est constitutivum potestatis *proximæ* ad consensum: sed decretum, quo defacto conferretur auxilium, si posset conferri per decretum vnicum, & connexum cum consensu, se teneret ex parte hypothesis scientiæ affirmantis conditionatè consensum liberum: ergo decretum vnicè existens, & connexum cum consensu est constitutivum potestatis *proximæ* illius. Maior apparet certa: quia non ob aliam rationem auxilium est constitutivum potestatis *proximæ* ad consensum liberum, nisi quia constituit hypothesim scientiæ mediæ conditionatè affirmantis consensum liberum. Probatur minor. Illud, quod in statu absoluto consensus liberi est id, a quo dependet absolutè consensus liber, est etiam, quod in statu conditionato est id, à quo dependet conditionatè consensus liber: sed id, à quo dependet conditionatè, est hypothesis scientiæ conditionatè affirmantis consensum liberum sub tali hypothesi: ergo decretum, quo defacto conferretur auxilium, si posset conferri per decretum vnicum, & connexum cum consensu, se teneret ex parte hypothesis scientiæ affirmantis conditionatè consensum liberum.

33 Distinguo maiorem primi syllogismi. Id, quod se tenet ex parte hypothesis scientiæ *contingentis* affirmantis conditionatè consensum liberum, est constitutivum potestatis proximæ ad consensum: concedo maiorem. Ex parte hypothesis scientiæ *necessariæ* affirmantis, &c. nego maiorem. Et distinguo minorem. Decretum, &c.

se teneret ex parte hypothesis scientiæ *necessariæ* affirmantis conditionatè consensum liberum : concedo minorem. Scientiæ *contingentis* : nego minorem, & consequentiam. Ad minoris probationem distinguo maiorem. Illud, quod in statu absoluto consensus liberi est id, à quo absolutè dependet consensus liber ; est etiam, quod in statu conditionato est id, à quo dependet conditionatè consensus liber *constituendo veritatem conditionalem, sivè contingentem, sivè necessariam* : concedo maiorem : *determinatè contingentem* : nego maiorem. Et distinguo minorem. Id, à quo dependet conditionatè est hypothesis scientiæ *sivè necessariæ, sivè contingentis* conditionatè affirmantis consensum liberum sub tali hypothesi : concedo minorem. Scientiæ *determinatè contingentis* : nego minorem. Et distinguo consequens. Decretum se teneret ex parte hypothesis scientiæ *necessariæ* affirmantis conditionatè consensum liberum : concedo consequentiam : scientiæ *contingentis* : nego consequentiam.

34 Ratio, & solutionis explicatio est. Non omne, quod constituit hypothesim scientiæ qualiscumque conditionatæ, constituere potestatem proximam ; sed illud tantùm, quod constituit hypothesim scientiæ conditionatæ *contingentis*, qualis est scientia media, ad quam attinet ex conditione propria, & natura, affirmare exercitium liberum sub conditione potestatis *proximè* liberæ ad illud : decretum autem collativum auxilij vnicum, & connexum cum consensu, quamvis esset hypothesis scientiæ affirmantis conditionatè sub ipso consensum liberum, esset hypothesis scientiæ conditionalis *necessariæ*, qualis est sic tendens : *Si existat auxilium, & decretum connexum cum consensu libero collativum ipsius, existet consensus liber*, quæ non assumit puram, & præcisam potestatem *proximam* consensus ; sed aliquid remotum, & ad potestatem proximam non pertinens ; non secùs, ac scientia altera conditionalis sic tendens : *si existat consensus liber, existet excludendo suum contradictorium*, in quo male argueretur, consensum liberum inclusum in hypothesi pertinere, aut constituere potestatem sui *proximam*.

35 Obijcies secundò Auxilium, vt influxivum in consensum, constituit potestatem ad consensum : sed auxilium, vt influxivum in consensum, involvit decretum, à quo dependet : ergo auxilium, prout constituens potestatem ad consensum, includit decretum, à quo dependet : sed decretum, à quo auxilium de facto dependeret, si per decretum vnicum, & connexum posset à Deo conferri, esset decretum vnicum, & connexum cum consensu : ergo decretum vnicè existens cum consensu connexum, potestatem consensus constitueret. Inde libertatem consensus planè destrueret, cum potestas *proxima* ad consensum *determinata*, non sit potestas proxima *indifferens*, qualis debet esse potestas libertatis consensus. Vis argumenti reducta est ad propositionem minorem primi syllogismi, quæ sic probatur. Auxilium, vt influxivum in consensum, est auxilium, vt actualiter dependens à decreto : sed auxilium, vt actualiter dependens à decreto, involvit decretum : ergo auxilium, vt influxivum in consensum, involvit decretum. Probatur maior. Auxilium influit in consensum, vt existens extra suas causas : sed, vt existens extra suas causas, actualiter dependet à decreto, à quo procedit : ergo, vt influxivum in consensum, est auxilium, vt actualiter dependens à decreto.

36 Probat argumentum contra adversarios concedentes decretum collativum auxilij connexum cum consensu non vnicè existens libertati non officere. Ratio est : quia, quod decretum connexum non sit vnicum, minimè tollit auxilium de facto ab illo causari, & dependere : vnde, si auxilium, prout influxivum, includit decretum, à quo causatur ; non minùs decretum connexum pertinebit ad potestatem consensus, quando est in alterius consortio, ac quando est solitariè : sed omne connexum cum consensu constituens potestatem consensus tollit libertatem consensus : ergo non magis decretum connexum solitariè ; quàm in consortio alterius compatibilis libertatem destruit. Probat etiam, scientiam mediam de consensu v. g. aùt non præcedere ad collationem auxilij, aùt potestatem consensus constituere, evertendo libertatem illius ; non secùs ac decretum connexum : est cla-

clarum : nam si auxilium, proùt influxivum, includit decretum ; includet ipsum, non vtcumque ; sed, vt influxivum in auxilium : ait, proùt influxivum in auxilium includit scientiam mediam, à qua *à priori* dependet : neque enim maior est ratio, vt auxilium, proùt influxivum, includat decretum, à quo dependet *à priori* ; quàm vt decretum, proùt influxivum, includat scientiam mediam, a qua regulatur, & dependet : ergo æquè scientia media dirigens, & præcedens ad auxilij collationem ; quàm decretum auxilij potestatem consensus constituet : vnde rursus nulla erit causa *mediata* alicuius effectus ; cùm omnis causa causæ *immediatæ* effectus constituat potestatem illius *proximam*.

37 Solutio sit, distinguere in auxilio, sicut in quovis alio essectu respectu suæ causæ dependentiam *intrinsecam*, & *extrinsecam* à decreto : ex quibus dependentia *intrinseca* non distinguitur ab entitate auxilij, quæ ex se exigit *determinatè*, vt existat absolutè, procedere à sua causa *determinatè* requisita, & *vagè* à causa *indeterminatè* necessaria, vt existat : dependentia *extrinseca* consistit in existentia actionis, & causæ dantis defacto *esse*. Ex ijs dependentijs includit auxilium, vt influxivum, *intrinsecam* ; secùs *extrinsecam* : quia tantum secundùm dependentiam *intrinsecam*, per quam dat immediatè *esse* consensui, constituit potentiam *proximam* illius ; non autem secundùm dependentiam *extrinsecam*, quæ includens causam *remotam* consensus, non potest constituere, nequè esse in signo potestatis *proximæ*. Vnde ad formam : concessa maiori : nego minorem. Ad cuius probationem : distinguo maiorem. Auxilium, vt influxivum in consensum, est auxilium, vt actualiter dependens *intrinsecè* à decreto : concedo maiorem, vt actualiter dependens *extrinsecè* : nego maiorem, & distinguo minorem. Auxilium, vt actualiter dependens à decreto *purè intrinsecè*, involvit decretum : nego minorem : *intrinsecè*, & *extrinsecè* : concedo minorem : & nego consequentiam. Ad vltimam probationem distinguenda est similiter maior. Auxilium influit in consensum, vt existens extra suas causas, secundùm *id, quod existere extra suas causas dicit intrinsecum auxilio* : concedo maiorem : *secundùm quod dicit intrinsecum, & extrinsecum* : nego maiorem : & distinguo minorem. Vt existens extra suas causas, actualiter dependet à decreto *intrinsecè, & extrinsecè* : concedo minorem : præcisè *extrinsecè* : nego minorem, & consequentiam.

38 Replicabis. Auxilium, proùt dependens *intrinsecè* à decreto, qua ratione influit in consensum, non potest existere sine decreto sibi extrinseco, à quo dependet : sed decretum sibi extrinsecum à quo dependet, est decretum connexum, quàdo vnice cofertur per decretū cōnexū : ergo auxilium, proùt influxivum, non potest existere sine decreto connexo cum consensu : quod est indifferentiam sui commutare in connexionem, & determinationem ad consensum : cum quo non stat libertas. Respondetur : auxilium, proùt dependens *intrinsecè* à decreto, (qua ratione concedimus esse influxivum in consensum,) non posse existere sine decreto aliquo *vagè* sumpto ; at bene posse existere sine decreto *determinatè* accepto, per quod defacto confertur ; scilicet, sinè decreto connexo ; quia posset existere per decretum compatibile : aùt sinè decreto compatibili, quia posset existere per connexum : non aliter, ac, etsi non possit existere sine scientia media hac, vel illa, potest existere sinè qualibet determinatè sumpta. Inde, licet defacto conferatur auxilium per decretum connexum, nulla in auxilio resultat connexio cum determinato libertatis extremo ; sed manet quoad se, & intrinsece tàm indifferens, ac si per decretum compatibile conferretur.

39 Objicies tertiò. Non est libertas ad consensum, quando deficit potestas ad dissensum : sed sub decreto collativo connexo cum consensu, & carentia decreti compatibilis cum dissensu non est potestas ad dissensum : ergo decretum collativum auxilij vnicè existens, & connexum cum consensu impedit libertatem consensus. Probatur minor. Non est potestas ad dissensum, quando deficit aliquod ex prærequisitis immediatis ad dissensum : sed decretum compatibile cum dissensu est aliquod ex prærequisitis immediatis ad dissensum : ergo sub decreto collativo connexo cum consensu, & carentia decreti compatibilis cum dissensu, non est potestas ad dissensum. Maior apparet certa : siquidem potestas

expedita dissentiendi includit potentiam proximam dissentiendi, in qua absdubio includitur quidquid immediatè ad dissensum prærequisitum est. Probatur minor: Aut deficiente decreto compatibili cum dissensu, & existente solo decreto connexo cum consensu, existunt omnia prærequisita immediata ad dissensum, aut non existunt? *Si non existunt*: ergo deficit aliquod ex prærequisitis ad dissensum immediatis, ac per consequens potestas, quæ per existentiam omnium constituitur: *si existunt*: ergo cum prærequisita *immediata* non possint existere sinè suis prærequisitis *immediatis*, quæ sunt prærequisita *remota* dissensus, nil deficiet, ex prærequisitis *proximis*, & *remotis* ad dissensum, quod est aperte falsum: alias posset existere sub auxilio, vt collato per decretum connexum cum consensu.

40 Huius difficultatis redargutio in promptu est, tùm in carentia decreti connexi cum consensu, quamvis coniuncto decreto compatibili, tum in scientia media de dissensu: *in carentia decreti connexi*: quia etsi decretum connexum cum consensu non vnicè existat, semper carentia ipsius ad dissensum prærequisita est: *in scientia media dissensus, à qua existentia dissensus inseparabilis est*: Vel ergo carentia decreti connexi, & existentia scientiæ mediæ dissensus sunt prærequisitæ *immediatè* ad dissensum, vel non? Si *primum*: ergo existentibus decreto connexo, & carentia scientiæ mediæ dissensus, deficit potestas *proxima*, & expedita ad dissensum; existitque necessitas ad consensum: si *secundum*: ergo neque carentia decreti connexi cum consensu, nec existentia scientiæ mediæ dissensus sunt prærequisitæ *immediatè* ad dissensum, neque *mediatè*; alias deficerent, ipsis deficientibus, prærequisita *immediata* ad dissensum; quod apertè falsum est, ne dicatur, dissensum posse existere suo auxilio, vt coniuncto cum decreto connexo cum consensu, & carentia scientiæ mediæ de dissensu.

41 Pro solutione, detegenda est æquivocatio, quæ latet in termino *immediatè*: nam vel potest appellare supra id, quod prærequirit, vel supra id, quod est prærequisitum: Si *appellet supra id, quod prærequirit*; facit hunc sensum: *prærequirens ratione sui, & non ratione alterius, quod immediatius exigat, petit aliud, vt sibi præcedens, sive in priori proximo, sivè in priori remoto*: si verò *appellet supra prærequisitum*; reddit hunc sensum: *id, quod prærequiritur, est immediate præcedens ad id, quod requirit*. Igitur decretum compatibile est immediatè prærequisitum ad dissensum ly *immediatè* appellante supra *dissensum requirentem*; non supra *decretum prærequisitum*: ideo licet decretum deficiat, non benè infertur, deficere aliquid *immediatè* præcedens ad dissensum, & constitutivum potestatis illius; sed tantum aliquid, quod dissensus per se *immediatè* requirit, & quod, vt existens *mediatè*, & in signo anteriori ad auxilium potest acquirere. Compendium solutionis accipe per distinctionem. Dissensus *immediatè* prærequirit decretum compatibile, *vt immediatè præcedens*: nego: *vt mediatè præcedens*: concedo, & nego consequentiam de constitutione potestatis per tale decretum.

42 Obijcies quartò: cui deficit necessarium ad dissensum, & simul caret potestate illud acquirendi, est necessitatus ad consensum: sed voluntati constitutæ sub auxilio collato per decretum vnicum, & connexum cum consensu deficit necessarium ad dissensum, scilicet decretum compatibile cum dissensu, & simul potestas illud acquirendi: ergo est necessitata ad consensum. Probatur minor quoad secundam partem, nam quoad primam certa est. Voluntas sic constituta non potest acquirere decretum compatibile, vt existens necessario, & absque libertate in Deo: non, vt existens liberè: ergo voluntati sic constitutæ deficit potestas acquirēdi decretum compatibile. Consequentia est legitima, & antecedens quoad vtramque partem probatur: quoad primam. Voluntas per dissensum non potest necessitare Deum ad decretum compatibile *immediatè* per dissensum; tum quia dissensus *immediatè*, & *formaliter* non aufert aliquod constitutivum libertatis divinæ ad conferendum auxilium per decretum indifferens, vt per se patet; tum quia dissensus tantùm *logicè*, & *à posteriori* infert existentiam decreti compatibilis; qui inferendi modus nullam inducit necessitatem antecedentem ad existentiam decreti compatibilis: vt constat in scientia visionis de consensu meo libero per determinationem Dei liberam existente, & quamvis connexa cum meo consensu, minimè ad illum antecedenter ne-

ces-

cessitante : nèc *mediatè* ratione scientiæ mediæ , quam per dissensum *immediatè* determinat. quia scientia media de dissensu, quamvis auferat libertatem ad decretum connexum ; non aufert ; sed constituit libertatem , & indifferentiam ad decretum compatibile : ergo voluntas sic constituta non potest acquirere decretum compatibile , vt existens necessariò , & absquè libertate in Deo.

43 Quoad secundam: determinatio libera vnius agentis , qualis est determinatio decreti compatibilis cum dissensu respectu Dei, excludit omnem aliam determinationem liberam alterius agentis , quæ non sit purè *logica* , & à *posteriori* , eiusdem exercitij: ergo voluntas creata per suum exercitium liberum dissensus non aliter determinare potest existentiam decreti compatibilis ; quàm purè *logice* , & *à posteriori*, quæquidem determinatio minimè est acquisitiva ; sed potius alterius exercitij præsuppositiva. Probatur antecedès. Determinatio libera vnius agentis excludit omnem aliam determinationem liberam eiusdem exercitij in alio agente libero , quæ , aùt sit *antecedens*, aut sit *comitans* : nàm prima erit necessitas , & secunda libertatum sympatia : sed omnis determinatio alterius agentis liberi, quæ nèc sit *antecedens* , nec *comitans* , est determinatio purè *logica* , & à *posteriori* eiusdem exercitij : ergo determinatio libera vnius agentis , qualis est determinatio decreti compatibilis cum dissensu respectu Dei , excludit omnem aliam determinationem liberam alterius agèntis , quæ non sit purè *logica*, & à *posteriori* , eiusdem exercitij.

44 Hæc secunda pars confirmatur primò: quomodocumque operetur voluntas creata , sivè *conditionatè*, sivè *absolutè* sub determinato auxilio non tollit libertatem Dei ad conferendum , & non conferendum auxilium per decretum compatibile cum dissensu : sed libertas vnius agentis , quæ per suum exercitium non potest impedire libertatem alterius ad sic, vel aliter operandum , nec potest acquirere id, quod ab exercitio libero alterius dependet: ergo voluntas creata per dissensum sub auxilio non potest acquirere decretum compatibile. Maior est certa: nàm omnis modus , quo voluntas creata potest operari sub determinato auxilio , sivè *conditionatè* , sivè *absolutè*, est , aùt consentiendo , aùt dissentiendo , qua ratione Deus semper est liber ad antecedenter dandum , aut non dandum auxilium; àc per consequens ad non conferendum illud tali modo , scilicet, decreto compatibili. Probatur minor. Libertas vnius agentis , quæ per suum exercitium non tollit potestatem liberam alterius ad sic , vel aliter operandum , est libertas , quæ per suum exercitium nil ponit *à priori* connexum , & determinatum potius cum vna , quàm cum altera operatione alterius : sed hoc est per suum exercitium liberum non posse acquirere determinatum exercitium liberum alterius : ergo libertas vnius agentis , quæ per suum exercitium non potest impedire libertatem alterius ad sic, vel aliter operandum, nèc potest acquirere id , quod ab exercitio libero alterius dependet.

45 Confirmatur secũdò: veritas hæc conditionalis : *si existat dissensus, existet auxilium liberè pro priori collatum à Deo per decretum compatibile* , non probat acquiribilitatem decreti compatibilis per dissensum : sed dato auxilio sub carentia decreti compatibilis , tantùm verificatur prædicta conditionalis; cum dissensus non aliter inferat existentiam decreti compatibilis ; quàm vt *pro priori* liberè determinatam à Deo: ergo dato auxilio sub carentia decreti compatibilis , nil est in voluntate probans potestatem acquirendi decretum compatibile . Probatur maior. Veritas hæc conditionalis : *si existat dissensus, existet prædeterminatio ad materiale illius liberè pro priori determinata à Deo* , non probat, præd. terminatum ad consensum habere vllam veram potestatem acquirendi prædeterminationem ad materiale dissensus : ergo veritas hæc conditionalis: *si existat dissensus , existet auxilium liberè pro priori collatum à Deo per decretum compatibile*, non probat acquiribilitatem decreti compatibilis , per dissensum.

46 Confirmatur tertiò: omne , quod liberè determinat voluntas dissentiens sub auxilio ; aùt est quid connexum cum decreto compatibili; aut quid ad illud indifferens , & cum illius carentia componibile : sed neque per connexum , nequè per indifferens acquiret decretum compatibile : ergo voluntas consentiens cum auxilio collato sub carentia decreti compatibilis non est potens , dissentiendo , acquirere decretum compatibile . Maior est cer-

certa : etenim omne, quod voluntas dissentiens sub auxilio liberè determinat, aùt est dissensus connexus cum decreto compatibili ; aùt est scientia media de dissensu indifferens ex se, sicut ad existentiam, & carentiam auxilij, ita ad decretum indifferens collativum auxilij, & ad carentiam talis decreti. Probatur minor. Connexum cum termino ex alterius libertate præsuppositio, non est acquisitio termini præsuppositi: deindè indifferens ad aliquod extremum, & carentiam illius non est acquisitio termini, cum cuius defectu est componibile : sed connexum, quod voluntas dissentiens libere determinat, scilicet *dissensus*, tantùm infert decretum compatibile, vt ex alterius libertate determinatum *pro priori*, & *præsuppositivè* ; & insuper scientia media de dissensu est componibilis cum carentia decreti compatibilis : ergo voluntas dissentiens, neque per connexum, neque per indifferens acquirit decretum compatibile.

47 Gravem istam difficultatem, quæ potior est in hac quæstione latè discussimus disputatione 5. capite 3. à numero 119. agentes de efficacia in actu primo, & de eius acquiribilitate, in qua, obiectio præsens patitur instantiam, & est ab omnibus solvenda ; nec non in scientia media *reflexa*, quæ acquiribilis, & impedibilis est à creatura, quamvis tam efficacia in actu primo ; quàm scientia media *reflexa* sint immediatè liberæ Deo : videantur ibi dicta, ex quibus dupliciter argumento proposito respondeti potest.

48 Primò, determinationem liberam vnius agentis non posse acquiri per determinationem liberam alterius acquisitione determinativa à *priori* ; benè tamen acquisitione influxiva, scilicet constituendo libertatem alterius in circunstantijs, in quibus non separabitur ab operatione libera ; qua ratione Deus minimè determinans à *priori* simpliciter nostras operationes liberas, potest nihilo minus per auxilij collationem in circunstantijs, in quibus videt infallibiliter futurum nostrum consensum liberum, illum acquirere, & nobis in auxilio donare : sic creata voluntas sub auxilio, quod defacto coniungeretur cum carentia decreti compatibilis Deo liberi, posset per dissensum determinare scientiam mediam *ineffacem*, & per illam constituere libertatem divinam in circunstantijs, in quibus esset infallibiliter coniungenda cum decreto compatibili propter necessitatem, quam secum fert in statu absoluto auxilium indifferens permanendi, sivè existat consensus, sivè existat dissensus, & coexistendi omnibus his, quæ sunt essentialiter necessaria ad quodvis determinatum exercitium ex suppositione, quod vnum præ altero existat. Vnde ad formam argumenti conceditur, voluntatem creatam non posse per dissensum acquirere decretum compatibile, vt absquè libertate ponendum, & distinguitur non posse illud acquirere, vt liberum : *acquisitione determinativa à priori simpliciter* : concedo : *acquisitione putè influxiva* : nego.

49 Ad primam confirmationem ; verum est ; quod quomodocumque operetur voluntas creata, non impedit libertatem divinam conferendi, & non conferendi auxilium per decretum compatibile : cæterum id tantum probat : non posse per suum exercitium acquirere decretum compatibile *determinativè à priori* ; secus *influxivè* per constitutionem divinæ libertatis in circunstantijs, in quibus erit inseparabilis a decreto compatibili, qui acquirendi modus manifestè fit practicus in Deo acquirente nostrum consensum liberum per collationem auxilij purè indifferentis in circunstantijs, quibus *consequenter* est inseparabilis à consensu libero.

50 Ad secundam. Veritas illa conditionalis : *si existat dissensus, existet auxilium liberè pro priori collatum à Deo per decretum compatibile*, non probat acquiribilitatem decreti compatibilis per dissensum ; quando non manet locus præcedentiæ *influxivæ* per constitutionem libertatis divinæ à *priori* in occasione, & circunstantijs, quibus non deerit decretum compatibile liberè positum à Deo : quod non verificatur de prædeterminatione, in qua, licet verificetur illa conditionalis. *si existat dissensus, existet physica prædeterminatio liberè pro priori determinata à Deo*, non est in creatura potestas ad aliquem influxum præstandum per libertatis divinæ determinationem, sub qua Deus infallibiliter fit prædeterminaturus ad materiale dissensus, & impediturus prædeterminationem ad consensum : vnde patet diversitas inter prædeterminatum ad consensum, & consentientem sub auxilio

xilio collato per decretum vnicum, & incomponibile cum dissensu.

51 Ad tertiam: concessa maiori, negatur minor quoad vtramque partem: quia tàm per dissensum connexum cum decreto compatibili; quam per scientiam de dissensu indifferentem potest voluntas creata acquirere *influxivè* decretum compatibile; in quantum dissensus determinat *obiectivè* scientiam mediam sui, quæ immediatè constituit divinam libertatem, quæ in circunstantijs auxilij est inseparabilis à decreto compatibili; nèc obstat subsequutio dissensus ad decretum, & auxilium, cùm sit in genere *physico*, & componibilis cum præcedentia dissensus in genere *obiectivo*, quæ præcedentia, & subsequutio rectè cohærent, vt semel, & iterum diximus de scientia media, & de fine respectu mediorum.

52 Secundò: dicendo: determinationem vnius agentis liberi esse acquiribilem *determinativè* per exercitium liberum alterius, dummodò determinatio sit negativa, & similis ei, qua Deus nos determinat ad individuationem; qua, intacta libertate creata, vt pro sua electione ponat individuum amoris, facit solùm, quòd si sit determinatio ad individuum amoris, sit potius per hoc determinatum; quàm per aliud: pari ergo modo voluntas creata, etsi non possit determinando scientiam mediam de dissensu facere absolutè, quod Deus conferat auxilium per decretum compatibile; tamen potest determinando talem scientiam, Deum constituere in circunstantijs, in quibus, vel non conferat auxilium, vel si conferat, sit per decretum compatibile cum dissensu; aliàs si per decretum connexum cum consensu conferret, vel frustraretur decretum, vel libertas creata non subsisteret. Quarè cùm pro casu existentiæ auxilij purificetur conditio de eo, quod vult dare auxilium; si voluntas creata determinet scientiam mediam dissensus; per consequens determinat Deum *negativè* ad decretum compatibile per exclusionem potestatis ad illud conferendum per omnem aliam collationem, quæ sit connexa cum consensu.

53 Ex qua doctrina pro forma argumenti, distinguatur illa propositio probativa, quæ est in secunda parte: determinatio libera vnius agentis excludit omnem aliam determinationem alterius *purè negativam*, quæ sit antecedens: nego: *positivam*, quæ sit antecedens permitto. Et distinguo consequens. Determinatio decreti compatibilis Deo libera excludit omnem aliã determinationem, quæ non sit purè logica, & à posteriori *negativè, in quantum non sit determinatio antecedens positiva*: concedo consequentiam: quæ non sit purè locica, & à posteriori *positivè*: nego consequentiam, quam, si mavis absolutè negare, poteris.

54 Ad primam confirmationem: distinguo maiorem. Quomodocumque operetur voluntas creata, sivè conditionatè, sivè absolutè sub determinato auxilio non tollit libertatem Dei ad conferendum, & non conferendum auxilium per decretum compatibile cum dissensu *libertate versante inter decretum compatibile, & carentiam illius* concedo maiorem: *libertate versante inter vnum, & alterum decretum*, nempè compatibile cum dissensu, & connexum cum consensu: nego maiorem, & distinguo minorem. Libertas vnius agẽtis, quæ per suum exercitium non potest impedire libertatem alterius ad sic, vel aliter operandum, *nèc positivè, nèc negativè*, non potest acquirere id, quod ab exercitio libero alterius dependet: concedo minorem, *positivè tantum*: nego minorem, & consequentiam. Vnde patet ad minoris probationem. Itaque si cut Deus, relicta potestate in creatura, vt liberè ponat, vel non ponat hoc individuum amoris, v. g. libertate versante inter individuum, & carentiam illius; secùs inter individuum, & individuum; potest facere, quòd si voluntas creata amet, potius amet hoc individuo amore; quàm alio, per determinationem *negativam*, quam in præparatione concursus adhibet, excludendo potestatem in creatura ad aliud individuum præter hoc determinatum: sic voluntas creata, relicta in Deo potestate, & libertate ad decretum compatibile præ carentia illius, determinando scientiam mediam dissensus, non relinquit in Deo potestatem, vt conferat auxilium libertate versante inter decretum indifferens, & connexum cum consensu; quod sufficit, vt pro suppositione auxilij tribuatur voluntati creatæ, existere auxilium potius per decretum compatibile cum dissensu; quàm per aliud dissensui repugnans.

55 Ad secundam: volun-

tas

tas dissentiens sub auxilio non tantùm verificat illam conditionalem : *si existat dissensus, existet auxilium liberè pro priori collatum à Deo per decretum compatibile*; sed insuper præcedit, vt *negativè* determinans ad decretum compatibile per impeditionem potestatis divinæ ad decretum connexum. Non sic accidit in prædeterminatione, in qua, vltrà verificationem illius conditionalis: *si existat dissensus, existet pro priori prædeterminatus à Deo liberè quoad entitatem*, non datur in voluntate creata vlla potestas ad determinandum, sivè *positivè*, sivè *negativè* à *priori* existentiam prædeterminationis necessariæ ad dissensum per ipsum dissensum.

56 Ad tertiam : dicatur: voluntatem liberè dissentientem, tàm per connexum, id est dissensum ; quàm per indifferens, id est scientiam mediam dissensus, acquirere decretum compatibile, non determinando ad illud *positivè* ; sed *negativè* : per dissensum quidem *remotè* à *priori*, in quantum est *obiectiva* ratio determinans scientiam mediam sui, quæ potius datur, quia datur dissensus ; quàm è contra : per scientiam mediam à *priori proximè*, tamquàm per constitutivum divinæ libertatis, & potestatis conferendi auxilium per decretum compatibile, & tamquam per impotentiam conferendi auxilium per aliud decretum, quod sit determinatum ad contentum, & incomponibile cum dissensus existentia sub auxilio: vnde constat falsitas illius propositionis: *voluntas dissentiens, neque per indifferens, neque per connexum cum decreto compatibili potest illud acquirere*, sicut, & probationis illius.

57 Obijcies quintò : si voluntas per suum exercitium liberum posset impedire decretum, à quo defacto pendet libertas, qua existit libera, & aliquomodo verè, sivè *influxivè*, sivè *determinativè* acquirere aliud decretum eiusdem libertatis collativum, posset similiter per suum exercitium liberum defacto procedens à libertate *A* v. g. impedire prædictam libertatem, & aliam acquirere : sed hoc non potest: ergo nec illud. Minor certa apparet, alias exercitium defacto procedens a libertate *A* posset ab ea simul existere, & deficere, quod implicatorium est, vt per se patet. Probatur maior. Eatenus voluntas per suum liberum exercitium potest impedire decretum, à quo defacto pendet libertas, qua existit libera, & aliquomodo acquirere aliud decretum eiusdem libertatis, quia libertas, qua defacto gaudet ; non pendet essentialiter ab hoc determinato decreto : sed neque exercitium liberum v. g. consensus pendet essentialiter ab hac determinata libertate, à qua defacto procedit, saltem in probabili sententia concedente actus extrinsecè liberos: ergo si primum posset, similiter secundum posset.

58 Respondet Pater Herrera negando maiorem, ad cuius probationem distinguit maiorem. Eatenus *præcisse* voluntas per suum exercitium liberum potest impedire decretum, à quo defacto dependet libertas &c. quia libertas, qua de facto gaudet, non pendet essentialiter ab hoc decreto : negat maiorem. Ex eo, quod non pendeat, *& quia aliunde datur potestas proxima, & expedita ad ponendum ex tremum incomponibile cum decreto*: concedit maiorem. Et distinguit minorem. Neque exercitium liberum v. g. consensus pendet essentialiter ab hac determinata libertate, *& datur aliunde potestas ponendi tale exercitium, vt incomponibile cum libertate qua defacto gaudet* : negat minorem. Et *non datur aliunde potestas &c.* concedit minorem, & negat consequentiam.

59 Ratio solutionis est: non tenere paritatem a potestate impediendi decretum collativum libertatis, quod defacto datur, ad potestatem impediendi libertatem, quæ defacto existit : quia pro impeditione decreti datur aliunde potestas proxima, & expedita ponendi impedimentum, nempè, aut consensum, aut dissensum, prout fuerit conditio decreti collativi : at pro impeditione libertatis nulla restat potestas, quæ per suum exercitium valeat apponere impedimentum cum libertate pugnans : patet : siquidem non ipsa libertas ; vtpotè, quæ non potest simul se exercere, & se impedire ; non per aliam ; quia talis potestas defacto non datur: ergo pro impeditione libertatis, & potestatis proximæ nulla est expedita potestas. Vnde constat fundamentum impedibilitatis, & acquiribilitatis decreti collativi libertatis non esse solam independentiam *inconnexionis*, quam cum ipso habet libertas; sed independentia *inconnexionis* coniuncta cum potestate expedita ad ponendum impedimentum; quæ non datur in libertatis extremo com-

comparativè ad libertatem immediatam, à qua procedit. Adde: posse aliquem dicere, quod, etsi admittantur actus intrinsecè liberi; ac proinde dependentes dependentia *connexionis* ab hac determinata libertate, à qua procedunt; non inde probari, posse per exercitium liberum impediri libertatem: tùm quia connexio non est mutua ex parte libertatis ad extrema: tum quia etsi mutua esset, taliter, vt determinata hæc libertas non posset versari, nisi inter hæc extrema; cùm nullum determinate respiceret, per nullum posset determinatè, aùt impediri, aùt acquiri.

60 Sed quamvis hæc vera sint, & legitima argumenti solutio; expedit tamen paritatem in argumento tactam diligentiùs explorare per distinctionem status conditionati, & absoluti exercitij liberi, vt constet in quo vnivocentur potestas impediendi, & acquirendi decretum libertatis collativum, & potestas impediendi, & acquirendi libertatem; sicut in quo diversificentur. Itaque si consideremus exercitium liberum voluntatis in statu conditionato sub auxilio, potest voluntas non solùm impedire, & acquirere decretum collativum libertatis; verum etiam ipsam libertatem; cum ea differentia, quod decretum libertatis collativum potest impedire, & acquirere *determinativè*; at libertatem tantum *influxivè*.

61 Probatur prima pars. Voluntas in statu conditionato sui exercitij liberi determinando scientiam mediam consensus v. g. potest *obiectivè* determinare libertatem divinam ad cognitionem obiecti, quod valeat esse ratio alliciens, aut retrahens ab existentia auxilij: sed potestas determinandi libertatem divinam ad cognitionem obiecti, quod valeat esse ratio alliciens, aùt retrahens ab existentia auxilij, est potestas acquirendi, & impediendi auxilium, quando defacto talis ratio Deum allicit, aut retrahit ab existentia auxilij: ergo si consideremus exercitium liberum voluntatis in statu conditionato sub auxilio; potest voluntas non solum impedire, & acquirere decretum collativum libertatis; verum & ipsam libertatem. Maior est certa: nàm voluntas consentiendo conditionatè, *obiectivè* determinat divinam libertatem, vt constituatur per scientiam mediam de consensu, cuius obiectum ex se est ratio alliciens, vt Deus sit specialis benefactor per collationē auxilij efficacis, aut retrahēs, si velit creaturā deserere per negationē auxilij efficacis. Probatur min. Potestas constituēdi libertatē alterius per cognitionem rationis allicientis, aut retrahentis ab aliquo effectu, quando defacto ab illo allicitur aut retrahitur, est potestas influendi in re, vel in positionem, vel in impeditionem effectus: sed potestas influendi in re, & in actu secundo in positionem, vel impeditionem effectus, est potestas acquirendi, vel impediendi effectum: ergo potestas determinandi libertatem divinam ad cognitionem obiecti, quod valeat esse ratio alliciens, aut retrahens ab existentia auxilij, est potestas acquirendi, & impediendi auxilium; quando defacto talis ratio Deum allicit, aut retrahit ab existentia auxilij.

62 Probatur secunda pars facilis ex dictis. Voluntas in statu conditionato sui exercitij liberi tantùm potest determinare scientiam mediam, aùt consensus, aùt dissensus, quæ quamvis sit determinata, vel *positivè* ad carentiam alicuius decreti, vel *negativè* ad existentiam alterius circà auxilium; est tamen omnino indifferens tàm ad carentiam, & existentiam auxilij constitutivi suæ hypothesis; quàm ad existētiam, & carentiam cuiusvis alterius: sed per id, quod est omninò indifferens, sive ad existentiam, & carentiam determinati auxilij, sivè ad existentiam, & carentiam cuiusvis alterius, non potest voluntas vllo modo acquirere, aut impedire existentiam auxilij, *determinativè*: ergo quamvis in statu conditionato possit impedire; aùt acquirere *determinativè* decretum collativum libertatis, non potest acquirere, aùt impedire ipsam libertatem *determinativè*; nisi tantum *influxivè*.

63 Aliter est discurrendum de exercitio libero considerato in statu absoluto auxilij; in quo voluntas se determinando liberè, etsi possit acquirere libertatem eiusdem exercitij *influxivè*, secus *determinativè*; at impedire, nèc *determinativè*, nèc *influxivè*. Probatur prima pars. Voluntas in statu absoluto auxilij potest influere per suū exercitium absolutum in existentiam libertatis & auxilij tamquàm per finem in medium: sed influxus finis in medium est acquisitio medij: ergo voluntas in statu absoluto auxilij potest per

suum

ſuum exercitium liberum acquirere *influxivè* libertatem eiuſdem exercitij. Minor eſt certa : nam finis influendo in media aſſequutiva ſui, verè *obiectivè* acquirit ſibi media, vel neceſſaria, vel conducentia, vt exiſtat. Probatur maior. Deus poteſt conferre auxilium, quod prævidet efficax ex fine conſenſus abſoluti ; imò defacto ita conferre, multi cenſent : quod videtur confirmare illud Apoſtoli prima ad Corinthios capite 7. *Tanquàm miſericordiam conſequutus à Domino, vt ſim fidelis*: ſed quando conferat auxilium ex fine conſenſus abſoluti, voluntas per ſuum exercitium abſolutum poteſt influere, & influit in exiſtentiam auxilij tamquàm per finem in medium : ergo voluntas in ſtatu abſoluto auxilij poteſt influere per ſuum exercitium abſolutum, tamquàm per finem in medium.

64 Adverto in confirmationem : poſſe voluntatem iuxta plures per ſuum exercitium abſolutum acquirere *influxivè* influxu meriti in præmiũ, ſuum immediatum principium libertatis, à qua defacto oritur conſtitutivum, ſaltem quoad exiſtentiam comparativam alterius imperfectioris ; nec non iuxta alios, etiam quoad exiſtentiam abſolutam, vt tenet Eximius Doctor Pater Suarez, vt latè diſputant Authores tractatu de merito ad quæſtionem inquirentem. *An principium meriti poſsit cadere ſub meritum?* Quæ, etſi diſputari non liceat modò, probant: non eſſe inconcuſſum, vt intendebat argumentum: *voluntatem non poſſe per ſuum exercitium acquirere immediatam illius libertatem.*

65 Probatur ſecunda pars. In ſtatu abſoluto auxilij ponendo exercitium liberum voluntas, nèc *immediatè*, nèc *mediatè* determinat aliquid, quod *immediatè* à *priori* ſit connexum cum exiſtentia auxilij determinati, quod defacto datur, aùt cum exiſtentia alterius auxilij in defectu huius: ſed hoc eſt non poſſe ſibi acquirere libertatem *determinativè* : ergo in ſtatu abſoluto auxilij voluntas non poteſt per ſuum exercitium liberum acquirere libertatem, à qua defacto oritur. Minor eſt certa: nàm, vt voluntas poſſet in ſtatu abſoluto auxilij illud *determinativè* acquirere, vel *poſitivè*, vel *negativè*, erat neceſſarium, quod ſaltem poſſet ſe habere erga auxilium, ſicùt poteſt ſe habere erga decretum collativum auxilij, quod acquirere poteſt, ponendo aliquid à *priori immediatè* connexum cum exiſtentia decreti determinati indifferentis per excluſionem omnis aliùs decreti connexi. Probatur maior. Omne, quod voluntas ponit in ſtatu abſoluto auxilij ſivè *mediatè*, ſivè *immediatè*, eſt, vel exercitium liberum, vel ſcientiam mediam *obiectivè* determinatam per liberum exercitium : ſed nequè per exercitium liberum ; quia hoc *immediatè* non præcedit ad auxilium; neque per ſcientiam mediam; quæ etſi *immediatè* præcedat, non connectitur neque cum hoc determinato auxilio, nequè cum altero in huius defectu : ergo in ſtatu abſoluto auxilij voluntas, nèc *immediatè*, nec *mediatè* determinat aliquid, quod *immediatè à priori* ſit connexum cum exiſtentia determinati auxilij, quod defacto datur, aùt cum exiſtentia alterius auxilij in defectu huius.

66 Tertia, & vltima pars probatur. Poſſe voluntatem in ſtatu abſoluto auxilij impedire *influxivè*, aùt *determinativè* exiſtentiam eiuſdem auxilij, eſt poſſe coniungere exiſtentiam auxilij cum illius impeditione, & defectu: ſed poſſe coniungere exiſtentiam auxilij cum illius impeditione, & defectu repugnat : ergo impoſsibile eſt voluntatem in ſtatu abſoluto auxilij poſſe ipſum impedire, aùt *influxivè*, aùt *determinativè*. Probatur maior. Poſſe voluntatem in ſtatu abſoluto auxilij impedire *influxivè*, aut *determinativè* auxilium, eſt poſſe facere exercitium auxilij (ſiquidem non datur alia poteſtas,) impeditionem illius, ſivè *influxivam*, ſivè *determinativam* : ſed poſſe facere exercitium auxilij impeditionem illius, ſivè *influxivam* ſivè *determinativam*, eſt poſſe coniungere exiſtentiam auxilij cum illius impeditione, & defectu ; propterea quod omne exercitium, vt exercitium potentiæ eſt, coniungatur cum potentia, quæ per illud exercetur: ergo poſſe voluntatem in ſtatu abſoluto auxilij impedire *influxivè*, aut *determinativè* exiſtentiam eiuſdem auxilij, eſt poſſe coniungere exiſtentiam auxilij cum illius impeditione, & defectu.

67 Ex quibus, ad propoſitionem maiorem argumenti : *ſi voluntas per ſuum exercitium liberum poſſet impedire decretum, à quo defacto pendet libertas, qua exiſtit libera, & aliquomodo verè, ſivè influxivè, ſivè determinativè acquirere aliud decretum eiuſdem libertatis collativum; poſſet ſimiliter per ſuum exercitium liberum defacto*

pro-

procedens à libertate A v. g. impedire prædictam libertatem, & aliam acquirere: constat, quid dicendum. Nàm si comparatio fiat intra statum conditionatum; tenet quoad acquisitionem, & impeditionem per influxum; non tenet quoad acquisitionem, & impeditionem *determinativè*; & in primo sensu est falsa minor, sicùt in secundo vera: si autem fiat intra statum absolutum, tenet quoad acquisitionē per influxū; nō tenet quoad acquisitionē *determinativè*, sicut in nullo vero sensu quoad impeditionem libertatis: per cuius distinctionem neganda, vel concedenda est minor, & neganda consequentia.

CAPVT III.

An, vt Deus sit specialis benefactor in collatione auxilij efficacis sit necessarium, quod moveatur ex efficacia illius.

68 SVpponitur primò: Deum conferentem auxilium efficax posse moveri ex efficacia illius: tum quia efficacia extrinseca auxilij est quid bonum, honestum, & vt tale à Deo amabile: tùm quia sicut Deus potest exercere alias virtutes morales, prout distinctas à Theologicis innitendo motivo creato, & à se distincto; cùr non poterit exercere virtutem *beneficentiæ* in conferendo auxilio efficaci, movendo se ex speciali vtilitate, & convenientia, quam dicit ad consentientem? Non igitur est difficultas de possibilitate motionis ex auxilij efficacia; sed de necessitate, vt Deus sit specialis benefactor in collatione auxilij efficacis, & inquirit: *an deficiente tali motione, possit Deus esse specialis benefactor in collatione auxilij efficacis præ inefficaci?*

69 Supponitur secundò: Deum non esse necessitatum ad se movendum ex efficacia auxilij, quando confert auxilium efficax: est clarum, si deficiat titulus ad talem necessitatem: sed sufficit titulus ad talem necessitatē: ergo non est necessitatus ad se movendum ex efficacia auxilij, quando confert auxilium efficax. Probatur minor. Omnis titulus ad talem necessitatem, aut esset, quod efficacia auxilij necessariò raperet Deum in sui amorem efficacem, aut defectus aliarum rationum, ex quibus Deus moveri posset, dum confert auxilium efficax: sed neque efficacia auxilij necessariò rapit divinam voluntatem in amorem efficacem sui, vtpotè, quæ est bonum finitum, & limitatum: neque deficiunt aliæ rationes, quæ possint Deum movere; nempè, aut motivum aliquod Theologicum, & ad Deum pertinens, aùt pura constitutio libertatis creatæ, aut vtilitas alterius, quæ posset resultare in alio individuo ex collatione auxilij efficacis facta Petro: vt quando conversio vnius peccatoris deservit ad conversionem aliorum; & sic de alijs motivis, quæ quisque discurrere potest: ergo deficit titulus ad talem necessitatem. Procedit quæstio; non de necessitate *absoluta* Dei ad se movendum ex efficacia auxilij, quod confert sub scientia media consensus; sed de necessitate *respectiva*; scilicet, vt sit specialis benefactor in collatione illius.

70 Supponitur tertiò: In hac providentia, in qua Deus habet voluntatem antecedentem, & generalem; qua iuxtà Apostolum, *Vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, esse propterea necessitatum ad conferendum auxilium efficax, movendo se ex efficacia illius. Ratio est: quia cum ex tali intentione, quæ est desiderium consensus, procedat auxilium, cuius extrinseca efficacia in consensu consistit, implicat conferri auxilium ex tali intentione, & Deum non moveri ex consensu sub auxilio; quod est moveri ex efficacia illius: cæterum, cum hic modus movendi se ex efficacia componibilis sit cum carentia auxilij efficacis, & cum carentia specialis beneficij, quod est in collatione illius, vt patet in omnibus auxilijs, quæ Deus largitur ex intentione generali consensus sub scientia media inefficaciæ ipsorum; aliquid amplius desideramus in motione auxilij efficacis; scilicet motionem efficacem ex consensu, quæ cum effectu sit assequutiva illius: & inquirimus: *an tali motione efficaci secluſa, Deus possit esse specialis benefactor, dum confert auxilium efficax?*

71 Pendet resolutio huius dubij ab altero, quod in tractatu de bonitate, & malitia exagitatur, & inquirit: an vt actus constituatur in specie alicuius virtutis sit necessarium, vt feratur in obiectū illius propter se amatum,

tum,vel ſufficiat ſe tenere ex parte obiecti *materialis* voliti,quāvis propter aliud motivum?Exēpli gratia:an, vt actus ſublevandi miſeriam Pauperis formaliter pertineat ad virtutem *miſericordiæ*,ſit neceſſarium amare ſublevationem miſerię propter ſe, vel ſufficiat attingi ex parte obiecti *materialis* ſub alia ratione *formali*,v.g.ex motivo placēdi amico pauperis?In quo negativè reſpondent apud Oviedo,Salas,Monteſinos,Lorca,Cornejo, & Gaſpar Hurtado dicentes:actū, quo quis vult obiectum temperantiæ, nempè moderationē in cibo,non propter ipſam;ſed ad ſubveniendum egeno contrahere duplicem bonitatem, vnam *temperantiæ* ex obiecto *materiali*; alteram *miſericordiæ* ex motivo:ſimiliterque, actum,quo quis vult pati martyrium ex motivo *charitatis*,& eſſe bonū honeſtate *fortitudinis* ex obiecto,& eſſe bonum honeſtate *charitatis* ex motivo. Vnde conſequēter tenebunt,quod,vt Deus ſit ſpecialis Benefactor in largitione auxilij efficacis,nō eſt neceſſarium,quod moveatur ex ſpeciali bono;ſed quod velit ſpeciale bonum, quamvis motus ex alio motivo.

71 Affirmant Patres Vazquez,& Eximius Suarez,apud quos idem tenent Divus Thomas 1.2.quæſt.18.art. 6.necnon Conradus, & Caietanus cum alijs pluribus,quos ſequitur citatus Oviedo tract. 4.de bonitate,& malitia controv.3.punct.3. & reputari debent per conſequentiam doctrinæ pro ſententia affirmante,non aliter Deum futurū ſpecialem benefactorem conferendo auxilium efficax;quàm ſi moveatur ex ſpeciali bonitate,quę in auxilio efficaci prę inefficaci reſidet. Eandem ſententiam illuſtrat P.Herrera tractatu de prædeſtinatione quæſt.5.ſect.2.

73 Sentio cum Authoribus huius ſecundæ ſententiæ, & aſſero neceſſarium,vt Deus ſit ſpecialis benefactor conferens auxilium efficax, quod moveatur ex efficacia illius. Probatur. Nō eſt Deus beneficus in collatione auxilij,niſi moveatur ex bonitate *reſpectiva* ad alterum,cui confertur:ergo non erit ſpecialis benefactor in collatione auxilij efficacis,niſi moveatur ex ſpeciali bonitate *reſpectiva* ad alterum,cui confertur. Conſequentia videtur legitima: nàm ſicùt ſe habet bonitas ad rationem *beneficij in communi*;ſic debet ſe habere ſpecialitas bonitatis ad beneficium *ſpeciale*, & *in particulari*. Antecedens probatur primò authoritate Divi Thomæ, & Ariſtotelis probantium generaliter: actus virtutum ſpecificari ex motivo: inquit ille loco ſupra citato in corpore articuli: *Sicut igitur actus exterior accipit ſpeciem ab obiecto,circà quod eſt, ita actus interior voluntatis accipit ſpeciem à fine, ſicut à proprio obiecto*: & poſt pauca concludit: *Et ideo actus humani ſpecies formaliter conſideratur ſecundum finem; materialiter autem ſecundum obiectum exterioris actus.* Inquit ille ſecundo Ethicorum capite 4.*Quod, vt actus iuſtitiæ ſit bonus bonitate ſpecifica iuſtitiæ (idem iudica de actibus aliarum virtutum) non ſufficit,quod ſit circa rem iuſtam; ſed requiritur; quod fiat ſcienter,deinde ex electione, & demùm propter ipſum.* Idem repetit 6. Ethicorum capite 12.dicens: *Quod actus virtutis debet fieri non ignoranter: non ab invito: & ab hoc*, ſeù propter obiecti honeſtatem: infertque, quod ſi quis faciat opus iuſtitiæ propter motivum diſtinctum ab illius honeſtate, faciet iuſtum; ſed non iuſtè: ergo vt Deus ſit beneficus in conferendo auxilio debet reſpicere pro motivo ſui actus honeſtatem propriam illius obiecti, per quam pertinet ſpecialiter ad virtutem *beneficentiæ*.

74 Secundò à ratione: priùs generaliter. Habitus, & potentiæ ſpecificantur penès diſtinctas rationes, quæ ſe habent, vt motivum ſuorum actuum in attingentia obiecti materialis: ergo *beneficentiæ* virtus, prout diſtincta ab alijs virtutibus,ſpecificatur à ratione *formali*, propter quam actus illius attingunt obiecta materialia: ſed hæc *formalis* ratio alia eſſe non poteſt; quam bonitas reſpectiva doni collati: ergo Deus beneficus non erit in auxilij collatione, niſi moveatur ex bonitate reſpectiva ad alterum, cui confertur. Antecedens, à quo pendent reliqua,probatur. Nam aliter confunderentur potentiæ,, habitus, & virtutes,ſicut & illarum actus: nec eſſet cur actus voluntatis,vt talis, non eſſet actus intellectus, & actus intellectus, vt talis,non eſſet voluntatis actus: cùm tàm actus intellectus attingat ex parte obiecti *materialis* bonum,quod eſt ſpecificativum voluntatis; quàm actus voluntatis verum, quod eſt ſpecificativum intellectus.

75 Confirmatur primò: aſſentiens veritati à Deo revelatæ,& revelationi,per quam dicitur talis veritas, & vtrique propter ſe,aut vtrique propter dictū Mag.nō habet actū fidei Theologicę,& ſupernaturalis;ſed purè humanæ:

næ:at hoc nõ cõtingeret,si virtus nõ ſpecificaretur ex motivo;ſed ſolum ex obiecto proprio *materialiter* attacto: ergo quia virtus ſumit ſpeciem ex motivo,& non ex proprio obiecto purè *materialiter* attacto.Idem cernes in eo, qui deſideraret Beatitudinem,non quia ibi bonam;ſed proùt eſt obiectum divinæ complacentiæ, qui non eliceret actum *ſpei*; ſed *charitatis*:quod ita non eſſet,ſi ſufficeret ad exercendam virtutem, quod actus attingeret ſolùm *materialiter* obiectum proprium illius.

76 Confirmatur ſecundò: actus, quo quis amat abſtinentiam propter eleemoſinam pauperibus erogandam,non generat habitum *abſtinentiæ*;ſed *miſericordiæ*:ergo quia huius virtutis tantùm habet honeſtatem, & non illius.Antecedens apparet certum: quia actus tantùm generant habitum proportionatum rationi, & motivo *formali*, quod habent. Conſequentia probatur. Nàm ſi actus haberet, non tantum honeſtatem *miſericordiæ*;ſed *abſtinentiæ*,generaret habitum, non ſolùm *miſericordiæ*; ſed *abſtinentiæ*: ergo ſi tantùm generat habitum *miſericordiæ*,tantùm habet illius honeſtatem.Nèc refert reſpondere cum Patre Granado prima ſecundæ controverſia 2.tractatu 10.diſp.6. ſect. 3. hæc ſolùm probare,actum illum non pertinere *phyſicè* ad virtutem *temperantiæ*; ſecùs *moraliter*; in quantum habet honeſtatem illius:pro qua pertinentia,non eſt neceſſarium,quòd actus ſit propter honeſtatem illius: quia ſi ſemel concedatur,actum habere honeſtatem virtutis, non eſt;cur *phyſicè* non poſsit procedere à tali habitu,& cur actus non generet talem habitum.Ratio eſt: quia proportio actus,& habitus eſt,quæ deſideratur, vt actus procedat *phyſicè* ab habitu,& habitus generetur ex actu: ſed nulla maior proportio;quàm honeſtas illius virtutis propria:ergo ſi independenter à motivo proprio illius virtutis poteſt actus habere honeſtatem illius,independenter etiam à tali motione poterit actus *phyſicè* procedere ab habitu,& habitus generari ex actu.

77 Deindè ſpecialiter. Si pro beneficio *formaliter*, vt tali, ſivè æquali,ſivè inæquali ſufficeret tendentia in bonum alterius, nulla habita ratione motivi proprii,& ſpecificativi *beneficentiæ*,pro beneficio *formaliter* ſumpto non attenderetur motivum, & ratio benefaciendi:ſed pro beneficio *formaliter* ſumpto attenditur motivum,& ratio benefaciendi:ergo quia pro beneficio *formaliter* vt tali,ſivè æquali,ſivè inæquali non ſufficit tendentia in bonum, quod confertur. Maior eſt certa.Probatur minor ex ipſo dictamine rationis naturalis,quo ductus Seneca lib.1.de Beneficijs cap.6. dixit *Beneficium enim non in eo, quod fit, aut datur,conſiſtit;ſed in ipſo dantis animo*: alioquin proſequitur cap. 7. *Si beneficia in rebus;non in ipſa benefaciendi voluntate conſiſterent,eo maiora eſſent quo maiora ſunt,quæ accepimus:hoc autem falſum eſt*:cui conſonat illud Divi Auguſtini effatum generaliter dicẽtis:*non ex officijs;ſed ex finibus virtutes æſtimandas eſſe.*

78 Obijcies primò. Si bonitas, & honeſtas actus ſpecificaretur tantùm ex motivo, & non ex obiecto *materiali* volito, deduceretur,nõ eſſe magis bonum,nec maius meritum, eligere opus egregiæ virtutis; quã aliud exiguum,& interioris virtutis: v.g. non eſſet magis honeſtum,& meritoriũ eligere martyrium,& ipſum pati ex motivo divinæ complacentiæ;quàm eligere, & erogare exiguam eleèmoſinam ex eodem motivo, cæteris paribus quòad amorem motivi:ſed hoc videtur incredibile:ergo quia actus in ratione *honeſti* non ſpecificatur tantùm ex motivo;ſed ex excellentia,& præſtantia obiecti *materialis*.

79 Reſpondent aliqui apud Oviedo admittẽdo ſequelã, quam minimè reputant abſurdam;imò confirmatam ſententiaChriſti,Marc.cap.12.in facto illo Viduæ Pauperis mittentis in ganophylaciũ Templi denariolos duos ad conſpectum divitum mittẽtium pretioſiora dona, de qua dixit Chriſtus: *Amen dico vobis, quoniàm Vidua hæc pauper plus omnibus miſsit*:quos rectè ipſe impugnat;vel quia ex Scriptura non conſtat omnibus fuiſſe idem oblationis motivũ;vel quia exceſſus oblationis pauperculæ Viduæ non provenit ex dono de-facto oblato;ſed ex affectu, quo maiora bona,ſi poſſideret,æqualiter donaret:vel tertiò:quia reſpectu ipſius maioris momenti erãt dona illa exigua propter rei familiaris inopiam;quam reſpectu divitũ æſtimabiliora dona,quibus nõ egebãt.

80 Melius advertit P.Vazquez diſp.51.num.15. per argumẽtũ nil probari cõtra nos:nàm licet magis meritoriũ ſit,& bonũ pati martyriũ ex motivo divinæ complacentiæ; quàm erogare exiguam eleèmoſinam Inopi ex eodem

motivo, hoc remanet intra eandem virtutem *charitatis* penès motivum divinæ complacentiæ proprium illius: vnde nullo modo specificatur actus ab obiecto *materiali*; sed à motivo, quod intendimus; quamvis intra eandem virtutem propter maiorem conducentiam, quam habet Martyrium ad divinam complacentiam, quam erogatio eleèmosinæ, crescat meritum, & honestas actus. Si autem infinitas non ex alio capite opus altioris virtutis magis conducere ad divinam complacentiam; nisi quia est maius bonum, nec aliter esse maius bonum; quam quia retinet honestatem altioris virtutis; quod est fateri: actum *charitatis* respicientis martyrium retinere honestatem etiam *fortitudinis*, propter obiectum *materiale*, quod respicit. Respondet Oviedo: obiectum illud altioris virtutis habere maiorem bonitatem *obiectivam* per respectum ad altiorem virtutem; ideoque magis placere Deo; non verò habere maiorem bonitatem *formalem* altioris virtutis: quod erat necessarium, vt actus, quo quis amplectitur martyrium propter Deum, pertineret ad virtutem *fortitudinis*.

81 Expeditior adhuc est solutio, quam tradit P. Aranda disp. 28. de Bonitate, & malitia sect. 3. §. 3. dicès: implicare in terminis, quod ex aliquo motivo, & fine eligatur maius bonum, & difficilius, magisque congruens fini, quin intentio finis, & motivi sit ardentior, & magis apretiativa illius. Inde excessus, qui est in actu *charitatis* tendente in opus *fortitudinis*, quale est martyrium, comparativè ad actum *charitatis* tendentem in opus *misericordiæ*, quale est sublevatio indigentiæ, tantum provenit *argutivè* ab excessu obiecti *materialis*; at *formaliter* ab excessu apretiationis rationis *formalis*, & motivi.

82 Obijcies secundò: iuxta communem Theologiam, in Deo dantur virtutes *morales*: sed Deus nequit attingere bonitatem, & honestatem creatam propter se ipsam; alias actus divinus, in ratione *honesti*, specificaretur ab aliquo finito; esset que finitus: ergo vt actus habeat honestatem virtutis, sufficit respicere obiectum illius *materialiter*, & propter aliud; nèc requiritur illud respicere *formaliter*, & propter se: ergo, vel negandum est dari in Deo virtutes *morales*; vel dicendum, vt actus ad virtutem aliquam pertineat, non opus esse respicere honestatem illius propter se.

83 Non capio, quid prosit pro hac difficultate componenda, quod actus honestas, specificatioque in determinata virtute desumatur ex obiecto *materiali*, vel ex *formali*: nàm si inconveniens, vt desumatur ab obiecto *formali*, & motivo quoad actus divinos, consistit in eo, quod specificarentur a bonitate finita; idem remanet, si specificentur ab obiecto *materiali*; cùm tam finitum, & limitatum sit obiectum *materiale*; quàm *formale*, quando ambo creata sunt: manent ergo in eadem difficultate componendi virtutes *morales* divinas, qui dicant: actum esse honestum per ordinem ad obiectum *materiale*. Quarè pro omnibus dicendum est: vel non dari in Deo virtutes *morales* eiusdem rationis cum nostris; sed modo quodam excellentiori, & supereminenti: vel sufficere ad honestatẽ virtutis contrahendam attingere ex parte motivi honestatem creatam inadæquatè, & simul cum bonitate divina, à qua specificetur actus in ratione *infinitè honesti*: vel Deum posse absque dispendio infinitatis sui actus attingere ex parte motivi adæquati aliquid creatum, sicut potest ex parte obiecti *materialis*. Nec lõgius examen petit obiectio; pro qua consulantur Theologi tract. de Voluntate Dei, vbi latè agũt de virtutibus *moralibus* & de modo, quo in Deo reperiri possint.

84 Obijcies tertio. Vt actus contrahat malitiam, non est necessarium, malitiam expeti propter se; imo, nec directè *materialiter*; sed tantùm indirectè, in quantùm voluntas feratur in rationem *obiectivam*, cui est annexa malitia: ergo, vt actus cõtrahat honestatem, non requiritur, honestatem expeti propter se; sed ex parte obiecti *materialis*. Confirmatur, qui prævidens ex studio, aut concione magnum futurum fructum animarum eligit studere, aut concionari, contrahit honestatem respondentem tali fructui *indirectè* volito: ergo ad contrahendam honestatem virtutis, nec requiritur esse motivum, neque obiectum *materiale* directè volitum. Comprehenduntur difficultate, quotquot dicãt: honestatem tùm obiecti tùm circunstãtiarũ illius debere attingi per actũ saltẽ directè, vt taliter sit honestus *formaliter*.

85 Respondetur: diversimodè se habere actus malitiam, & illius honestatem; vt patet in communi sententia, apud quam ad honestatem requiritur positivus actus; ad malitiam vero

verò sufficit pura omissio libera, si hęc possibilis sit; etiamque apud omnes sufficit semiplena advertentia mali ad demerendum aliquo demerito; quin apud plures sufficiat semiplena advertentia boni ad merendum aliquo merito simpliciter tali, & condigno. Insuper, vt actus sit graviter demeritorius *moraliter*, etiam attenta indignitate personæ, requiritur, malum grave *moraliter* esse voluntarium, & imputabile: vt autem sit graviter meritorius præmij gratiæ, & gloriæ, attenta dignitate personæ per gratiam valorantem, sufficit bonum honestum, etsi levissimum: ideò velle furari vnum assem, est leviter, & venialiter tantùm demeritorium, etiam ab homine iniusto, & Dei inimico; at velle dare vnum assem pauperi, est in homine iusto, & amico Dei condignè meritorium gratiæ, & gloriæ.

86 Ad argumentum: concesso antecedenti negatur consequentia. Disparitas est: quia malum, vt malum, non est amabile à voluntate, cuius motivum, & ratio *sub qua* est bonum, vt tale. Vnde vel voluntas nunquam posset tendere in malum, nec peccare; vel quando tendit in malum non debet appetere malum propter se; sed propter rationem boni vtilis, aut delectabilis; cùm verò bonum, vt bonum, possit amari propter se à voluntate, non est ratio, cùr honestas non debeat expeti propter se, vt actus honestus evadat in cuiusvis virtutis specie, quæ, proùt distincta, & non cum alijs confusa, debet habere rationem propriam motivam, & actuum suorum specificativam. Accedit: quod sicùt bonum sumitur ex integra causa; sic malum ex quocumque defectu: ergo, vt malum inficiat actum, sufficit quovis modo illum inficere; vt verò actus determinatæ virtutis bonus bonitate propria, & specifica illius probetur, debet ex integro, id est *materialiter*, & *formaliter* in honestatem tendere. Doctrina confirmationis ipsamet facilitate, qua adstruitur, negatur.

87 Obijcies quartò immediatiùs contra conclusionem. Vt Deus conferat auxilium efficax, sufficit, quod speciali modo sit Deo imputabilis, & voluntaria efficacia auxilij, quo non sit imputabilis, aut voluntaria inefficacia: sed ad hoc sufficit ponere auxilium cum prævisione efficaciæ, & cum animo sincero, & serio procurativo consensus: ergo absque eo, quod Deus moveatur efficaciter ex specialitate doni, potest esse specialis benefactor. Nego maiorem. Nàm pro *formali* maioritate beneficij non sufficit diversa voluntarietas in conferendo beneficio; sed vlterius requiritur, quod specialitas doni diverso modo moveat conferentem, ac quando confert minus beneficium: si enim, vt Deus esset specialis benefactor, conferens auxilium efficax, sufficeret serius, & sincerus affectus, à quo procedit donatio auxilij, eodē modo moveretur ex efficacia, quando confert auxilium efficax, ac quando confert auxilium inefficax, quod etiam procedit ex animo sincero, & desiderio cosensus.

88 Obijcies quintò. Beneficium tam includit voluntatem conferendi donum ex motivo proprio *beneficentiæ*; quàm donum vtile recipienti: ergo ex quocūque capite crescat, crescet in ratione *beneficij*: sed, etsi cōferatur auxiliū efficax cum æquali affectu, & motivo; quàm auxilium inefficax, semper crescit ex parte doni collati: ergo vt Deus sit specialis benefactor, non opus est moveri ex efficacia auxilij. Insto: beneficium in ratione talis non minus includit voluntarietatem doni collati; quàm donū vtile recipiēti: ergo ex quocūque capite crescat, crescet in ratione *beneficij*: sed quamvis donum conferatur cum omnimoda inadvertentia ad præstantiam ipsius comparativè ad alia, donum in se maius est: ergo quamvis donum maius conferatur cum omnimoda inadvertentia præstantię ipsius, illud cōferens erit specialis benefactor. Respondeo: aliqua esse de ratione cōplexi, quæ si non transcendant reliqua constitutiva, excessus horum impertinēter se habet ad excessum complexi; vt patet in libertate, & voluntarietate quoad obsequium, & beneficium in ratione talium; cuiusmodi etiam est ratio propria, & specificativa virtutis, quę si nō trāscēdat obiectum actus secūdùm excessum, quē continet; *per accidens*, & purè *materialiter* se habebit excessus quoad augmentū, & maiorem honestatem exercitij virtutis.

89 Obijcies sextò. Qui nocet alteri, & non ex motivo nocendi; tamen cum advertentia ad nocumentum, iniurioſus est illi, & quærelam provocat: ergo, qui benefacit, & nō ex motivo benefaciēdi; sed cū sola voluntarietate vtilitatis est illi beneficus, & huius gratitudine dignus. Negatur con-

sequentia. Nam ad primum sufficit sine iusta causa nocere: pro quo non requiritur nocere, vt noceas; sed nocere violando ius alterius, & quando non debes. Ad secundum est necessarium exercere benevolentiam erga beneficiarium, pro qua est necessarium respicere materiam virtutis sub motivo, & ratione *qua* specificativa virtutis, quæ alia non est ab vtilitate, & convenientia doni.

90 Insistes. Debitum gratitudinis nascitur ex pluribus, quæ non fiunt affectu benefaciendi. Sic filij debent esse grati Parentibus propter *esse* ab illis acceptum; quod Parentes sæpè non causant affectu benefaciendi; sed ex alijs motivis: sic servi gratitudinem exercere debent erga Dominos propter necessaria ad vitæ sustentationem, quæ non conferunt Domini propter commodum servi; verùm ex motivo propriæ convenientiæ, & vtilitatis: sic omnes tenentur lege gratitudinis, vt grati sint omnibus, à quibus bona perceperunt: sed gratitudo correspondet beneficio, vt tali: ergo pro beneficio *formaliter* tali non requiritur motivum benefaciendi. Respondeo: neque in filijs, nec in servis, nec generaliter in reliquis percipientibus bona absquè affectu benefaciendi esse debitum gratitudinis ad referendas gratias: quia virtus gratitudinis solùm respicit strictum, & *formale* beneficium; quod non datur, quando deficit in conferente motivum proprium virtutis *beneficentiæ*: quare debitum, quod inde resultat, pertinet, vel ad observantiam, & reverentiam Parentibus debitam, & Dominis; ex quo tenemur bono ipsorum prospicere; vel ex benevolentia, qua, vt ratio ipsa dictat, debemus esse boni his, qui quomodocumque nobis boni sunt.

91 Objicies septimò. Vt benefactor sit de beneficiario benemeritus, necesse non est exercere erga illum virtutem *beneficentiæ*: ergo neque necessarium est velle illi bonum, quia bonum illius est. Consequentia est legitima: quia motivum virtutis non est necessarium, nisi pro exercenda virtute: ergo si benefactor talis esse potest, quin exerceat virtutem *beneficentiæ*; talis etiam esse valebit conferens bonum recipienti absquè motivo proprio *beneficentiæ*. Antecedens probatur in illo, qui esset necessitatus ad conferendum donum aliquod Petro, vel Paulo, quia ipsis vtile, qui benemeritus erit de illo, cui conferat; quin iuxta communem sententiam, exerceat virtutem *beneficentiæ*, propter necessitatem disiunctivam ad actus æquales eiusdem, vel diversæ virtutis, cum qua non stat exercere *moraliter* talem virtutem ob defectum libertatis *moralis* in electione cuiusvis: ergo, vt benefactor sit de beneficiario benemeritus, necesse non est exercere erga illum virtutem *beneficentiæ*.

92 Respondet Ribadeneyra. Ad benefaciendum non opus esse exercere virtutem *moralem beneficentiæ* determinatè *formaliter*; vt constat in illo, qui confert alteri beneficium, quod conferre sibi est prohibitum; cuius actus, vtpotè turpis, non est exercitium *beneficentiæ* virtutis; insuperque in primo actu benefaciendi hominis infidelis, qui nec procedit à virtute infusa benefaciendi, quæ non datur, vel est impedita per defectum fidei; neque à virtute acquisita, quæ cum ex actibus generetur, ad primum actum non præcedit: at necessarium esse exercere illam, vel *formaliter*, vel *æquivalenter* quoad rationem affectus, quem importat virtus *beneficentiæ*: nàm affectus benefactoris debet esse alteri benevolus, qualis non erit, si non tendat in bonum alteri collatum, quia bonum ipsius est; & modo simili ei, quem habent actus procedentes à virtute *beneficentiæ*. Vnde concessò antecedenti, neganda est consequentia.

93 Advertendum tamen est. Probationem illam antecedentis nil convincere pro eius firmitate. Nam responderi posset primò: necessitatum ad conferendum donum vtile vni, vel alteri, quia ipsis conveniens, non exercere virtutem *beneficentiæ* quoad imputabilitatem honestatis illius; at exercere quoad denominationem *operantis* intra talem virtutem: siquidem necessitas exercendi virtutem non tollit exercitium illius; sed imputabilitatem exercitij: vel dicant: an necessitatus ad diligendum Deum ex motivo proprio *charitatis*, vel ad conferendum alteri ex motivo *iustitiæ* id, quod ex iure stricto ipsi debetur, propterea non eliceret actum *charitatis*, & *iustitiæ*, quamvis ipsi non imputaretur? Igitur male probatur, virtutem *beneficentiæ* nõ exerceri per determinationem ad illam exercendam.

94 Responderi posset secundò: constitutum in tali necessitate bene-

benefaciendi non exercere benefaciendi virtutem quoad Deum, & modo sufficienti ad meritum, & laudem in approbatione divina; verùm exercere respectivè ad illum, cui confert beneficium, erga quem dignus retributione constituitur. Ratio primi sit: nam apud Deum non meretur præmium, aut laudem, qui id, quod facit, nō potest non facere, vel in se, vel in æquivalenti: sed relatè ad Deum necessitatus ad conferendum vni ex duobus idem beneficiū, nō potest id, quod facit, nō facere, vel in se, vel in æquivalenti; cùm tanti æstimetur beneficium vni; quam alteri factum: ergo non exercet virtutem *beneficentiæ* quoad Deum, & modo sufficienti ad meritum, & laudem in approbatione divina. Ratio secundi: quia relatè ad illum, cui confert beneficium, non est necessitatus ad faciendum id, quod facit, vel in se, vel in æquivalenti; propterea quod accipienti donum, non est quid æquivalens collatio ipsius alteri facta, per quam ipse privatus omninò manet vtilitate doni, & fortè non exiguis incommodis expositus.

CAPVT IV.

An Deus defacto tribuat auxilium efficax motus ex eius efficacia, & vt specialis benefactor.

95 NEgabunt omnes illi, qui decretum, & prædefinitionem antecedentē ad consensum liberum, & cum illo connexam, quamvis per dependentiam à scientia media temperatam, vt libertati infensam reijciunt: hi sunt Pater Vazquez, Herice, Puente Hurtado, Gaspar Hurtado, Beccanus, & alij, quos partim invenies citatos apud Ribadeneyra disputatione 12. numero 2. negabit etiam Pater Arriaga quoad vniversalitatem, vt colligi videtur ex his, quæ docet, agens de directione scientiæ mediæ: dicit enim: scientiam mediam de efficacia non præcedere ad auxilium, nisi in casu particulari, in quo Deus conferat auxilium, quia est efficax, seu motus ex eius efficacia; per quæ videtur planè concedere: Deum non semper conferre auxilium efficax, quia efficax, & vt specialis benefactor.

96 Negat absolutè Pater Lesius opusculo de prædestinatione, & reprobatione, cuius singularem sententiam sic refert Ribadeneyra disputatione 5. de Prædestinatione capite 2. fatetur, inquit, auxilium, prout coniunctum cum bono consensu, expetibilius esse; quam ipsum secundum se, vel, vt divisum à consensu: tamen, neque vocationem crescere in ratione *beneficij* divini, eò quod prævideatur eam esse, quæ si detur, coniungetur cum bono consensu libero; neque Deum vnquam ex hac circunstantia moveri ad collationem ipsius; sed, nulla ratione habita, sivè efficaciæ, sivè inefficaciæ, suas distribuere vocationes ex desiderio, vt omnes illæ pro nostra libertate efficaces reddantur. Affirmat communis sententia, quam tenent Ribadeneyra disputatione citata capite 3. Quiros disputatione 7. de prædestinatione, & Herrera quæstione 5. sectione 3.

97 Pars affirmativa probatur. Deus conferens auxilium efficax aliquid nobis donat, quod non donat conferens auxilium inefficax: sed excessui doni correspondet specialitas beneficij: ergo Deus nobis conferens auxilium efficax se habet defacto, vt specialis benefactor, illud conferendo, quia efficax, vt necessarium est ad specialitatem beneficij. Maior est certa; quia per auxilium efficax donat nobis cum effectu, & non tantùm quatenus est ex se, bonam operationem, cum qua auxilium est infallibiliter coniungendum; quod non facit per auxilium inefficax; aliàs de operatione bona, vt à Deo non accepta possemus gloriari contra illud Pauli prima ad Corinthios capite 4. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Probatur minor. Dono nobis vtili correspondet beneficium *formaliter* ex parte Dei: ergo excessui doni correspondet specialitas beneficij: cùm non sit maior ratio, vt per doni collationem sit Deus defacto beneficus; quàm vt per collationem doni specialis, sit Deus specialis benefactor. Probatur antecedens: nam si dono nobis vtili non correspondaret beneficium *formaliter* ex parte Dei, male ex donis nobis vtilibus à Deo collatis

pro

proclamaretur divina erga nos beneficentia : ergo dono nobis vtili correspondet beneficium *formaliter* ex parte Dei.

98 Confirmatur: non datur maior ratio, vt Deus in hac providentia sit erga nos *formaliter* beneficus; quàm vt sit *specialiter* beneficus : sed semel dato, quod in hac providentia sit *formaliter* erga nos beneficus, nullum est donum, cui adiuncta non sit beneficentia *formalis* : ergo dato etiam, quod in hac providentia sit *specialiter* beneficus, nullum erit speciale donum, cui adiuncta non sit *specialis* beneficentia. Discursus apparet legitimus. Prob. mai. Tota ratio, vt Deus sit in hac providentia *formaliter* beneficus erga nos, est, quia vult exercere actum virtutis *beneficentiæ* proportionatum materiæ illius: sed materiæ excellentiori virtutis *beneficentiæ* correspondet, & est proportionatus actus, per quem virtus *beneficentiæ* specialiter se exerceat : ergo non datur maior ratio, vt Deus in hac providentia sit *formaliter* erga nos beneficus ; quã vt sit *specialiter* beneficus *formaliter*.

99 Iterum confirmatur: magno, & speciali dono correspondet ex sacris litteris magnum, & speciale beneficium : ergo defacto est inseparabilis excessus beneficij *formalis* ab excessu doni *obiectivi*, & *materialis* : sed in collatione auxilij efficacis est excessus doni *obiectivi*, & *materialis* : ergo ei respondet excessus beneficij *formalis*. Probatur antecedens positum in maiore. Magno, & speciali dono correspondet magna, & specialis gratitudo, vt constat ex Cantico Beatæ Mariæ Virginis: *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna &c*: sed specialis gratitudo non debetur, nisi speciali beneficio *formaliter* : ergo magno, & speciali dono correspondet ex Scriptura magnum, & speciale beneficium *formaliter*.

100 Probatur secundò: Deo, vt nobis conferenti auxilium efficax, debemus speciales gratias referre ; quàm vt conferenti auxilium inefficax : sed speciales gratiæ non debentur ei, qui non est specialis benefactor: ergo Deus conferens auxilium efficax, est specialis benefactor, moveturque ex efficacia illius, vt necessarium diximus ad specialitatẽ beneficij. Cosequentia est legitima, & minor videtur certa : quia vbi non est inæqualitas beneficij, non debet esse diversitas, & inæqualitas in gratiarum actione. Probatur maior. Deo, vt conferenti nobis efficax auxilium finale, debemus speciales gratias referre, quàm vt conferenti auxilium finale purè sufficiens : ergo Deo, vt conferenti auxilium efficax, debemus speciales gratias referre ; quàm vt conferenti auxilium inefficax. Consequentia tenet : nàm si excessus doni perseverantię finalis secùm affert in hac providentia specialitatem beneficij divini; excessus etiam doni auxilij efficacis præ inefficaci afferet secùm specialitatẽ beneficij ex parte Dei. Probatur antecedens ex Tridentino vocante auxilium efficax finale sessione 6. canon. 16 *Magnum illud vsque in finem perseverantiæ donum*, per quod vult abs dubio significare non excessum doni vtcùmque, & *materialiter*; sed in ratione *beneficij formaliter* sumpti, prout se tenet ex parte Dei.

101 Objcies primò: si Deus in hac providentia conferret omne auxilium efficax, quia efficax, & vt specialis benefactor, hæc esset bona consequentia: *Deus non cõfert auxilium, quia efficax, & vt specialis benefactor : ergo non confert auxilium efficax* : sed si hæc consequentia est bona, dissentiens defacto non posset consentire sub auxilio : ergo si defacto Deus conferret omne auxilium efficax, quia efficax, & vt specialis benefactor ; dissentiens defacto, liberè non dissentiret ; ac perconsequens peccans non posset non peccare. Probatur minor. Dissentiens defacto non posset impedire illud consequens: *Deus defacto non confert auxilium efficax*, quod est connexum metaphysicè cum dissensu : ergo non posset dissentire. Probatur antecedens. Dissentiens non posset impedire antecedens, ex quo infertur metaphysicè illud consequens, scilicet : *Deus non confert auxilium, quia efficax, & vt specialis benefactor* ; quia non posset determinare oppositum illius, id est : *Deus confert auxilium, quia efficax, & vt specialis benefactor*; quod omnino *determinativè* pertinet ad divinam libertatem, vtpote cui tantum est liberum conferre auxilium, quia efficax, & cum speciali beneficentia : ergo nèc potest impedire consequens, cum quo antecedens metaphysicè connectitur.

102 Respondeo, detegendo fallaciam, quæ est in illa consequentia : *Deus non confert auxilium, quia efficax, & vt specialis benefactor : ergo non confert auxilium efficax* ; quæ bona non est,

est, si ex parte antecedentis ponatur sola non collatio auxilij, quia efficacis, & cum speciali beneficentia; nisi addatur ex parte antecedentis præsens providentia: sic: *In hac providentia Deus non confert auxilium, quia efficax, & vt specialis benefactor: ergo nō confert auxilium efficax.* Vnde oppositum illius antecedentis complexi non est solùm: *conferre auxilium, quia efficax, & vt specialis benefactor*; sed carentia præsentis providentiæ, quæ consistit in eo, quod Deus conferat auxilium aliquod efficax, non quia efficax, nèc vt specialis benefactor; idque ex suppositione auxilij potest facere, qui defacto dissentit, impediendo dissensum, & per consensum determinando scientiam mediam de efficacia, sub qua auxilium esset efficax; quàmvis sinè motione efficaciæ, & speciali beneficentia. Itaque contradictorium illius veritatis complexæ: *Deus in hac providentia non confert auxilium, quia efficax, & vt specialis benefactor*, est, *vel Deus confert auxilium, quia efficax, & vt specialis benefactor, vel non datur præsens providentia*: ex quibus disiunctivè attactis, quodvis est sufficiens exclusivum complexi; nequè est necessarium, vt voluntas dissentientis possit impedire complexum, quod possit impedire omnem partem illius; sed vnam, scilicet *præsentem providentiam*. Per quæ sufficienter constat pro solutione in forma.

103 Objcies secundò: beneficium non est æstimandum ex eventu pendente à libertate recipientis: ergo beneficium auxilij non crescit, quia verum sit, hominem benè vsurum illa gratia, si gratia detur; ac per consequens auxilium efficax non crescit in ratione *beneficij* ex parte Dei. Probatur antecedens. Non minuitur beneficium ex parte conferentis; quia recipiens sit ipso male vsurus: ergo nequè crescit ex parte dantis; quia recipiens sit illo benè vsurus; & ex eventu, qui pendet à libertate recipientis. Respondet Ribadeneyra distinguendo antecedens. Si conferens, *neque physicè, neque moraliter* largiatur eventum pendentem à voluntate alterius; concedit antecedens. Si *physicè aut moraliter* talem eventum conferat: negat antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis: distinguit antecedens. Beneficium ex parte dantis non decrescit ex abusu accipientis, *si casu, quo non foret abusus*; *sed bonus vsus, donans nil aliud collaturus erat, quod non confert, quando datur abusus*: concedit antecedens: si *aliquid aliud erat collaturus, quod non confert, quando datur abusus*: negat antecedens, & consequentiam.

104 Est dicere: conferre auxilium, & beneficium in circunstantijs, in quibus, quàmvis ex libero vsu recipientis, videtur infallibiliter ipsi profuturum, est *moraliter* conferre profectum superadditum entitati auxilij, & beneficij: vnde crescit beneficium comparativè ad se collatum in circunstantijs, in quibus prævidetur ex pravo vsu libero recipientis, non profuturum; per quem non profectum, aut malum vsum impeditur donans à conferendo *moraliter* sub eodem beneficio *physicè* sumpto id, quod in alijs circunstantijs conferret. Hinc Deus conferens auxilium efficax magis beneficè se habet; quàm conferendo inefficax; quia ex circunstantijs, & modo conferendi confert *moraliter* consensum cum effectu; quem non cōfert per largitionem auxilij inefficacis, quod licèt non ex se, ex abusu tamen recipientis, separatur à consensu, quem *moraliter* præstaret, si bonus vsus liber ex arbitrio recipientis per eius influxum esset ponendus.

105 Objcies tertiò fundamentum præcipuum Patris Lesij propositum ea forma, qua, vt assolet Pater Ribadeneyra, non tantùm rationes proprias; verùm, & alienas vivificat, & extollit: sic se habet. Vel quoties Deus confert auxilia verissimè sufficiētia ad consensum, non tamen inductus, & motus ex hac ratione, *quia re ipsa consensum obtinebunt*, seligit de industria auxilia efficacia præinefficacibus, vel non? Si *hoc secundum*: ergo sæpè Deus conferet auxilia sufficientia non inductus ad largitionem ex eorum efficacia; & tamen sortientur effectum consensus: nàm quomodo auxilia verissimè sufficientia ad bonam operationem, & cum quibus facile est bene operari, sepissimè conferentur; & tamen suo semper fraudabuntur effectu; nisi ex proposito quærantur à Deo occasiones, in quibus prævidentur suo effectu ex pravo voluntatis vsu esse privanda? Quemadmodum si quis habens saccum pomorum, quorum permixtim plura bona, plura putrida essent, & ex illis distribueret magnæ multitudini hominum, fieri non posset, quin aliquibus poma bona contingerent; nisi mala omnia

nia de industria seligat ipsis danda.

106 Si *primum*; id est, quoties Deus confert auxilia verè sufficientia ad consensum, non ductus ex ratione, *quia efficacia sunt*, secernere illa de industria ab efficacibus: contra est primò. Nàm hoc non componitur cum ardentissimo, & sinceríssimo desiderio nostrorum operum bonorum. Quis enim prudenter iudicet, aut sibi persuadere poterit, serio, sincerè, & ardenter finem desiderare, qui ad consequutionem ipsius de industria quærit media, quæ cum fine non sunt coniungenda, relictis medijs efficacibus, & cum quibus finis est infallibiliter coniungendus? Secundò: quia Deus quasi insidiabitur saluti reproborum, quærens inefficacia, potius, quàm efficacia media ad salutem; quando hæc in ipsis periclitatur; quasi solicitus, nè per alia media salutem consequantur. Nè igitur hæc dicenda sint, concedendum apparet: Deum conferre media sufficientia ad salutem, ita æqualiter ex se; vt in conferendo, nullum habeat respectum ad effectus, qui ex nostra libertate, & bono, vel pravo vsu illius dependent.

107 Hæc ratio, quam video attentionem doctiorum sibi conciliari, gravemque ab omnibus reputari, mihi, aut nil probat, aut probat eadem vi in collatione auxiliorum, nulla habita ratione ad efficaciam, vel inefficaciam illorum. Ratio est: quia auxilia sufficientia conferri à Deo sinè vllo respectu ad eorum efficaciam, aut inefficaciam, non tollit esse defacto eundem numerum auxiliorum inefficacium, quamvis ex se sufficientium, qui daretur casu, quo Deus conferret auxilia efficacia motus ex efficacia illorum: vel ergo incredibile est, tot auxilia ex se sufficiencia in casum ruere, & suo effectu privari, quin ex industria seligantur, & separentur ab efficacibus, vel non? Si *primum*: ergo cum defacto sint inefficacia, de industria seliguntur à Deo: quod negas: si *secundum*: ergo, vt sint inefficacia, nulla est necessaria industria Dei; sed sufficit dominium, & conditio libertatis creatæ: poterit ergo Deus moveri ad conferenda auxilia, quæ defacto sunt efficacia, quia talia sunt; quin inde probetur industria aliqua in eligendis, & separandis auxilijs efficacibus ab inefficacibus; vt hæc his hominibus; altera alijs conferantur.

108 Secundò: vel quoties Deus confert defacto auxilia verisimè sufficientia; quæ tamen frustrantur, & inefficacia redduntur, ea confert, prælucente scientia media de eorum inefficacia, vel non? Si *hoc secundum*: ergo cæco modo confert Deus auxilia; quod negat Pater Lesius; & vlterius quomodo non selecta de industria ab efficacibus evadunt tot auxilia verisimè sufficientia, & cum quibus facile est benè, & rectè operari, inefficacia? Si *primum*: cùm Deus pro priori discernat efficacia ab inefficacibus, quomodo, nisi de industria quærat inefficacia, tot verè sufficientia suo effectu destituuntur? Incidit ergo in industriam, quam vitare intendit; vel si eam facile removet, data prælucentia, & directione scientiæ mediæ; facile erit nobis eam depellere, dato in Deo affectu speciali ad efficaciam.

109 Tertio: ex redargutione adducti exempli: nàm licèt sit incredibile absquè speciali industria depromentis poma ex sacco; omnia quæ alicui ex multis contingant, esse putrida: at quod vnus plura obtineat bona; quàm mala; alter per oppositum, plura mala; quàm bona; insuperque, quòd pluribus contingat vltimum pomum putridum; pluribus verò vltimum sanum, industria speciali in distribuente non eget: ergo, quòd Deus ex cumulo infinito auxiliorum multis ex hominibus conferat plura inefficacia; quàm efficacia; alijs contra, plura efficacia; quàm inefficacia, nonnullis vltimum efficax; nonnullisque vltimum inefficax; etsi efficacia conferat motus ex efficacia; non sic inefficacia; quid probabit industriæ, aùt quarè, non data industria, fiet incredibile?

110 Quarto: negare poterit doctissimus Lesius, Deum frequentiora, & abundantiora conferre auxilia his; quàm alijs pro sua voluntate, qua, vt inquit Apostolus ad Romanos capite 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: pauciſsimum esse numerum electorum comparativè ad numerum reproborum iuxtà illud: *multi sunt vocati; pauci verò electi*? quæ omnia, aùt probant industriam aliquam ex parte Dei, vt non salventur ij, qui defacto reprobantur; vel sinè tali industria contingunt? Si *cum industria*: quomodo

fiat

stat ardor ille affectus, quo omnibus desiderat salutem; quin huic insidiari videatur? Si *absque illa*: vbi difficultas, vt industria, & insidiatio salutis deficiat, Deo conferente alia auxilia cũ speciali affectu, & motione ex præuisa vtilitatis, quæ in illis præ alijs exiuit? Propterea, aut par, aut nulla erit difficultas.

111 Respondeo: Deum conferre auxilia omnia efficacia, quæ defacto distribuit, motum ex eorum efficacia & speciali affectu, non aliam industriam probare in electione inefficacium; quàm, quæ involvitur in eo, quod conferat talia auxilia, sciens esse inefficacia, & cum bono consensu non coniungenda; nèc non in supremo dominio, quo vtitur, nolens dare efficacia; quamvis sæpè numero in prævisione concurrant: quæ non est industria indecens Deo, nèc alia ab ea, quam concedit Apostolus verbis supra citatis exponentibus dominium Dei in miserendo, & indurando: qua ratione in eodem capite dicit loquens de Iacob. & Esau: *Cum nondum aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundum electionem propositum Dei maneret,) non ex operibus; sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi; Esau autem odio habui*; alia verò industria, quæ consistat in tendentia actus divini ad inefficaciam, volendo, & intendendo, auxilium esse ineffieax, est quæ à Deo debet relegari; vtpote diuinæ Sanctitati non conueniens, vt facimus, non concedentes, Deum conferre auxilia, quæ effectum suum non sortiantur ex affectu ad dissensum; sed potius ex seria voluntate, & animo, vt sub ipsis recta operatio existat.

114 Ad exemplum: satis constat disparitas ex dictis, quibus addenda est scientia largientis, quæ non contingit in distributione pomorum, vbi si adesset advertentia, nulla combinatio esset incredibilis. Ad vltimum de ardore, & serietate affectus, quo Deus omnibus desiderat salutem, dicendum: eam solam industriam reputandam esse contrariam, & veluti salutis insidiatricem, quæ impediret expeditionem potentiæ ad bonam operationem; cumque Deus, etsi conferat auxilia, habita ratione ad efficaciam *positivè*, & ad inefficaciam *negativè*, in quantum ex inefficacia non retrahitur, nullo modo impediat per collationem auxilij inefficacis voluntatem creatam ab expeditione in consensum; componitur per consequens ardor, & vivacitas affectus divini in bonam operationem intra lineam *semiefficacis*; quæ solùm Deum cogit, vt præstet, quatenus est ex se, sufficientiam ad salutem, vt defacto omnibus præstat.

113 Obijcies quartò: Deus contulit Angelis auxilia gratiæ, non habita ratione efficaciæ, vel inefficaciæ ipsorum, vt illa largiretur, præcisse distribuens cum proportione ad naturam Angelicam, id est Angelis præstantioris naturæ præstantiora gratiæ subsidia conferens: ergo similiter hominibus auxilia efficacia distribuit affectu quodam generali, qui motionem ex eorum efficacia excludat. Nego antecedens: quod sinè fundamento, & pro libito adstruitur: nàm licèt Deus auxilia gratiæ sumpta quoad *physicam* entitatem, & perfectionem, distribuerit cum proportione ad excellentiam, & præstantiam naturæ Angelicæ: tamen, quæ efficacia prævidebat inter ea, quæ erant naturæ proportionata, contulit, vt specialis benefactor, vt congruit modo suo operandi beneficentissimè: nèc ad oppositum asserendum nos cogit, vel ratio, vel authoritas, quas Aduersarij pro suo discursu firmando non proferunt.

114 Rogabis primò: àn sit idem: Deum conferre auxilium, quia efficax, & vt specialem benefactorem, àc conferre auxilium per decretum connexum cum consensu? Respondeo: esse idem, si *ly quia efficax* denotet tendentiam intrinsecam decreti collativi in efficaciam: non esse idem *absolute*; cum componi possit Deum conferre auxilium, quia efficax, & vt specialem benefactorem, quin decretum collativum auxilij sit connexum cum consensu. Ratio primi est: nàm decretum per tendentiam intrinsecam tendere in efficaciam *quia est*, vel probat: esse amorem efficaciæ, vel saltem dicere respectum intrinsecum ad consensum in prævisione conditionata sub hypothesi auxilij: sed quocũque ex his modis connectitur cum auxilio, vt efficaci, àc per consequens cum consensu: ergo idem est: Deum conferre auxilium quia efficax, & vt specialem benefactorem, àc conferre auxilium per decretum connexum cum consensu, si *ly quia efficax* sit tendentia intrinseca decreti in efficaciam.

Ra-

115 Ratio secundi : potest componi, Deum propriori ad decretum collativum auxilij præintendere efficaciter ex directione scientiæ mediæ, vt post videbimus, consensum liberum sub auxilio, & ex hac intentione conferre auxilium per decretum ex se non dicens ordinem intrinsecum ad talem intentionem; quia posset similiter intrinsecè existere sub diversa, scilicet constituendi libertatem: neque enim, quàmvis intentio efficax finis connectatur cum electione medij determinatè requisiti ad existentiam finis, necessum est, electionem talis medij connecti determinatè cum tali intentione : sed in tali casu Deus esset specialis benefactor, conferretque auxilium, quia efficax, vi intentionis consensus determinantis ad decretum collativum auxilij; & decretum collativum non esset connexum, vt per se patet : ergo non est idem *absolutè*, Deum conferre auxilium, quia efficax, & vt specialem benefactorem, & conferre auxilium per decretum cõnexum cum consensu.

116 Rogabis secundò: valeat nè per oppositum : *Decretum collativum est connexum cum consensu: ergo Deus confert auxilium motus ex efficacia illius, & vt specialis benefactor* ? Respondeo negativè ; vt constat in decreto, quo Deus, proposita per scientiam mediam efficacia auxilij, decernat illud conferre per decretum huius tendentiæ: *Nolo moveri ex efficacia prævisa, & volo dare auxilium, nè deficiat sufficientia ad consensum*; cui alia similia excogitari possunt : sed hoc decretum est collativum auxilij, & connexum cum consensu ; nèc ideò Deus movetur ex efficacia ; aùt auxilium confert, vt specialis benefactor: ergo non est idem, Deum conferre auxilium per decretum connexum cùm consensu, & donare auxilium motum ex eius efficacia, & vt specialem benefactorem.

117 Rogabis tertiò: quid sit dicendum de inefficacia auxilij? An defacto moveat, vel movere possit Deum ad donandum auxilium inefficax ? Respondet Pater Herrera : Deum non posse amare auxilium inefficax, quia inefficax, ly *quia* denotante rationem *formalem* amandi, seu finem, propter quem ametur auxilium : quia Deus nequit intendere, quod homo auxilio dissentiat ; at si ly *quia* præcisse significet conditionem, qua deficiente, non amaretur entitas auxilij, planè concedit quæstione 12. agens de prædefinitione pœnitentiæ antè absolutam prævisionem peccati. Mihi distinguendum videtur quoad primam partem saltem de possibili, & pro altera providentia. Nàm licet impossibile *absolute* sit, Deum conferre auxilium inefficax, quia inefficax ; ly *quia* denotante finem, propter quem ametur auxilium, quando inefficacia auxilij consistit in dissensu peccaminoso ; secus debet esse quando inefficacia est pura negatio consensus non præcepti, aut nolitio actus boni, ad quem non est obligatio : quia hæc inefficacia est honestè volibilis à Deo, saltem in alia providentia ; cum sit obiectum nullam continens in se malitiam; quodque potest à Deo liberè amari : sicut liberè decernere, & velle potest pro suo dominio, vnum Angelum, aùt hominem non esse tàm Sanctum, támque gratia ornatum, àc alium, quem specialiter elegit ad Sanctitatem eximiam. In secunda convenio, vt dicam tractatu de Incarnatione. Et hæc sufficiant pro prima parte huius tractatus, in quo oportet prætextæ telæ filum abrumpere ; nè liber alioqu'n legentibus molestus, nimis excrescens gravior ex molle fiat. Deus optimus, qui initium dedit, tribuat his quoque finem, in cuius laudem dicta cedant.

* *
*

FINIS.

INDEX DISPVTATIONVM; ET Capitum, quæ in hoc primo Tomo continentur; vbi loca, in quibus à Magistro iuxta P. Ripalda excitantur, aut excitari possunt, vt illationes ex excitatis, inveniuntur.

DISPVTATIO PRIMA.

De essentia, & existentia prædestinationis.

Cap. 1. Quid sit prædestinari? pag. 2. excitatur à Mag. iuxta Rip. lib. 1. dist. 40.

Cap. 2. de existentia, & necessitate prædestinationis. Pag. 8. excitatio huius quæstionis pertinet ad eundem locum Magistri.

Cap. 3. quomodo prædestinatio comparetur cum providētia? p. 16. excitatur à Mag. iuxta Rip. lib. 1. dist. 35. quæst. 13. & dist. 39. quæst. 9. quæ etiam pertinet ad dist. 40.

DISPVTATIO. II.

De essentia physica prædestinationis.

Cap. 1. qui actus divini intellectus, quomodocumque debeant intervenire in prædestinatione? pag. 29. excitatur à Mag. iuxta Rip. lib. 1. dist. 35. quæst. 13. dist. 39. quæst. 9. & dist. 40. quæst. 1.

Cap. 2. Qui actus divinæ voluntatis requirantur ad prædestinationem? pag. 37.

Cap. 3. De natura, possibilitate, & necessitate imperij intellectualis. Pag. 42.

Cap. 4. solvuntur obiectiones. p. 42.

Cap. 5. In quo, aut quibus actibus, & cuius potentiæ consistat formaliter prædestinatio. pag. 61. excitatio harum trium quæstionum pertinent ad eadem loca, ac præcedens.

DISPVTATIO. III.

De Scientia Media comparata ad providentiam, & prædestinationem.

Cap. 1. Vtrum Scientia Media sit necessaria ad providentiam, & prædestinationem? pag. 66. excitatur à Mag. iuxta Rip. lib. 1. dist. 40. quæst. 2.

Cap. 2. Quæ Scientia Media, & qua extensione ad providentiam, & prædestinationem requiratur. p. 77. pertinet excitatio huius ad eundem Magistri locum.

Cap. 3. Quo ordine, & in quo signo Scientia Media constituat providentiam, & prædestinationem? pag. 85. excitari potest. Ibidem.

Cap. 4. Solvuntur obiectiones contra conclusionem primam præcedentem. pag. 92.

Cap. 5. Reliquæ obiectiones contra conclusiones alias expediuntur. pag. 102. Quæstiones huius disputationis excitare etiam possunt lib. 1. Magi-

gistri distinc. 35. & distinc. 39.

DISPVTATIO. IV.

Non nulla dubia ex præcedentibus orta dissolvuntur.

Cap. 1. Quomodo Deus directus scientia media sit beneficus in collatione auxilij inefficacis? pag. 109.

Cap. 2. Qua ratione cum eiusdem scientiæ Mediæ necessitate, & præcedentia componatur, Deum serio procurare consensum in dissentiente? pag. 123. excitatio harum duarum quæstionum pertinet ad lib. 1. dist. 35. 39. & 40. nec non dist. 46. vbi, quæst. 1 1. *Quænam sit in Deo voluntas permittens?* & dist. 47. vbi, quest. 6. *Quid sit in Deo permissio peccati?* excitatur à P. Rip.

Cap. 3. An ex necessitate scientiæ mediæ ad prædestinationem inferatur legitime possibilitas creaturę adeò protervæ, vt sit a Deo inconvertibilis? pag. 129. Excitatio huius quæstionis pertinet ad lib. 1. dist. 35. 39. & 40. & ad omnia ea loca citanda disputatione 5. tamquàm illatio, etsi dubia, ex exclusione auxiliorum ab intrinseco efficacium.

Cap. 4. diluit aduersantia fundamenta contra primam, & secundam propositionem. pag. 142.

Cap. 5. Obiectiones contra tertiam propositionem. pag. 145.

DISPVTATIO V.

De primo prætextu ad evitandam necessitatem Scientiæ Mediæ in providentia prædestinativa.

Cap. 1. Primus prætextus ex efficacia intrinseca mediorum desumptus proponitur, & Authoritate reijcitur. pag. 156.

Cap. 2. fundamenta rationis pro exclusione prædestinationis physicę, & intrinsecæ. pag. 168.

Cap. 3. Fundamenta reliqua à ratione contra prędeterminationem physicam, & intrinsecam. pag. 188. Excitatur à Mag. iuxta Rip. tum. lib. 1. dist. 16. quæst. 7. dist. 38. quæst. 5. distinct. 40. quæst. 4. & dist. 42. quæst. 8. tum. lib. 2. dist. 23. quæst. 10. dist. 24. quæst. 5. dist. 25. quæst. 6. dist. 26. quæst. 16. & dist. 28. quæst. 7. tum. lib. 3. dist. 40. quæst. 7.

DISPVTATIO VII.

De decretis efficacibus antecedentibus nostras operationes liberas, seu de secundo prætextu ad excludendam Scientiam Mediam.

Cap. 1. Prædicta decreta impugnantur independenter à concursu Dei in peccatum. pag. 230. Excitatur à Mag. iuxta Rip. tum. lib. 1. dist. 45. quæst. 7. & dist. 46. quæst. 2. tum. lib. 2. dist. 24. quæst. 5. & dist. 25. quæst 6.

Cap. 2. Eadem decreta reijciuntur ex concursu Dei in peccatum. pag. 247.

Cap. 3. Continet impugnationem secundæ solutionis, per quam omnis prædefinitio, & prædeterminatio materialis peccati excluditur Authoritate. pag. 251.

Cap. 4. Excluditur à ratione eadem prædefinitio. pag. 257.

Cap. 5. Solvit opposita fundamenta ab authoritate, & ratione. pag. 275. Excitatur à Mag. iuxta Rip. præter loca in cap. 1. huius disp. relata, tum. lib. 1. dist. 29. quæst. 9. dist. 46. quæst 6. tum lib. 2. dist. 21. quæst. 2. dist. 34. quæst. 5. dist. 35. quæst. 7. & dist. 37. quæst. 4. tum. lib. 3. dist. 32. quæst. 8.

Cap. 6. Dubium incidens resolvitur. pag. 287. Excitatio huius dubij pertinet, ad omnia loca, relata cap. 5. præcedente, & vlterius ad omnia ea, in qui-

quibus rogetur: *An Deus sit causa peccati?* Ad quæ loca etiam pertinet excitatio quæstionis præcedentis.

DISPVTATIO VII.

Appendix præcedentium. De modo, quo prædeterminatio stricta, & laxa, opponitur cum libertate.

Cap. 1. Præmissis notabilibus apperitur sensus quæstionis. pag. 295.
Cap. 2. Nostra sententia per varias conclusiones exponitur. pag. 297.
Cap. 3. Satisfit objectionibus in contrarium iactis. pag. 301.
Excitatio huius quæstionis pertinet ad eadem loca Mag. ad quę spectat excitatio quæstionum quintæ, & & sextæ disputationis.

DISPVTATIO VIII.

De alijs prętextibus levioris momenti.

Cap. 1. Tertius prætextus prædeterminatio moralis. pag. 306.
Excitatio huius quæstionis pertinet ad loca omnia relata disp. 5.
Cap. 2. Quartus prætextus: sententia Illustrissimi Cardinalis. pag. 315.
Excitatio huius quæstionis pertinet ad lib. 1. Magistri distinct. 35. 39. & 40.
Cap. 3. Quintus prætextus: præscientia Ægidij Romani. pag. 318.
Excitari potest. Ibidem.
Cap. 4. Sextus prætextus: decretum comitans. pag. 325.
Excitatur à Mag. iuxta Rip. tum lib. 1. dist. 45. quæst. 7. & dist. 46. quæst. 2. tum excitari potest lib. 2. dist. 24. & 25.
Cap. 5. Diluit oppositas rationes. pag. 338.
Adverte; omnes quæstiones, quę pertinent adquintam, sextam, & octavam disputationem posse etiã excitari lib. 1. Mag. dist. 35. dist. 39 & dist. 40: quia cum ibi quæstio de necessitate scientiæ mediæ ad prædestinationem pertineat; necesse est, quod ibi pertineant prętextus ad evitandam talem necessitatem.

DISPVTATIO IX.

APPENDIX PRÆCEDENTIS.

An saltem inter libertates solo numero distinctas eiusdem voluntatis possibilis sit concomitantia liberę determinationis? Seù an ex determinatione libera agentis sub libertate determinata inferatur similis determinatio sub alia libertate solo numero distincta?

Cap. 1. Quæstionis sensus, sententiæ & notabilia proponuntur. pag. 344.
Cap. 2. Resolvitur quæstio. pag. 346.
Cap. 3. Solvuntur obiectiones contrariorum. pag. 352.
Excitatio huius quęstionis pertinet ad eadem loca Mag. ac præcedens, vtpote dubium ortum ex ea; nec non ad loca relata disp. 5. vtpote illatio, & si dubia, ex exclusione auxiliorum ab intrinseco efficacium.

DISPVTATIO X.

De decreto applicativo, seu præparativo omnipotentiæ.

Cap. 1. An, vt Deus operetur ad extra, necessarium sit aliquod decretum, aùt aliquod exercitium liberum applicans omnipotentiam ad operandum. pag. 363.
Excitatur a Mag. iuxta Rip. lib. 1. dist. 42. quęst. 2. dist. 43. quęst. 4. & dist. 45. quęst. 4.
Cap. 2. Quale debeat esse hoc decretum applicativum, & præparativum potentiæ operativę ad extra. pag. 368.
Cap. 3. occurit obiectionibus contra

secundam partem, & indifferentem applicationem omnipotentiæ. pag. 374.
Cap. 4. Tendentia, & objectum decreti applicativi indifferentis investigatur: vbi de alienis sententijs fertur iudicium. pag. 379.
Cap. 5. Probabilior modus nobis proponitur, & ab obiectionibus vindicatur. pag. 397.
Excitatio huius duplicis quæstionis pertinet ad loca Mag. citata cap. 1. Nec non ad lib. 1. dist. 37. & lib. 2. dist. 1. vbi inquiritur: *An Deus, seu omnipotentia immediate concurrat in omnes effectus?* Et generaliter ad omnia loca, in quibus idem rogetur: quia vbi sit sermo de Concursu Dei in effectus; ibi necesse est agere de decreto applicativo necessario ad talem concursum. vlteriusque pertinet ad loca Mag. *citata disp. 6. cap. 1. vbi indiscriminatim* sermo est de voluntate Dei erga nostras actiones.

DISPVTATIO XI.

De decreto collativo auxilij.

Cap. 1. An ad libertatem cum auxilio servandam necessarium sit, quod auxilium conferatur per decretum indifferens, & cum nullo libertatis: extremo determinate connexum. pag. 403.
Cap. 2. Solvuntur obiectiones pro repugnantia talis decreti. pag. 410.
Excitatio huius quæstionis pertinet ad loca. Mag. citata tum disp. 5. tum disp. 6. cap. 1. quia cum ibi agatur vel de auxilijs, quibus Deus nos prævenit, vel de voluntate Dei circa nostras operationes liberas, vt accomodata iuri nostræ libertatis, necessum est, ibi etiam agere, & de decreto necessario, vt Deus auxilia conferat, & de natura illius, vt nostræ libertati accommodati.
Cap. 3. An, vt Deus sit Specialis benefactor in collatione auxilij efficacis, sit necessarium quod moveatur ex efficacia illius? pag. 421.
Excitari potest. Ibidem.
Cap. 4. An Deus defacto tribuat auxilium efficax motus ex efficacia, & vt Specialis Benefactor? pag. 427
Excitari potest. Ibidem. Vlterius hæc duplex quæstio excitari potest lib. 2. dist. 38. vbi pertinet excitare quæstionem inquirentem; an vt actus habeat honestatem virtutis, sit necessarium, quod moveatur ex fine virtutis?

SORIA

FINIS.

Index Rerum, & Verborum primi, & secundi Tomi remittitur ad finem Secundi.

Stant.ª Top.ª
Est. 26
Tab. 4
Num. 9

Landtafel
der Grafschaft
Hennenberg.

2170
38 r